ALCORANI
TEXTUS UNIVERSUS

Ex correctioribus Arabum exemplaribus summa fide, atque pulcherrimis characteribus descriptus,

Eademque fide, ac pari diligentia ex Arabico idiomate in Latinum translatus;

Appositis unicuique capiti notis, atque refutatione:

His omnibus præmissus est

PRODROMUS

Totum priorem Tomum implens,

In quo contenta indicantur pagina sequenti,

AUCTORE
LUDOVICO MARRACCIO
E' Congregatione Clericorum Regularium Matris Dei,
INNOCENTII XI.
Glorioſiſſimæ memoriæ olim Confeſſario.

PATAVII,
M. DC. XCVIII.
Ex Typographia Seminarii.
SUPERIORUM PERMISSU.

PRODROMUS
AD REFUTATIONEM
ALCORANI,

IN QUO

Mahumetis vita, ac res geſtæ ex probatiſſimis apud Arabes ſcriptoribus collectæ referuntur.

De Alcorani nomine, auctore, idiomate, ſtylo, ſumma apud Mahumetanos veneratione, aliiſque ſimilibus ad integram illius, abſolutamque notitiam pertinentibus agitur.

Denique per quatuor veræ Religionis notas Sectæ Mahumetanicæ falſitas oſtenditur, & Chriſtianæ Religionis veritas comprobatur.

IN QUATUOR PARTES DIVISUS.

Digitized by Google

Liber perrarus, splendide impressus, 40. annorum opus, editio optima.

Cf. Blaufus Parmiseste Beyläger P.I. pag. 253.
Biblioth. Solger. P.I. pag. 41.
Catalog. Biblioth. Theolog. Reimmann. pag. 935.
Vogt Catalog. Libr. rar. pag. 28.
Baumgarten Nachrichten v. a. Halliss. Biblioth. T.V. pag. 231.
de Bure Bibliogr. instruct. pag. 898.
ment Biblioth. cur. T.I. pag. 142.

Franciscus Toepselius Monacens. Praepositus Pollinganus Reverendissimus ac Illustriss. Vir, Muris & mihi Amicissimus, Faventissimus, Insigne et praecipuae rari-tas opus Ludovici Maraccij, ob profundae eruditionis culturam, iniquitatem Saeculi sui Experti, Dono obtulit Andreae Felici Befelio Bibliophilo, cum A. MDCCLXIII Die VI. Septembris, Pollingam cum uxore et Filia excu-reret, indeque filios duos Clementem & Felicem. Exac-to denuo anni litterarij curriculo, Domum sanos et Sos-pites honorificis profectus Testimoniis Muniths, ferius an-tumnalibus ad patrios Lares reduceret.

Rarior hoc ipso libro est eiusdem Tomus prior, in 4. Partes divisus, qui seorsim prodiit sub hac inscriptione: Prodromus ad refutationem Alcorani c. Romae 1691. in 8. Editio haec excita-tur in Biblioth. Solger. P.III. pag. 99. Integrum eius Titulum exhibet Cl. Vogtius l.c. et de Bure l.c. Latinam versionem Alcorani Maraccianam recudi fecit Ch. Reineccius, Lipsiae 1721. in 8.

PRODROMUS
AD REFUTATIONEM
ALCORANI.

IN QUO

Mahumetis vita, ac res gestæ ex probatissimis apud Arabes scriptoribus collectæ referuntur.

De Alcorani nomine, auctore, lectione, stylo, finibus apud Mahumetanos veneratione, scriptoribus libris ad integrum illius, abrogatorumque notitiam pertinentibus agitur.

Denique per quatuor varia Religionis genera Sedæ Mahumedicæ falsus obtrudatur, & Christiana Religio vera comprobetur.

IN QUATUOR PARTES DIVISUS.

Digitized by Google

PRÆFATIO AD LECTOREM.

SEmper miratus sum, Christiane Lector, quòd, cùm tot doctissimi, sanctissimique viri, adversus alias Orthodoxæ Religioni oppositas sectas immensa volumina conscripserint: contra Mahumetum, impiamque ejus legem tam pauci, ac tam parcè calamo decertaverint. Arianam hæresim in ipsis incunabulis à trecentis decem & octo Nicæni Concilii Patribus præfocatam, per aliquot deinceps sæcula, cùm vegetiores spiritus resumpsisset, omnes ferè totius Christiani Orbis Scriptores validissimè oppugnaverunt. Contra Eutychetis, Dioscori, Nestorii, Macedonii, aliorumque antiquiorum Hæresiarcharum errores, non minor Catholicorum Doctorum acies insurrexit; atque ad eos profligandos plura OEcumenica Concilia celebrata sunt. Lutherum, Calvinum, Zuinglium, Melanchthonem, Servetum, aliosque recentiorum temporum Novatores, quis orthodoxorum in Italia, Hispania, Gallia, Germania, cæterisque Europæ Provinciis non confutavit? Contra Mahumetum, Mahumeticamque superstitionem, quæ per annos supra mille perseverat, qui scripserint, sive ex antiquioribus, sive ex recentioribus, pauci, ne dicam paucissimi, numerantur. Quod verò dissimulandum non est, licèt quidam doctè satis, solidèque scripserint: nonnulli tamen ex rerum Saracenicarum ignorantia, vera plerumque omittentes, ficta ac fabulosa in medium protulerunt, quæ Mahumetanis risus excitarent, eosque in errore suo obstinatiores efficerent. Sed his prætermissis, videamus, quinam sint, qui cum laude contra Mahumetanicam sectam scripsere.

Unus ex his hoc nostro ævo fuit P. Philippus Guadagnolus è Religione Clericorum Minorum, Arabicæ linguæ in Romano Lycæo Professor, & Moslemicarum rerum peritissimus, cujus extat Apologia Arabicè, ac Latinè impressa adversus Ahmedum filium Zini Principem in Regno Persarum, qui contra Christianam Religionem unà cum aliis Persarum Sapientibus librum scripserat,

& aureis characteribus exaratum, ad Romanum Pontificem Urbanum VIII. ut eidem respondendum curaret, transmiserat. Contra eumdem librum calamum exacuit P. Bonaventura Malvasia ex Ordine Minorum Conventualium, doctè sanè, atque eruditè, sed non adeò feliciter, quia Arabici idiomatis erat ignarus. Post hos duos prodiit in lucem opusculum Josephi Martellini Sacerdotis è Civitate Roccella, cum titulo: *Triumphus Catholicæ fidei contra Sectam Mahumetanam:* & aliud opusculum cujusdam Theologi è Societate Jesu in Gallia, cujus nomen mihi excidit: sed utrumque lectu digniſſimum. Noviſſimè autem prodiit ex Hiſpania, *Manuductio ad conversionem Mahumetanorum:* opus prorsùs egregium, ac præclarum, atque Authore suo dignum, nempè, Reverendiſs. P. Tyrſi Gonzales de Santalla è Societate Jesu, olim in Salmaticenſi Academia Sacræ Theologiæ Primario Antecessore Emerito: nunc verò ejusdem Societatis Præpoſito Generali digniſſimo. Quo sanè opere tam validè, ac nervosè Mahumetanica Secta à fundamentis diruitur ac destruitur, ut omnis alia argumentorum ac rationum machina, superflua esse videatur. Erunt fortasse alii, qui hoc tempore pro Alcoranica superstitione confutanda, ingenia laudabiliter exercuerint: sed horum opera ad manus meas non devenere. Quædam tantummodò manuscripta videre licuit, quæ si in lucem prodirent, magna, ut opinor, cum laude, & utilitate legerentur.

Nec inter antiquiores defuere, qui contra Mahumetum strenuè, laudabiliterque decertarent. Tales fuerunt, S. Joannes Damascenus: S. Petrus Paschasius Giennensis Episcopus ac Martyr, ex Ordine B. Mariæ de Mercede redemptionis captivorum: Petrus Abbas Cluniacensis: Joannes Cantacuzenus Imperator Constantinopolitanus: Abunuhus Chaldæus, & Abrahamus de Bethale item Chaldæus; quos ponit Hebedieſu Metropolita Sobensis in Catalogo Scriptorum Chaldæorum. Ricardus, seu Ricoldus ex Ordine Sacro Prædicatorum: Joannes de Turrecremata Cardinalis: Dionysius Chartusianus: Cardinalis Cusanus: Hieronymus Savonarola: & alii fortasse nonnulli obscurioris nominis, quos mihi videre non licuit.

Verùm hactenus

Apparent rari nantes in gurgite vasto:

vel potius, rari pugnantes contrà exercitum immensum. Quid enim sunt hi, si vel cum hostibus, à quibus penè obruimur; vel cum nostris, qui contra alias sectas dimicavere, comparentur? Fateri omninò necesse est, inter magna Christianæ Reipublicæ mala illud esse maximum, quòd, & aliquorum Regum ac Principum ejus enses, quibus tam acriter in seipsos mutuò desævierunt, adversus Othomannicam potentiam penitùs elanguerint: & quòd Doctorum ac Sapientum illius calami, quos contra se invicem pro leviſſimis quæstionibus identidem exacuunt; adversus Saracenicam impietatem prorsùs erubescant. An verò hoc evenit, quia, vel Mahumetanica contagio lenior sit, & Christianæ fidei minus noxia: vel quia exiguum Orbis spatium, minimèque curandum, occupet: vel demum quia in angulo & in tenebris delitescat? Verùm norunt omnes, nullam unquam Christianis rebus sectam magis hac infensam, pernicioſam, atque exitialem fuisse, quippe quæ omnium hæreseon, atque errorum collectio sit, & colluvies. Nullam etiam magis dilatatam fuisse; cùm & Asiam, & Africam penè totam, & maximam nobiliſſimamque Europę partem invaserit: & aliquot etiam novi

Orbis

Orbis provincias infecerit: & majora in dies incrementa illam accipere videamus.

Plures tanti mali causas esse intelligo, quas quidam, ad propriam ignaviam & inscitiam cohonestandam, vel ad alienam virtutem deprimendam, in medium tanquam justas adducunt.

Prima est, quòd, cùm Alcoranus, omnium & præcedentium, & subsequentium hæreseon congeries, & sentina sit, satisque ad has superque à multis responsum fuerit: supervacaneum nunc foret illum confutare: & si quis id faceret, actum agere videretur. Insulsa prorsus excusatio. Quasi verò innumera atque immensa Controversiarum volumina possit quilibet in promptu & ad manus habere: vel unus error una tantùm posset ratione confutari: vel Alcoranus ex proprio nihil mali haberet, sed præcedentium tantùm Sectariorum absurda contineret.

Secunda affertur causa: quia cùm Mahumetus asseclis suis disceptationes de religione prohibuerit; hi verò non solùm illas refugiant; sed in audentes secum disceptare, capitali pœna animadvertant, & ferro tantùm sectam suam tueri ac sustinere, fixum firmumque habeant: frustrà ad eam oppugnandam calamus assumeretur, cui non nisi gladio assertores ejus responderent. Quamobrem pestem hanc, non libris, aut linguis; sed ferro, ac flamma ab Orbe depellendam esse, plerique pronunciant. Pronunciant sanè; sed quàm verè, ipsi viderint. Certum apud me, & apud eos, qui rem benè norunt, omninò est, & lingua, & calamo fas esse cum Mahumetanis, etiam in ipsorum regionibus, à Christianis disputari; dummodo id publicè non fiat (quamvis & hoc alicubi permittatur) & citra omnem in Mahumetum, & Alcoranum injuriam, aut convicium; & cum iis, quibuscum amicitiam, ac familiaritatem contraxeris. His poteris modestè, & veluti discendi cupidus, multa circa eorum legem, ac sectam, præsertim è Sacris Literis perperam ab ipsis usurpata, proponere: rationem exquirere: quæ in contrarium faciant, sine contentione objicere: si quid ipsi contra religionem nostram proferant, prudenter refellere; imò & religionis ipsius mysteria exponere, eorumque veritatem demonstrare. Faciunt hoc quotidiè, & impunè, Missionarii nostri, & sæpè non sine fructu. Quòd si nihil aliud inde lucrareris, quàm ut Moslemi de rebus nostris melius sentirent, de suis hæsitarent; non mediocre lucrum esset existimandum.

Auctor libri, qui Italicè inscribitur, *Teatro della Turchia*, in lucem editi à Marchione Febure, Venetiis anno 1684. cùm per multos annos inter Mahumetanos versatus fuerit, eorumque mores penitissimè noverit: proponit modum inter eosdem à nostris Missionariis, vel aliis servandum, quo illis & Mahumeticæ superstitionis fidem detrahere, & Christianæ religionis æstimationem ingerere citra periculum possimus. Summatim hìc illius verba referam. Evitentur primò ea, quæ ad controversiam de religione spectant: & adiaphora tantummodò quædam proponantur, quibus aliquis docti & eruditi apud eos opinionem acquirat. Tum verò de iis sermo introducatur, quæ ad Deum, ejusque divina attributa spectant. Mirabilia quæ in rerum natura sunt, proponantur: cœlestium orbium immensa moles, stellarum ornatus, citissimus motus: solis amplitudo et splendor: lunæ vicissitudines: elementorum discordia concors: admirabilis maris vastitas: auri, argenti, aliorumque metallorum, ac gemma-

rum copia, quæ in viſceribus terræ reconditur: atque alia hujuſmodi maris terræque mirabilia. Poterit deinde gradus fieri à mundo majori ad minorem, nempe hominem, in quo omnia propè quæ in majori ſunt, admiranda continentur, tàm ſi ea quæ ad corpus ejus, quàm ſi ea, quæ ad animam ſpectant, attentiùs conſiderentur. Ubi verò de ſuprema illius felicitate ſermo inciderit, neceſſariò ad aliquid circa religionem proponendum, vel exquirendum, eos inducemus. Expectandum verò erit, ut ipſi de noſtra à nobis rationem exquirant: & tunc opportunum erit myſteriorum illius gravitatem, ſanctitatem, probabilitatem, imò veritatem illis explicare, eademque diſſimulanter, citra ullam Alcorani, & Mahumeti injuriam, vel etiam mentionem, legi Saracenicæ opponendo, illius falſitatem, & abſurditatem ipſismet cognoſcendam relinquere. Quòd ſi ipſi ulterius amicè & fidenter progredi velint (dummodò ſincerè eos nobiſcum agere non dubitemus:) diſputationem protrahere poterimus. Hactenus Auctor laudatus, qui alia multa prudenter in hanc ipſam rem proponit: aſſeritque, ſe hac ratione plures Mahumetanorum, ſi non ad ſuſcipiendam, ſaltem ad agnoſcendam, & confitendam Chriſtianæ religionis veritatem induxiſſe. Legatur articul. 12. & 13. ejuſdem operis.

Tertia cauſa adducitur, quia cùm ſectæ hujus errores adeò craſſi apertique ſint, ut vel ipſo naturæ lumine omnibus pateſcant: inanis operæ foret, magnis illos voluminibus confutare. Hinc factum eſt, ut pauci contra Idololatriam, atque Ethnicorum ſuperſtitiones ſcripſerint: neque hodie aliquis eſt, qui vel Synenſium, vel Japonum errores ac fabulas refellere laboret. Sint quamtumvis Agarenicæ ſuperſtitionis errores craſſi, & aperti: an non ideò explodendi, & rejiciendi ſunt? Quàm craſſa, ac patentia ſunt Lutheri, & cæterorum hujus ævi Hæreſiarcharum abſurda? Et tamen quàm multi ex Orthodoxis contra illa ſtylum exacuerunt? Sed, crede mihi, Lector, res non ita ſe habet, ut ſupponitur: majus latet in hac ſecta venenum, quàm putent hi, qui de ea nihil, niſi quòd ab ignariſſimis audierunt, cognovere. Alioquin, cur tàm ingens mortalium turba, non ſolùm Ethnicorum, qui adhuc ſuperſunt; ſed Judæorum, Chriſtianorum, & ipſorum, qui in religioſis clauſtris degunt, ad Mahumetiſmum dilabitur? Vivendi licentia, inquies, illos allicit. Ita puto: ſed aliquid aliud eſt, quod illos ſub boni, verique ſpecie decipiat. Habet nimirùm hæc ſuperſtitio quidquid plauſibile, ac probabile in Chriſtiana Religione reperitur, & quæ naturæ legi, ac lumini conſentanea videntur. Myſteria illa fidei noſtræ, quæ primo aſpectu incredibilia, & impoſſibilia apparent; & præcipuè, quæ nimis ardua humanæ naturæ cenſentur, penitus excludit. Hinc moderni Idolorum cultores, faciliùs ac promptiùs Saracenicam, quàm Euangelicam legem amplectuntur; & in poſterum amplectentur, niſi à Miſſionariis noſtris, his, quę ego in meo opere pono, argumentis præveniantur, ac præmuniantur. Nunquam enim Agarenicum virus haurient, hauſtum ſemper evoment; ſi Mahumeti, Alcoranique impoſturas, & Chriſtianæ Religionis ſolidiſſima fundamenta probè intellexerint. Quod de Idololatris antiquis objiciebatur, negamus, non multos contra illos ſcripſiſſe. Sed quamvis concederemus, omnium librorum vice erat tunc Spiritus Sanctus, & fervor ille divinus, quo Chriſtiani ardebant, qui nunc adeo in iiſdem deferbuit, ac defecit. Synenſium, ac Japonum, aliarumque hujuſmodi Gentium contagio, non ita nobis proxima eſt, ut ex ea malum aliquod timen-

timendum sit: & nihilominus viri Apostolici, qui in regionibus illis versantur, & calamo, & lingua illam pro viribus exterminare conantur.

Quarta causa additur, quia inanis et improbus, vel etiam perniciosus ac noxius esset labor. Nam Mahumetanis nihil prodesset; Christianis verò vel foret inutilis, quia non eo morbo laborant: vel exitiosus, quia sæpè placet agnitum, quod ignoratum minimè curatur. Etsi enim falsa impostorum dogmata refellantur, nihilominus homines malè sani, veneno potiùs, quàm antidoto delectantur. Si hæc ratio aliquid valeret, probaret etiam, contra nullos perversorum dogmatum magistros esse scribendum. Verùm jam ostendi, quantum ad Mahumetanos, nullo modo posse laborem meum inutilem censeri. Saltem illud efficiet, ut qui inter eos prudentiores ac sapientiores sunt, veritatis, ac rationum vim persentiant, et de sectæ suæ falsitate in suspicionem aliquam veniant. Quòd si opportunitas detur è suis terris ad nostras evadendi, Christianam etiam fidem suscipiant, ut multi non rarò suscepere. Si verò aliquando eveniat (eventurum autem brevi spero) ut Provinciæ aliquæ, aut Urbes è Mahumetanorum manibus recuperentur (divinavi, dum hæc scriberem: nondum enim evenerat, quod nunc factum videmus) proderit hoc meum opus ad Saracenos, Turcasque subactos, ab Arabica superstitione faciliùs retrahendos. Etenim hoc hominum genus, non ideò in errore suo plerumque constans est, quia illum non agnoscat: sed quia ab eo deponendo, facultates, vitamque amittendi metu deterreatur. Si verò labor meus inutilis, aut noxius Christianis fore existimetur: eadem ratione Controversiarum adversus Hæreticos libri, qui tàm multi in lucem prodierunt, et quotidie prodeunt, Catholicis inutiles erunt, et noxii: imò multò magis, quia horum sophismata ac paralogismi multò majorem vim habent ad persuadendum, quàm inepta Mahumeti, Mahumetanorumque argumenta. Nugæ sunt istæ, homine sano indignæ.

Postrema causa, quæ gravioris momenti apparet, est omnium prædictarum levissima. Si libri (inquiunt) contra Alcoranum scripti inter Turcas deferantur, magnum malum parient et iis, apud quos reperti fuerint, et cæteris etiam Christianis, qui ibidem commorantur. Ut hoc daremus; quis cogit ministros Euangelii hujusmodi libros secum ad Mahumetanorum terras deferre? Nonne possunt eos inter nos legere, et summatim, quæ in iis præcipua continentur, vernacula lingua, et obscuriori charactere styloque transcribere? Verùm, nego tanti esse periculi aliquem ex his libris secum deferre, et penes se inter Moslemos habere. Nolo, publicè illum teneant: nolo, passim cuilibet legant, vel ostendant. Scio gravissimam pœnam impositam esse Christianis, apud quos Alcorani codex repertus fuerit: sed scio etiam, nullum propè esse Missionarium, qui eundem Alcoranum apud se non habeat, non legat, et magis familiaribus Moslemis non ostendat, et ab illis ejusdem glossemata, et explicationes non excipiat. Postremò, in Persida, et aliis etiam Mahumetanorum provinciis, et privatim, et publicè hujusmodi libros impunè licet habere, præsertim si nullam in Mahumetum, et Alcoranum injuriam apertam contineant. Sed, cùm hoc meum opus Latino idiomate scriptum sit (quæ enim in illo Arabicè habentur, cùm sint Alcorani, ejusque Expositorum verba, non possunt Mahumetanos offendere) etiam si quid in eo adversus eosdem mordaciùs, vel liberiùs proferatur, periculi nihil poterit afferre, cùm Barbari illi Latinam lin-

Digitized by Google

guam, saltem communiter, ignotam atque exosam habeant. Verùm, nonne æquum est, pro Christi fide dilatanda, sese periculis omnibus, etiam vitæ ipsius, exponere, dummodò id prudenter, & non temerè fiat? Nonne hoc fecerunt olim, & hodie faciunt, Viri Apostolici, qui in Ethnicorum Regna Christi fidem legemque invexerunt? Nonne primi illi Christiani contra Imperatorum, ac Præfectorum edicta, sacros apud se libros, sacras pro Sacerdotibus vestes, sacra pro Sacrificio vasa, assiduo cum vitæ periculo asservabant? Proh temporum nostrorum teporem, atque ignaviam!

Atqui, si ita res se habet, cur (inquies) tàm pauci contra Alcoranicam impietatem scripserunt? Potissimam, ac ferè unicam hujus rei causam fuisse puto, quia cùm remotissimè à nostris regionibus hæc tàm dira lues exorta sit, à paucis, & serò agnita fuit. Neque in hoc me falli opinor, cùm hodieque non paucos ex nostris, alioqui non indoctos, Mahumeticarum rerum adeò rudes videam, ut Mahumetanos, idololatras, Lunæque, ac Mahumeti adoratores existiment, aliasque de Agarenica secta, ejusque Auctore ineptias effutiant. Porrò quamvis à Christianis Orientalibus Arabiæ proximis, vel in Arabia ipsa degentibus, syncerior superstitionis hujus notitia statim ab initio habita sit: quia tamen eo tempore bonarum artium usus obsoleverat, & Oriente toto bellis involuto, Græci ipsi sapientiam amiserant: non mirum, si pauci illam libris scriptis confutaverunt: præsertim cùm non libris, aut verbis; sed ferro, atque igni, Arabes illam propugnarent, & propagarent. Neque tamen negaverim, multos, præsertim ex Græcis, contra eam stylos exacuisse (id saltem mihi persuadeo:) verùm inter tot rerum turbas, ac turbines, librorum jacturam factam fuisse credendum est: id quod apud nos etiam in Gothorum, Vandalorum, aliarumque Barbararum gentium incursionibus evenisse, & scimus, & dolemus.

Neque dubitari potest, ut superiùs innui, humanæ salutis hostis Diaboli astu, quemadmodum Christianorum Principum arma, ita Catholicorum Doctorum ingenia ab hac peste profliganda atque exterminanda distenta ac distracta fuisse; ut in se potiùs mutuò utraque ex inanibus causis desævirent; quàm contra Mahumetum & Alcoranum, pro Christi religione pugnando, exercerentur. Utcumque se res habeat (nam magnum, & inscrutabile Dei judicium in hoc agnosco) ego & Christianæ religionis propugnandæ zelo, & Mahumetanæ superstitionis oppugnandæ ardore impulsus; & multorum doctissimorum, ac piissimorum virorum hortatu incitatus; & INNOCENTII XI. Pontificis Maximi, dum adhuc inter mortales versaretur, iteratis imperiis adactus; opus hoc meum, quod diù in scriniis delituit, evulgare decrevi. Faxit DEUS Optimus Maximus, ut labor ad illius gloriam, & ad Sacrosanctæ ejusdem Ecclesiæ utilitatem à me susceptus, finem illum, quem cupio, & quem mihi propositi, fortiatur. Spero autem fortiturum, hoc potissimùm tempore, cùm Invictissimi Cæsaris LEOPOLDI, Principumque fœderatorum arma, Sanctissimi, semperque Glorioissimi Pontificis INNOCENTII XI. opera sociata, atque ejusdem opibus precibusque roborata; Othomannicam Potentiam, unicum propè Mahumetanicæ superstitionis columen, ita depresserunt, atque infregerunt; ut omnem prorsùs pristinas vires recuperandi spem amiserit; & majora quotidie mala, atque extremam denique perniciem à Cæsareis fulminibus timere cogatur.

Super-

Supereſt, ut aliquid de Operis ipſius argumento & ordine breviter dicam. Fuit jampridem in animo, Alcoranum, Saracenicæ impietatis fontem ac fomitem, exactè, quantum fieri poſſet, refutare. Id demùm aggreſſus ſum, & non ſine multo labore ſudoreque perfeci. Opus jam ab aliquot annis torculari paratum eſt. Interim verò, dum varia impreſſioni obſtacula fieri viderem: operæ pretium duxi, hunc veluti PRODROMUM, quo generalis Alcorani ipſius confutatio continetur, præmittere. Quia verò quatuor præcipuè fundamentis Mahumetani Sectam ſuam contra Chriſtianam Religionem ſtabilire conantur, nempè: Sacrarum Scripturarum, ac Traditionum auctoritate: Miraculorum teſtimonio: Dogmatum veritate: Legumque, ac morum ſanctitate: & ad hæc quatuor capita, univerſa ferè Alcorani farrago reducitur: idcircò in totidem Partes, ſeu Tractatus, hunc meum Prodromum dividere decrevi.

In Prima Parte, Sacrorum utriuſque Teſtamenti librorum, et veterum ex Chriſtianis, et Hebræis traditionum teſtimonia, quibus Mahumetus et Moslemi ad errorem ſuum confirmandum abutuntur, diſcutio: eorumque verum legitimumque ſenſum demonſtro.

In Secunda, de Miraculis ago, quæ iidem non ſolùm Mahumeto, ſed illis etiam, quos inter ſuos tanquam Sanctos venerantur, attribuunt: et hæc omnia falſa, ac ficta: quemadmodum vera, quæ Chriſtus, Sanctique Chriſtiani patraverunt, eſſe convinco.

In Tertia, præcipua Chriſtianæ fidei Dogmata, quæ Mahumetus, atque ejus aſſeclæ oppugnant, propugno: et Agarenicæ perfidiæ impia ac ſuperſtitioſa axiomata convello.

In Quarta, de iis, quæ ad Legum praxin, morumque ac vitæ probitatem ac ſanctitatem pertinent, tracto: atque ut in Chriſtianis veram ac ſynceram virtutem, et ſanctitatem; ita in Mahumetanis fictam ac fucatam eſſe demonſtro. Totum verò opus, præcipuis Alcorani erroribus, mendaciis, ac fabulis referendis, abſolvo.

Placuit autem, ad majorem eorum, quæ à me ſcribuntur, notitiam, aliquid breviter de Mahumeto, ejuſque Alcorano præmittere: copioſiùs de utroque in ipſa Alcorani confutatione tractaturus.

Porrò in hoc meo opere, non Theologorum, vel Doctorum noſtrorum auctoritatibus (niſi rarò) utor: has enim Mahumetani vel rejicerent, vel etiam deriderent: ſed armis ſuis hoſtes aggredior; Moslemicorum ſcilicet Auctorum, & præſertim Alcorani, ſententiis, & effatis eos invado: Goliæ caput gladio ſuo amputare contendo. Hęc verò non ex vitioſa ac fallaci alicujus interpretis verſione, vel ex ſuſpectis Auctorum noſtrorum allegationibus: verùm ex ipſis Arabicis codicibus hauſi, quos mihi variæ in Urbe Bibliothecæ ſuppeditaverunt: nimirùm Vaticana: Collegii Urbani de Propaganda fide: Collegii Maronitarum: Conventus S. Petri Minorum Reformatorum in Janiculo, ſeu Monte aureo: Collegii S. Pancratii Carmelitarum Diſcalceatorum: Conventus S. Laurentii in Lucina Clericorum Minorum: Eminentiſſimi Cardinalis Camilli de Maximis, glorioſæ memoriæ: D. Abrahami Ecchellenſis Maronitæ in Syriaco atque Arabico Idiomate Regii in Gallia, & Pontificii in Urbe Profeſſoris: D. Petri à Valle Patricii Romani, qui ut olim vivens magnam terrarum Orbis partem peragravit; ita nunc vita functus, nominis ſui fama, atque operum luce, perluſtrat.

Opta-

Digitized by Google

Optaviſſem & alios plures, nomine tantùm mihi notos, Auctores Arabes videre, ſed non potui Romæ reperire, vel aliunde mihi comparare. Alii fortaſſe reperient: & quod ego tenui, atque imperfecto opere exorſum, grandiori molimine perficient. *Non omnia poſſumus omnes.* Quod potui, pro meis viribus effeci.

Dabis autem veniam, benigne Lector, ſi ea, quæ ex Arabico Idiomate tranſtuli, non ita verbo tenus Latina reddiderim. Tædium rigidæ translationis, fateor ingenuè, ſæpè perferre non potui: ſatis habui, ſententiam fideliter exprimere: dictionem unam vel alteram demere, vel addere, quò facilioremſenſum redderem, religioni mihi non duxi. Hoc & alii, non ſolùm in Arabicis, ſed in aliis quoque idiomatibus fecerunt. Si tu id piaculum putas, ignoſce. Sed non eris, ſcio, mecum cenſor adeò auſterus, ſi animadverteris, etiam in Sacrorum Librorum verſionibus Interpretes id ſibi permiſiſſe. Sæpè verò ad tædium mihi, & ad laborem Typographo minuendum, Latina interpretatione contentus, Arabica verba prætermiſi; præſertim ubi minus neceſſaria exiſtimavi.

Nec minus indulgentem ac benignum te mihi eſſe exopto, ſi Arabicis Latinè transferendis, vel ex propria ignorantia erravi; vel ex corruptorum codicum errore deceptus ſum (in ſubſtantia me non erraſſe ferè certò ſcio:) vel ſi in argumento ipſo pertractando infelicior fui, vel aliqua in re hallucinatus ſum. Sunt in Arabica lingua, quemadmodum etiam in cæteris, peculiares quidam idiotiſmi, alluſiones, adagia, apophthegmata; quæ non niſi nativi Arabes, iique doctiſſimi & eruditiſſimi, valeant explicare: hos autem hìc Romæ non licuit reperire. Ego vero, *Davus ſum non OEdipus.* Quòd ſi etiam OEdipus eſſem, ingenuè tamen cum Terentiano Chremete faterer:

Homo ſum: Humani à me nihil alienum puto.

Te quoque, Amice Lector, ut homo erga me ſis, & humanitate tua mecum utaris, obnixè oro, atque obſecro.

MAHU-

MAHUMETI
AUCTORIS
ALCORANI

VITÆ RERUMQUE GESTARUM SYNOPSIS.

PRÆFATIO.

SI Mahumeti vitam, ac res gestas, juxta ea, quæ ab Auctoribus nostris referuntur, describere vellem: ridiculum, puto, me Mahumetanis præberem. Adeo enim quæ ab his, & ab illis narrantur, inter se dissident: ut vix credas de eodem homine utrosque tractare. Quamobrem iis, quæ à nostris scribuntur, prætermissis, vel ad lectoris notitiam tantummodò indicatis: illos in cæteris sequi decrevi. Non quòd Mahumetanorum fidem synceram existimem: sed quòd, cùm contra hostes religionis agimus, eosdem suis ipsorum armis facilius quàm nostris oppugnamus, & felicius superamus. Hùc accedit, multos ex nostris Scriptoribus quædam de Mahumeto referre, quæ & Mahumetanis risum excitent, & eosdem in superstitione sua firmiores efficiant. Ex probatissimis igitur apud Arabes Auctoribus Mahumeti vitam desumam. Quamvis enim hos etiam in multis mentiri, & plurima affingere ad Pseudoprophetæ sui dedecora tegenda, vel cohonestanda, ipsumque Prophetam verum venditandum certissimè sciam: non tamen ab illis mendax ipse habebor: imò

mò majori fide mendaces eos ac falsos ostendam, si suis ipsorum verbis, suoque testimonio tales omnibus manifestè appareant. Lectorem interim precor, ne offendatur, si audiat me aliquando absolutè referentem tanquam vera aliqua falsa aut ficta à Mahumetanis: protestor enim, me loqui ex sensu, & verbis eorum: neque puto, ullum reperiendum esse tàm in me iniquum judicem, ut me eorum nugis, & mendaciis fidem ullam adhibere sibi persuadeat.

CAPUT PRIMUM.

De Progenie Mahumeti.

MAHUMETUS, Arabicè dicitur محمد *Mohammad*: ideſt, *Laudatus*; per antiphraſim: quemadmodum auri fames, *Sacra*, pro execranda, à Poeta appellata fuit: & filius ille داود David, qui contra patrem bellum excitavit, Abſalom, 1. *Pater pacis*, nominatus fuit. Duo etiam alia nomina illi velut propria tribuunt; nempe احمد *Ahmad*, quod idem propè ſignificat ac Mohammad: & ابو القاسم *Abu-lcaſem*, ideſt, *Pater Caſemi*. Primus enim filius quem genuit, *Caſemus* vocatus fuit: obtinuit quippe conſuetudo apud Arabes, ut ex nomine primogeniti, pater cognominetur. Ego, *Mahumetum*, ut plerique noſtrorum conſueverunt, appellabo.

Patriam habuit Mahumetus مكة *Meccam*, quæ etiam dicitur بكة *Becca*; urbem Arabiæ celeberrimam, quam communiter ponunt in الجمن *Arabia felici*: ſed Gabriel Sionita, & Geographi ipſi Arabes aſſerunt, eſſe metropolin Arabiæ Petreæ, ſitam in valle quadam glareis referta, quæ dicitur بطحاء *Batabà*, atque etiam عقاق *Akat*, & عمق *Omok*.

Ortus eſt ex nobiliſſima familia Coraſina, cui nomen dedit قريش *Corais*, alio nomine فهر *Thaher*, oriundus ab Iſmaele filio Abrahæ ex Hagar ancilla Ægyptia, Conveniunt omnes, patrem ejus fuiſſe عبد الله *Abdallah*: avum verò paternum عبد المطلب *Abdalmottaleb*: proavum autem هاشم *Haſcem*, & abavum عبد مناف *Abdomonaph*, cujus progenitores certos quindecim enumerant uſque ad عدنان *Adnan*: nempe قصي *Coſa*, كلاب *Kelab*, مرة *Morra*, كعب *Caab*, لوي *Louva*, غالب *Galeb*, فهر *Thaher*, ſeu قريش *Corais*, مالك *Malec*, النضر *Nodhar*, كنانة *Kenana*, خزيمة *Hazima*, مدركة *Medraca*, الياس *Elias*, مضر *Modhar*, نزار *Nazar*, معد *Moad*, qui filius fuit prædicti Adnan, cujus progenitores, alii per plures, alii per pauciores ſucceſſiones, omnes tamen incertas; uſque ad Cedar filium Iſmaelis deducunt.

Mahumeti Mater fuit امنة *Amena*, ſeu *Emina*, filia وهب *Vaheb*, filii Abdomonaph, qui videtur diverſus à proavo paterno Mahumeti, cùm hic dicatur fuiſſe filius زهرة *Zaharæ* filii Kelab, in quo uniuntur lineæ paterna ac materna Mahumeti, & fortaſſe in avo ejus Abdomonaph. Placuit nomina propria Arabicis characteribus exprimere, quia plerumque in alienas linguas translata, in alia prorſus nomina transeunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Nativitate Mahumeti, & prodigiis, quæ in ea evenisse finguntur.

NAtus eſt Mahumetus die lunæ poſt decimum diem menſis Rabii (ſeu Verni) prioris. Alii tamen ſcribunt, natum fuiſſe octavo die, alii ſecundo, alii decimo ſeptimo, alii die Veneris in ortu Auroræ, anno trigeſimo quarto, & menſe octavo Regni Coſroæ cognomento Anuſhruan filii Cabad; & anno octavo, ac menſe octavo regni Amru filii Hend Regis Arabum, qui cognominatus fuit Abulkaſem; octingenteſimo octuageſimo primo anno poſt devictum ab Alexandro Darium Regem Perſarum. Fuit hic annus Chriſti, juxta Almacinum, 571. Alii volunt fuiſſe 570. alii 578. alii 580. alii 600. alii demùm, inter quos eſt Kiſiæus, 620. Noſtri etiam Auctores in hoc plurimum inter ſe diſſident, quæ ſcilicet nihil certi apud Arabes invenire potuerunt.

Multa fingunt Moſlemi in ortu Mahumeti prodigia, quæ tamen prudentiores ac ſapientiores inter eos, ut puto, non ita facilè credunt: cùm certum ſit ex ipſo Alcorano, Mahumetum uſque ad annum ætatis ſuæ quadrageſimum peccatorem, & idololatram ſemper fuiſſe. Scribit Abu-nazar, matrem ejus, nullam, dum illum utero geſtaret, moleſtiam ſenſiſſe, eumque ſine ullo dolore peperiſſe. Præterea aſſerit, Mahumetum in ortu repertum fuiſſe circumciſum, reſectoque umbilico. Alii tamen volunt, ſeptima die à nativitate ab avo ſuo Abdalmotalleb circumciſum fuiſſe. Scribunt alii, Gabrielem non ſolùm illum circumcidiſſe, ſed etiam diſcidiſſe per medium pectus ejus, & cor purificaſſe. *Eodem tempore* (inquit Abunazar) *Dæmones ex orbibus cæleſtibus ejecti, convenerunt ad Diabolum, ut hoc idem ei ſignificarent. Ille verò juſſit eos univerſam terram circumire, ut quid*

Digitized by Google

quid novi evenisset, viderent. Cùm itaque illi terram peragrarentur, pervenerunt Meccam, in qua viderunt domum quamdam Angelis circumdatam: ex ea verò ignis ad Cœlum usque emicabat. Reversi igitur dæmones, Diabolo, id quod viderant retulerunt; qui ex hoc, ortum jam esse Mahumetum intellexit. Portenta alia aggerat Albacarius. Primò: Prodeunte in lucem Mahumeto, idola omnia ac simulacra prono ore in terram cecidere. Secundò: Imminuta est aqua lacus Savà, & exundavit torrens Samavà. Tertiò: Sacri Persarum ignes extincti sunt. Quartò: Regia Cosroæ concussa est, & quatuordecim illius turres cornere.

Addit Albacarius alias nugas. Cùm Amena partui proxima, sola domi moraretur, audivit magnum fragorem, viditque avem albam, alis suis uterum ipsius contingentem. Tum mulieres quædam proceræ, vestibus pretiosis indutæ, ac suavissimum spirantes odorem, clausis januis ad eam ingressæ, scyphis gemmeis, quos manu tenebant, eam potavere: & post potum facies illius mira luce coruscavit. Deinde audivit strepitum alarum Angelorum, & eorumdem canoras voces, varioque inspexit colores, & volucres cum rostris rubris. Hæc cùm admiraretur, peperit Mahumetum, quem candida nubes statim absconditi ab ea, & interim ab Angelis circumductus est per omnes partes terræ, & maris, ut omnes tàm homines, quàm Dæmones, agnoscerent eum. Deinde matri suæ restitutus est veste lanea involutus, & tres claves manu tenebat, quas ex quadam voce intellexit mater, esse claves Victoriæ, Prophetiæ, & Templi Meccani. Et ecce interim nubes alia major priori, cum hinnitu equorum, & strepitu alarum: & rursùm evanuit infans ab oculis parentis, delatus ab Angelis ad loca, in quibus Prophetæ, & Legati nati fuisse ferebantur, resonante interim voce: *Indute illum stola Adam, & sublimitate Noe, & scientia Abraham, & lingua Ismael, & pulchritudine Joseph, & patientia Jacob, & voce David, & castitate Joannis, & honorificentia Jesu, & fortitudine Moysi, & date illi dotes, & indolem Prophetarum.* Mox vidit eum Amena tenentem nescio quid manu, quod significabat, illum futurum esse Dominum totius Orbis terrrarum. Et ecce tibi tres viri splendidissimi cum gutturnio argenteo, & patina smaragdina, sericoque complicato: cùmque infantem septies lavissent; unus eorum instrumento lucidissimo signum propheticum inter humeros ejus impressit: tum serico involutum posuit sub alis suis (erat enim Angelus Custos Paradisi:) mox extracto, insusurravit nescio quid in auriculam ejus: & cùm osculatus eum fuisset, prædixit ei, fore ipsum Dominum, & Intercessorem omnium in die Judicii. Vidit deinde Amena tria simulacra ex luce confecta, pendentia inter cœlum & terram; & interim nubes per longum tempus iterùm absconditi infantem: & denique apparuit sibibio illitus, circumcisus, & fasciis suavissimum odorem spirantibus obvolutus.

Eodem tempore Abdalmotalleb Caabam, seu Delubrum Meccanum, circumibat; viditque idola, quę in ea erant, corruere, ac dispergi: vocemque audivit: *Nunc Amena peperit Mahumetum.* Cùmque ad Amenæ domum festinus properaret, vidit duos montes Sapham, & Meruam subsilire. Ubi autem ad Amenæ domum pervenit, nube candida illam coopertam aspexit; & ex ejus penetrali suavissimum odorem exhalari sensit. Cùm verò infantem ostendi sibi postularet, & recusantem Amenam minis perterreret: vir quidam procerus ac terribilis, evaginato gladio, repulit eum, asserens, nulli fas esse Mahumetum videre, donec Angeli illum visitassent. Demùm illud habetur ex traditione, nato Mahumeto, multos Dæmones exæcratos, multos etiam mortuos fuisse.

CAPUT TERTIUM.

De iis, quæ post ortum Mahumeti evenere, usque ad illius professionem in Syriam.

ORto Mahumeto, magna fuit frequentia congratulantium Amenæ, & Abdalmotallebo: nam Abdallah pater ejus jam vita functus fuerat duobus mensibus antequam nasceretur: (quamvis Sciahinseiah scribat, mortuum fuisse, cùm Mahumetus esset jam bimestris, & juxta alios septimestris; juxta alios verò ferè trimulus.) Experiebantur autem omnes ex puero & matre suavissimum odorem. Septimo ab ejus ortu die, celebravit Abdalmotalleb populo Meccano per tres dies opiparum convivium, cujus reliquias jussit in sylvas ad aviums, ferarumque cibum deportari. Assignata est nutrix puero Halima Saadiensis, quam advocavit Amena, priùs in somnis admonita: imò Halima ipsa cùm esset in regione sua, in qua magna erat sterilitas, & rerum omnium caritas: vidit semisopita nescio quem ad se venire, qui manu prehensam duxit ad fontem quemdam aquæ suavissimę, ex qua cùm bibisset, percussit ille manu pectus ejus; dixitque ei: *Vade in Meccam, ubi copiosam almoniam invenies per puerum qui ibi natus est: & Deus tibi copiosum lac uberibus infundet, quo eum lactare possis.* Evigilans autem Halima, ubera sua lacte turgentia invenit, & exinde pinguior, & corpulentior apparuit: & cùm Meccam venisset, incidit in Abdalmotalleb, qui duxit eam ad Amenam, cujus cubiculum ingressa, vidit illud undequaque luce coruscare, quæ erat lux Mahumeti, cujus gratia nunquam Amena lucernam noctu accendebat. Cùm verò Halima dextrum uber infanti præbuisset; suxit ille ex eo quantum libuit: è sinistra verò fugere deinde recusavit. Imò nunquam in posterum lac fugebat, nisi priùs alius collactaneus suxisset. Acceptum Halima infantem secum duxit regrediens ad suos: in itinere verò lapides omnes, cespites, & arbores illi de ipsius fortuna congratulabantur. Cùmque super asinam sederet, puerumque lævo brachio sustineret, ad instar venti asina volabat. Accidit, ut proficiscens obvios haberet quadragінta monachos Christianos cum ipsorum Abbate, qui admonuit eos, puerum illum esse, quem ipsi timebant. Multò verò magis timuerunt, cùm lucem è vultu ejus exire conspexere. Interim Diabolus adfuit sub humana specie, incitavitque eos, ut infantem occiderent. Illi, evaginatis gladiis, in eum irruerunt. At puer extulit ad Cœlum caput, & repentè portæ ejus apertæ sunt, descendensque ex eo ignis, Monachos omnes combussit. Statim verò ubi Halima cum infante ad suos pervenit, reviruit terra eorum, & arbores anteà sterilesfructum produxerunt; pecora etiam priùs macilenta ac sterilia, repentè pinguefacta, fœcunda evasere. Cùm id vidissent Saadienses, magnum erga puerum illum amorem concepere; præsertim ubi viderunt, eum ægrotos tactu manus sanare, & prodigia multa patrare: nam cum modicus illi cibus apponeretur, ita augebatur, ut omnes ex eo domestici satiarentur. Cùm verò interim adolesceret, pulchritudi-

Digitized by Google

tudine & decore in dies augebatur. Fertur autem, Halimam nunquam illius vestes laviſſe.

Cùm ad ſeptennium perveniſſet, pergebat cum ſuis collactaneis paſtorali cultu indutus, ut paſceret oves Halimæ. Inter has quædam macilenta, quam unus ex collactaneis baculo male contriverat, confugit ad Mahumetum, & apud eum de acceptа injuria conqueſta eſt. Ille verò eam contrectans, blandis verbis ſolatus eſt, ac ſanam integramque dimiſit. Quotidiè verò miracula, prodigiaque patrabat: inter quæ illud erat, quòd oves nutui ejus erant obſequentiſſima. Die quadam, dum ſolus in valle quadam ſylveſtri moraretur, adveniens leo ſubmiſit illi caput ſuum, blandè agitans caudam. Mahumetus verò præcepit ei, ne ultra in locum illum reverteretur. Eodem tempore Halima ſomnio quodam perterrita eſt, in quo vidit Mahumeto commoranti in paſcendis ovibus, à duobus viris immenſæ magnitudinis fulgenti ſica ventrem diſcindi. Somnium eventus comprobavit: ſequenti enim die, dum eſset in paſcuis unà cum collactaneis, duo ingentis ſtaturæ viri arripientes illum, duxerunt in verticem montis. Cùmque eum humi proſtraſſent; gladio ſciderunt ventrem ejus, & cor extraxerunt. Quod cùm collactanei vidiſſent, aufugientes, venerunt ad Halimam, eique id quòd Mahumeto evenerat, narraverunt. Erupit ſtatim in fletus & clamores Halima; & advolans cum tota vicinia ad montem illum, invenit Mahumetum in medio ovium abſque ulla læſione, prorsùſque incolumem. Quamobrem domum reverſa, cœpit ſuſtibus ac lapidibus ſilios tanquam mendaces appetere. At Mahumetus illam prohibuit, afferens, verum eſſe quod ſibi narraverant: *Nam revera duo proceriſſimæ ſtaturæ juvenes* (inquit) *fulgenti ſica aperuerunt ventrem meum, & cor diſciderunt, ex quo extraxerunt guttulam nigram, aſſerentes eam eſſe portionem, quam habebat Sathanas in corpore meo. Deinde cùm cor aqua laviſſent, atque in loco ſuo poſuiſſent, impreſſerunt ei ſignum ſigillo fulguranti: meque ambo manibus contrectantes, fauſtiſſima mihi prænunciavere. Deinde appenderunt me in ſtatera, primò cum decem Arabibus ex altera parte; deinde cum viginti: demùm cum univerſis Arabibus: & ſemper præponderavi. His ita geſtis, in cælum reverſi ſunt.*

Cùm autem Halima Mahumetum ablactaſſet, jamque is grandior eſſe cœpiſſet, retulit eum Meccam ad Abdalmotalleb. In itinere autem incidit in Ariolum quendam ſenem grandævum, qui, cum Halima Mahumetum ſuper camelam geſtans transiret, cecidit ſemimortuus. Mox ad ſenſus rediens, incitavit eos cum quibus erat, ut fœminam illam ac puerum occiderent; ab his enim pernicies ipſis ventura erat. Id cùm illi aggrederentur, camela præteriit citiſſimo curſu; nec eam aſſequi potuerunt. Cùm Halima Meccam perveniſſet, ventris onus depoſitura feceſſit, puerum interim ſolum relinquens. Sed ſubito clamore revocata, illum minimè invenit. Cùmque de eo quosdam, qui aderant interrogaſſet, illi puerum ſe nullum vidiſſe affirmavere. Quamobrem Halima veſtibus diſciſſis, ac faciem palmis verberans, minabatur ſeipſam præcipitem è ſublimi loco daturam. At Senex quidam illius miſertus: *Ne deſperes mulier* (inquit,) *ſed mecum perge: nam ut filium tuum inveniaz, efficiam.* Duxit igitur eam ſecum ad Caabam, ſeu templum, ibique idolum quoddam rogavit, ut ubinam Mahumetus eſset, indicaret. Mahumeti nomine audito, corruit repente idolum: quamobrem ſenex perterritus aufugit. Halima verò audivit vocem, qua certior fiebat de puero reperiendo. Venit igitur ad Abdalmotalleb, ſperans ſe eum apud ipſum inventuram. Sed ſpes eam feſellit. Abdalmotalleb autem cum tota vicinia diù illum fruſtra quæſivit: tandemque veniens ad Caabam, ſepties eam circumivit, deoſque precatus eſt, ut nepotem ſibi reſtituerent. Ex eorum reſponſo intellexit, ubinam Mahumetus reperiretur. Pergens igitur ad locum ſibi indicatum, ibi puerum invenit ſedentem ſub arbore Mauſæ, quæ ramis inclinatis, fructus ſuos illi præbebat. Et ipſe confeſſus eſt, ſe eò ab ave candida deportatum fuiſſe, quam omnes Gabrielem fuiſſe crediderunt. Interim cùm matri reſtitutus fuiſset, ſuſcepit Abdalmotalleb in curam ſuam: cùmque ophthalmia, ſeu oculorum morbo, laboraret, camelæ impoſitum, ad monachum quemdam medicinæ peritum detulit. Cùm autem monachus pueri vultum, ob morbum velatum, detegi juſſiſſet, cœpit ejus cella repentino motu concuti. Tunc verò prædixit Monachus Abdalmotallebo, qualiſnam, quantuſque puer ille futurus eſſet. Morbum verò, quo laborabat, nullius periculi eſſe affirmavit. Morti jam proximus Abdalmotalleb, Mahumetum Abutalebo ejus patruo commendavit. Hujus, quemadmodum etiam Phatemæ uxoris ſuæ, tanta fuit in puerum charitas, ut eum propriis liberis longè præferrent. Septenni jam, vel juxta alios, ſexenni Mahumeto, obiit mater ejus Amena in Abava, dum Medina rediret. Scripſere quidam, Mahumetum jam grandem & prophetam, ſuſcitaſſe matrem ſuam, eamque Moſlemam reddidiſſe: alii tamen id ut fabuloſum negantes, eum matris ſepulchrum tantùm inviſiſſe, & ubertim ibidem fleviſſe affirmant.

CAPUT QUARTUM.

De Profectione Mahumeti in Syriam ad procuranda negotia Chadiges.

CUm die quadam transiret Mahumetus juxta ædes Chadiges filiæ Chaviled, quæ erat ſibi ſanguine conjuncta, atque inter omnes Meccanos ditiſſima, ac potentiſſima: Sacerdos quidam Judæus, qui juxta Chadigen in grege fœminarum nobilium, & ancillarum aſſidebat, fixit in illum obtutum: ovaritque Chadigen, ut juvenem illum qui transibat, per unam ex ancillis accerſeret. Obſecuta eſt Chadige: & ut illum vidit, ſtatim amore ejus capta eſt, nihilque ardentiùs optare cœpit, quàm cum illo maritali nodo copulari.

Habuerat Chadige antè duos maritos, quibus mortuis, procos multos, qui nuptias ejus ambirent, aequiſivit. At illa patruo, ſe velle quidem iterum nubere manifeſtavit: ſed de novo ſponſo adhuc ſe hærere aſſeruit.

Interea adfuit Abutaleb cum omnibus cognatis ſuis ad januam Chadiges, ut nepotem ſuum illi commendaret. Sperans autem illa inter eos eſſe Mahumetum, quem jam deperibat, in cantum amatorium velut amens erupit. Verùm ubi illum abeſſe intellexit, ſtatim accerſiendum curavit: & interim opiparo convivio eos, qui advenerant, excepit. Perrexit Abbas, unus ex iis, qui cum Abutaleb profecti fuerant, ut Mahumetum exquireret, inventique eum in monte Hora dormientem, ubi olim Abraham dormierat, pallio involutum. Erat autem juxta caput ejus ingens draco, qui halitu ſuo Mahume-

Digitized by Google

humetum perflabat. Cùmque Abbas evaginato gladio vellet eum occidere, & draco in eum insiliret: clamore elato Mahumetum dormientem excitavit; & draco evanuit. Intellexit autem Abbas à Mahumeto, draconem illum esse Angelum missum à Deo ad custodiam ipsius. Venit itaque Mahumetus cum Abbas ad Chadigen, præcedente eum consueta luce, quam videns Chadige, existimavit Solem in domum suam ingressum fuisse. Advenienti autem assurrexerunt omnes: exhibuitque ei Chadige lautissimum convivium. Deinde interposito honestatis causa velamine, blandissimis verbis Mahumetum allocuta est, eique negotiorum suorum, non sine mercedis magnæ promissione, curam exhibuit, quam Abutaleb ab ea nepoti postulaverat. Statim verò ferocissimum camelum, cui nemo insidere poterat, jussit adduci, ut eo ad itinera uteretur. Voluit enim per hoc Mahumeti audaciam experiri. Camelus eo viso, voceque ejus audita, procidit ad pedes illius, rictuque submisso, osculatus est eos, & humana voce locutus, dixit: *Quis est similis mei? Palpavit enim dorsum meum manus Domini primorum & novissimorum.* Feminæ, quæ cum Chadige erant, magicis hoc artibus tribuerunt. Sed redarguit eas Domina, propheticum opus hoc esse affirmans. Erat Mahumetus viliori veste indutus: quamobrem jussit Chadige eum decentiùs vestiri; eique camelam suam ad profectionem in Syriam exhiberi: duosque famulos, qui eidem proficiscenti in obsequiis essent, Meisaram scilicet, & Naschum, assignavit. In ipso autem discessu cœpit Chadige velut amens, ob amoris vim, licentiùs cantare.

CAPUT QUINTUM.

De iis, quæ Mahumeto in profectione Syriaca evenisse referuntur,

EGressso Mahumeto cum mercatoribus Meccanis, præibat eum nubes à Gabriele efformata, quæ illum à solis æstu defenderet: pervenitque in locum quemdam, qui Vadilmiah, idest torrens aquarum, vocabatur, eò quòd omnes ibi regionis illius aquæ confluerent. Quamobrem Mahumeti hortatu, mercatores, ne subita aliqua aquarum irruptione obruerentur, sese cum sarcinis suis versus montem receperunt. Quidam autem, qui illius consilium sequi renuit, merciem suarum jacturam, aquis subitò excrescentibus, passus est. Cùm quatuor ibi dies morati fuissent, & torrens interim augeretur; auctor fuit Meisera, ut Meccam reverterentur. At Mahumetus Angeli cujusdam, ut ipse asserebat, admonitu, manè constitit supra ripam torrentis, & jussit suos iter prosequi in Syriam per eam partem, per quam avis quædam candida volatu suo viam signabat, & cum iisdem iter ingressus est per aquas præcipites ac profundas: omnesque incolumes transiere. At verò Abugehel, homo Mahumeto semper infestus, hoc magicis illius artibus attribuit: & præcurrens ad locum quemdam, in quo mercatores consistere solebant, opplevit arena & lapillis puteum, qui ibi erat, ne Mahumetus ejusque socii aquas invenirent. At Mahumetus ubi eò pervenit, constitit juxta puteum, oculisque elatis, preces quasdam obmurmuravit, quibus absolutis, arena ac lapilli ab Abugehel injecti, cum strepitu exiliérunt, & aquæ ubertissimæ emanaverunt. In furorem actus propter hoc Abugehel discessit; cùmque in sylvam quamdam Syriæ pervenisset, obvium habuit draconem quemdam aperto ore sibilantem, atque ex oculis scintillas evibrantem; ex quo camela, cui insidebat, exterrita, in terram illum dejecit, & costis ejus confractis, diù exanimatus jacuit. Tandem verò ad se reversus, tentavit inducere Mahumetum, & Hasemitas ejus socios in idem discrimen. Prævidit id Mahumetus; & nihilominus in eandem sylvam se contulit. Cùm autem Camela ejus, viso dracone, retrocederet, increpitans eam, dixit: Væ tibi: quomodo times, cùm gestes sigillum Prophetarum, & Principem Legatorum? Deinde ad draconem conversus: Aufer te hinc, inquit, quocumque vis, neque ultrà hìc appareas: ego enim sum Mahumetus, cui Deus benedictionem contulit & felicitatem: alioqui conquerar de te apud Deum. Tunc draco salutavit eum, asseruitque, se non esse draconem, sed unum ex regibus dæmonum, nomine Alham filium Alhim, qui hdem amplexus fuerat opera Abrahæ Patriarchæ, qui prædixerat sibi adventum ipsius Mahumeti, & occursum ejus in hoc eodem loco, in quo ipsum diù expectaverat. Se quoque præsentem fuisse, quando Christus ascendit in Cœlum, præcepitque Apostolis, ut Mahumeticam legem sequerentur. Dimisit tandem Mahumetus illum, promittens se pro eo oraturum; dummodo inde statim discederet, nunquam in posterum eo in loco apparituros.

Inde Caravana, seu Mercatorum societas, progrediens, pervenit ad Vallem quandam, in quam aquarum copiosæ scaturigines confluebant antea, sed tunc ne vestigium quidem aquæ apparebat. Mahumetus palmas in arenam immergens, oculos in cœlum extulit, & verba nescio quæ mussitavit: statimque è digitis ejus aquæ tàm copiosæ eruperunt, ut cameli cum sarcinis submersi fuissent, nisi Abbasis admonitu, aquarum impetum compescuissent. Eodem in loco nucleos aliquot dactylorum sputo suo illitos terræ infodit; qui eadem hora in arbores dactylis maturis onustas excreverunt; ex quibus omnes comederunt; & Abbas camelam suam oneravit. Sed magicis artibus hoc etiam Abugehel attribuit.

Pervenerunt inde ad locum quemdam, in quo erat Monachorum cœnobium, quibus præerat Abbas quidam, nomine Felix, filius Junan, filii Abdalsalib, cognomento Bahira, qui in Prophetis, & Euangelio jam legerat vatieinia de Mahumeto; habebatque penes se volumen scriptum à tempore Christi, in quo ea, quæ ad eundem Mahumetum spectabant, continebantur; & ex multis lacrymis, ob desiderium adventus ejus effusis, oculorum lumen amiserat. Quid verò ibi Mahumeto evenerit, in Prima Prodr. hujus parte Cap. 4. refertur.

Cùm à Bahiræ cœnobio Mahumetus discessisset, venit cum cæteris ad Emporium quoddam nobile Syriæ, ubi omnes, præter illum, merces suas vendiderunt. Cùm verò propter hoc Abugehel de eo jocum capturet, postera die plurimi è variis regionibus institores advenere peregrinas merces empturi; quamobrem Mahumetus suas, quæ solæ remanserant, duplo pretio distraxit. Accidit autem, ut Judæus quidam Sacerdos, nomine Said filius Cattim, qui ex vaticiniis, quæ in Sacris Scripturis legerat, cognoverat Mahumetum esse Prophetam illum Arabem, qui Judæos erat perditurus, rogaret eundem, ut sibi venderet camelum rufum, residuum merciem ipsius, ultrò offerens ei quantumeumque pretium vellet, dummodò domum suam venire, ibique cibum sumere dignaretur. Obsequutus est Mahumetus Ju-

dæo, qui præcurrens, præcepit uxori suæ, ut lapide molari ex superiori parte domus, Mahumetum, januam ingressurum, interficeret. Paruit fœmina, sed dum putat se Mahumetum perimere, duos filios suos jactu molæ interemit. Tunc Judæus fublato clamore vicinium omnem in Mahumetum concitavit, quasi ipse duos filios suos interfecisset. Statim Judæi omnes adfuere, & inter eos & Hasemitas Mahumeti socios acre bellum commissum est. Hasemitæ in certamine superiores, Judæis profligatis, opima de eis spolia retulere; & quilibet ex parte sua Mahumeto, cujus præcibus victoriam tribuebant, aliquid, muneris titulo, impertitus est.

CAPUT SEXTUM.

De regressu Mahumeti è Syria, ejusque conjugio cum Chadige.

REgressi Mercatores Coraisitæ è Syria, in loco quodam aliquanto spatio à Mecca dissito substitere. At Mahumetus consensa camela, solus iter prosequutus est. Angelus autem à Deo missus, vias longas, breviores; asperas verò ac salebrosas, planas mollesque illi effecit. Ubi verò Meccæ montes in prospectu habuit, gravem illi soporem Deus immisit; & interim præcepit Gabrieli, ut tabernaculum, quod duobus millibus annis, antequam Adam crearet, pro Mahumeto efformaverat, è Paradiso extraheret, & supra ipsius nunc dormientis caput expanderet. Erat autem hoc tabernaculum diaphanum, quippe totum ex lucidissimis ac pretiosissimis gemmis compactum: & quatuor per quatuor angulos portas habebat. Dum autem Gabriel illud è Paradiso asportaret, puellæ omnes Paradisi ex palatiorum suorum fenestris prospexere, Deum laudantes, quòd jam Mahumetum in mundum mississet: & auræ misericordiæ efflavere, arborumque folia agitata sunt, & aves in garritus erupere. Interea Chadige residens cum puellis suis, comitatuque procorum in loco sublimi, vidit lucem fulgurantem, & tabernaculum illud supra Mahumetum dormientem expansum, quod Angeli cum vexillis explicatis ambiebant. Cùm autem ancillæ Chadiges lucem tantùm viderent, ipsa Mahumetum etiam super camelam suam in tabernaculo dormientem prospiciebat. Porrò camela portam urbis ingressa, Gabriel & Angeli cum tabernaculo & vexillis in Paradisum rediere. Mahumetus experrectus, contulit sese ad Chadigen, quæ impatientissimè, utpote amore ejus saucia expectabat. Ubi verò præsentem illum aspexit, in verba amatoria erupit, solem suum, suumque dilectum eum appellans. Sed timens, ne merces suæ, quas Mahumetus aliquantò procul ab Urbe apud Mercatores Coraisitas reliquerat, dispendium aliquod pateretur, rogavit eum, ut ad illas repetendas quantocius regrederetur. Discessit è vestigio Mahumetus: & interim Chadige è sublimiori domus parte prospiciens, vidit Gabrielem & Angelos iterùm è Paradiso dilabi eum tabernaculo & vexillis ad Mahumetum gestandum: qui ubi brevissimo paucarum horarum spatio ad locum illum, ubi mercatores consteterant, pervenissent; rediit cum iisdem Meccam, mercesque omnes integras, magnoque cum incremento, ad Chadigen reportavit. Hæc omnia cùm illa patri suo Chavaïledo enarrasset, viam sibi ad Mahumeti conjugium parare studebat. Deinde cùm eumdem ad se advocasset, nullo velamine interjecto, apud se justit residere: & quamvis à Meissera, universa quæ in itinere evenerant, anteà audisset: eadem nihilominus ab ipso iterùm voluit audire. Tandem blandissimis verbis ab ea dimissus, venit ad Abutaleb patruum suum. Ubi verò postera dies illuxit, festivis vestibus ornatus, ac suaveolentibus unguentis delibutus, ad Chadiges domum regressus est; quæ eo conspecto, cœpit gestire lætitia, & in carmina amatoria erumpere. Tandemque verecundia omni deposita, sese illi in uxorem & ancillam exhibuit. Erubuit Mahumetus, pudoreque, ac sudore vultum perfudit, penitusque obmutuit. At Chadige, amoris vi propè amens, blandissimis verbis juvenem titillabat, atque amatorio carmine cantando demulcebat. Cùmque ille paupertatem, & tenuitatem suam potentissimæ ac ditissimæ dominæ ob oculos poneret; juravit Chadige, opes suas omnes in potestate illius futuras. Mahumetus, felicitate tàm insperata lætissimus, & Chadiges amore jam totus incalescens, ad Abutalebum venit: orat atque obsecrat, ut sibi ad has nuptias adjutor esse velit; id verò feliciter eventurum, si Chavailedo Chadiges patri, & Varkæ ejusdem patruo persuadeat, ut ille in filiæ, hic in neptis vota consentiant. Omnem lapidem movit Abutaleb apud utrumque, ut Chadigæ, id maximè cupienti, Mahumetum conjugem concederent. Varkam facilè inflexit: at Chavaïledus inexorabilem se diù ostendit, donec & Abutalebi fratrumque ejus importunis precibus, & Mahumeti supplici rogatu, & Chadiges lacrymis, ac penè desperatione, expugnatus in hoc conjugium consensit invitus, quod sibi, filiæque indecorum, ac probrosum esse manifestè agnoscebat. Sed tamen ut illud felici omine cohonestaret, asseruit Abubakar filius Cahaphæ, se vidisse per somnium elevari stellam è domo Abutalebi, & ad modum Lunæ plenæ excurrere, atque in ædes Chadiges descendere, & sub illius vestibus sese celare. Hoc autem conjugii Mahumeti cum Chadige præsagium esse, universi intellexere. Dum autem ad nuptias celebrandas solemnissimum convivium pararetur, concussus est, Angelis admirantibus, thronus Dei: atque ipse Deus majestate plenus præcepit Custodi Paradisi, ut puellas, & pueros ejus cum festivis ornamentis educeret, & calices ad bibendum ordinatim disponeret: grandiores item puellas, & jam sororiantibus mammis præditas, & juvenes illis coævos, pretiosis vestibus indueret. Justit præterea, Gabrielem vexillum laudis supra Meccanum Templum explicare. Tunc verò valles omnes & montes præ lætitia gestire cœperunt, & tota Mecca nocte illa velut olla super ignem imposita efferbuit. Manè verò convenere in ædes Chadiges cum Mahumeto & patruis ejus Magnates, & Principes vicinarum regionum. Inito autem convivio, vox è Cœlo in hæc verba resonuit: *Deus jam conjugio Purum cum Pura, & Veracem cum Veraci copulavit.* Eodem tempore præcepit Deus Gabrieli, ut super omnes mortales unguenta pretiosissima dispergeret, admirantibus omnibus subitum illum atque insolitum odorem, quem in gratiam novorum conjugum divinitùs exhalasse universi cognovere. Hoc modo nuptiæ Mahumeti cum Chadige omni cum luxu, & lætitia celebratæ sunt.

CAPUT

CAPUT SEPTIMUM.

De Nova Secta à Mahumeto instituta.

POst quindecim annos, quibus cum Chadige vixerat, ferunt, Mahumetum Propheticum munus accepisse: deinde verò per tres annos cum eadem in Mecca vixisse. Defunctâ est autem Chadige ætatis suæ anno quadragesimo nono, & mense octavo, dum Mahumetus quadragesimum tertium annum percurreret.

Consueverat autem Mahumetus secedere quotannis per mensem in deserta montis Harra, erat quippe solitudinis amicus. Anno itaque quadragesimo ætatis suæ, in mense Rhomadan, in illum cum uxore & familia sua secessit. Quadam autem nocte apparuit ei nescio quis, qui se Gabrielem esse asserebat, præcepitque illi, ut legeret. Cùm verò Mahumetus se legendi ignarum esse respondisset; Gabriel eum arripuit, atque in terram projectum maximas in angustias redegit. Deinde rursum præcepit ei, ut legeret. Cùmque Mahumetus se legendi artem ignorare respondisset, tertiò addidit Gabriel: *Lege in nomine Domini tui, qui creavit: creavit hominem ex sanguine coagulato. Lege, & Dominus tuus gloriosissimus, qui docuit scribere calamo, docuit hominem id quod nesciebat.* Sunt autem hæc verba initium Suræ 96. Legit igitur, seu potiùs recitavit eadem verba Mahumetus. Deinde ad medium montis egressus, hanc vocem è cœlo audivit: *O Mahumete, tu es Legatus Dei, & ego sum Gabriel.* Quibus auditis, constitit eodem in loco prospiciens Gabrielem, qui mox ab eo recedens evanuit. Regressus ad Chadigen, timore perculsus, totoque corpore contremiscens, justit se vestibus cooperiri, donec à timore conquiesceret. Advocavit deinde Chadigen; id quod sibi evenerat illi narravit: sese malum aliquod sibi timere affirmavit. Illa verò solata est eum: nihil ipsi timendum esse asserens, qui pietate ac fide cæteros mortales superaret. Mox adduxit illum ad Varkam patruum suum, antè idololatram, modò Christianum, ob multam ætatem oculorum lumine destitutum. Hic verò, ut id quod Mahumeto evenerat audivit; illum Prophetam Arabum futurum, sed à suis concivibus rejiciendum esse prædixit; nec multò post ex humanis excessit.

Mahumetus è Montis Harra solitudine egressus, Meccam venit; ubi septies Meccanum delubrum rité circuivit. Cùm verò Gabrielem amplius non videret, tàm magnum animo concepit mœrorem, ut à suis discedens, non semel sese è culminibus montium præcipitem dare tentaverit. At quoties id aggrediebatur, Gabriel eum detinebat, dicens: *O Mahumete, tu es verè Legatus Dei.* Tandem verò frequentiùs sibi Gabriele apparente, cessavit ab hac amentia sese è montibus præcipitandi: credensque se verè esse Prophetam, & Legatum Dei, Meccam regressus est. In itinere autem lapides, & arbores omnes salutabant eum his verbis: *Pax super te, ò Legate Dei.* Nec præterеundum est id, quod refert Giaber filius Samaræ, Mahumetum ipsum dixisse post aliquod tempus; nimirum: *Est nunc in Mecca lapis, qui salutabat me illis noctibus, quibus missus fui ad prophetandum; sed modò eum non recognosco.* Ubi igitur Meccam pervenit, cœpit sectæ suæ fundamenta jacere, & prima, quæ in eum credidit, fuit Chadige.

Prodrom. ad refut. Alcorani.

Hæc, quæ ex Ismaele filio Aly relata sunt, paulò aliter ab aliis enarrantur. Auctor libri اعلام الهدى ideſt, *de signis directionis*, scribit: Mahumetum, cùm ad trigesimum septimum ætatis annum pervenisset, & inter montes in pascendis Abutalebi patrui sui pecoribus moraretur, vidisse nescio quem; salutem sibi tanquam Dei legato impertientem. Id cùm sæpiùs accideret, interrogavit eum Mahumetus, quisnam esset? Ille verò Gabrielem se esse affirmavit, missum à Deo, ut in Legatum suum ipsum assumeret. Hoc cùm Chadigæ tantùm ille retulisset, bonam spem hæc ei fecit. Paulò post regressus Gabriel, justit eum aqua è Cœlo subitò delapsa sese abluere, quò puriùs posset orare: docuitque eum ritum, faciem, & manus à curvatura cubiti purificandi; caput, & pedes usque ad talos confricandi; & totum corpus ad fundendas preces incurvandi, & orandi. At verò nonnisi post annum quadragesimum, modum legesque orationis, nullo tamen determinato tempore, præscripsit. Habetur autem ex traditione per longissimam seriem deductam; cùm Mahumetus hoc tempore extra Meccam iter ageret, montes omnes, arbores, & lapides, quacumque transibat, consuevisse eum salutare his verbis: *Pax super te, ò Legate Dei.*

Anno ætatis suæ quadragesimo (Auctore Aly filio Ebrahim) accepit Mahumetus à Gabriele verba illa Alcorani: *Manifesta id quod præcipitur tibi: & longè recede ab Idololatris.* Quamobrem egressus constitit supra Petram: (erat autem hic locus, in quo populus conveniebat, ad latus septentrionale Caabæ) cœpitque Meccanis unius Dei cultum prædicare; seque Prophetam & Legatum Dei venditare. Hæc ex Auctore prædicto.

S. Petrus Paschasius Episcopus Giennensis, & Martyr, ex libris & testimonio Saracenorum, similia jam relatis scribit: nimirum, *Mahumetum, cùm quadraginta esset annorum, idolorum cultum reliquisse, & Prophetam se vulgasse; perque montes solitarium pergere, & per valles & per colles, tanquam à Dæmone exagitatum vagari cœpisse: aliquoties verò supra spatium unius mensis solum in monte prope Meccam sito, nomine Tran (corruptè pro Horram) commoratum fuisse. Hoc in loco Gabrielem sibi apparuisse dicitabat, post cujus aspectum, venit ad Chadigen, & super genu illius sedit, accubuitque super eam. Illa non Gabrielem hunc, sed malum aliquem Dæmonem fuisse suspicata (erat enim mos Dæmonibus gentem illam ita illudere) rogavit Mahumetum, ut sibi quoque Gabrielem ostenderet. Asseruit ille, Gabrielem ibi adesse, & à se videri. Sed cùm Chadige eum minimè videret, justit Mahumetum primò super genu suum sinistrum, deinde super dextrum assidere: tum in sinu suo recumbere: semperque rogabat, utrum Gabrielem videret. Asserebat ille se videre. At Chadige cùm minimè eum aspiceret, velavit faciem Mahumeti velamine suo: vel, ut alii scribunt, abscondit eum sub vestimentis suis: & tunc rursum interrogavit, utrum Gabrielem intueretur. Respondit ille, se amplius eum non videre. Tunc Chadige: Age, quo animo esto (inquit;) nam pro comperto habeo, amicum istum tuum non esse Dæmonem, ut suspicabar, sed Angelum bonum: & spero, te gentis hujus Prophetam esse futurum. Chadige itaque omnium prima credidit in eum.* Hactenus Sanctus Petrus Paschasius, qui addit ex aliis Mauroram libris illud haberi, quòd cùm Gabriel Mahu-

Digitized by Google

meto ſe videndum exhibebat, ipſe in terram corruebat in morem eorum, qui à malo Dæmone opprimuntur. Tunc verò ſudario capiti ejus impoſito, ſindone cooperiebatur, totoque è corpore ſudorem emittebat. Ut autem ſenſuum compos fiebat, ſurgens yaticinabatur. Aſſerebat verò, ita ſe exanimatum cadere, eò quòd Gabrielis ſplendorem ſuſtinere non poſſet. Hæc S. Pater ex ipſis Mahumetanis. Porrò quòd Mahumetus, cùm ob aſpectum Gabrielis exanimatum ſe cadere aſſerebat, veſtibus cooperiretur, patet ex Sura 73. quæ inſcribitur المزمل *Involutus*. Et 27. cujus titulus eſt المدثر *Coopertus*.

Puto autem, hoc illum feciſſe, quò faciliùs motus indecoros celaret, quos à Dæmone exagitatus patiebatur.

P. Philippus Guadagnolus alibi à me laudatus, in Apologia ſua, cap. 10. ſect. 1. agens de Mahumeto, refert ex libro Hagar, aliiſque Mahumetanorum Scripturis, Mahumetum uſque ad quadrageſimum ætatis ſuæ annum idola coluiſſe. Ab anno verò decimo ſexto uſque ad vigeſimum quintum, mulionem, ſeu camelarium, Chadiges amitæ ſuæ fuiſſe, quam, defuncto marito, duxit in uxorem, atque ex ea tres filios, & filiam unam ſuſcepit. *Ab anno autem trigeſimo octavo capit ſolitarius ſecedere in ſpeluncam, quæ dicebatur* غار حرا *Gar Har (puto corrigendum* غار جرا *Gar Harra) ibique dies totos ſolus perſabatur: tandemque relicto idolorum cultu, Deum unum capit adorare. Præterea ita à potu ciboque abſtinebat, ut ex inedia cerebrum ejus evaneſceret. Audiebat autem varias voces, neminem tamen loquentem videbat: licet figuras quaſdam perſonarum, ac phantaſmata quædam rerum mirabilium ſe aſpicere affirmaret. Id cùm ſæpè Chadigæ indicaſſet, illa ſemper hæc Dæmonum ludibria eſſe dicebat. Quamobrem monuit ac deſperatione adulans, conſenſo monte, inde ſe præcipitem dare conſtituit. Interea apparuit ei Gabriel; ſalutemque illi impartiens ex nomine Dei, Prophetiæ donum, legationis divinæ munus, & ſuper omnes creaturas excellentiam promiſit. Deinde præcepit ei, ut legeret ea verba Alcorani Suræ 96. Lege in nomine Domini tui, &c. tradiditque illi Suram Alcorani ſexageſimam octavam, quæ inſcribitur* العلق *(per errorem poſuit* القلم *Calamus) ſanguis coagulatus: atque ab eo diſceſſit. Redeunti Mahumeto domum ſuam, jumenta omnia, omneſque arbores ſalutem dicebant his verbis: Salve, ô Mahumete, & lætare, quia tu es Legatus Dei, & optima creaturarum ejus. Cùm autem hæc uxori narraſſet; illa rurſus malorum Dæmonum præſligias eſſe reſpondit. Quamobrem Mahumetus frigido quodam horrore ex magna triſtitia correptus, in lectulum ſe projecit, ſeque multis veſtibus juſſit cooperiri. Tum verò apparuit ei Gabriel, tradiditque ſecundam Suram, quæ inſcribitur* المدثر *Coopertus, & in Alcorano ſeptuageſima quarta recenſetur. Hanc ille Chadigæ oſtendit, quæ diabolicum figmentum eſſe pronuntiavit: addidit tamen: Si iterum ac ſæpius ſpiritus ille rediret, fore Angelum bonum; malum verò, ſi amplius non regrederetur. Rediit igitur Gabriel, tradiditque Mahumeto Suram tertiam, in Alcorano nonageſimam tertiam, quæ inſcribitur* الضحى *Diluculum. Hanc etiam uxori oſtendit: ſed illa nihilominus Satanæ commentum eſſe affirmavit; nec aliàs unquam aliter ſe crediturum, niſi Gabrielem ipſa etiam vidiſſet. Cùm verò Mahumetus reſpondiſſet, ipſam non eſſe tanta virtute præditam, ut poſſet Angelum videre, acquievit Chadige, tandemque credidit in Mahumetum.* Hæc P. Guadagnolus ex libro *Hagar*.

CAPUT OCTAVUM.

Digreſſio circa Mahumeti Idololatriam.

MAhumetum uſque ad annum ætatis circiter quadrageſimum idola cum cæteris Meccanis coluiſſe, nec unum verumque Deum agnoviſſe, multis argumentis manifeſtè convincitur.

Primò. Sura 42. الشورى *Conſultatio*. §. 52. fingit Mahumetus hæc ſibi dici à Deo: وكذلك اوحينا اليك روحا من امرنا ما كنت تدري ما الكتاب ولا الايمان: *Et ita revelavimus tibi ſpiritum ex mandato noſtro: non noveras quid eſſet Liber, neque quid fides.* Gelaleddinus, & Zamchaſcerius pro روحا *Spiritum*, explicant القران *Alcoranum*. Mahumetus igitur ante traditum ſibi Alcoranum, neſciebat, quid eſſet fides: ita exponit idem Interpres: ما كنت تعرف قبل الوحي اليك: *Non noveras, antequam fieret tibi hæc revelatio* (nempe Alcorani) *quid eſſet Liber, neque quid fides*. Sed Gelaleddinus non ſine manifeſto mendacio, & aperta impudentia, pro الايمان *fide*, intelligit شرايعه *leges*, ſeu *ſanctiones ejus*, ſcilicet Alcorani; cùm certiſſimum ſit apud Arabes الايمان *fidem* diſtingui prorſus ab الشريعة *lege*, ſeu *ſanctione*. Verùm laqueo ſuo capitur: nam inter leges, ſeu ſanctiones Alcorani, præcipua eſt, cultus unius Dei, pluriumque Deorum rejectio.

Secundò. Sura 74. المدثر *Coopertus*; fingitur Deus ita cum Mahumeto loqui: والرجز فاهجر: *Et abominationem relinque*. Nomine الرجز *abominationis*, Gelaleddinus, Zamchaſcerius, & Expoſitores cæteri communiter, idololatriam intelligunt, nam فاهجر النبي ص بالاوثان: *Mahumetus ipſe idola illum eſſe expoſuit*. Atqui hæc Sura tradita fuit Mahumeto, cùm eſſet quadraginta annos natus, ut conſtat; ergo adhuc eo tempore idola colebat. Gelaleddinus, فاهجر *Et relinque*, explicat, دم على هجره: *Perſevera in relictione eorum*. Eodem modo Zamchaſcerius: والمعنى اثبات على هجره لانه كان برئا منه: *Et ſignificat perſeverantiam in relinquendo ea; nam ipſe purus erat ab iis*. Sed retorqueo in eos eorum jacula: Ergo Mahumetus ſaltem per aliquod tempus adoravit ido-

Digitized by Google

idola : nemo enim propriè dici poteſt illud relinquere, vel perſeverare in relinquendo illud, quod nunquam habuit, & quod ad ipſum nunquam pertinuit. Verùm audiamus circa primum Alcorani locum verba ipſa Zamchaſcerii.

فان قلت قد علم ان رسول الله من ما كان يدري ما القران قبل نزوله عليه فما معني قوله ولا الايمان والانبياء لايجوز عليهم اذا عقلوا وتمكنوا من النظر والاستدلال ان يظنهم الايمان بالله وتوحيده ويجب ان يكونوا معصومين من ارتكاب الكبائر ومن الصغائر التي فيها تنفير قبل البعث وبعده نكيف لا يعصمون من الكفر قلت الايمان لم يتناول انبياء بعضها الطريق اليه العقل وبعضها الطريق اليه السمع فمني به ما الطريق اليه السمع دون العقل وذلك ما كان لم فيه علم حتي كجملة بالوحي

Quòd ſi dicas : Certum eſt Mahumetum non intellexiſſe quid eſſet Alcoranus, antequam acciperet illum : ſed quomodo dici poteſt, cum non intellexiſſe quid eſſet fides? Nam dici non poteſt, Prophetas poſtquam intelligentia & viſione potiti ſunt per demonſtrationes, neſciſſe quid eſſet fides, & unitas Dei. Cùm enim conveniat, ut cuſtodiantur immunes à perpetrandis peccatis tàm mortalibus, quàm venialibus, in quibus ſit mutatio, (id eſt correctio, ſeu emendatio) ante eorum miſſionem ad prophetandum, & poſt eam : quomodo non ſervabuntur immunes ab infidelitate? Reſpondeo, fidem eſſe nomen quod multa ſignificat, ad quorum quædam ſit via per intellectum ; ad quædam autem per auditum. Hîc verò ſignificantur ea, ad quæ ſit via per auditum citra intellectum. Et hæc ſunt, de quibus Mahumetus non habuit ſcientiam, donec per revelationem acquiſivit eam. Sed inepta eſt objectio, ineptior verò reſponſio, ut quilibet facilè agnoſcere poteſt. Nam eodem modo dicitur Mahumetus neſciſſe ante revelationem Alcorani, quid eſſet fides, ac quid eſſet Alcoranus, in quo ſanè pleraque ſpectant ad fidem. Dicere autem tunc ignoraſſe Alcoranum ſoltùm quoad ea, quæ ſpectabant ad auditum, nempe ad ritus quoſdam ac leges, minimè verò ad dogmata fidei; idem erit ac dicere, illum neſciſſe ea ex fide, quę continebant الشرايع videlicet ritus ac ſtatuta, quæ fidei dogmata minimè attingunt: in quo erit ineptiſſima ταυτολογία. Deinde, nos non dicimus, Mahumetum, poſtquam prophetam ſe ecepit venditare, ignoraſſe quid eſſet fides, quæ unum tantùm, non plures docet eſſe Deos : negamus tamen prophetas tàm ante, quàm poſt propheticum munus acceptum, ab omnibus peccatis tàm gravibus, quàm levibus immunes fuiſſe, ut patet ex ſacris literis ; imò etiam ex eo quod Mahumetani ipſi fateri coguntur. Conſtat enim ex Alcorano, Mahumetum & ante, & poſt munus propheticum ſibi arrogatum, peccata multa etiam gravia perpetraſſe: nam orat in eodem, vel potiùs orare jubetur pro delictis ſuis : & Deus affirmat, ſe illi peccata omnia tàm gravia, quàm levia condonare. Illa porrò diſtinctio de via auditus & intellectus circa ea, quæ ſpectant ad fidem, eſt prorſus inepta. Nam fides, juxta D. Paulum, gignitur ex auditu in intellectu : nec aliquid eſt in intellectu circa fidem, quod priùs non fuerit in ſenſu, nempe in auditu. Quòd ſi dicas, poſſe Deum immediatè infundere fidem in intellectu ſine auditu : reſpondeo, hanc infuſionem à revelatione non differre: hujuſmodi autem revelationem Mahumetus nunquam habuit ante annum ætatis ſuę circiter quadrageſimum.

Prodrom. ad refut. Alcorani.

Tertiò. Sura 93. الضحي *Dilucidum*, fingitur Gabriel dicere Mahumeto : ووجدك ضالاً فهدي *Invenit te* (Deus) *errantem : & direxit*. Gelal : & Jahias exponunt : ضالاً عما انت الان عليه من الشريعة *errantem ab ea lege, in qua nunc es*. Porrò nomine *legis*, ea tantùm intelligunt, quæ ad ritus, & cęremonias religionis pertinent, cujuſmodi ſunt oratio, jejunium, eleemoſyna, & peregrinatio. Sed audiamus explicationem Zamchaſcerii : ضالاً معناه الضلال عن علم الشرايع وما طريقه السمع كقوله تعالي ما كنت تدري ما الكتاب ولا الايمان : وقيل ضل في صباه في بعض شعاب مكة حين حليمة فلمته وجاءت به لتزده علي عبد المطلب : وقيل ضل في طريق الشام حين خرج به ابوطالب : فهداك تعرفك القران والشرايع ان غازل ضلالك عن جدك وعمك : وعن قال كان علي امر قومه اربعين سنة فان اراد انه كان علي خلوهم عن العلوم الجمعية : فنعم : وان اراد انه كان علي دينهم وكفرهم فمعاذ الله والانبياء يجب ان يكونوا معصومين قبل النبوة وبعدها من الكبائر والصغائر الغاية فما بال الكفر والجهل بالصانع :

Errantem, denotat errorem ſeu ignorantiam circa leges, & circa id, ad quod eſt via per auditum : juxta illud Alcorani : Non noveras, quid eſſet liber, quidve fides. Quidam dicunt, illum erraſſe, dum eſſet puer, per quemdam montem Meccæ, quando Halima ablactavit eum, & reduxit ad Abdalmotalleb. Alii dicunt, illum erraſſe in itinere, quando profectus eſt cum Abutaleb in Syriam. Quod verò dicitur: Et direxit te: idem valet, ac fecit ut cognoſceres Alcoranum & leges : vel fecit ceſſare errorem tuum ab avo tuo, & patruo tuo : ideſt, reduxit te ad Abdalmotallebum, & ad Abutalebum, à quibus erraveras. Qui autem dicunt, illum fuiſſe in ſtatu gentis ſuæ per quadraginta annos : ſi intelligant de errore vel ignorantia circa ea, quæ diximus ad auditum (id eſt ad leges) *pertinere: conſentimus illis. Si autem velint, illum fuiſſe in religione, & infidelitate eorum : negamus omninò : nam ſi oportet Prophetas immunes eſſe, & præſervari ante & poſt munus Propheticum ſuſceptum à peccatis gravibus, & levibus perſonalibus : quantò magis præſervari debent ab infidelitate & ignorantia Creatoris ſui?* Sed jam ſuprà reſpondi, & nunc iterùm reſpondeo, nomen الايمان *Fides*, ſeu *Credere*, non ſpectare ad الشرايع *leges*, ſeu *ſanctiones* : illa enim reſpicit aſſenſum intellectus circa res à Deo revelatas : hæ autem exercitium operis circa res à Deo

præceptas. Quamobrem profeſſio ipſa ſectæ Mahumetanicæ edita ab Algazelo, & aliis, ponit الايمان *Fidem*, & الشرائع *ſanctiones* in الدين, ſcilicet *Religione*, tamquam duo membra ipſius inter ſe diſtincta, & oppoſita, quorum unum ſpectat ad credendum, alterum ad operandum; unum ad theoriam, alterum ad praxin. Totum verò fundamentum accipiendi hoc loco الايمان *fidem*, pro الشرائع *ſanctionibus*, contra omnem proprietatem & uſum loquendi, eſt illud, quod allegat Zamchaſcerius ex Sura 2. البقرة *Vacca*: §. 145. وما كان الله ليضيع ايمانكم بالصلوة: *Et non fuit Deus, ut perire ſineret fidem veſtram in oratione*; En (inquit) hoc loco *oratio*, quæ ſpectat ad ſanctiones, appellatur *fides*, لانها بعض ما بتنا وله الايمان: *Nam ipſa eſt una earum rerum, quas recipit fides*. Nihil ineptius dici poterat. Primò enim in Alcorano non eſt additio illa بالصلوة *in oratione*. Deinde aliud eſt oratio, aliud fides, cum qua conjungitur oratio; quemadmodum aliud eſt opus, aliud circumſtantiæ, quæ comitantur opus.

Poſtremò Sura 94. الانشراح *Dilatatio*. Fingit Mahumetus Deum ita ſecum loqui: ووضعنا عنك وزرك الذي انقض ظهرك: *Depoſuimus à te pondus tuum, quod aggraveverat dorſum tuum*. Nomine *ponderis tui* intelligit Gelaleddinus, ذنبك *delictum tuum*. Expreſſiùs explicat Jahias: الذنوب التي كانت عليك في الجاهلية: *Pondus tuum: intelliguntur eſſe peccata, quæ fuerunt ſuper eum in Ignorantia*: ideſt tempore idololatriæ: ita enim vocant Arabes tempus, quo, vero Deo ignorato, plures dii colebantur. Per quod manifeſtè offenditur, Mahumetum, ſicut cæteros Meccanos, idola coluiſſe. Idem confirmatur ex Sura 48. الفتح *Victoria*, in qua fingitur Deus dicere Mahumeto: انا فتحنا لك فتحا مبينا ليغفر لك الله ما تقدم من ذنبك وما تاخر: *Nos quidem conceſſimus tibi victoriam manifeſtam, ut ignoſcat tibi Deus quod præceſſit de peccato tuo, & quod ſubſecutum eſt*. Explicat Mocatel, relatus nec rejectus à Zamchaſcerio: ما تقدم في الجاهلية وما بعدها: *Quod præceſſit in Ignorantia* (idololatria,) *& quod poſt illam ſecutum eſt*. Omitto alia loca Alcorani, in quibus evidenter habetur, Mahumetum non ſolùm magnum peccatorem, ſed idolorum quoque cultorem, ſaltem per plures annos, fuiſſe: ut quivis agnoſcere poſſit, inſanire omninò Zamchaſcerium, & alios Interpretes Alcorani, qui tanquam è tripode pronuntient, Prophetas omnes tàm ante, quàm poſt Propheticum munus ſuſceptum, à peccatis omnibus tàm gravibus, quàm levibus immunes eſſe debere.

Ex his etiam manifeſtè patet, omnia, quę de Mahumeto adhuc infante, vel puero, vel juvene, tàm mirabilia, ac portentoſa Mahumetani referunt, figmenta eſſe, & mendacia: & tàm illis, quàm cæteris, quæ deinceps ex eorum hiſtoriis in Mahumeti laudem relaturi ſumus, nullam prorsùs fidem adhibendam eſſe.

CAPUT NONUM.

De iis, qui primi Mahumeto adhæſere.

Ismael filius Aly, quem plerique ſequuntur, ſcribit, Chadigen Mahümeti uxorem, omnium primam in illum credidiſſe. Secundum ponit Aly filium Abutalebi, patruelem Mahumeti, quem ipſe adhuc puerum in contubernium ſuum à patre familia grávato acceperat. Tertium Zaidum filium Harethæ libertum ipſius Mahumeti, à Chadige illi donatum, & ab eodem in filium adoptatum. Mox alii nonnulli in partes ejus transierunt, clandeſtinis illius hortationibus, quibus per tres annos plures juniores ſibi adjunxit, allecti. Poſteà publicè legem ſuam prædicandi mandatum à Deo ſe accepiſſe affirmans per verba illa Alcorani: *Et prædica contribulibus tuis propinquioribus*; præcepit patrueli ſuo Aly nondum ex cohebis egreſſo, ut eos, qui erant ex familia Abdalmotallebi, (ad quadraginta circiter viros pervenie-bant) ad convivium invitaret, tantumque cibi apponeret, quantum vix uni homini ſatis ſuiſſet. Id fecit Aly, omneſque ad ſatietatem comederunt. Cùm autem Abulaheb, unus ex convivis, hoc magicis artibus tribuiſſet: omnes à Mahumeto, ſectam ſuam illis prædicare volenti, tanquam à præſtigiatore diſcedere. At ille præcepit Aly, ut eoſdem ſequenti die ad ſimile convivium invitaret. Venerunt igitur rurſum univerſi; prandioque abſoluto, cœpit Mahumetus illis ſectam ſuam prædicare, eoſque ad ſui ſequelam adhortari. Verùm nemine ei reſpondente, ſolus Aly obtulit ſeſe illi aſſeclam & adjutorem: quamobrem Mahumetus Vicarium ſuum illum conſtituit, cui omnes obedire deberent. Hoc verò riſus magnos excitavit inter convivas, cùm viderent, novum Prophetam puero vices ſuas delegaſſe.

Cœpit interea religionem ſuam palam evulgare; nec obſtiterunt ei Meccani, donec eorum deos conviciis appetere, & ipſos impietatis atque infidelitatis cœpit redarguere: tunc enim eum prohibere, atque hoſtiliter inſectari cœperunt. Cùm autem Abutalebus nepotem acriter defenderet, veperunt ad eum Coraſini, rogaverunturque, ut Mahumetum à ſe ejiceret, proculque amandaret. Conatus eſt ille blandis verbis ac promiſſis Coraſinos lenire. Sed cùm Mahumetus in ſua ſecta vulganda, eorumque ſuperſtitione damnanda perſiſteret, Abutalebum minis, & armis terruere, niſi quantocyus vel Mahumetum ab incœpto prohiberet, vel in exteras regiones amanderet. Perterritus ſenex, nepotem advocat, Coraſinorum minas commemorat, ut ab incœptis deſiſtat hortatur. Ille verò obſtinatiſſimum ſe in propoſito ſuo oſtendens, non ſine lacrymis à patruo indignatus diſceſſit. Sed revocavit eum Abutaleb, promiſitque ſe illi contra adverſarios defenſorem & adjutorem. Non ceſsabant interea Meccani Mahumetum, ejuſque aſſeclas vexare. Ut autem à patruo illum obtinerent, poſtmodum occidendum, adoleſcentem pulcherrimum, nobiliſſimum, ac delicioſiſſimum, nomine Emarat filium Validi, nepotem illi adoptandum obtulerunt, dummodo Mahumetum interficiendum ipſis traderet,

Sed

Digitized by Google

Sed recusavit hoc Abutaleb, himis se ridiculum fore asserens, si extraneum alendum domi suæ reciperet, ut nepotem ejiceret ab ipsis occidendum.

Hoc tempore nonnulli sese Mahumeto socios addebant, religionis veræ specie ab eo allecti: prædicabat enim unum Deum: idolorum vanitatem manifestè ostendebat: futuri Judicii, ac Gehennæ metu homines deterrebat: Paradisum, deliciis, & corporeis voluptatibus plenum proponebat: Imperium denique & potentiam affectis suis promittebat. Inter eos, qui hoc tempore sectæ illius adhæsere, unus fuit Talha, qui asserebat, se interfuisse in Emporio Bostroæ, ubi quidam monachus cognovit Mahumetum fore Prophetam, eique futura multa prædixit. Hunc sequutus est alius quidam nomine Abubacar filius Abu-caphahæ: sed Nuphel filius Chavailed, Princeps Corasinorum, utrumque arripuit, atque in arctissima vincula conjecit.

Cùm verò die quadam Mahumetus prope montem Sapha moraretur, Abugehel ejus patruus, sed semper illi infensus, cœpit eum maledictis incessere. Nihil patruo Mahumetus respondit: sed Hamza, qui ejus partes sequebatur, hoc audito, Abugehelum cum aliis armatis adorsus est, ac malè multavit. Quamobrem Mahumetus Hamza ad sectam suam propagandam deinde semper usus est.

Inter eos, qui illum hostiliter infectabantur, fuit Omar filius Chottabi. Hic arrepto gladio, perrexit ut eum occideret. Sed deterruit illum Naim filius Abdallah. Habebat autem Omar sororem, & nepotem, qui Mahumetum sequebantur. Hos cùm Omar invenisset legentes in quodam codice Suram vigesimam Alcorani, cui titulus est: *Tah*: voluit per vim codicem à sorore arripere, tandemque minis & verberibus illum obtinuit, sed non sine promissione restituendi. Cùm autem cœpisset codicem legere, lectionis pulchritudine allectus, ad Mahumetum se contulit, atque in illius verba juravit. Cùm pergeret Mahumetus sectam suam evulgando, & Alcoranum recitando, alii alia de eodem Alcorano pronuntiabant; quibusdam poesin, quibusdam solutam orationem, quibusdam præstigium, seu carmen magicum, illum esse affirmantibus. Quamobrem convenerunt ad Validum filium Mogheiræ, poeticarum rerum peritissimum, sine cujus censura, & approbatione, carmina nulla vulgabantur, ut illius sententiam de Mahumeti Alcorano explorarent. Ille advocatum ad se Mahumetum, rogavit, ut aliquid sibi de libro suo recitaret. Hic verò legit ei verba illa, quæ primo loco in Alcorano ponuntur: *In nomine Dei Misericordis, Misericordis*. Quibus auditis, in profusos risus Validus erupit. Cùm enim esset Jemanita quidam, qui *Misertator* (Arabicè الرحمن Alrahhman) vocabatur; existimavit Mahumetum invitare homines ad illum, tanquam Deum, adorandum. Sed cùm Mahumetus Validum de errore suo commoniisset, legit illi Suram 41. quæ inscribitur حم السجدة *H. M. Adoratio*. Cùmque perveniisset ad ea verba versiculi 14. *Quòd si longè recesserint, dic illis: Comminor vobis supplicium, sicut supplicium Aad, & Themud*: totus exhorruit Validus, itaut arrexerint se capilli capitis ac pili barbæ ejus: tacituque discessit, nec ultra ad Corasinos, qui præsentes fuerant, reversus est. Illi suspicati sunt, Validum Mahumetanum factum fuisse. Sed Validus hanc ab eis suspicionem removit: se tamen ex Alcorani verbis conterritum fuisse, ingenuè confessus est. Interrogatus autem, quid de illo sentiret: post multum temporis spatium respondit, illum esse opus magicum, ad hominum corda fascinanda. Alii tamen scribunt, Mahumetum non verba ex Sura 41. allegata Valido legisse, sed illa, quæ habentur in alia Sura: *Certè Deus præcipit justitiam, & beneficentiam, & ut donetur propinquis: & prohibet obscœnitatem, & injustitiam & violentiam. Ad hoc hortatur vos, ut commoneatis*.

Cùm autem viderent Meccani, Mahumetum novam sectam instituere, & se Prophetam, in Pentateucho & Euangelio à Deo promissum, jactare: primò exigere cœperunt ab eo miracula, tanquam testimonia, quibus illum à Deo missum fuisse credere possent. At ille semper se excusavit, affirmans, non ad miracula patranda, sed ad veritatem prædicandam se missum fuisse: aliasque excusationes afferebat, quas videre licet in Alcorano. Deinde miserunt ad Judæos, qui erant in Medina, quosdam è suis, ut rescicerent ab eis, utrum aliquid de Mahumeto in sacris eorum Libris reperiretur. Responderunt illi, se nihil prorsùs in scripturis suis invenire, quod ad hujusmodi hominem pertineret: posse tamen Meccanos cognoscere, utrum hic Propheta esset, nec ne: si nimirum ad quædam, de quibus interrogaretur, legitimè respondisset. Erant hæc, quædam quæstiones leviissimæ, & prorsùs ridiculæ, de quibus vide in Prodromo, par. 2.

Postremò, ut probaret Mahumetus Meccanis suis, se verum esse Prophetam, & Dei legatum: sæpiùs eosdem ad aliquid Alcorano suo simile conscribendum provocavit: sanctè affirmans, eos, etiamsi universi simul ad hoc convenirent, & præterea Dæmones omnes in auxilium advocarent, nunquam tamen, ne unam quidem Suram, parem vel similem suis esse facturos: prout etiam in ipso Alcorano confirmatur.

CAPUT DECIMUM.

De Emigratione Sociorum Mahumeti in Æthiopiam.

CUm pergerent Meccani, præsertim Corasini, Mahumeti contribules, illum, & ejus asseclas divexare, atque in dies acriùs contra eos desæviret; præcepit Mahumetus suis, ut in Æthiopiam ad النجاشي *Alnogiasci* (hoc enim nomine Æthiopum Reges vocabantur) confugerent: præfecitque eis Glaapher filium Abu-taleb, patruelem suum, qui cum septuaginta viris consentâ navi solvit Æthiopiam versus. Id cùm Corasitæ resciissent, miserunt & ipsi aliquot è suis post eos, sub ductu Amru filii Aàs Sahemiensis, & Emarat filii Valid, adolescentis omnium Meccanorum pulcherrimi, ac delicioissimi: qui in navi ebrius, uxorem Amru voluit osculari. Sed cùm Amru uxoris suæ injuriam vellet arcere, arripuit eum Emarat, ut in mare projiceret. Verùm obstitere socii, ne eum demergeret, non tamen ne uxorem ejus oscularetur. Quid verò in Æthiopia evenerit, vide in parte 2. Prodromi. Cùm autem scripsisset Mahumetus ad Alnogiasci Epistolam, qua invitabat eum ad sectam suam, rescripsit ei Alnogiasci in hæc verba.

In nomine Dei Miseratoris Misericordis. Mahumeto Legato Dei, Alnogiasci Alasham filius Abar. Tax super te, ò Propheta Dei, qui direxit me ad religio-

ligionem Aslam. Jam perrenit ad me Epiſtola tua, ô Legate Dei. In eo quod ſcripſiſti de Jeſu, teſtor Dominum Cæli, & terræ, Jeſum nihil addidiſſe illis, quæ tu dixiſti. Jam agnovimus id quod ſcripſiſti ad nos, & ſecuro hoſpitio recepimus patruelem tuum, & ſocios ejus. Profiteor autem, te eſſe legatum Dei verum, & veridicum: & juravi fidelitatem tibi, & patrueli tuo: & profeſſus ſum religionem Aslam in manibus ejus Deo Domino faciorum. Jamque miſi ad te, ô Propheta Dei, Alariban filium Alatiham filii Aibar. Ego ſanè non poſſideo niſi animam meam. Quòd ſi voluerit, ut veniam ad te, veniam, ô Legate Dei. Ego enim teſtificor, id quod tu dicis, eſſe veritatem.

Addit Auctor, Regem miſiſſe ad Mahumetum munera multa, inter quæ fuit ancilla nomine Maria Cophtha, quæ peperit Mahumeto filium, nomine Ebrahim. (Sed omnes conveniunt, hanc non à Rege Æthiopiæ, ſed ab Almacuceo Præfecto Alexandriæ illi donatam fuiſſe: & idem fatetur hic Auctor, dum agit de ancillis Mahumeti: ex quo patet, quanta fides Mahumetanis hiſtoricis adhibenda ſit.

Auctor eſt Thalebienſis, Regem hunc Æthiopum Mahumetanum obiiſſe; & Gabrielem, mortem ejus Mahumeto reveläſſe; & effeciſſe, ut ſtans in Medina, corpus ejus defuncti in Æthiopia intueretur. S. Petrus Paſchaſius, non ex ſua, ſed ex Maurorum fide, ſcribit; Regem hunc, Tregeſſium dictum fuiſſe. Cùmque Æthiopes illum ad Mahumeticam ſectam proclivem viderent, occidere eum voluiſſe: ſed ipſum ſeſe ab eorum manibus liberaſſe, Chriſtianæ fidei profeſſionem, licet fictè ac fraudulenter, ſcribendo, eamque publicando.

Ne autem aliquid nugarum, quas hîc Mahumetani Auctores excogitarunt, omittam, illud appendicis loco ſubnecto, quod refert liber الاعلام الهدى Cùm puella, quæ ſtabello muſcas à Rege Æthiopum abigebat, aſpectu & amore Emarat, illius adoleſcentis ſpecioſiſſimi, capta fuiſſet, & ab eodem per literas requiſita, pretioſiſſima illi unguenta, quibus Rex tantùm utebatur, clam miſiſſet; id ut Rex reſcivit, noluit illum occidere, ne fidem ſecuritatis jam datam violaret: ſed juſſit per foramen virgæ virilis illius, inſtrumento quodam hydrargyrum, ſeu argentum vivum, immitti, quo ille in furorem actus, in ſylvas ac nemora inter feras vagabatur: tandemque à ſuis captus, tandiù ſeſe inter eorum manus concuſſit, & agitavit, donec animam efflavit.

CAPUT DECIMUMPRIMUM.

De his, quæ Mahumetus, & ejus aſſeclæ paſſi ſunt ab Infidelibus Meccanis.

NOn ceſſabant interim Meccani, & præſertim Corafini, quorum dux erat Omar Abu-laheb, Mahumetum, & ejus ſocios divexare. Cùmque die quadam ſederet Mahumetus in Petra, qui erat locus prope Caabam; projecerunt quidam ex ipſis ſecundinas ovis ſuper eum. Ille tantam injuriam ſibi perferendam minimè ratus, venit ad Abutaleb patruum ſuum, conquerens de eo, quod à Corafinis paſſus fuerat. Abutaleb juſſit Hamzam, arrepto gladio, ingredi ſecum in Caabam, ubi Corafini aſſidebant, & ſingulorum labiis ſecundinas illas affricare; reluctantes verò gladio confodere. Id fecit ſolerter Hamza, nec ullus ei reſiſtere, aut ſeſe defendere auſus eſt. Alius Auctor nomine Abu David, ſcribit, ſecundinas illas fuiſſe cameli, & conjectas à quodam nomine Akebi filio Abu Moait, Corafinorum hortatu, ſupra dorſum Mahumeti ſeſe in precibus incurvantis. Id autem videns Phatema Mahumeti filia accurrit, & abſtulit à dorſo ejus ſecundinas illas, maledictis onerans eos qui hoc fecerant. Ipſe etiam Mahumetus diras imprecatus eſt illis, à Deo expoſcens ultionem. Habetur autem ex vetuſta traditione, hos univerſos in prælio Bedrenſi occiſos fuiſſe, & corum cadavera in puteum Alcalib, vel juxta alios Janzair, fuiſſe projecta.

Conquerentibus autem Mahumeti ſociis de his, quæ à Meccanis patiebantur (nam ex iis quidam miſerè torquebantur, ac diſcruciabantur) hortabatur ille eos exemplo Martyrum Chriſtianorum, promittens illis, hujuſmodi tempeſtatem quamprimùm ceſſaturam. Interim Abugehel transfodit haſta uterum Sammiæ matris Omar, quòd Mahumetum ſequeretur. Corafini verò videntes hanc ſectam in dies augeri, conſpiravere inter ſe, ne quis cum Mahumeti cognatis & propinquis, nimirum Haſemitis, & Abdalmotallebitis iniret matrimonia, aut negotia ulla exerceret: deque hac re Decretum ſanxerunt, quod in Caabæ medio ſuſpendere. Id videns Abu-laheb Haſemita, transiit ad partes Corafinorum reliquorum, unà cum Ommogemila uxore ſua, confugientibus cæteris Haſemitis ad Abutaleb, ſeque intra ſepta illius ab adverſariorum furore tuentibus. Ommogemila autem virgas ſpinoſas in via, per quam transiturus erat Mahumetus, ponebat, ut in eas pedibus impingens, fanciaretur.

Per ſpatium trium circiter annorum commoratus eſt cum Haſemitis in ſeptis Abutaleb, qui poſt novem ferè menſes, mortuus eſt. Auctor de ſignis Directionis, ſcribit, Mahumetum in ſeptis patrui quatuor annos commoratum fuiſſe, quamvis ſubinde furtim egrederetur ad conventicula nonnullorum, quos non adeò adverſarios ſibi eſſe ſciebat, legeretque ipſis Alcoranum ſuum. Poſt duos autem menſes egreſſionis ejus à ſeptis, defunctum eſſe Abutaleb; poſt cujus obitum, transacto quinto ac trigeſimo die, mortuum fuiſſe Chadigen. Hæc duo infortunia maximo dolore Mahumetum affecerunt. Addit Sciahinſciah anno quinquageſimo, & menſe tertio vitæ Mahumeti, veniſſe ad eum dæmones, ſeu genios Niſibinos, atque in eum credidiſſe.

CAPUT DECIMUMSECUNDUM.

De Nocturno Mahumeti itinere in Jeruſalem, ejuſque in Cœlum translatione: & de incremento Sectæ illius.

QUæ de hoc Mahumeti nocturno itinere Auctores Arabes fuiſſimè enarrant, nullam aliam habent fidem, quàm quæ futilibus unius Mahumeti dictis debetur: omnia enim inter ipſum, & fictitium illum Gabrielem noctu transacta ſunt. Nimis longum ac prorſus moleſtum eſſet totam hîc fabulam referre. Vide, quæ dicam in Prodromo par. 2.

Poſt mortem Chadiges, & Abu-taleb (quem plerique idololatram mortuum fuiſſe ſcribunt) circumibat Mahumetus conventus Meccanorum, & nobiliſſimos eorum blandis verbis ad ſectam ſuam allectos attrahere conabatur: nihil aliud ab eis exigens, niſi ut ipſum tuerentur, ne quis eum occideret, donec legem ſuam publicaſſet. At omnes eum tamquam

quam impostorem ac nebulonem magno cum spretu rejecerunt. Quamobrem Mecca discedens, profectus est in Taiph, Urbem Arabiæ, ad populos Tekiphenses, sperans, se ab illis benignè recipiendum. At verò spes sua illum fefellit; etenim hi quoque tamquam erronem ac seductorem è finibus suis illum expulere: & obsidentes hinc inde vias, per quas transiturus erat, lapidibus pedes ejus infestare cœperunt: quamobrem malè saucius, ac dolore tristitiaque exagitatus, in hortum quendam confugit: unde etiam, quia illius Dominos sibi infensos esse cognovit, statim discedere coactus fuit. Sed illi miserunt post eum adolescentem Christianum, nomine Adas, natione Ninivitam, qui aliquot uvæ racemos secum deferebat. Hunc ubi Mahumetus vidit, & ex ipsius confessione Ninivitam esse cognovit: *E civitate* (inquit) *viri optimi es tu; Jonæ fcilicet filii Matai.* Cui dixit Adas: *Undenam Jonam nosti?* Respondit ille: *Ego sum legatus Dei: & Deus mihi historiam Jonæ revelavit.* Cùmque eandem historiam adolescenti narrasset; ille procidens, pedes ejus cruore fœdatos osculabatur, prophetam eum esse existimans.

Inde Meccam regressus, ut Caabam religionis gratia septies de more circumiret; antequam Urbem ingrederetur, misit quendam è suis affectis, qui amicos rogaret, ut sibi in eo religionis officio assisterent, ne à Corasinis injuriam aliquam pateretur. Sed omnes id facere recusarunt, præter Motaam filium Addi, qui libenter se illi custodem ac defensorem exhibuit. Ingressus igitur Mahumetus Meccam unà cum Zeido liberto suo, Caabam septies circumivit, defendente latus ejus Motaamo cum decem filiis armatis. Id videns Abugehel, Corasinos contra eum, & contra Motaam filiosque ejus incitavit. Nec tamen obtinuit, ut Mahumetum à sacra circumitione impediret: qua peracta, gratias egit Mahumetus Motaamo: nec tamen hospitio illius ultra unum diem uti voluit, eò quòd esset idololatra, atque infidelis.

Accidit hoc eodem tempore, ut Asaad filius Zeraræ Chazragensis veniret Meccam, auxilium contra Ausinos Chazragensium hostes petiturus, simulque Ædem sacram visitaturus. Cùm autem audisset anteà à Judæis, eo tempore Prophetam Mecca egressurum, simulque ea, quæ circa Mahumetum contingebant, & per urbem vulgabantur, intelligeret; suspicatus illum esse Prophetam à Judæis prænuntiatum; rogavit Otbam filium Rabiæ, apud quem diverterat, ut ubinam Mahumetus esset, sibi indicaret. *Invenies illum* (inquit Otba) *in foro Tetræ prope Caabam, quam si circumieris, illum omninò videbis. Sed cave omnino ne eum vel audias, vel alloquaris: est enim præstigiator insignis, & facilè dementabit te.* Asaad sacram Ædem obiturus, ut ab hoc se periculo liberaret, gossypio aures obturavit, oculosque valdè depressos tenebat. Verùm prima vice circuitus sui semel quasi furtivè Mahumetum suspexit. Secunda verò vice non solùm curiosius eum intuitus est, sed etiam gossypio ex auribus extracto, ad illum propius accessit, atque amicè salutavit. Cùmque Mahumetus salutem illi restituisset: interrogavit eum Asaad, quidnam novæ religionis prædicaret. Ille verò respondit, se docere homines unius Dei cultum; beneficentiam erga parentes; abstinentiam à cæde filiorum ob inopiam, & cujuscumque alterius hominis citra legum præscripta; flagitiisque omnis etiam clandestini fugam. Præterea pupillorum bona non attingere: justam mensuram in rebus vendendis & emendis servare: perjurium ac mendacium effugere: & promissa Deo complere. Statim in verba Mahumeti juravit Asaad, obtulitque ei quemdam socium suum, qui Decuan vocabatur: & hic quoque in eum credidit, recognoscens in eo omnia illa, quæ de venturo per id tempus Propheta Judæi anteà sibi prænuntiaverant. Deinde rogavit uterque Mahumetum, ut in ipsorum regionem virum mitteret, qui indigenas Alcoranum doceret. Misit igitur Mahumetus cum eis Mosaab filium Omeir, adolescentem pulcherrimum ac florentissimum, & in magnis deliciis apud suos enutritum; qui, propter Mahumeti sequelam, multa à domesticis perpessus fuerat. Didicerat hic multa ex Alcorano: quamobrem cùm ad Chazragenses pervenisset, Mahumeti sectam unà cum Asaad & Decuan singulas domos circumiens prædicabat; credideruntque ex qualibet familia unus vel duo: illi autem, qui Mosaabo adhærebant, erant juniores. Abdallah verò filius Obsi princeps inter Chazragenos obsistebat Asaado, ac Decuano, ne novam religionem prædicarent: illi autem venerunt unà cum Mosaabo ad Saad principem Ausinorum, avunculum ipsius Abdallah, rogantes eum, ut id ipsis permitteret, quod nepos negaverat. Sed cùm animadvertisset Saad, ad eorum adventum magnam juniorum turbam confluxisse, & curiositas Alcorano aures præbere; tanquam juventutis corruptores jussit eos procul amandari. Sed is, per quem hoc præceperat, Oseid nomine filius Hodheir, vir primarius inter Ausinos, audita à Mosaab una Alcorani Sura, Mahumetanus factus, est. Saad quoque cùm vidisset Oseid redeuntem vultu mutato; & audisset à Mosaab Suram ﴿, quę incipit: *Demissio à Miseratore Misericorde*; Mahumeti sectam suscepit. Mos autem, seu ritus, quem in suscipienda hac secta eo tempore servabant, hic erat. Aqua sese lavabant: deinde duas vestes mundas induebant: tum pronuntiando confuetam fidei professionem; *Non est Deus, nisi Deus; Mahumetus Legatus Dei*; bis sese incurvando, orabant. Congregavit igitur Saad universum populum, & hortatus omnes ad novam religionem amplectendam, præcepit Mosaabo, ut eam palàm prædicaret, (qui scilicet magis venustate vultus ad libidinem, quàm sermonis vi ad pietatem posset homines allicere.) Magna propterea Chazragensium, & Ausinorum multitudo in regione Medinæ, etiam ex nobilioribus, Estamiticam legem professa est, præsertim propter testimonium Judæorum: (at hi nihil, quod pro Mahumeto faceret in Libris suis esse asserebant:) quæ omnia scripsit Mosaab in Mahumetum in Meccam, ubi ex opposito, quisquis Mahumeto ex Corasinis adhæsisset, verbera & supplicia à contribulibus suis perferre cogebatur. Sed Mahumetus eos in Medinam ad Chazragenses, & Ausinos transmittebat, à quibus humanissimè excipiebantur: illos verò Meccam, sacræ peregrinationis causa, venientes, pari humanitate Mahumetus recipiebat.

Cùm igitur Mahumetani in magnum numerum, præsertim Medinæ, excrevissent, omnesque in Mahumeti obsequium viribus atque opibus suis essent parati, elegit ille duodecim ex ipsis, tanquam cæterorum duces, innuente sibi singulos Gabriele, ad similitudinem, ut ajebat, Moysis, qui totidem præfectos Israelitis constituit. Erant autem ex his novem Chazrageni, & tres Ausini. Omnes verò ﴿ illi fidelitatis sacramento obstrinxerunt in loco, qui dicebatur جمرة العقبة *Gemarat Alakeba*. Fuit hæc prima Mahumeti inauguratio in Principem: in qua,

ut

ut ſcribit Sciahinſciah, duodecim prædicti Moslemorum duces, (qui vocati ſunt انصار *Anſar*, ideſt *Auxiliatores*,) obligaverunt ſe Mahumeto, بيعة النساء *Sacramento mulierum*, quod continebat promiſſionem colendi unum Deum: non furandi: non mœchandi: non occidendi filias ſuas, & non mentiendi. Fortaſſe quia hæc, mulieres potiùs, quàm viros bellatores reſpiciebant: vel quia æquè ad viros atque ad fœminas pertinebant.

Ponit idem Sciahinſciah ſecundam Mahumeti inaugurationem eodem in loco Gemarat-alakeba, anno tertiodecimo poſt acceptum munus prophetícum, cùm Moſaab jam commemoratus, rediens Meccam, duxit ſecum ex iis, qui Eſlamiticam ſectam profeſſi fuerant, tres ac ſeptuaginta viros, ac duas mulieres. His, cùm in locum prædictum conveniſſent, legit Mahumetus Alcoranum; ac deinde ita loquutus eſt: *Accipiam ſacramentum veſtrum, cum pacto, ut defendatis me ab iis incommodis, à quibus defenditis uxores veſtras, & filios veſtros.* Cum hac igitur conditione fidelitatem ſuam illi juramento obſtrinxere. Mahumetus verò in ſignum fidei eorum à ſe acceptæ, extenſa manu, promiſit illis, ſi pro ipſo occiderentur, Paradiſi felicitatem. Quibus ita peractis, ædixit ſuis aſſeclis emigrationem è Mecca in Mediam. Itaque ſinguli cœperunt paulatim emigrare: ipſe tamen Meccæ remanſit, expectans, ut ajebat, præceptum Dei.

Huic ſubitæ emigrationi Diabolum cauſam dediſſe ferunt, qui immiſcens ſe Coraſinis, cæteriſque Meccanis, magnis vocibus contra Mahumetum & Mahumetanos eos incitavit, tanquam contra novarum rerum molitores, quippe qui in monte Akeba ſimul conveniſſent, & Mahumeto ipſi, tanquam Regi, ſeſe fidei ſacramento obligaſſent. Sumptis igitur armis cucurrerunt contra eos magno cum furore in Akebam. At Mahumetus eorum clamore ſtrepituque audito, juſſit ſuos, quantumvis pugnare cupientes, clam recedere. Remanſitque ſolus ipſe unà cum Hamza, & Aly: qui duo, arrepto gladio, in clivo montis conſtiterè. Cùmque Coraſini ſupervenientes, quærerent ab eis, quodnam conventiculum illic contra rem publicam agerentur: negavit Hamza, conventiculum ullum eo in loco habere: ſeque tantùm ibi unà cum Aly reperiri: ſi quis verò eorum ulterius transire auderet, comminatus eſt, ſe illum gladio confoſſurum. Quamobrem regreſſi ſunt Coraſini, poſt quos Mahumetus etiam è latebris egreſſus, Meccam repetiit, diſcedentibus aſſeclis ejus Medinam verſus, non ſimul omnibus, ſed ſingillatim, & cum intervallo, ne poſſent adverſarii ſuſpicionem movere.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

De Tranſmigratione Mahumeti è Mecca in Mediam, quæ dicitur Hegira.

CUm Meccani, & præſertim Coraſini, viderent res Mahumeti majus in dies robur acquirere, timentes rebus ſuis, convocato Senatorum Concilio, illum è medio tollere decreverunt. Milerunt igitur, qui eum noctu domi commorantem occiderent. At cùm id Mahumetus præſenſiſſet, collocato Aly in lecto ſuo, veſteque ſtrata, qua ipſe utebatur, cooperto, domo aufugit, iterque arripuit verſus Medinam. Coraſini verò ita ſe illuſos ægrè ferentes, probè Aly pulſavere, reque infecta diſceſſerunt. In fuga obvium habuit Mahumetus Abubacrum, cum quo pervenit ad montem Thaurum, ibique ſpeluncam quandam ingreſſus, triduo in ea latitavit, donec illi, qui à Coraſinis ad eum inſequendum & capiendum miſſi fuerant, de illo inveniendo deſperantes regrederentur. Fingunt hîc quidam miraculum: araneas ſpeluncæ, in qua Mahumetus cum Abubacro latitabat, telis ſuis repentè cooperuiſſe. Fabulæ Thalmudicæ de David.

Poſt triduum Mahumetus ſpelunca egreſſus, paſtore quodam duce, per ignotas ſemitas (comparato priùs ab amicis Meccanis viatico) Medinam verſus tendebat. Addiderunt ſe illi nonnulli ſocios itineris, cum quibus noctem totam, & partem ſequentis diei vagatus, pervenit cum illis ad locum quemdam ſalebroſum ac lutoſum, ubi à quibusdam Coraſinis, qui eum inſequebantur, deprehenſus, ſeſe ab eorum manibus, non miraculo, ut fingunt, ſed aſtu, & arte liberavit.

Antequam ulteriùs progrediar, lectorem admonco, Mahumetanos computare annos ſuos ab hac Hegira, ſeu tranſmigratione Mahumeti è Mecca in Medinam: quæ incidit juxta probabiliorem ſententiam in annum Chriſti ſexcenteſimum trigeſimum & unum, circa menſem Martium, cùm eſſet Mahumetus quinquaginta ac trium circiter annorum.

Pervenit tandem profugus Medinam, atque hoſpitio exceptus eſt per quatuor dies à quodam Medinenſi nomine Chaltum, in loco qui dicebatur Coba, ubi jecit fundamenta Meskitæ, ſeu Oratorii Cobenſis. Inde egreſſus, obviam habuit magnam virorum ac puerorum turbam; aſcendentibus multis ſupra tecta domorum, ut eum viderent: univerſique felicitatem illi apprecabantur. Plures ei hoſpitium obtulere: ſed Abu-Ajub, unus ex duodecim Adjutoribus, arrepta ejus camela, coegit illum divertere in domum ſuam. Apud eum igitur moratus eſt, donec compleretur ædificium Meskitæ, quam ædificare decreverat in loco, in quo conſtiterat, ac genua flexerat camela ejus.

Interea advenit è Mecca Aly cum familia ſua: cæperuntque aſſeclæ Mahumeti confringere ſimulacra idolorum Medinenſium, in quo egregiè ſe geſſerunt duodecim Adjutores, & ſeptuaginta viri, qui ſe peculiari ſacramento obſtrinxerant Mahumeto, cujus ſecta magnum ab hoc tempore accepit incrementum.

CAPUT DECIMUMQUARTUM.

De his, quæ primo anno Hegiræ evenere.

MOrabantur in Medina plures Judæi, qui venientes ad novum Prophetam, interrogaverunt eum, quiſnam eſſet, & quam legem prædicaret. Ille verò reſpondit, ſe prædicare unitatem Dei: ſeque eſſe Legatum ejus, & Prophetam illum, qui præcebatur in Pentateucho eorum: expoſuitque eis quædam vaticinia futilia; quæ de ſe in eodem Pentateucho reperiri, & Sapientibus ipſorum notiſſima eſſe affirmabat. Judæi, ne cum homine fanatico ac potenti certamen ſuſciperent, vel, ut eidem aſſentarentur, reſponderunt; veriſſima eſſe, quæ ipſe dicebat: propterea ſe ad eum veniſſe, rogaturos, ut ſibi permitteret, nc eſſent pro ipſo, neque contra ipſum: eodemque modo ipſe ſe cum eis haberet, donec appare-

pareret, quem exitum res ejus esset habituræ. Concensit illis Mahumetus, & hujusmodi pactum inter utrosque firmatum est.

Interea Mahumetus Meskitam eo in loco, ante quem camelæ ejus primò consistierat, nempe in stabulo, cœpit ædificare, ad cujus fundamenta ipse etiam lapidem humeris portavit, ac manibus conjecit. Exstructa autem Meskita ad staturam hominis in altitudine, cum longitudine, ac latitudine centum cubitorum: ut homines à fervore Solis defenderentur, super ligneas columnas, ex ramis palmarum umbraculis compositis: atque in ambitu Meskitæ sibi suisque affectlis habitacula ædificavit.

Hoc anno (quamvis alii anno secundo evenisse scribant) tradidit Mahumetus in sponsam Phatemam filiam suam adhuc novennem patrueli suo Aly, à quo accepit in dotem duodecim uncias رطل *plumarum* (*i.* pennarum struthionis, quæ in pretio habebantur) & loricam ejus, cùm nihil aliud penes se Aly haberet. Mahumetus etiam duxit Aisam filiam Abubacri, adhuc septennem: quamvis Ismael velit duxisse eam octo mensibus ante Hegiram. Hanc solam accepisse virginem scribunt Moslemi; quasi verò prodigium sit, quòd adhuc septennis jam scortum non esset. Refert Abdalrahman Hamdanius in libro الحمدانيات *Septenariorum*, Abubakrum diù restitisse, ne filia in tàm parva ætate nuberet Mahumeto. At ille asseruit, Deum sibi præcepisse, ut eam duceret. Quamobrem Abubaker misit filiam eum calatho dactylorum ad Mahumetum, qui ubi puellam solam in cubiculo, in quo erat, aspexit, scribit Auctor prædictus, مد يد للمباركة ولفف بطرف ردائها ومدها اليه: *Porrexit manum suam benedictam, & arripuit extremitatem pallioli ejus, & extendit eam ad se.* Tantam hominis petulantiam non ferens puella, (pergit Auctor) *torvo iratoque aspectu eum intuita, dixit: Homines vocant te Fidelem: verùm hoc quod in me agis, perfidum te ostendit. Et retrahens ad se vestem, exivit è manibus ejus: venitque ad patrem suum, conquerens de eo, quod secum fecerat Mahumetus, ac dicens: Ille apprehendit me per vestem, & extendit me.* Quibus verbis non obscurè innuit hominis lasciviam ac petulantiam. At pater, puellæ blanditus: *Deus* (inquit) *jam despondit te Mahumeto: atque adeò hic tecum egit tanquam cum sponsa sua.*

Usque ad septimum mensem (quamvis alii usque ad decimum octavum scribant) servavit Mahumetus Medinæ ritum in orando, quem Meccæ observaverat, convertendo scilicet se ad templum Jerosolymitanum. Id ei exprobrantibus Judæis se convertere duabus vicibus ad Templum Jerosolymitanum, & duabus ad Meccanum. At deinde semper in orando ad Templum Meccanum se contulit.

Mense octavo hujus anni, inter se ac suos confraternitatem instituit: ita ut ipse prior acceperit in fratrem Aly filium Abutaleb patruelem suum. Deinde quisibet Moslemorum cæterorum, alteri Moslemo sese vinculo fraternitatis obstrinxit.

CAPUT DECIMUMQUINTUM.

De anno Hegiræ secundo.

HOc anno instituit Mahumetus jejunium mensis lunaris Romadhan: cujus jejunii leges in secunda Alcorani Sura præscribuntur. Ut autem statum rerum Corasinorum in Mecca exploraret, misit quosdam è suis, qui cùm in itinere in mercatores Corasinos incidissent, deprædati sunt eos, duosque præcipuos ad Mahumetum captivos adduxerunt.

Plura commisit hoc anno cum populis Medinæ confinibus prælia. Primum fuit contra Gioheinenses: in quo cùm jam utraque acies esset congressura, interposuit se sequestrem pacis Maged filius Amru Gioheinensis; quamobrem utrique sine certamine regressi sunt. Movit præterea arma in Abava contra Dhamarœos: sed sine ullo conflictu reversus est Medinam. Deinde misit Amidam filium Hareth, ut pugnaret contra alios quosdam Meccanis fœderatos. At is etiam, re infecta, regressus est.

Paulò post suscepit expeditionem contra Corasinos: cùmque perveniisset eum exercitu prope hostes, illi in fugam se dederunt. Cùm autem non posset illos assequi, substitit ibi aliquot dies. Atque interim, cum Dhamaræis pace composita, Medinam repetiit. Sed vix decem dies ibi transegerat, cùm Caraz filius Giaber per agros Medinæ cœpit excurrere, & pecora prædari. Quamobrem Mahumetus persecutus est eum usque ad torrentem Sephuan, qui pertinet ad Bedrum: propterea appellatum fuit hoc, primum bellum Bedrense, seu Bedrense minus. Sed Caraz fuga se proripuit cum suis.

Eodem tempore misit Mahumetus Abdallah filium Giahsei in Nahalam, non ut pugnaret, sed ut Corasinorum consilia exploraret. Verùm cùm is in aliquot Corasinos, qui peregrinationem Meccanam susceperant, incidisset, uno ex illis occiso, duos vivos cepit: alii autem fuga saluti suæ consuluerunt. Reversus Abdallah cum captivis & præda ad Mahumetum; ille factum improbavit, quòd in mense Moharram, quo bella prohibebantur, quippe sacro, contra hostes pugnasset: & aliquandiù renuit prædam, & captivos accipere. At ægrè ferens, si è manibus suis evasissent, protulit versiculum Alcorani, quo Deus (nempe sua dira cupido) præcipiebat ei, ut prædam illam, captivosque acciperet: sed captivos redimi permisit. Id ægrè tulerunt illius asseclæ, quia videbatur per hoc approbare bellum in mense sacro. Ille verò respondit, Deum sibi revelasse, ut quocumque tempore, etiam sacro, Fideles contra Infideles pugnare deberent.

Elapsis deinde duobus mensibus contigit bellum illud famosissimum, seu potiùs latrocinium infamissimum, quod appellatum fuit Bedrense majus. Cùm enim audivisset Mahumetus, redire è Syria cum mercibus Abu-Sophian filium Harbi, cum quadraginta mercatoribus Corasinis, ne præda tàm opulenta sibi effugeret, egressus est contra illos cum multis peditibus, & equitibus, & octoginta camelis. Id audiens Abu-Sophian, duxit suos cum mercibus super litus maris: misitque ad Meccanos, ut peteret ab eis auxilium. Illi autem mille circiter milites cum ducentis equis ad eum direxerunt. Cùm autem perveniisset Mahumetus in castra, obvium habuit ibi exercitum Corasinorum. Commissum est certamen: & occisi sunt

Digitized by Google

ſunt ex Coraſinis ſeptuaginta circiter viri, ac totidem capti. E Mahumetanis autem quatuordecim tantùm interfecti ſunt. Conſtabat porrò exercitus Coraſinorum minus mille viris. Mahumetani verò ad trecentos viginti circiter perveniebant. Fingunt hic Moſemi ſexcentas miraculorum quisquilias: quaſi verò miraculis opus eſſet ad tàm macram emunctamque victoriam.

Hoc bello confecto, reverſus eſt Mahumetus Medinam. Sed vix ſex dies transierant, cùm expeditionem contra Selimitas ſuſcepit. Verùm cùm ad eorum fines perveniſſet, ibique triduum conſtitiſſet, re infecta, rediit Medinam.

Mox conſequutum eſt bellum Savicenſe contra Abu-Sophian, qui cum centum, vel, ut alii ſcribunt, ducentis equitibus Medinæ appropinquaverat, Mahumetum aggreſſurus, qui contra eum ſtatim exercitum ſuum movit, ad cujus aſpectum Abu-Sophian cum ſuis in fugam ſe conjecit, abjecto viatico, quod ex ptiſanis, & polenta conſtabat. Propterea hoc bellum dictum fuit غزوة السويق *Bellum Savic*, ſeu Savicenſe, ideſt *polentæ*.

Deinde poſt duos menſes contigit prælium Duamanenſe. Cùm enim audiſſet Mahumetus, plures ex Gothanenſibus, ſub duce Daathur, ad Medinæ fines depræzandos collectos fuiſſe, egreſſus eſt contra eos cum quadringentis quinquaginta viris. Sed hoſtes, cognito illius adventu, in montium cacumina confugere. Dum autem in Duamar cum exercitu moraretur, vehemens pluvia repentè ſuperyenit, & Mahumetum, qui à ſuis receſſerat, ventrem exoneraturus, totum madefecit. Quamobrem veſtibus ad Solem ſiccandis appenſis, ipſe interim ſub arbore procumbebat. De hoc commonitus Daathur à ſuis, arrepto gladio illum inopinantem adorſus eſt. Fingunt hic miraculum: ſed revera nullum aliud miraculum fuit, niſi quòd Mahumetus validè ſe defendit: itaut Daathur victum ſe viderit, ſupplex ab eo vitam poſtulaverit, ſanctè jurans, ſe in poſterum fore Mahumetanum. Quidam ſcribunt, Mahumetum in hoc prælio inſtituiſſe orationem, quæ dicta fuit: صلاة الخوف *Oratio timoris*, de qua alibi dicemus.

Poſt ſex menſes fuit expeditio Caradenſis, ita dicta ab aqua, ſeu puteo in Naged, nomine Carada: in qua cùm Mahumetus miſiſſet Zeidum filium Harethæ, hic incidit in agmen quoddam mercatorum Coraſinorum, qui viſis militibus Mahumetanis, relinquentes jumenta ac ſarcinas, in fugam ſe dederunt. Et ne iterùm in Mahumetanorum inſidias incideremt, commutato itinere, per Meſopotamiam viam ſuſceeperunt: nec tamen ita etiam eorum rapacitatem effugere potuerunt.

Menſe vigeſimo Hegiræ, decrevit Mahumetus bello appetere Judæos Caincanenſes, qui habebant peculiare domicilium in Medina, ubi cùm Mahumetus eos congregaſſet, hortatus eſt ad ſuſcipiendam ſectam ſuam: niſi id facerent, arma ipſius contra ſe experturos. Cùm verò illi audacter atque intrepidè reſpondiſſent, ſe nunquam religionem avitam eſſe deſerturos: ita ille excanduit, ut ſtatim arma moverit contra eos, & per ſex dies in ipſorum arcibus eoſdem obſederit. Quo tempore Abdallah princeps Chazragenorum rogavit Mahumetum, ut Judæos illos imperio ſuo ſubjiceret. Fecit id libenter Mahumetus. At illi hanc ignominiam ſibi non ferendam rati, Medina diſcedentes in Syriam emigravere. Iſmael filius Aly ſcribit, Judæos Caincanenſes non ſponte in Syriam emigraſſe, ſed à Mahumeto per vim expulſos fuiſſe; qui deinde omnia illorum bona diripuit, ſub ſpecie, quòd fœdus cum ipſo à principio initum violaſſent. At hoc fuit mera calumnia.

CAPUT DECIMUMSEXTUM.

De geſtis à Mahumeto anno tertio Hegiræ.

PUgnavit hoc anno contra Coraſinos, eorumque fœderatos in monte Ohod prope Medinam: quamobrem appellatum fuit hoc prælium Ohodenſe. Erant Mahumetani circiter mille: hoſtes verò ad duo, vel ut alii ſcribunt, ad tria millia perveniebant. Dum autem Mahumetus Coraſinos expectaret, milites ejus ſeditionem excitavere, reditum in Medinam poſtulantes: & re ipſa trecenti circiter reverſi ſunt. At Mahumetus conſtanter cum reliquis perſeverans, advenientes hoſtes invaſit. Primo conflictu victi, ac profligati Coraſini, magnam cladem acceperunt. At dum Mahumetani in diripienda fugientium præda avidiùs contra Mahumeti juſſum detinentur, egreſſi hoſtes ex inſidiis adorti ſunt eos, occiſoque duce Abdallah filio Giobeir, in fugam reliquos convertere. Mahumetus verò voce ac manu ſuos à fuga revocare ſtudebat. Interim Aly, qui cum eo perſiteret, irruens in hoſtes, quoſcunque obvios habuit, occidit. Cecidere ex Mahumetanis ſeptuaginta, ex hoſtibus verò duo ſupra viginti. Mahumetus in ſpeluncam quandam confugit, ibique delituit, poſtquam manus illius dextera jaculo vulnerata fuit, & facies ejus cum labio ferro diſciſſa: præterea brachium ejus lapide funda jacto graviter ictum; & duo dentes, vel ut alii ſcribunt, quatuor, excuſſi. Erat dux hoſtium Abu-Sophian, cujus uxor, nomine Henda, cùm vidiſſet Hamzam patruum Mahumeti occiſum, extraxit jecur ejus, cœpitque illud dentibus corrodere, ac devorare: aliæ verò mulieres ludicrum captantes de Mahumetanis occiſis, abſciſſis auribus ac naſis eorum, torques ex eis ſibi fecerunt. Mahumetus autem è ſpelunca egreſſus, cùm vidiſſet corpus Hamzæ patrui ſui undique dilaceratum ac transformatum, juravit, ſe de eo vindictam in triplum ſumpturum ex ſeptuaginta Coraſinis, ſi eos in manus habere potuiſſet. Deinde ita vulneratus, ac ſanguine reſperſus venit ad Phatemam filiam ſuam, quæ in fletus erumpens, diras cœpit contra hoſtes imprecari.

CAPUT DECIMUMSEPTIMUM.

De geſtis quarto anno Hegiræ.

HOc anno venerunt ad Mahumetum quidam ex Adhal, & Caret, rogaveruntque eum, ut mitteret è ſuis aliquos, qui illos in Alcoranica lege inſtruerent. Miſit ille ſex viros, qui cùm perveniſſent prope eam gentem, Adhalenſes ex inſidiis illos adorti, tres occiderunt, tres autem vivos ceperunt: atque hos etiam deinde peremerunt.

Amer quoque Princeps Nagedinorum, quamvis Ethnicus, rogavit Mahumetum, ut mitteret aliquos Moſemos ad prædicandam ſuis novam religionem. Ille verò miſit quadraginta è ſuis præcipuos. Sed cùm hi perveniſſent in Birmaunam, is, qui juſſu Amer eos duce-

ducebat, occidit Moslemum, qui portabat Alcoranum, cæteros verò, immissis armatis, trucidavit, præter unum, qui saucius fuga sibi salutem comparavit. Alius etiam Moslemus, qui à cæteris aberat, comperta suorum cæde, venit ad Mahumetum, eique, quod accideral, narravit.

Deinde per sex menses obsedit Mahumetus Judæos Nodeirenses: qui tandem rogaverunt illum, ut sineret ipsos extorres abire, secumque asportare quæ possent, præter arma. Id illis concessum fuit; quamobrem magna eum lætitia discessere, & partim in Chaiber, partim in Syriam se recepere. Alii rem ita narrant. Cùm postulasset Mahumetus pecuniam fœnebrem à Caab principe Judæorum, hic non solùm illam ei promptè exhibuit, sed etiam ad convivium invitavit, ut per fraudem occideret. At Mahumetus cùm fraudem persensisset, convivium recusavit: & post triduum è solo Medinensi Judæos ejecit. Hoc eodem tempore vulgavit Mahumetus præceptum de prohibitione vini, quod à Deo finxerat sibi traditum fuisse.

Postremò hoc eodem anno in mense Sciaaban egressus est Mahumetus cum exercitu pugnaturus, juxta id, quod inter ipsos convenerat, contra Abu-Sophian & Corasinos in Bedro. At Abu-Sophian Mecca cum suis egressus, audito Mahumetanorum numero, ac viribus, statim regressus est. Quamobrem Mahumetus etiam, diù illo fruſtrà expectato, rediit Medinam.

CAPUT DECIMUMOCTAVUM.

De anno quinto Hegiræ.

CUm intellexisset Mahumetus, Meccanos, atque alios Arabes simul conspirasse, ut bello eum in Medina adorirentur, jussit magnam fossam urbi circumduci: in qua effodienda, fingunt, nescio quæ miracula satis frivola ab eodem patrata fuisse, de quibus fortasse alibi dicemus. Fovea absoluta, supervenere octo millia ex conjuratis, duce Caab filio Asad: quos videntes Mahumetani, perterriti, contra Mahumetum obloqui cœperunt, fugamque tentaverunt. Triginta ferè dierum spatio hinc inde sagittarum jactu pugnatum fuit. Deinde convenerunt, ut res per monomachiam decideretur. Ex parte igitur conjuratorum electus fuit Amru filius Abdud: ex parte verò Moslemorum Aly filius Abutaleb, nepos ipsius Amru. Inito autem duello, occisus fuit Amru ab Aly: & interim ventus adeo vehemens excitatus est, ut omnia, quæ erant in hostium castris, susque deque revolveret. Deinde exorto inter conjuratos dissidio, omnes dissessere.

Paulò post profectus est Mahumetus contra Judæos Coraiditas; cùmque ad eorum urbem perveniſſet, obsidione eam cinxit per viginti quinque dies, post quos illi sese ei dedidere. At Mahumetus judicio Saad filii Moad, qui item erat Judæus, eosdem remisit. Libenter ipsi acquievere, sperantes, Saad, utpote ejusdem generis, sibi fore benignum. At ille, ut Mahumeto rem gratam faceret, jussit omnes viros occidi: mulieres verò & pueros captivos fieri, & facultates in prædam militibus Mahumetanis distribui. In partitione prædæ, Mahumetus elegit sibi Ricanam filiam Amru, eamque in uxorem accepit. Hoc factum Saad Scriptores Arabes vehementer detestantur, feruntque, illum à Deo propterea subita miseraque morte punitum fuisse. At Mahumetus non solùm illud non

damnavit, sed etiam comprobavit, accipiendo sibi partem prædæ: ex quo apertè conjicitur, illum cum Saado de tanto scelere perpetrando convenisse: sed voluit ostendere, Saadum esse auctorem ejus, ut in illum odium hominum caderet, sibi autem ac suis emolumentum prædę proveniret. In eo etiam Mahumetus dedecus magnum commeruit, quòd cùm Coraiditas prædictos obsideret, tanquam unus ex lixis & calonibus, cœpit in eos convicia & maledicta conjicere. At illi eum amicè commonuerunt, ut modestiùs loqueretur, & ab intemperantia illa oris abstineret. Quæ admonitio adeò Mahumetum pupugit, tantoque rubore ac pudore perfudit, ut hasta è manu ejus, & pallium ex humeris exciderit, pedemque retrò pudibundus retraxerit.

CAPUT DECIMUMNONUM.

De iis, quæ anno sexto Hegiræ evenere.

HOc anno commissum est prælium contra populum Lokah in loco, qui dicebatur Dhucard, non longè à Medina. Cùmque hostes se fuga in saltibus propipuissent, Mahumetus regressus est Medinam.

Deinde profectus est contra Hajamitas, qui dicebantur Regienses. At illi etiam se in cacuminibus montium munierunt. Quamobrem descendit in Asphan, ut terrorem Meccanis incuteret.

Non multò post profectus est contra Mostaleeenses: commissoque cum eis certamine, plures occidit, alios verò captivos duxit, atque eorum facultates diripuit, duxitque in uxorem Geviriam filiam Hareth ducis Mostalecensium. Contigit in hoc prælio, ut Aisa Mahumeti uxor, quam, utpote super cæteras dilectam, secum duxerat; discedente illo cum exercitu, sola remaneret cum adolescente quodam nomine Sephuan, qui Mahumeti domum valdè frequentabat. Cùmque is eam solam invenisset, camelo suo impositam duxit ad locum, ad quem Mahumetus cum exercitu pervenerat. Magnam hoc genuit suspicionem in universis contra honestatem, ac pudicitiam Aisæ: cùmque de aliquo inter eam & Sephuan flagitio argumenta ferè manifesta apparerent: Mahumetus ostendit, se velle eam repudiare. Sed cùm nimis durum illi esset à suis delicijs divelli, finxit sibi revelatam fuisse à Deo innocentiam Aisæ: quamobrem illam retinuit, & flagellari jussit octoginta ictibus eos, qui contra illius pudicitiam fuerant obloquuti, excepto Abdallah filio Obba, cui, quamvis præcipuo auctori, pepercit, eo quòd esset vir potens, & facilè posset sese suorum auxilio defendere. In hac eadem expeditione, tradunt revelatum fuisse Mahumeto ritum التيمم ideſt purificandi se pulvere in defectu aquæ. De quo ritu agitur in Alcorano Sura 5. *Mensa*, ver. 7.

Plures expeditiones suscepit hoc anno Mahumetus. Primam contra Omrenses, contra quos misit Acaſciam filium Maehad, qui, fugientibus Omrensibus, ducentos eorum camelos deprædatus est. Secundam contra Cassanenses, ad quos deprædandos misit Abu-Obeidam filium Gera. At illi se fuga in montes propripuerunt. Tertiam contra quosdam ex Havazensibus, contra quos misit Mohammed filium Moslemæ, cui Havazenses insidias tetenderunt, & in fugam compulso, socios illius omnes trucidaverunt. Quartam contra Solimitas in Gemum, quos Zeid filius Har aggressus noctu, pecora eorum deprædatus est: homines verò captivos abduxit. Quintam contra Aisinos, & Thelaebinos, adversus quos misit Zeid filium

Haræthæ. At cùm Thelsebini se in fugam conjecissent, viginti tantùm camelos eorum Zeid abduxit. Sextam, in qua misit Aly contra Phadacenses, eo quòd audisset, eos validam manum collegisse ad opem ferendam Judæis Chaiberensibus. Septimam, in qua misit Abdalrahman filium Auph contra habitatores Dhumat Algendal, quod est oppidum inter Persidem, & Syriam. Cùm verò hi statim se dedissent, ac præterea Mahumeticam sectam amplexi fuissent, accepit Abdalrahman in uxorem Themadar filiam Regis eorum; eo quòd ita ipsi Mahumetus præcepisset. Octavam, in qua misit aliquot equites contra populos, seu Tribus Arinensium, qui pastores Mahumeti occiderant, eorumque camelos abduxerant. Cùm autem hoi habuisset in potestate captivos, jussit abscindi manus, ac pedes eorum, candentique ferro oculos excæcari, atque ita reliquit, donec miserè perirent. Nonam, in qua milites Mahumetani invaserunt Abu-Alas cum aliquot Corasinis, qui cum mercibus è Syria redibant, quas à Mahumetanis direptas Mahumetus inter suos milites partitus est. At Abu-Alas fugiens, venit ad Zeinabam uxorem Mahumeti, & per illam obtinuit, ut merces direptæ sibi, suisque restituerentur.

Hoc anno Mahumetus unà cum mille & quadringentis è suis profectus est, ut inviseret sacram Ædem Meccanam, duxitque secum oves immolandas, ac cæteros ritus servavit peregrinis præscriptos. At Corasini, audito illius adventu, miserunt Aruam Dynastam Taiph, ut eum ab ingressu Meccæ dissuaderet; timebant enim, ne illam armis invaderet. Cùm pervenisset Arua ad Mahumetum, cœpit eum familiariùs alloqui, & barbam illius manu attrectare: quod cæteris indignè ferentibus, ille risu dissimulavit. Obstupuit porrò Arua, cùm vidit Mahumetanos certatim accurrere ad colligendam aquam, quæ à corpore Mahumeti defluebat, cùm sese purificaret: & si quando spuisset, sputum illius tanquam muscum suavissimum olfacere: quinetiam pilos, qui in radendo corpore, vel tondendo capite illius decidebant, studiosissimè tanquam gemmas colligere. Mahumetus autem misit Othman ad Corasinos, qui certos ipsos faceret, se non belli causa, sed sacræ Visitationis Meccam advenire. At Corasini captum Othman in carcerem conjecerunt. Interea Mahumetus suis ad concionem congregatis, fuit ab iisdem tertiò in Principem inauguratus, atque universi fidelitatem illi juravere. Corasini autem miserunt ad illum Soheil filium Amru, ut cum illo fœdus pacis inirent. Mahumetus verò ea conditione promisit se fœdus inturum, ut futuro anno sibi susque per triduum liberam Meccam relinquerent ad sacram Visitationem peragendam: atque interim Corasini in cacumina montium secederent. Inito fœdere, Mahumetus reditum parabat in Medinam: cùmque esset in itinere, fingunt, Deum revelasse illi victoriam, quam proximo anno de Meccanis erat habiturus. Interim verò plures è Meccanis adhærentes Mahumeto, ad illius partes transfugiebant, sub specie religionis; sed re vera, ut latrocinia impunè exercerent. Scribunt enim Auctores Arabes, hos novos profelytos transfugas nullam mercatorum Corasinorum societatem reliquisse, quin eam deprædarentur, & mercatores occiderent. Quamobrem miserunt Corasini ad Mahumetum, eum obsecrantes, ut hujusmodi prædones cohiberet: & Meccanis securitatem ab illis concederet. Mahumetus verò eorum postulationibus annuit.

CAPUT VIGESIMUM,

De anno septimo Hegiræ.

In hujus anni principio obsedit Mahumetus Judæos Chaiberinos, qui plures arces munitas possidebant. Erat dux exercitus Abu-Baker, quo ab hostibus repulso, successit Omar: qui etiam terga vertit. Quamobrem Mahumetus tradidit vexillum patrueli suo Aly, etiamsi ophthalmia laboraret, & penè cæcus esset. Nam fingunt, Mahumetum expuisse in oculos ejus, & statim curatum fuisse. Aly igitur irruens in hostes, qui contra eum ex arcibus egressi fuerant, eos profligavit: & janua arcis revulsa, eam pro clypeo adhibuit: erat autem tàm vasta, ut milites omnes tentantes eam revolvere, eo quòd sub ea cuneum fœminarum latere suspicarentur, etiam si omnes simul conatum omnem adhiberent, nunquam movere potuerint. Tandem devicti Judæi, sese dedidere cum conditionibus, quas Mahumetus admisit: cum pacto tamen, ut quandocunque vellet, ejicere posset eos ex Arabia.

Cœpit hoc anno Mahumetus concionari è suggestu, qui duobus gradibus & sedili constabat. Neque diù post misit Aly cum exercitu contra Phadacenses, qui statim sese illi dedidere: eorumque regio cessit in possessionem peculiarem Mahumeti. Deinde subjecit sibi armis populum, qui incolebat Vadilcoram, idest, *vallem urbium*.

Hoc tempore regressi sunt ex Æthiopia ii, quos miserat Mahumetus, inter quos erat Ommohabiba filia Abu-Sophian, cujus vir remanserat in Æthiopia. Illam igitur Mahumetus duxit in uxorem. Quod cùm audisset Abu-Sophian pater ejus, dixit quasi per jocum: *Hic est camelus admissarius, cujus nares capistro non cohibebuntur.* Per quod effœminatam illius libidinem notavit.

Post victoriam Chaiberensem, fœmina quædam Judæa, nomine Zaineba, filia Hareth, cùm sciret, Mahumetum harmis ovium affis valdè delectari, ut injuriam genti suæ illatam ulciscereturur, obtulit ei hujusmodi harmum veneno infectum. Cùmque ex eo Mahumetus fructum comedisset; harmus illum commonuit, le esse veneno infectum: ita fingunt. Statim verò vim veneni persensit: atque ex illo cœpit paulatim dolore tentari, & brevi tandem consumptus interiit.

Scribunt, seu potiùs fingunt quidam Auctores Arabes, Mahumetum hoc anno ad omnes ferè Reges, & Principes literas, ac legatos misisse, quibus eos ad religionem suam invitabat. Quosdam porrò literas ac legatos ejus honorificè suscepisse, humaniterque referipsisse: munera etiam ad eum misisse, & ad sectam ejus amplectendam propensos, vel non alienos se ostendisse. Alios verò & literas ejus lacerasse, & legatos rejecisse, & audaciam ejus ac stultitiam derisisse.

Hoc eodem anno misit Mahumetus Abdallah filium Anis cum triginta equitibus ad Jasir filium Razam Judæum, quem audierat sollicitare Gotphanenses contra se. Cùm igitur pervenisset Abdallah ad Jasir, adduxit eum, ut Mahumeti partes sequeretur, & triginta è suis daret, qui triginta Moslemos, quos secum adduxerat, adjuvarent. Sed deinde mutato consilio, tentavit occidere Abdallah, qui in eum irruens, pedem ejus abscidit, quamvis hic etiam baculo adunco faciem illius laceraverit. Id videntes Moslemi, Ju-

Digitized by Google

Judæos omnes occiderunt, quos Jasir secum adduxerat.

Duas alias expeditiones ponunt hoc anno quidam Auctores. Primam, in qua Mahumetus immissis militibus in terram Masaræ, ejus habitatores partim occidit, partim captivos duxit. Alteram contra Ambaritas, ex quibus item nonnullos occidit, alios verò captivos abduxit.

Postremò, juxta condictum cum Corasinis superiori anno, suscepit Mahumetus peregrinationem Meccanam, ut sacra Meccę loca visitaret: cùmque jam propior esset urbi, Corasini, juxta pacta, sese in montes receperunt. Moratus est autem Mahumetus tres dies Meccæ, quibus Caabam, & reliqua sacra loca visitaret. Quo tempore duxit in uxorem Maimunam filiam Hareth, quamvis illicitum esset in sacra visitatione matrimonia contrahere. At ille asserebat, se in hoc à Deo dispensatum fuisse. Triduo transacto, postulavit à Corasinis, ut liceret sibi per alios tres dies ibidem commorari, ut eos in suis ædibus convivio excuperet. Illi verò inurbanè convivio recusato, jusserunt eum statim ex urbe discedere. Discedens igitur rediit Medinam, ubi proselytos aliquot ad se profugientes excepit.

CAPUT VIGESIMUMPRIMUM.

De octavo anno Hegiræ, & expugnatione Meccæ.

HOc anno commissum est bellum in Mauta, quæ est in Syria, inter Romanos & Mahumetanos, in quo occisi sunt primò tres duces Mahumetani. Erant autem Romanorum centum millia, & juxta alios ducenta millia, inter quos erant plures Arabes Christiani: Mahumetanorum autem tria millia tantummodo. Quamobrem hi hostium multitudine perterriti, fuga sibi salutem comparavere: multi tamen occisi sunt.

Hoc eodem anno contigit Meccæ expugnatio. Cùm enim Corasini Bacarensibus fœderatis suis pugnantibus contra Chazaenses, qui cum Mahumeto fœderati erant, opem tulissent; existimavit Mahumetus Corasinos fœdus initum per hoc infregisse. Et quamvis Corasini de hoc se apud Mahumetum submisisse excusarent, mitteretes ad eum legatum Abu-Sophian socerum ipsius: ille tamen excusationem, aut submissionem ullam admittere recusavit: imò ne verbo quidem socerum dignatus est.

Post decimam igitur diem mensis Rhomadan, Mahumetus cum decem millibus militum Medina discessit: cùmque Meccam pervenisset, jussit ingredi in illam aliquot milites cum Aly, penes quem erat vexillum militare. Scribunt quidam, Mahumetum suis interdixisse, ne Meccanum ullum occiderent: atque pacificè in urbem ingressum fuisse. Sed verius est, & probabilius, quod referunt alii, Meccam ab eo per vim, & cum multa sanguinis effusione captam fuisse. Ingressus igitur Meccam, ad sævitiem, & impietatem suam religione fucandam, invisit Caabam, seu Templum illius, & septies illud mulæ insidens circuivit: jussitque amoveri ab eo simulacra, quæ ibi colebantur. Postea jussit occidi nonnullos, qui se illi adversarios ostenderant.

Hoc igitur pacto Mahumetus hostiliter patria expugnata, subjugata, misit per confines regiones armatos, ut incolas ad sectam suam perducerent, sub ductu Chaled filii Valid, qui cùm pervenisset in regionem Chazimæorum, jussit eos arma deponere, (armati quippe illi occurrerant) deinde manibus eorum post terga alligatis, militibus suis trucidandos objecit. Quod cùm audisset Mahumetus, factum Chaledi improbavit, jussitque quadam pecuniarum summa Chazimæis pro illata injuria satisfieri.

Misit etiam ad populos Madiegitas, & Dailitas, quosdam qui eos ad sectam suam invitarent. Illis verò eam rejicientibus, noluit per vim compellere.

Mecca expugnata, Chavazeni, qui habitabant in valle Honein, tribus passuum millibus procul à Mecca, collegerunt exercitum contra Mahumetum, advocatis in auxilium confinibus populis. Id ille audiens, egressus est Mecca contra eos cum duodecim millibus militum. Et quamvis Chavazenorum milites esient longè pauciores, Mahumetanos tamen terga dare coegerunt. Sed Mahumeti hortatu, & increpatione regressi, contra hostes pugnantes, victoriam de illis retulere, captis quatuor millibus hominum, & duodecim millibus camelorum, aliaque præda copiosa. Inter captivos fuit Scebama filia Halimæ, soror collactanea Mahumeti, quæ cognovit eum, seque illi cognoscendam dedit, ex vestigio morsus, quem ipse puer dentibus impresserat dorso ejus (agnosce Mahumeti adhuc ab incunabulis lasciviam.) Concessit igitur illi Mahumetus libertatem, cum aliis fœminis, quas illa postulavit, cum parte prædæ suæ, & cæterorum Moslemorum. Porrò hostes, qui Mahumetanorum manus effugerant, Mahumetus insecutus est, missis post eos militibus sub ducibus Abu-Amer, (qui ab hostibus interfectus est,) & Abu-Musa patruele illius. Erat dux hostium Malec filius Auph, qui cùm fugiens Mahumetanos, in arcem Taiph cum suis confugisset, obsessus fuit per viginti ferè dies, ac machinis, & ballistis oppugnatus: tandemque hostes sese Mahumeto dedidere, & plures ex eis sectam illius suscepere.

Posteà Mahumetus profectus est in Algeranam, ubi prædas ex Havazenis relatas depositerat; partemque earum iisdem restituit, unà cum fœminis, & filiis eorum. Qua beneficentia devictus Malec dux Havazenorum, Eslamiticam sectam suscepit, & à Mahumeto gentis suæ præfectus constitutus est. Cùm verò Mahumetus prædam inter sues æqualiter divisisset, & singulis ducibus centenos camelos donasset; quatuor tantum dedit Abbasio filio Mardasi: qui propterea indignatus, satyram vulgavit, qua illum non obscurè pungebat. Quamobrem Mahumetus iram præseferens, præcepit Aly, ut linguam illius abscinderet. Sed deinde curavit, ut Aly daret ei optionem, ut si quatuor camelis non esset contentus, centum acciperet. Ille verò tanta humanitate victus, centum recusavit, & quatuor tantùm cum lingua incolumi retinuit. Cùm verò ex hac præda nihil Auxiliatoribus tribuisset, illi vehementer indignati sunt. Sed deinde ab eo placidè commoniti, quicvere; veniamque ab eo cum fletu postulavere. Cuidam verò illum incusanti, quòd non justè prædam partitus esset, indignatus respondit: Væ tibi: si non est justitia apud me, apud quem erit? Cùmque Omar vellet hominem tàm audacem occidere, prohibuit eum, prædixitque illum fore caput cujusdam Sectæ, quę à religione sua deviaret: & ferunt evenisse id quod prædixerat. Sed si hoc verum fuisset, valdè imprudenter prohibuisset ne occideretur, præsertim cùm ob suam temeritatem morte dignus esset.

Interea redeunte Mahumeto ex Algerana, orta est seditio inter milites, eo quòd suspicarentur se

Prodrom. ad refut. Alcorani.

Digitized by Google

ab illo in partitione prædæ fraudatos fuisse. Cùmque eum usque ad arborem quamdam compulissent, pallium ab eo per vim abstulerunt. Ille verò se purgans, ac defendens, ostendit se nihil prædæ, quod ad ipsos pertineret, sibi retinuisse.

Veniens deinde Meccam, sacram Visitationem obivit: qua peracta, Medinam reversus est, relictis Vicariis suis in Mecca. Cùmque Medinæ moraretur, suscepit ex Maria Ægyptia filium nomine Ebrahim, qui adhuc puer interiit.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De his, quæ anno Hegiræ nono evenere.

HOc anno venerunt ad Mahumetum in Medinam plures Legati Arabum, inter quos fuit Caab filius Zoheir, cui, quamvis sibi infenso, ob elegantissimum Epigramma in laudem suam conscriptum, lacernam propriam donavit.

Contigit hoc anno bellum Tabucense, in quo Mahumetus profectus est cum exercitu contra Romanos cum triginta millibus militum, & decem millibus equitum. Cùmque perveniset in Geraph, inde venit in Tabuc, ubi supra mensem commoratus est. Inde etiam misit quosdam è suis contra Gedamitas sub duce Abu-Obeida, qui plures ex eis captivos secit, ac prædas ex eis retulit. Misit etiam contra Solimæos, & Talienses Saadum eum militibus: sed utrique se in fugam proripuere. Præterea jussit Chaledum proficisci contra Ocaider præfectum Dumat Algendal, Christianum; qui copiosissimam prædam, una cum ipso Ocaider vivo adduxit ad Mahumetum. Sed ille eum liberum dimisit, cum pacto, ut annuum sibi tributum persolveret. De successu belli Tabucensis, ne verbum quidem faciunt Scriptores Moslemi, quia nimirum in eo Mahumetani, ut probabile est, à Romanis victi profligatique sunt.

In reditu Mahumeti ex Tabuc, quidam ex ipsius militibus, facta conspiratione, decreverunt in itinere ducere eum per vias abruptas, in montem, & inde præcipitare eum. Persensit ille dolum, & quamvis dissimulaverit, viamque ab illis ostensam tenuerit, ubi tamen pervenit ad clivum montis, astu se ab eorum manibus eripuit. Nec quemquam conjuratorum occidere voluit; imò nec manifestare, ad hominum malevolentiam evitandam. Medinam regressus, animadvertit in quosdam, qui secum ad bellum Tabucense proficisci recusaverant: neque alia contra eos pœna usus est, quàm ut à commercio omnium etiam domesticorum, atque ipsarum uxorum, per plures dies illos separaret, & quodammodo anathemate ferret. Sed tandem, cùm illos valdè sacti pœniteret, & supplices veniam precarentur, eos ab anathemate absolvit. Cùmque quidam ex ipsis vellet pro hoc peccato suo, omnes facultates suas in eleemosynam elargiri, non permisit Mahumetus, contentus, quòd promitteret tantummodo se in posterum fore veracem. Cùm Mahumetus se jam potentem, secumque videret, vulgavit, tanquam sibi à Deo revelatum Suram nonam Alcorani, in qua jubebatur renunciare pactis omnibus, quæ inierat cum infidelibus, ubi ad terminum præscriptum perveniissent. Illis verò, cùm quibus pactum nullum initum fuisset, quatuor menses immunitatis concederentur: quibus elapsis, ubicunque deprehensi fuissent, interficerentur, nisi vel Mahumetani fierent, vel tributum solverent. Amplexi sunt igitur legem Alcoranicam plures Idololatræ, & præsertim Thaiphenses, qui miserunt ad Mahumetum decem legatos è primis gentis suæ: ipse verò magnis eos honoribus ac muneribus est prosequutus. Regressis igitur legatis, Taiphenses simulacra omnia Deorum suorum demoliti sunt, non sine magno fletu mulierculaum, quæ illa impensè venerabantur.

Post Thaiphenses, venerunt turmatim legati cæterorum Arabum, ut Mahumeticam sectam susciperent. Duo tamen ex illis, simulantes fidem Eslamiticam, in Mahumeti necem conspiravere: verùm id illis non successit. Ex legatis etiam Tajensium Odda filius Hatem, post Eslamismum susceptum, illum deleruit. Sed reversus ad Mahumetum, iterum sectæ ejus adhæsit. Ille verò cum multo honore eum suscepit, & pulvinar supra quod sederet, manu sua ad illum projecit.

Hoc eodem tempore misit Mahumetus Aly contra Zobeidenses, qui, aliquot eorum occisis, & captis, reliquos tributum solvere coegit.

Celeberrima fuit hoc anno legatio Christianorum Nageranensium ad Mahumetum: erant enim viginti legati nobilissimi illius gentis, quibus præerat Abu-Haretha Episcopus eorum. Multæ transierunt disceptationes inter hunc, & Mahumetum circa Christianam religionem: tandemque conventum est, ut per imprecationem maledictionis à Deo contra eos, qui errarent, discerneretur, qualis esset vera religio, Christianane, an Mahumetana. Sed cùm simul adhuc effectum conveniens, recusavit Abu-Haretha Mahumeto, & Mahumetanis malè precari: pacemque secit cum iisdem, pacto mittendi Mahumeto bis mille vestes duplices magni pretii: deque hoc syngraphan conscripsere. Scribunt nonnulli, Mahumetum, cùm vidisset hos Legatos pretiosissimis vestibus indutos, noluisse eos recipere, & ne quidem resalutare: humiliùs verò indutos, humaniter, ac perbenignè ad colloquium admisisse.

Denique misit hoc anno Mahumetus Aly ad Jemanitas, ut quintam partem facultatum eorum eleemosynæ nomine, reciperet. Itemque ad Nageranenses, ut tributum ab illis, & eleemosynas exigeret.

CAPUT VIGESIMUMTERTIUM.

De anno decimo Hegiræ.

HOc anno indixit Mahumetus per præconem sacram peregrinationem ad Meccam. Ex omni igitur regione innumerus populus Medinam confluxit. Egressus est cum illis Mahumetus; & antequam Meccam ingrederentur, consuetis ritibus sese præparavere. Ducebat autem secum centum, seu, ut alii scribunt, sexaginta & sex oves mactandas. Et in itinere seorsim ab aliis incedebat, nullaque in re se cum cæteris conformabat. Sunt qui scribant, quotidie in itinere Alcoranum super eum de Cœlo descendisse.

Ingressus Meccam cum peregrinis, primus circuivit septies Caabam: ter velociter currens: quater autem pedetentim incedens. Deinde invisit montes Sapham, & Meruan, & vallem Minam, & montem Araphat, ubi concionem ad populum habuit: aliaque sacra loca visitavit. Deinde regrediens in vallem Minam, septem lapillos de more post tergum suum projecit, quibus Diabolum lapidaret; & mox oves, quas adduxerat, immolavit: nempe tres

ac sexaginta manu sua: triginta autem & septem per manum Aly.

Deinde ad Caabam reversus, septies iterùm eam circumivit. Bibit etiam aquam hausta ex puteo Zamzam. Postea rediens in Minam, moratus est ibi tribus diebus: projecitque quotidie contra diabolum tres lapillos, septies deambulando.

Voluit deinde, Aisam (quam, utpote præ cæteris dilectam, secum duxerat,) sacram Visitationem ea nocte obire. Deinde, præparatis iis, quæ ad reditum erant necessaria, iterùm Caabam circumivit, ac deinde Medinam versus iter suscepit.

Scribunt multi, Mahumetum in regressu declarasse ex præcepto Gabrielis successorem suum in Imperio Aly, collocando eum in suggestu ad dexteram suam, atque omnibus præcipiendo, tàm viris, quàm fœminis, ut ad eumdem accedentes, illum salutarent, & cum eo de proximo Imperio congratularentur. Hoc fortasse Sciaitæ seu Persæ admittent: sed negabunt Sonnitæ.

CAPUT VIGESIMUMQUARTUM.

De anno decimo primo Hegiræ, in quo mortuus est Mahumetus.

IN ingressu hujus anni cœpit Mahumetus vim veneni, in harmo ovis accepti, acriorem, atque acerbiorem experiri. Cùm itaque maximis doloribus excrueiaretur, per domos uxorum suarum velut amens vagabatur. Cùmque eas simul congregasset, voluit, ut sibi præscriberent, apud quam earum esset decubiturus. Illæ, ejus genii non ignaræ, consenserunt omnes, ut in domum deliciarum suarum, nempe Aisæ se reciperet: id quod ille libentissimè fecit. Prima ejus ac maxima solicitudo fuit, ut Aisma, qui militiæ præerat, recederet cum exercitu procul à Medina, unà cum Abubakro, Omare, & aliis Primoribus Moslemorum, ne fortè, si tempore mortis suæ in Urbe reperirentur, turbas excitarent, ac per teehnas Imperium à se τῷ Aly destinatum præriperent.

Ubi igitur apud Aisam se recepit, illa conquesta est, se capitis dolore laborare. Sed Mahumetus dixit ei: Sine me, ò Aisa, conqueri de capitis mei dolore. Tibi porrò melius fuerit, si ante me moriaris: ego enim assistam funeri tuo, pro te orabo, ac te in sepulchro componam. Hæc verba ægrè tulit Aisa, atque indignata voluit abire, & ad suos reverti. Sed Mahumetus blandis verbis conatus est eam placare. Mox dolore excruciatus, atque agitatus, egressus è domo Aisæ, à nonnullis sustentatus contulit se in publicum, justitque omnes ad concionem vocari: cumque super suggestum ascendisset, prolixam ad eos parænesin habuit. Deinde postulavit ab eis, ut si quis ab ipso damni aliquid accepisset, manifestaret: se enim paratum esse singulis satisfacere. Quidam verò exurgens, asseruit deberi sibi ab eo tres drachmas, quas statim justit illi restitui. Sed hæc, & alia, quæ quidam scribunt, esse figmenta, patet ex eo, quod per duos tantùm dies illum ante mortem in domo Aisæ ægrotasse, gravissimi Scriptores affirmant.

Cùm se morti proximum agnosceret, rogavit Aly, ut cadaver suum lavaret, tegeretque veренda ejus, ne cujuspiam aspectui paterent. Deinde datis supremis mandatis Auxiliatoribus, justit chartam atque stramentum sibi afferri, ut librum alcelis suis scriberet, per quem post mortem suam nunquam à vera religione aberrarent. At verò qui aderant, cognoscentes eum delirare, noluerunt ei obsequi, sed turbati confusique discesserunt. Scribunt autem quidam, eo tempore, quo ægrotavit, consuetas quinque preces cum populo persolvisse.

Tandem vi morbi consumptus obiit die Lunæ in ortu diei, vel juxta alios, in meridie, translatumque est cadaver ejus in cubiculum Aisæ, quæ fertur dixisse: *Nunquam mirabor de morte cujusvis hominis, quamvis valdè cruda sit, & cruciatibus plena, cùm viderim duram, & crudelem, quam subivit Mahumetus.* Referebat præterea eadem Aisa, Mahumetum inter mortis angustias postulasse à se vas aquæ, & manu propria faciem suam lavisse, & deinde aquam super se ipsum effudisse: jamque morti proximum, jactasse se in sinum illius, & petiisse ab ea matellam ad mingendum: & postquam minxit, statim mortuum fuisse. Addunt alii, Aly posuisse caput Mahumeti moribundi in sinu suo: cùmque expiaret, excepisse dextera manu animam ejus, & affricuisse eam ad vultum suum. Mortuus est Mahumetus juxta communem sententiam, anno sexagesimo tertio vitæ suæ, in mense Rabio priori, qui partim Aprili, partim Majo nostro respondet.

CAPUT VIGESIMUMQUINTUM.

Quid post mortem Mahumeti evenerit.

EXtincto jam Mahumeto, resilierunt plerique Arabum à secta ejus. Cùm verò mors illius Medinæ vulgata esset, confluxit cum tumultu turba hominum, ut viderent, utrum verè mortuus esset: hoc enim non poterant sibi persuadere. Quamobrem obstinatè obsistebant, ne corpus ejus sepeliretur. Verùm Abbas juravit illis per Deum, verè mortuum esse, atque ita quieverunt. Quidam scribunt, biduo insepultum mansisse: alii triduo. Laverunt autem corpus ejus Aly, Abbas, & alii ex magis domesticis ejus, & involutum tribus vestibus, conditum est aromatibus immixtis musco, qui residuus erat ex eo, quo vivens utebatur. Postea oraverunt super illud Moslemi singillatim. Effossum est autem, seu potiùs excisum in lapide, illi sepulchrum sub lecto, in quo mortuus fuerat, in domo Aisæ. In ipso verò sepulchro posita est subtus eum pænula coccinea, qua vivens utebatur. Super tumulum autem ejus erectus fuit fornix laterculis novem contextus.

Cùm autem Aly, & cæteri è Mahumeti familia, in sepeliendo ejus corpore occupati essent, orta est seditio inter Auxiliatores, & reliquum populum, circa eum, qui rerum summæ esset præficiendus: atque hac occasione Abubaker Imperium sibi arripuit, illique omnes fidelitatem juraverunt. Sepultus igitur fuit Mahumetus in Medina, non autem in Mecca, quæ longissimè distat à Medina, ut plerique ex nostris per errorem scripsere. Monumentum autem ejus hodie reperitur in delubro quodam in mediti illo urbis illius constructo. Non erit Lectori ingratum, si ea hic referam, quæ scripsit de hoc templo, & de Mahumeti sepulchro Gabriel Bremond Massiliensis, familiaritate mihi intima conjunctus, in Opere suo, inscripto: *Descrittioni esatte dell'Egitto superiore, & inferiore, &c. Lib. 1. c. 30.* Verba ejus in Italico idiomate hæc sunt. *Questo Tempio è fabricato come quello di Gierusalemme, non così bello, mà ricchissimo; tutto coperto di marmi fini, co-*

Digitized by Google

me diaſpro verde, lapislazzoli, & abbondanza d'agate: & in più luoghi laſtre d'oro, e d'argento, in particolare nelle congiouture più riguardevoli. Si dice per certo, che vi ſiano venti mille lampade da accendere, mentre vi ſono i pellegrini; e molti naſi, in cui ſanno ardere odori aromatici. Il ſepolcro di Mahometto è una cappella fatta in forma di torretta, ò fabrica tonda, con una cuppola, che i Mahomettani chiamano Turbè. Queſt'edificio dal mezzo in sù verſo la cuppola è aperto, & all'intorno vi è una picciola galleria (ò ringhiera:) la muraglia è piena di quantità di fineſtre, che hanno geloſie d'argento. La parte inferiore della torretta è apparata, & arrichita d'oro, e gioje, ſopra tutto dove riſponde la teſta del ſepolcro, di valore ineſtimabile, mandate da i Trencipi Mahomettani in tanti ſecoli. Et paulò poſt. La porta, per dove s'entra alla galleria, è d'argento; e così quella, per la quale s'entra nel Turbè, ove ſi ſcendono alcuni ſcalini per andare al ſepolcro. I pellegrini non vedono queſto ſepolcro, perche è chiuſo; e vi biſogna la chiave d'oro per ifcendervi: e non lo poſſono vedere che per la galleria, eſſendo coperto per ogni lato dal Padiglione, & altri ornamenti. Mà paſſata la folla, quei che riſiedono in Medina, per favore lo poſſono vedere, & entrarvi. Quel gentilhomo c'hò detto, l'hà veduto più volte, per haver ſervito in quel tempio: e però io voglio quì riferire ciò, che mi diſſe, e che mi fù anche confermato da altre perſone degne di fede. E' dunque queſto ſepolcro di pietre concie, riveſtite di marmi finiſſimi, poſato nel mezzo di queſta torre à terreno piano, longo ſette piedi, largo quattro; havendo verſo la teſta una colonna di diaſpro ſcannellata, ſopra la quale vi è un turbante verde, e verſo i piedi vi è un'altra ſimile, e sù queſta continuamente ſi abbruciano odori ſuaviſſimi, come balſamo, e legno d'Aloè. Sopra queſto ſepolcro, verſo il ſuo mezzo, vi è un pezzo di marmo, che ſi leva ſegretamente, e ſotto di eſſo è un forame, per cui può paſſare un braccio, & un cereo acceſo, per vedere dentro una teſta di morto, che non hà, che quattro denti. L'oſſo d'una coſcia, e gamba, & alcune vertebre tarlate, ſtanno ſeparatamente: e queſto è il reſiduo del corpo di Mahometto. Vi ſono attorno al ſepolcro più lampade d'argento, che ardono notte e giorno: e ſopra, un baldacchino d'oro ricamato di perle: e ſotto di eſſo, ſopra il ſepolcro, ſi pone il padiglione, che à tale effetto ſi porta ogn'anno da Damaſco, riportandoſi il vecchio al Gran Signore. Dal lato di mezzogiorno, nel muro ſotto la Galleria, che ſporge in fuori per reggere la balauſtrata, v'è una pietra di calamita, groſſa tre diti, di due piedi in quadro; la qualeè attaccata con quattro groſſi rampini d'argento: e ſotto di eſſa ſi vede una mezza luna d'oro con le punte rivolte in alto; nel mezzo della quale vi è un chiodo di ferro, groſſo come un dito, che tirato dalla calamita, ſi tiene ſoſpeſo per aria frà la calamita, e la caſſa. In queſta mezza luna ſono incaſtrati diamanti, & altre gioje di gran preggio. Queſto è il tanto decantato miracolo del ſepolcro di Mahometto, che alli Mahomettani idioti, e più zelanti, cagiona eſtaſi furioſe: perche alcuni ſi ſanno crepare gl'occhi per non vedere doppo ciò coſa alcuna. Hactenus Auctor; ex cuius verbis, quibus aſſerit in ſepulchro Mahumeti tàm exiguam corporis ejus portionem inveniri, perſuadetur, verum eſſe id, quod graviſſimi Scriptores tradidere; nimirum, dum Primates Mahumetani poſt mortem Mahumeti de Imperio inter ſe contendebant, ac populus tumultuabatur, nullo illius cadaver interim cuſtodiente, fuiſſe à canibus dilaceratum, cùm jam triduo, vel quatriduo expoſitum, corrumpi ac fœtere cœpiſſet.

Deſcriptioni jam allatæ Delubri Medinenſis, in quo Mahumeti tumulus aſſervatur, ſubjiciam id, quod de Templo Meccano tàm celebri apud Mahumetanos, & toties in Alcorano recantato, ſcribit idem Auctor Lib. 1. c. 29. Italicis verbis retentis. *La Mecca è in grandiſſima ſtima de' Mahomettani, non ſolo per eſſervi nato Mahometto, mà per cauſa del Tempio, ch'eſſi chiamano Kaabe, cioè caſa quadrata: & è ancor detta Beitallah, cioè Caſa di Dio: e credono, che ſia ſtata fabricata da Abramo più degnamente del Tempio di Salomone. Si vede, nell'entrar di queſto Tempio vicino alla porta, una pietra nera, groſſa come la teſta d'un'huomo, che dicono eſſere ſceſa dal cielo: e che altre volte era bianca, mà per i peccati degl'huomini divenìſe negra. Eſſi l'hanno in gran veneratione, perche dicono, che quando Abramo fabricava con le ſue mani queſta caſa di Dio, era ſopra queſta pietra, che ſi alzava, & abbaſſava, ſecondo il biſogno, acciò non vi laſciaſſe alcun bugio, ò altro mancamento ne' muri. Quello, che la bagia il primo nel tempo del Salamè, ch'è doppo la preghiera del Kous Klouk, il Venerdì, che s'incontra ne' trè giorni, che ſtanno alla Mecca (che però non vi s'incontra ogn'anno) è riputato Santo, & ogn'uno procura di bagiarli i piedi, e vi ſi affollano in modo, che ſe non ſi ſalva in luogo di diſeſa, lo ſoffogano. Vogliono, che queſto Tempio ſia lungo 15. paſſi, largo dodici, & alto cinque braccia. Il ſuolo della porta è alto da terra, quanto può un'huomo alzarſi à toccarlo con la punta de' diti. La porta è alta un braccio, e mezzo, e larga uno, & è vicina al cantone ſiniſtro, volta à Settentrione. Si chiude con argento maſſiccio in due parti, e vi ſi monta con una ſcala. E' coperta da un terrazzo ſoſtenuto da trè colonne di figura ottangolare, che ſono di legno d'aloè della groſſezza d'un'huomo, alte trè braccia e mezzo, tutto d'un pezzo, e di ottimo odore. Nel di dentro è tutta parata di ſeta roſſa, e bianca, & in eſſa è ſcritto à lettere d'oro Arabiche: La Eläh, ellà Allàh: Mohammed Raſul Allàh: parole di lor fede. Stà in mezzo della Città, circondato d'un muro in quadro, eſſendo frà il recinto, & il Tempio un buon ſpatio. E' coperto d'una bella cuppola. Il cortile, che è attorno, ſi chiama Haràm, ove ſono trè ordini di colonne, e quattro volte nel mezzo, per le quattro ſette del Mahomettiſmo, ove fanno le loro orationi. Ogni volta riguarda verſo il Beit Allàh, (ò vero Tempio) dove guardano pregando. Il Beit Allàh è cinto di due cinture dorate, una in alto, l'altra à baſſo. Le tegole ſono dorate, che ſporgono in fuori del terrazzo per la lunghezza d'un braccio. I Mahomettani dicono, che ſono d'oro maſſiccio, come ancora le cinture; mà non è credibile. Servono à gettar l'acqua della pioggia, acciò non guaſti i paramenti, che il gran Signore, & altri Trencipi Mahomettani inviano in dono à gara. Et nonnullis interjectis, Non ſi può entrare in queſto Tempio, che ſtimano ſacroſanto, ſe non quattro volte l'anno. L'una nel Romadan, per lavarlo d'acqua roſa, doppo haverlo ben nettato: mà chi vuol donare un centinaro di Zecchini, trova il modo d'entrarvi. Et concludit. Hò ſaputo tutti queſti particolari da un Gentil'huomo degno di fede, che dimorò ſette anni al ſervitio del Rè Sceriffo, havendo rinegato: e che io in Damaſco agitai à ſalvarſi: & il medemo poi mi fù confermato da molti.*

Hæc

Hæc Auctor de Kaaba, seu Templo Meccano. Sed ea, quæ ad Mahumetum spectant, prosequamur.

CAPUT VIGESIMUMSEXTUM.

De naturalibus, ac moralibus Mahumeti qualitatibus.

In his utrisque describendis, partim ridiculos, partim mendaces se ostendunt Auctores Mahumetani, ex quibus nonnulli potiùs ideam perfectissimi Principis, quàm Mahumetum describunt. Cæterùm ex iis, quæ in vita ejus relata sunt ab ipsis Mahumetanis, potest unusquisque apertè cognoscere, quis, & qualis fuerit Mahumetus. Hic breviter tantùm minus incredibilia indicabo.

Fuit Mahumetus statura quadratæ, quæ neque in longitudine, neque in brevitate excederet. Color ejus erat albus rubro temperatus. Paucissimos in capite vel barba canos habebat. Erat perfectissimè constitutionis: nec macie, nec calvitie deformatus. Habuit oculos nigros cum albedine, in qua apparebant tenuissimæ venæ rubræ. Vox ejus equorum hinnitum referebat; alii dicunt, fuisse aliquanto raucam. Collo erat longiori, barba verò densa. Habuit maxillas læves ac planas, caput amplum, palmas, ac plantas crassiores. Gravitatem, ac majestatem præferebat. Duleis erat in loquendo. Latera frontis ejus erant amplа: supercilia tenuia, & disjuncta, cum gibbositate prope superciliorum commissuram. Erat naso aquilino: amplo ore: dissitis inter se dentibus: subtilibus capillis. Pilosa habebat brachia & humeros: sed reliquæ pilorum in modum calami decurrebat à summitate pectoris usque ad umbilicum: cæteræ partes pilis omninò carebant. Pinguis fuit, & bene complexus; excepto ventre & pectore: Agiliter, & feliné incedebat, & tibiis divaricatis. Tingebat se cypro, & herba catam. Fluebat ei plantis pedum ejus humor, qui cùm cessabat, relinquebat in eis inflammationem. Utebatur ad iter agendum equo, vel mulo, vel asino (nesseio eur camelum omittat.) Confricabat faciem equi sui extremitate manicarum tunicæ. Innitebatur virgæ vel baculo, juxta morem Prophetarum, (ut ipse ajebat:) & ob eamdem rationem, pascebat etiam oves, affirmans, nullum fuisse Prophetam, qui oves non paverit. Erat amicus ominis, idest augurii portendentis felicitatem: & abhorrebat ab auguriis infaustis. Cùm sternutabat, id sine strepitu faciebat, apponens ori vestem vel manum. Cùm dormiebat, sufflabat quidem, sed non ronchizabat. Cùm vellet dormire, supponebat palmam manus dexteræ maxillæ suæ. Cùm loquebatur, probè verba distinguebat, & ter idem verbum repetebat, ut melius percipertur. Cæterùm parcus erat in loquendo, verbisque æquivocis utebatur: aliquando etiam aliquid poeticum, & parabolicum usurpabat. Erat risus ejus modestus, & placidus: & dum rideret, apparebant dentes ejus genuini, seu molares. Non comedebat accumbens, neque super mensam. Cibos obvios ac vulgares manducabat. Panem etiam vulgarem amabat: & affirmabat Abo-Horeira, illum nunquam satiatum fuisse pane hordeaceo. Transibant unus, vel duo menses, absque eo quòd in domo ejus ignis accenderetur: & interim fructibus sustentabatur. Dicere autem consueverat: *Una die esurio, & altera satior.* Vescebatur libenter carnibus gallinæ, & hobaræ, seu otis, quæ est avis valdè suavis ad cibum. Erat etiam valdè amicus cucurbitæ, quam comedebat expansam in patina. Præterea valdè delectabatur harmo ovillo, afferens, carnem humeri optimam esse. Comedebat panem cum aceto, dicens, illud esse præstantissimum condimentum. Oleum etiam tùm ad cibos condiendos, tùm ad corpus unguendum maximè commendabat. Olcribus cujusque generis apprimè delectabatur. Nullam verò aliam rem magis amabat, quàm suaves odores, seque odoriferis rebus assiduè perfundebat, dicere consuetus: *Deus posuit delectationem meam in suavibus odoribus, & in mulieribus.* Et in itineribus semper ferebat secum vasculum unguenti, & stibium, & speculum.

Omitto alias hujusmodi quisquilias circa naturales qualitates, & consuetudines Mahumeti: quemadmodum etiam ea, quæ de moralibus illius virtutibus referunt Scriptores Arabes: hæc enim multò meliùs ex iis, quæ in vita ejus scripsimus, quàm ex Mahumetanorum assentatoriis verbis colliguntur. Et profectò quidquid in laudem illius jactant, dum de virtutibus loquuntur, destruitur ab eo, quod in vita ejus enarrant. Sit exempli loco. Scribunt de ejus virtutibus: *Non rependebat malum pro malo; imò ignoscebat, & condonabat.* At in ejus Vita scribunt, eos, qui camelos illius diripuerant, & pastores occiderant, fuisse ab eo crudelissimè interfectos, abscisis eorum pedibus, ac manibus, oculisque candenti ferro erutis, atque ita, donec miserè animam efflarent, relictos. Scribunt præterea: *Erat omnium modestissimus, & pudore virgines ipsas superabat.* Et nihilominus referunt, illum septennem puellam, nempe Aisam, per vestem attractam extendisse ad se tàm inverecundè, ut puella ipsa incum iratis verbis inveheretur. Scribunt præterea: *Nunquam tetigit manu sua mulierem.* Fieri potest, ut Mahumetus in aliorum conspectu feminam nullam tetigerit. Satis enim ipsi erat, si, nullo vidente, fœminas quasque libidini suæ obvias contrectaret. Præterea adeò erat in fœminas procax, ut ne filię quidem suæ Phatemæ pudori pepercerit, quamvis jam nuptæ. Hoc enim narrat Aly Ebrahim filius Hasœm, ex auctoritate Aliadec Giaapher filii Mohammed, prout habetur in Vita ipsius Mahumeti

scripta ab Auctore libri اعلام الهدى *de Signis Directionis.*

قد بلغنا عن ابائنا انهم قالوا كان رسول الله يكثر تقبيل فم فاطمة مبنة رسله العالمين الى ان قالت له عايشة رسول الله اراك كثيرا ما تقبل فم فاطمة وتدخل لسانك في فيها قال نعم ياعايشة انه لما اسري بي الي السماء ادخلني جبرائيل عم الجنة فاطافني من عجرة طوبي وناولني من ثمارها تفاحة فاكلتها فصارت نطفة في صلبي فلما هبطت الي الارض واقعت خديجة فحملت بفاطمة فكلما اشتقت الي الجنة قبلتها وادخلت لساني في فيها فاجد منها ريح الجنة ومن رايحة شجرة طوبي فهي انسية حمانية

: *Accepimus per traditionem à patribus nostris, Legatum Dei Mahumetum consuevisse multiplicare oscula in ore Phatemæ* (filiæ suæ) *Dominæ mulierum omnium sæculorum: ita ut dixerit ei Aisa* (uxor ejus, zelotypia tacta:) *O Legate Dei, ego video te valdè frequenter osculari os Phatemæ, &*

intru-

introdvere linguam tuam in buccam ejus. Respondit ille: Ita est, ô Aisa: nam postquam nocturno tempore translatus fui in Cœlum, introduxit me Gabriel, cui sit pax, in Paradisum, & adduxit me ad arborem Tuba (1. beatitudinis) & præbuit mihi unum ex pomis ejus, & comedi illud, & conversum est in sperma in lumbis meis. Cùm autem descendissem in terram, concubui cum Chadige, quæ concepit Thatemam. Quotiescumque ergo subit mihi desiderium Paradisi, osculor illam, & ingero linguam meam in os ejus, & sentio ex ea auram Paradisi; & odorem arboris Tuba, qui est mixtus ex terreno, & cœlesti. En tibi modestissimus ille, qui nunquam mulieres tetigisse jactatur. Nihil hic dico de adulterio, & incestu illius cum Zainaba, (seu Zenoobia) uxore Zeidi filii sui adoptivi: nihil de intemperantia cum Maria Ægyptia ancilla sua; nihil de aliis ejus hujusmodi flagitiis: de quibus in Prodromi Par. 4. aliquid innuam. Superest nunc, ut nonnulla de iis, quæ ad res Mahumeti pertinent, appendicis loco subjungamus.

CAPUT VIGESIMUMSEPTIMUM.

De Uxoribus, filiis, aliisque rebus ad Mahumetum spectantibus.

HAbuit Mahumetus, juxta communiorem sententiam, uxores viginti & unam. Alii sex & viginti illi tribuunt: & præter uxores legitimas, quatuor etiam pellices ancillas habuit. Ex prædictis uxoribus sex repudiavit: quinque mortuæ sunt, dum adhuc ipse viveret: undecim verò post mortem ejus, cum quibus matrimonium non consummaverat. Sed cùm inter has numeretur Aisa, vel mendacium est, vel ea ad nefariam tantummodò libidinem usus fuit. Prima illius uxor fuit Chadige, qua vivente, nullam aliam accepit uxorem. Jam verò superiùs diximus ex Mahumetanorum asserto, nullam Mahumetum duxisse uxorem virginem, præter Aisam sctennem.

Suscepit Mahumetus ex Chadige quatuor mares, qui omnes in infantia mortui sunt. Quatuor item fœminas, quę omnes supervixerunt, virisque traditæ sunt ad conjugium. Inter has Phatema Mahumeti delicium, tradita fuit Aly: tantaque in veneratione apud Moslemos habetur, ut mulierum omnium sęculorum excellentissima censeatur. Præter filios prædictos ex Chadige, alium genuit Mahumetus ex pellice Maria Cophtha, quem Ebrahim, seu Abraham, appellavit. Sed hic etiam post paucos ab ortu menses interiit: providente Deo, ne ex tàm immani monstro progenies virilis superesset.

Fuerunt præterea illi novem patrui, omnes filii Abdalmotallebi: & sex amitæ é diversis matribus. Nullus verò fuit ei propinquus maternus: mater enim ejus Amena nullum habuit fratrem aut sororem. Ipse quoque Mahumetus unicus fuit parentibus suis.

Libertos ejus usque ad quadraginta fuisse scribunt; quorum præcipuus fuit Zeidus filius Harethæ, quem in filium adoptavit, & nihilominus abstulit ab eo uxorem, quam impotenter deperibat.

Ancillæ ejus, seu libertæ, septem enumerantur, quarum præcipua fuit Maria Cophtha.

Quindecim famulis ad obsequia sua diversa utebatur.

Habuit quindecim Scriptores, quatuor præcones, octo custodes corporis sui in prœliis.

Illius prœlia nonnulli decem ac novem: alii duo & viginti: alii usque ad septem supra viginti enumerant. Expeditiones tamen ab eo susceptas, usque ad quinquaginta recensent.

Decem habuit equos, tres mulas, & quatuor asinos: camelos autem usque ad quadraginta quinque. Centum etiam habebat oves: & unum gallum gallinaceum album. Omnibus his animantibus singillatim proprium nomen imposuerat.

Habuit etiam arma diversa, diversasque vestes, & multa vasa & instrumenta, quę supervacaneum est hoc loco singillatim recensere.

Hæc sunt, quæ de Mahumeti Vita, ac rebus gestis referunt Historici Mahumetani, & quæ illum non Prophetam, aut Legatum Dei, sed prædonem, impium, lascivum, maximumque hypocritam fuisse ostendunt. Certè si Mahumetus comparetur, non dico cum aliquo ex sanctioribus Regibus, vel Imperatoribus Christianis, quales S. Ludovicus Rex Gallię, & S. Henricus Imperator fuere: sed eum multis Principibus Ethnicis, exempli causa cum Numa Pompilio, secundo Rege Romanorum: cum Vespasiano, Tito, Trajano, eorumdem Imperatoribus (detractis quibusdam frivolis, ac ridiculis miraculis, quę illi affingunt etiam reluctanti, & ea se fecisse neganti) Mahumetus longè illis inferior vitæ probitate, morumque honestate remanebit.

DE

Digitized by Google

DE ALCORANO.

CAPUT PRIMUM.

De Nomine Alcorani.

ALCORANUS, Arabicè القران, eſt vox deducta à verbo قَرَءَ, quod eaſdem ferè ſignificationes habet ac verbum latinum, *legere*, & Hebraicum קָרָא, cum quo etiam convenit in ſono. Significat enim legere librum; atque etiam colligere, & congregare plura in unum. Hinc dicimus, *legere flores*, ideſt colligere. Itaque Alcoranus idem erit ac *lectio*, ſeu *liber lectionis*: eò quòd in eo legantur Mahumeticæ Sectæ Sanctiones: vel *collectio*; eò quòd in eo collecta ſint, quæ ſparſim Mahumeto per ſpatium viginti ac trium annorum revelata eſſe finguntur: vel quia in eo Saracenicæ legis ſtatuta colligantur.

Notandum eſt autem القران *Alcoran*, eſſe cum articulo Arabico ال *al*, qui reſpondet ex parte Italico, *il*, & Græco ὁ: ſed propriè Hebraicę literæ ה, quàm vocant הַיְדִיעָה ideſt *notificativam*. Porrò ſine articulo ſcriberetur قران *Coran*; & ſignificaret indeterminatè quemvis librum legibilem: cum articulo autem prædicto ſignificat determinatè Librum ſpecialem legis Mahumetanicæ, reſpondetque voci הַמִּקְרָא, qua Hebræi Sacra Volumina inſcribunt, quæ Græci τὰ βιβλία; nos cum iiſdem, *Biblia*, appellamus. Ut autem in lege ſcripta, ita in orali, quę traditiones à Legislatore non ſcriptas continet, Hebræorum ſimias Mahumetani ſe exhibent. Quemadmodum enim hanc ſecundam Hebræi מִשְׁנָה *Miſnàh*; ita Arabes, Prophetæ ſui traditiones سنة *Sonnat*, voce non abſimili nuncupant.

Præterea, ut Hebræi Sacrorum Voluminum, ita Arabes Alcorani ſui non ſolùm Suras ſeu Capita; ſed verſus, dictiones, & characteres enumeravere. Quin etiam varias lectiones ad eorum imitationem adnotavere, quas in ipſius Alcorani explicatione licebit recognoſcere. Extat de illis libellus manuſcriptus, Auctore محمد بن محمود بن محمد المرزنذي *Mohammad filio Mahmud filii Mohammad Samarcandio*, in Bibliotheca Illuſtr. Abbatis D. Eraſmi filii celeberrimi Viri Petri de Valle nobilis Romani. Vixit Auctor anno Hegirę ſeptingenteſimo quinquageſimo quarto; qui reſpondet anno Chriſti, circiter 1354.

Vocatur etiam Alcoranus الفرقان *Alphorcan*, à verbo فرق *diſtinguere*: quaſi diſtinguat vera à falſis, & licita ab illicitis. Hoc tamen nomine etiam Pentateuchus, & quilibet liber ſacer appellatur.

Dicitur præterea الذكر *Aldhecr*, ideſt *Commemoratio*, ſeu *Commonitio*: quia in eo commemorentur verba Dei, & quia per illa homines commoneantur. Sed hoc nomen commune eſt etiam Pentateucho, & Euangelio. Vocant etiam Alcoranum ſimpliciter per Antonomaſiam الكتاب, ideſt *Librum*, ſicut Græci Sacra Volumina, τὰ βιβλία: & كتاب الله, ideſt *Librum Dei*: aliiſque nominibus, ac titulis honorificis illum inſigniunt.

CAPUT SECUNDUM.

De Alcorani Idiomate, verſionibus, diſpoſitione, & ſtylo.

ALcoranus Arabico idiomate primò ſcriptus ac vulgatus eſt: deinde in Perſicam linguam translatus, ſed multa cum variatione; itaut ab Arabico notabiliter diſſidere dicatur. In alias linguas, quantum reſcire potui, non ſinunt Moſlemi cum transferri. In Latinum idioma converti curavit Venerabilis Abbas Petrus Cluniacenſis. Hæc translatio Baſileæ impreſſa, in Indice Romano meritò prohibetur, non tàm ob ipſam Alcorani doctrinam, quàm propter marginales adnotationes, quæ in impietate Alcoranum ipſum excedunt. Nuper prodiit Verſio Gallica, à D. de Beyr elaborata. Extat etiam interpretatio Italica, & Hiſpanica; ſed hanc poſtremam nondum vidi. Ego verſionem meam feci, adhibitis doctiſſimis Alcorani Interpretibus Arabibus, ſine quorum ope fruſtrà omnino in ea deſudaſſem. Eſt enim Alcoranus ita obſcurus, conciſus, perplexus, diffutus, atque elumbatus; ut, niſi illius Expoſitores ſuppetias ad ejus intelligentiam ferrent, OEdipo ipſi fruſtrà explicandus traderetur. Verùm, Arabes etiam Interpretes plerumque divinant, ſed fabò; & Prophetæ ſui

Digitized by Google

sui ineptias in mysteria transformant. Quamobrem mirum non est, si in hominum nostrorum versionibus Alcorani, innumeræ propè hallucinationes deprehendantur. Hoc autem me movit, ut interpretationem meam ita concinnarem, ut verbotenus Arabico textui responderet. Et ut non solùm in verbis, sed etiam in sententiis eidem meam ostenderem; obscuriora, ac magis ambigua, quæ in eo reperiuntur, Mahumetanorum Interpretum Glossis, partim in ipso Textu, partim in Notis adjunctis, explicavi.

De Alcorani dispositione, ita breviter Auctor celeberrimus inter Mahumetanos محمود ابن عمر الزمخشري *Mahmud filius Omar, vulgò Zamchascerius*, in principio الكشاف seu *expositionis* Alcorani: الحمد لله الذي انزل القرآن وفصله سوراً وسورة آيات وميّز بينهن بفصول وغايات: *Laus Deo, qui demisit & Cœlo Alcoranum, & distinxit eum in Suras* (ideſt capita:) *Suras verò distinxit in Signa* (ideſt periodos:) *hæc autem discrevit distinctionibus, & terminationibus*. Notandum hic obiter Suram, Arabicè سورة ſignificare *Structuram*, ſeu ſeriem ædificii; & convenire prorſus cum Hebraica voce שׁוּרָה. Minus proprié quidam ex noſtris pro *Suris*, ſeu *Suratis*, ſcribunt *Azoaras*.

Diſtinguitur itaque liber totus Alcorani in Suras, ſeu Capita, centum & quatuordecim, in qua enumeratione non pauci ex noſtris manifeſtè errant, plures vel pauciores recenſendo. Ex his quædam ita breves ſunt, ut tres, vel quatuor verſiculos non excedant. Quædam verò ad trecentos ferè verſus, & pleroſque latis prolixos perveniant. Itaut ſimilis ſit Alcoranus Tigellio illi Sardio, de quo Horatius, lib. 1. Sat. 3. ſcribit: *Nil æquale homini fuit illi. Habebat ſæpè ducentos, ſæpè decem ſervos*. Alias diviſiones invenio Alcorani, in quibus tamen non omnes conveniunt.

Inſcribuntur autem Suræ, vel à prima ipſarum dictione, de more Hebræorum; vel à materia aliqua partiali, quæ in iis tractetur; rarò à totali: nam nulla ferè Sura habet unam certam materiam; ſed per ſexcentas nugas inordinatim vagatur. Non tamen inſcriptiones, ſeu tituli earum ſunt uniformes in omnibus Alcorani exemplaribus, ut ſuis locis videbimus.

Præterea quædam ex his Suris inſcribuntur مكية 1. *Meccanæ*, quia revelatæ dicuntur Mahumeto Meccæ: quædam verò مدنيات 1. *Medinenſes*, quia traditæ ſint illi Medinæ. Quædam ex parte Meccanæ ſunt, & ex parte Medinenſes: quia pars earum Meccæ, pars Medinæ revelata feratur. Quædam dubiæ habentur, quas notant Interpretes his verbis مختلف فيها 1. *Variatio eſt in illa*: quia ſcilicet non convenit inter Doctores, utrum Meccæ, an Medinæ Mahumetus eas acceperit. Auctor المعونى *Maſandius*, & alii communiter ſcribunt, revelatas fuiſſe Mahumeto Medinæ triginta ac duas Suras: reliquas verò Meccæ. Eſt autem Mecca Urbs Arabiæ Petræ, ſeu juxta alios, Feliciſ, in qua natus eſt Mahumetus, & vixit per plures annos. Alio nomine appellatur, بكة *Becca*. Medina autem eſt Urbs Arabiæ Petræ, alio nomine يثرب *Jathret*; ad quam transmigravit Mahumetus ejectus Mecca: vixitq; in ea per decem circiter annos, ac mortuus, ſepultuſque eſt. Ibidem nunc illius ſepulchrum inviſitur, quod multi ex noſtris per errorem Meccæ conſtituunt. Propterea vulgò مدينة النبي *Medinat Alnabi*, ideſt *Urbs Prophetæ*, nuncupatur. Diſtat autem Mecca à Medina itinere decem dierum.

Suræ, ſeu capita, ut dixi, diſtinguuntur in verſiculos, quos Moſlemi آيات 1. *Signa* appellant, quaſi quilibet verſiculus ſignum ſit vel miraculum. Hæc autem ſigna dignoſcuntur ex terminatione rhythmica in morem carminum Etruſcorum. Verùm quia hujuſmodi rhythmus non ſemper eſt uniformis in tota qualibet Sura: ideo in nulla ferè eſt certus numerus Signorum: & quidam plura, quidam pauciora conſtituunt. Eadem ſigna non ſunt regulata numero ſyllabarum, itaut legitimum carmen efficiant (ſicut apud omnes Arabes, Hebræos, Græcos, Latinos, Etruſcos, & reliquas ferè gentes moris eſt:) ſed ſine ulla ſyllabarum regula, vel numero, ſæpè breviùs, ſæpè longiùs profaicè decurrunt, donec in rhythmum definant, qui ut plurimum conſonans eſt, vocali affecta, cum una ex tribus quieſcentibus præcedente: ut ـٰنَ *ùna*, ـٖنَ *ìna*, ـٗنَ *àno*: itaut Alcoranica Poeſis non ſit diſſimilis ab ea, qua cæci, vel errones in triviis & plateis ex tempore utuntur: imò longè minus lepida & concinna.

Stylum Alcorani Arabes ad Cœlum eſſerunt. Styli autem nomine, elegantiam, & pulchram rerum, verborumque diſpoſitionem intelligo. Eſt ſanè in Alcorano fluxus quidam verborum ad aurium prioritum ac lenocinium accommodatus: præſertim ubi modum loquendi propheticum affectat, & Sacrarum Scripturarum phraſin imitatur. Cæterùm ubi è proprio loquitur, nihil habet, niſi quiſquilias, & meras ineptias, quas tamen Moſlemi pro miraculo venerantur. Sed de hoc Alcorani miraculo fuſiùs proprio in loco diſſeremus.

Dixi, Alcoranum affectare ſtylum propheticum. Id verò facit non ſolùm in verbis, & ſententiis: ſed etiam in commutatione temporum, & perſonarum. Sæpè enim loquens de præteritis, utitur tempore futuro: contrà verò futura tanquam præterita enunciat. Sæpè transit à perſona tertia in primam, & à prima in tertiam, & à tertia in ſecundam: quemadmodum videmus in Prophetis, & aliquando etiam in noſtris Poetis contingere.

CAPUT TERTIUM.

De Materia Alcorani.

VIx dici poteſt, quid determinatè contineat Alcoranus: eſt enim miſcella, & farrago innumerarum rerum. Zamchaſcerius, aliique Expoſitores dividunt materiam Alcorani in متشابها *Aſſimilatam*: & in متحكما *rectè firmatam*, vel *Sapienter diſpoſitam*. Prima continet ea, quæ ſunt obſcuriora intellectu, & vel parabolica, & ænigmatica, vel à Deo revocata, & abrogata. Secunda verò ea, quę ſunt clara, aperta, & ab omni dubitatione remota, & à Deo nunquam revocata, aut abrogata. Sunt enim plura in Alcorano, quæ à Deo retracta-

ta,

ta, & abolita esse dicuntur: de quibus paulò post agemus.

Secundò continet Alcoranus, juxta Gelaleddinum, Auctorem satis celebrem, ac notum, الاحكام *Judicia*, والقصص والمواعظ *Historias, & Paræneses*. Ad Judicia pertinent leges, & sanctiones tàm ad res sacras, quàm ad politicas spectantes: cujusmodi sunt jejunia, preces, peregrinationes, matrimonia, hæreditates, tribunalia. Ad Historias variæ narrationes, partim è sacris literis (quanquam corruptè) delumptæ: partim fictæ, aut ex libris apocryphis, sed præcipuè ex Thalmud Judæorum, excerptæ. Ad Paræneses referuntur hortationes ad novam religionem, ad bella pro ejus defensione ac dilatatione suscipienda, ad eleemosynas, ad preces; deterrendo à vitiis, Paradisi felicitatem pollicendo, extremę diei rigorem, ac gehennę pœnas comminando.

Porrò in Alcorano modò fingitur loqui Deus, vel Gabriel ad Mahumetum, seu Meccanos, aut alios: modò Mahumetus ipse alloquitur suos assecias, vel infideles, præsertim Meccanos, vel Judæos, vel Christianos: exprobrando illis impietatem, perfidiam, & errores, & ad sectam suam illos exhortando. Modò loquitur universus Cœtus fidelium: modò damnati in gehenna: modò beati in Paradiso: ita ut sit veluti quoddam drama, in quo diversæ personæ loquentes introducuntur.

Quòd verò nonnulli ex nostris Alcoranum tàm impia, nefaria, scelesta, ac naturę lumini repugnantia, & præsertim detestabile contra naturam flagitium docere, ac præcipere affirmant, verum magna ex parte esse convincitur. Errores præcipui in eo sunt, Christi Divinitatem, ac passionem per mortem Crucis, & mysterium Sanctissimæ Trinitatis negare: historias sacras corruptè confusèque referre, & figmenta quædam nova, præsertim Thalmudica, permiscere. Cæterùm nihil ferè sacrarum scripturarum intactum relinquit: de Adam & Heva, de Cain & Abel, de Noe, de Henoch, de Abraham, de Isaac & Jacob, & Ismael, de Moyse, & Pharaone, de Saul, David, Salomone, Ezra, Jesu Christo, Beata Virgine Maria, Zacharia, Joanne Baptista, & aliis ferè omnibus, qui in sacris libris recensentur. Præterea de Septem dormientibus, de Martyribus sub Dunaan tyranno, & aliis nonnullis historiis Ecclesiasticis. Quin & de Alexandro Magno, Æsopo, & aliis ex historiis profanis. Hæc verò, & alia ad nauseam repetit, & perpetuò crambem recoquit.

Magna verò pars Alcorani in supremi Judicii die, Paradisi gaudiis, & Gehennæ pœnis describendis, vel commemorandis insumitur. Verùm in his quoque multa fabulosa, absurda, & ridicula admiscentur. Ad bella contra Infideles pro religione capessenda, sæpè suos hortatur. De precibus, eleemosynis, peregrinatione Meccana, jejunio mensis Romadhan, Matrimoniis, & aliis sectę suæ ritibus & institutis multa præscribit. Quædam etiam habet ad virtutes morales, & Theologicas spectantia, quę ex Christianorum libris vel colloquiis hausisse non est dubitandum. Judęos sępissimè infectatur: aliquando etiam Christianos, sed humaniùs. Aliquando demum Satyris pro Suris utitur, in quibus contra quosdam sibi infestos, præsertim cognatos, pus evomit atque venenum.

Porrò ea fuit antiqui hostis versutia, ut ad novæ sectæ fidem faciliùs conciliandam, transfigurans se in Angelum lucis, inter absurda plurima, falsa, impia, ac ridicula; multa etiam pia, sana, vera, & omninò Catholica permisceret: præsertim quę ad Dei venerationem, cultum, ac magnificentiam spectant. Ejus enim epithetis, laudibus, & encomiis Alcoranus propè totus respersus est. Voluit scilicet inimicus homo zizania bono semini superseminare; quod seductores, ac novarum sectarum auctores penè omnes facere consueverunt, quo simpliciores homines facilibs in errores suos attraherent. Rectè monet S. Augustinus lib. 2. quæst. Euang. cap. 40. *Nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera permisceat.* In Apocalypsi cap. 13. *Bestia* illa *horribilis*, quæ fortasse Mahumetum præsignabat, *habebat cornua duo similia Agni*: sed *loquebatur ut Draco*. Apparet prima fronte Alcoranus similis Sacris Libris utriusque Testamenti; quid enim sanctius, quàm prima illa ejus verba? الحمد لله رب العالمين: الرحمن الرحيم: مالك يوم الدين: اياك نعبد واياك نستعين: اهدنا الصراط المستقيم: صراط الذين انعمت عليهم غير المغضوب عليهم ولا الضالين: *Laus Deo Domino Mundorum: Miseratori, Misericordi, Regnanti diei Judicii. Te adoramus, & opem tuam imploramus. Dirige nos ad viam rectam: viam illorum, erga quos beneficus fuisti, non eorum, in quos iram exercuisti; neque eorum, qui erraverunt.* Quis credat tàm pia ac sana verba, vel ab impio infanoque Auctore prolata fuisse; vel summæ impietati pro larvâ tantùm deservire? Et tamen ita est. Imò quia Alcoranus sic pietate larvatus incedit, nec est, qui larvam trahere illi studeat, aut curet, totum jam penè Orbem decepit. Plures, fateor, contra Alcoranum scripsere: sed plerique vel falsa crimina objicientes, vel vera prætermittentes; Mahumetanos in errore suo non parùm confirmavere.

CAPUT QUARTUM.

De Alcorani Auctore.

REferam hoc loco, non quidem ea, quę ad Mahumeti vitam, ac res gestas pertinent: nam de his ex professo superiùs egimus; sed præcisè, quid nostri de Alcorani Auctore sentiant. Deinde etiam Moslemorum sententiam in medium adducam. Demum quid ego ipse mihi persuadeam, breviter aperiam.

Communis nostrorum opinio est, Monachum quemdam, Sergium nomine, Alcoranum scripsisse, vel in illo scribendo Mahumetum adjuvisse. Sed quis fuerit iste Sergius, non omnes conveniunt: neque etiam eodem modo rem ipsam Auctores referunt. S. Petrus Paschasius Martyr, Giennensis Episcopus, ex Ordine S. Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, qui vivebat anno Christi millesimo trecentesimo, in sua Historia Mahumettica cap. 8. scribit, Monachum quemdam (nomen reticet) valdè doctum, & sapientem, sed ambitiosum, & honoris cupidum, cùm Romam profectus ad honores aucupandos, non posset assequi suum intentum, decrevisse aliquid mali contra Romanam curiam, & Christianam Religionem moliri. Itaque Roma discedens, contulit sese in regiones Maurorum, quos Saracenos, & Agarenos, & Ismae-

Digitized by Google

Ismaelitas appellabant: *& potest esse* (inquit Auctor,) *ut prædictus Monachus natus sit in illa Mauria Majori, ubi sunt Æthiopes: nam falsus, & fallax in omnibus suis factis, ac verbis erat.* Cùm autem venisset ad populum quemdam, qui nuper Christi fidem amplexus fuerat, ut eos faciliùs deciperet, vitam eremiticam instituit: & cum simulatione magnæ sanctitatis, & vitæ austeritatis, in eremo juxta civitatem seorsim ab aliis degebat. Ibi Mahumetus adhuc adolescens patrui sui camelos pascebat. Monachus videns adolescentem vivacis indolis, ingenio acutum, & forma decorum, cœpit cum illo familiariter agere, eumque palpare, ac lenocinari, & multa docere, quæ ipsi placere intelligebat. Tandem pollicitus est illi, si sibi fidem servaret, magnum ipsum Principem, multarumque Urbium Dominum effecturum. Promittenti Mahumeto fidem præcepit Monachus, ut adduceret ad se duos vitulos; album alterum, alterum variegatum; & columbam candidam. Jussit verò, vitulum album ita sub terra clausum custodire, ut nullus eum videret: interim ipse solus pasceret eum, & cum eo sæpè luctaretur, atque ad humum illum dejiceret. Variegatum verò assuefaceret comedere semper in sinu suo; Columbam autem accipere cibum ex aure sua dextera. Omnia adamussim executus est adolescens. Moritur interea Rex Urbis illius sine prole. Cives non solùm de eligendo novo Rege; sed etiam de religione, ac lege mutanda, (quippe Christiana jam suscepta nimis dura videbatur) cœperunt deliberare. Ortæ propterea inter eos dissensiones, ac turbæ magnæ; ad quas sedandas, Monachum illum Sanctum universi conveniunt. Ille octo dierum spatium ad respondendum petit: divino lumine ac miraculo hic opus esse affirmat. Jussit interim Mahumetum, taurum album è subterranea cava eductum, liberum dimittere: & quinque utres aqua plenos terræ infodere, humoque operire. Redeunt post septimam diem Cives. Suadet Monachus, ut Regem eligant illum, qui taurum album in proximis sylvis errantem colluctando ad terram dejecisset. Id cùm fruſtrà multi tentassent, Mahumetus facilè effecit eum benedictione Monachi, qui eum jam insidiosipulum adoptaverat, ac suis artibus probissimè instruxerat. Universi itaque Mahumetum in Regem elegerunt. Cùm verò esset hora meridiana, & populus siti laboraret, Mahumetus à Monacho præmonitus, oravit Deum, ut electionem suam miraculo confirmaret. Tunc baculo perfodiens terram, sub qua erant quinque utres aquæ absconditi, ita illos perforavit, ut aqua super faciem terræ efflueret; ex qua populus bibit, non tàm ad sedandam sitim; quàm ad pietatem ostentandam. Novum itaque Regem, ac taurum album duxerunt in Urbem: & tauro ad sacrificium mactato, per octo dies festum egerunt. Interim Mahumetus novam legem traditurus, jussit populum per decem dies in Ecclesia orare, dum ipse ad Magistrum suum pergeret, rogaretque, ut à Deo legem sibi obtineret. Eo temporis intervallo ad Monachum profectus, unà cum illo Alcoranum confarcinavit, quem aureis characteribus eleganter conscriptum tauri variegati cornibus alligarunt. Postea descendit Mahumetus ad Populum, qui in Ecclesia orabat, dixitque, se legem à Deo per preces Magistri sui obtinuisse, non tamen secum detulisse, quia Deus illam per Angelum ad eos missurus erat. His dictis, cùm thronum ascendisset, cœpit ad populum concionari. Interea taurus, qui Mahumetum procul insecutus fuerat, advenit cum Alcorano cornibus alligato, & expanso: & transiens per medium populi, cecidit ad genua Mahumeti, & caput, de more, in sinu illius deposuit, in quo semper cibum capere consueverat. Mahumetus legem reverenter accepit: taurus verò (quem omnes Angelum esse crediderunt) ad montem reversus est. Deinde Librum aperuit, ac legit populo; antè precatus Deum, ut veritatem legis illius novo miraculo comprobaret. Dum ergo legeret, ecce columba illa, ex composito à Monacho dimissa, volavit super humerum dexterum Mahumeti, & rostrum in auriculam ejus immisit, ut grana, sicut erat assueta, comederet; statimque avolavit. Repentè autem Diabolus Mahumetum obsedit, & in terram, ore, manibus, & pedibus contortis dejecit. Ille verò spumans, super templi pavimentum volutabatur, non sine magno populi metu, ac terrore. Sed accedentes servi, sindone illum cooperuerunt. Tandem in se reversus dixit, eo tempore sibi Angelum apparuisse, novamque legem explicuisse. Hæc summatim ex S. Paschasio.

Auctor quidam recentior sub nomine *Michaelis Febure*, in opere inscripto, *Teatro della Turchia*, rem ita refert. Mahumetus militans in exercitu Heraclii, ab eo desciviť: & magna seditiosorum turba coacta, cœpit sese ut eorum Principem gerere. Advenit eodem tempore in Arabiam Sergius quidam Monachus Nestorianus, qui ob hæresim à patria ejectus fuerat. Et cùm Mahumetum nova molientem reperisset, sese illi adjunxit: & hortatus est eum ad novam religionem cum novo Imperio instituendam. Sed quia Mahumetus erat homo idiota, & legendi, scribendique prorsus ignarus, Sergius instruxit eum in rebus Biblicis, licet cum satis levi tinctura, & cum multis erroribus. Refert deinde Auctor miraculum fictitium columbæ, quo Sergius induxit populum ad eligendum Mahumetum in Regem, tanquam Prophetam, & Legatum Dei, cui per Angelum Gabrielem Deus ipse secreta sua revelaret. Facilè id populo rudi, atque omnis religionis experti persuasum. Interim Sergius unà cum Mahumeto Alcoranum conscribit. Tum jubet populum in locum quemdam desertum convenire: Deum quippe ibi legem suam ipsi, ut quondam Moysi, traditurum. Erat ibi putcus siccus, in quem nebulonem quemdam Apostatam cum Alcorano scripto descendere, ac delitescere anteà fecerant. Convenit frequentissimus populus. Sergius librum simillimum illi, quem intra puteum Apostata tenebat, sed sine ulla scriptura, totumque album, populo ostendit. Promittit, digito Dei in eo novam legem scribendam: mox funiculo alligatum, in puteum demittit. Apostata totius technæ conscius librum demissum, qui scriptura caret, solvit: scriptum verò, quem ipse tenebat, funiculo alligat. Sergius extrahit, ac populo ostendit. Obstupuere omnes. Tum Sergius, ne fraus detegeretur, ita populum allocutus est: Ne sanctissimus hic puteus per casum alicujus bestiæ in illum coinquinetur, lapidibus eum replete. Id statim fecere: & miserum illum Sycophantam ibidem sepelierunt. Hactenus Auctor allegatus.

Hæc est communis cæterorum ex nostris opinio; & cum his duobus omnes ferè conveniunt. Et quidem Mahumetum in conscribendo Alcorano, Christianum aliquem vel Judæum adjutorem habuisse, communis erat Meccanorum opinio eo ipso tempore, quo idem illum recitabat. Quamobrem Sura 16. quæ inscribitur النحل *Apis*: §. 106. hæc legimus: ولقد نعلم أنهم

Digitized by Google

الهم يقولون انما يعلمه بشر: *Et jam quidem novimus eos dicere : Profectò docet eum homo :* 1. aliquis homo . Sed ut oſtendat hoc eſſe falſum , re-

ſpondet : لسان الذي يلحدون اليه اعجمي وهذا *lingua , ad quam illi inclinant ,* لسان عربي مبين: *eſt barbara : at hic* (nempe Alcoranus) *eſt lingua Arabica elegans .* Ac ſi diceret: Chriſtiani, & Judæi loquuntur Græcè, vel Hebraicè, vel alio idiomate barbaro : quamobrem non poſſunt docere Mahumetum linguam Arabicam elegantem, qua utitur Alcoranus .

Ariolantur hìc Expoſitores, ut divinent, quisnam fuerit ille homo, qui aſſeritur fuiſſe Mahumeti Magiſter . Zamchaſcerius hæc habet: اولوا بالبصر فلما كان لحويطب بن عبد العزي قد لسلم وحسن لسلامه اسلم عابش اى يعيش كان صاحب كتب وقيل هو جبر غلام رومي كان لعامر بن الحضرمي وقيل عبدان جبر ويسار كان يصفان لحديوف بمكة ويقرئن التوراة والانجيل فكان رسول الله اذا مر وقف عليهما فسمع ما يقرءان فقالوا يعلمانه فقيل لاحد منهما فقال بل هو يعلمني وقيل هو سلمان الفارسي: *Per hunc hominem indicabant juversem quemdam famulum Haviteb filii Abdaloza , qui Mahumeti religionem ſincerè amplexus fuerat , nomine Aiſe , vel Jaiſe , qui erat librarius . Alii dicunt , fuiſſe Habar juvenem Romæum , ſeu Græcum , qui erat in famulatu Amer Ebnolchadhermii . Alii volunt , fuiſſe duos ſervos , Habar , & Jaſar , politores gladiorum in Mecca , qui legebant Tentateuchum, & Evangelium . Cùmque Legatus Dei transiret per eorum officinam , conſiſtebat , & audiebat id , quod legebant . Quamobrem dicebant Meccani : Hi docent eum . Sed unus eorum interrogatus de hoc , reſpondit : Imò potiùs illa docet me . Alii volunt hunc fuiſſe Salman Perſam .* Hactenus Zamchaſcerius. Jahias ita rem narrat : انما يعلمه بشر يعنون عبداً لابن الحضرمي وكان رومياً صاحب كتب في تقصير قتادة اسمه جبر وقال بعضهم هو غلام عتبة بن ربيعة: *Certè docet eum homo . Per hunc hominem innuunt ſervum quemdam Ebnolchadhermii , qui erat Romæus , & librarius , ut affirmat Cottada . Vocabatur autem Habar . Alii malunt , hunc fuiſſe Adas famulum Otabæ filii Rabiæ .* Gelaleddinus autem ita ſentit: يعلمه اي القران بشر وهو قين نصراني كان النبي يدخل عليه: *Docet eum , nempe Alcoranum , homo : hic autem erat Cain Chriſtianus , cujus domum Prophæta frequentabat .* In ipſo Alcorano , Sura 25. quę inſcribitur الفرقان *Alforcan,* §. 4. confirmatur non parum hæc opinio, dum ſcribitur : وقالوا الذين كفروا ان هذا الا افك افتراه واعانه عليه قوم اخرون: *Et dixerunt infideles : non eſt hic* (Alcoranus) *niſi mendacium , quod confinxit* (Mahumetus :) *& adjuverunt eum ad hoc homines alii .* Et §. 5. وقالوا الساطير الاولين اكتتبها فهي تملى عليه بكرة واصيلا: *Et dixerunt* (Infideles:) *Narrationes antiquorum* (nempe continet hic Alcoranus,) *quas ipſe deſcripſit , dum leguntur ei manè, & veſperè .* Gelaleddinus pro *hominibus aliis* , intelligit aliquos من اهل الكتاب *ex familiâ Libri* , Judæos ſcilicet, vel Chriſtianos , qui manè & veſperę, (1. quotidie) docebant eum res Alcoranicas, quas ipſe in Librum ſuum referebat. Zamchaſcerius etiam intelligit Judæos: & addit: وقيل عداس مولى حويطب بن عبد العزي ويسار مولى العلا بن الحضرمي وابو فكيهة الرومي قال ذلك النضر *Alii dicunt ,* (eum qui docebat Mahumetum) *fuiſſe Adas libertum Haviteb filii Abdalozæ , & Jaſar libertum Alolæ filii Chadhermii . Et Abu-phaKiha Romæus aſſerit , hunc fuiſſe Nodhar filium Hareth filii Abdaldar .* Notat autem hìc Zamchaſcerius, non eſſe intelligendum Mahumetum ſcripſiſſe hæc per ſe , cùm eſſet idiota, ſed per alium.

Ut autem ad Sergium redeamus , Maſaudius putat, illum eumdem eſſe ac Bahiram : ita enim ſcribit in capite الفترة : nempe de iis , qui fuerunt inter Chriſtum, & Mahumetum : ومنهم بحيرا الراهب وكان مومناً على دين المسيح وامر بحيرا في كتب النصارى مرحى وكان من دير عند القيس: *Et inter hos fuit Bahira Monachus , qui profitebatur religionem Chriſtianam . Nomen autem Bahiræ, in libris Chriſtianorum , idem eſt ac Sergius . Erat verò Monachus in Monaſterio Abdolcaſi .* Sed paulò infrà in c. de Nativitate Mahumeti, appellat hunc eumdem Bahiram نسطور Neſtorium . Id tamen puto ex errore Auctoris , quippe qui audiens Bahiram fuiſſe Neſtorianum (quemadmodum affirmat Georgius Monachus Scriptor Arabs , ſed Chriſtianus) confundit illum cum ipſo Neſtorio . Porrò Georgius hic, quem dixi , ita ſcribit in Dialogo cum Principe Saracenorum nomine Abuſalama: اعلم يا ابا سلامة ان محمداً كان من الاعراب من بني قريش من امة اسماعيل بن هاجر المصرية زوجة ابراهيم وكان رجلاً عربياً جاهلاً مماذراً يتردد بسفر الى بيت المقدس فاضاف رجل نصراني تابع مذهب نسطور اسمه بحيرا فلما استصغر ذلك من مذهبه ودينه ولما علم بحيرا انه من تلك القبيلة رق على سبيل الالفة والمودة فاداه المعرفة بالله وتلى عليه فصول من الانجيل والتوراة والزبور ولما عاد الى اوطنه الى امته قال لهم وبعمكم انكم على ضلال مبين ∴ *Scias , ô Abuſalama , Mahumetum fuiſſe Arabem ex Tribu*

Digitized by Google

Corasina, ex progenie Ismael filii Hagar Ægyptiæ uxoris Abrahæ: eratque homo Arabs, camelorum dux, qui mercaturæ exercendæ gratia profectus erat in Jerusalem. In itinere autem receptus fuit à quodam homine Christiano Sectæ Nestorianæ, qui vocabatur Bahira. Cùm verò hunc interrogasset Mahumetus de Secta & Religione ipsius, & intelligeret Bahira, illum esse Saracenum: ex mera amicitia & charitate imbuit eum cognitione Dei, legitque illi aliquot capita Pentateuchi, Evangelii, & Psalmorum. Reversus autem Mahumetus in terram suam, & ad gentem suam, dixit: O vos miseros! Certè vos versamini in errore manifesto. Hæc Georgius.

Volui hæc ex Arabibus ipsis Scriptoribus referre, ut omnes intelligant, non esse novum nostrorum inventum id, quod dicitur de conscriptione Alcorani facta à Sergio, vel Bahira, vel alio Christiano, aut Judæo, simul cum Mahumeto; cùm etiam, Mahumeto ipso vivente, hoc idem Arabes Mecceni dictitarent.

Sed venio jam ad Mahumetanorum sententiam. Negant hi, Alcoranum à Mahumeto scriptum fuisse, quem ipsi النبي الامي *1. Prophetam idiotam*, nimirum legendi scribendique prorsus ignarum fatentur. Negant etiam, ab alio homine, sive Arabe, sive extraneo, confectum ac traditum fuisse à Mahumeto: quippe qui sit liber tantæ excellentiæ, ut, Alcorano ipso teste, Sura 17. الاسري *De itinere nocturno* 5. 91. لين اجتمعت الانس والجن على ان ياتوا بمثل هذا القران لا ياتون بمثله ولو كان بعضهم لبعض ظهيرا: *Si simul congregarentur homines, & Dæmones, ut facerent aliquid simile huic Alcorano, nunquam id efficere possent, etiamsi mutuò se se ad hoc adjuvarent.* Communis igitur, & certissima Moslemorum fides est: sicut Pentateuchum Moysi, & Evangelium Christo, & alios Sacros Libros aliis Prophetis; ita Alcoranum Mahumeto à Deo ipso traditum fuisse. Sed quomodo, aut quando id factum fit, nunc audies.

Primò: Constanter credunt, Alcoranum esse æternum: imò & increatum (licet hoc nonnulli negent) semperque fuisse apud Thronum Dei in Tabula quadam, seu Libro immensæ magnitudinis, quam vocant اللوح المحفوظ *Tabulam custoditam*: in qua omnia præterita, præsentia, & futura descripta sunt. Non desunt, qui asserant, Alcoranum in ipsa Dei essentia custodiri.

Secundò: Credunt in mense Rhomadan, Moslemorum jejuniis sacro, in nocte quadam, quam vocant ليلة القدر *noctem potentiæ* (seu potiùs *dispositionis*, quia in ea disponuntur, & determinantur à Deo omnia, quæ anno illo futura sunt) eumdem Alcoranum demissum fuisse per Gabrielem à Throno, sive ab essentia Dei, usque ad السما الدنيا *Cælum infimum*, nempe Cœlum lunæ, scriptum in charta papyracea, in unica summa, seu volumine.

Tertiò: E Cœlo lunæ Gabrielem revelasse Mahumeto singulos versiculos (vel plures simul) Alcorani, variis in locis ac temporibus, in Mecca, seu Medina, per spatium viginti trium annorum, juxta rerum exigentiam. Singuli quippe versus, seu singulæ Suræ, revelabantur à Gabriele, quando aliquid peculiare Mahumeto contingebat. Hæc omnia clariùs videbimus in ipso Alcorano, & præsertim in Sura 97. quæ inscribitur سورة القدر *Sura potentiæ*, seu dispositionis, aut decreti.

Quartò: Tradunt, Mahumetum, quando aliqui versus ei revelabantur, illos Amanuensi suo scribendos, ac servandos tradidisse, qui confulim eos in capsa collocabat: itaut certò sciri non possit, quonam tempore quilibet Alcorani versiculus traditus fuerit: quantumvis in hoc Expositores Moslemi divinare conentur. Asserunt plerique, primos versiculos fuisse illos, qui leguntur in principio Suræ 96. اقرء باسم ربك الذي خلق خلق الانسان. *Lege in nomine Domini tui, qui creavit: creavit hominem*, &c. Itaque cùm Alcoranus, quem præ manibus habemus, non sit scriptus juxta ordinem, quo traditus est, sed præposterè, & confusim, non potest esse Alcoranus ille æternus, & increatus in Throno, seu essentia Dei, nisi ille etiam sit ita præposterè confareinatus, & confusus.

Quintò: Non solùm Mahumeti Amanuenses, sed multi etiam è populo, dum ipsis Alcorani versus recitarentur, in chartulis, seu membranis adnotabant: plures etiam contenti erant eosdem memoria retinere. Sed qua fide utrumque factum sit, tu cogita.

Sextò: Certum est, Mahumetum nullum Alcoranum integrum perfectumque reliquisse. Id constat tùm ex jam dictis; tùm quia ex Alcorano ipso habetur, Mahumetum illius versus recitare consuevisse, repetendo in morem plitacci ea, quæ Gabriel sibi dictitabat: tùm demum quia, ut Moslemi communiter tradunt, idem Gabriel semel in anno Alcoranum suum Mahumeto ostendebat: ultimo verò vitæ ejus anno duabus vicibus ostendit. Ex quo constat, Mahumetum Alcoranum nullum proprium habuisse.

Septimò: Certissimum est apud Moslemos, post mortem Mahumeti, Abubacrum, qui illi in imperio successit, cùm videret Alcoranum esse tantùm in membranis, seu chartulis quibusdam, & hominum memoriis, collegisse hujusmodi chartulas, & expiscatum fuisse è singulorum memoria id, cujus recordarentur, atque ex his Alcoranum compegisse, quem Haphsæ Mahumeti uxori tradidit custodiendum. Cùm verò illius exemplaria in varias Mahumetanorum provincias transmissa fuissent, & magna inter ea diversitas reperiretur, atque unaquæque Provincia Alcoranum suum cæteris præferret: Othman, qui Abubacro in imperio successerat, jussit à quatuor Sapientibus deferibi plura exemplaria ex Codice Haphsano: & cæteris suppressis, voluit illa pro legitimis haberi. Verùm neque Codex ille Haphsanus erat adeò sincerus, ut non multa in eo à Sapientibus illis fuerint correcta: & nihilominus sunt hodie in exemplaribus Alcorani multæ lectiones variæ, & quæ non raro sententiam immutant, ut in Alcorano ipso licet recognoscere.

Quod verò spectat ad collectionem illam, & correctionem Alcorani factam per duos Chaliphas, Abubacrum, & Othmanem post mortem Mahumeti, ita scribit doctissimus inter Moslemos Ismael Sciahinscia, in vita Abubacri: وبيان راي ابوبكر كثير من قتل امر بجمع القران من افواه الرجال وحرير النخل والجلود

والجلون وترك ذلك الكتوب عند حفصة بنت عمر زوج النبي صلى الله عليه وسلم ولما تولى عثمان رأى اختلاف الناس في القرآن كتب من ذلك الكتوب الذي كان عند حفصة نسخا وارسلها الى

لامصار وابطل ما سواها.

Cùm autem vidiſſet Abubaker multitudinem eorum, qui occiſi fuerant, juſſit in unum volumen colligi Alcoranum ex ore hominum, & membranis palmarum, & pellium: & reliquit hujuſmodi volumen penes Haphſam filiam Omar uxorem Mahumeti. Verùm cùm imperium obtinuiſſet Othman, & vidiſſet homines valdè diſcrepare inter ſe propter varias lectiones: deſcripſit ex illo Codice, qui erat penes Haphſam, exemplaria, & miſit ea per Provincias, & abolevit omnes alios Codices præter iſtum. In vita autem Othmanis hæc habet:

تم دخلت سنة ثلاثين فيها بلغ عثمان ما وقع في امر القرآن من ان اهل العراق يقولون قراتنا اصح من قراءة اهل الشام لانا قراءنا على ابن موسي الاشعري واهل الشام يقولون قراءتنا اصح من قراءة اهل العراق لانا قراءنا على المقداد ابن الاسود وكذلك غيرهم من الامصار فاجمع رايه ورأي الصحابة على ان يحمل الناس على المصحف الذي كُتب في خلافة ابي بكر رضي الله عنه وكان موجودا عند حفصة زوج النبي من وتحرق ما سواه من المصاحف التي بايدي الناس ففعل ذلك المصحف مصاحف وحمل كلامها الى مصر من الامصار وكان الذي نسخ المصاحف العثمانية بامر عثمان زيد ابن ثابت وعبد الله ابن الزبير وسعيد ابن العاص وعبد الرحمان ابن الحارث ابن هشام المخزومي: وقال عثمان اذا اختلفتم في كلمة فاكتبوها بلسان قريش فانما

انزل القرآن بلسانهم:

Ingreſſo anno Hegiræ trigeſimo, pervenit ad notitiam Othmanis, id quod evenerat circa Alcoranum: nimirum Eraceniſes dicebant: Alcoranus noſter habet veriorem lectionem, quàm Alcoranus Syrorum: nos enim legimus illum ſecundùm Abumuſam Aaſciaraeum. Syri verò dicebant: Alcoranus noſter eſt melioris conditionis, quàm Alcoranus Eraceniſum: nos enim legimus illum ſecundùm Meccadum filium Aſſuadi. Et ita cæteræ Provinciæ inter ſe contendebant. Convenit igitur Othman und cum Primatibus Mahumetanorum, ut cogeret homines ad uſum illius codicis, qui ſcriptus fuerat in Principatu Abubakri, & aſſervabatur penes Haphſam uxorem Prophetæ: & combureretur cætera omnia exemplaria, quæ per manus hominum circumferebantur. Fecit igitur hoc Othman, & deſcribi juſſit è Codice Haphſano multa exemplaria, quæ transmiſit per ſingulas Provincias. Illi autem, qui juſſu Othmanis deſcripſerunt exemplaria è Codice Haphſano, fuerunt Zeid filius Thabet: Abdallah filius Zobeir: Said filius Aaas: & Abdorrahhman filius Hareth filii Haſciam Machzumenſis. Dixit autem his quatuor Viris Othman: Cùm diſcrepantes fueritis inter vos circa a-

Prodrom. ad refut. Alcorani.

liquam dictionem; ſcribite illam lingua Coraſina: Alcoranus enim in hujuſmodi lingua traditus fuit. Hactenus Sciahinſciah. Abugiaaphar etiam Chronologus primarius, quem in compendium redegit Almacinus, in vita Abubacri ita ſcribit:

ان ابا بكري رضي الله عنه اول من جمع القران من اللوحين فانه لما اصيبوا المسلمون باليمامة خاف ان يعدم من القران طايفة وانما كان في صدور الرجال وفي الرقاع بين اللوحين وسماه مصحفا.

Abubacer fel. mem. primus fuit, qui collegit Alcoranum ex duabus tabulis. Cùm enim Moſlemi adverſam fortunam in Jemama habuiſſent, timuit, ne aliquid Alcorani periret: erat enim ſolum in hominum memoria, & in ſchedulis inter duas tabulas: & appellavit eum Moſaphum. 1. Codicem. Ex his conſtat, valdè dubiam, & incertam eſſe Alcorani fidem.

Sed non diſſimulabo, hoc ipſum quod ex Auctoribus Mahumetanis adduxi, paulò aliter referri à Patre Vincentio Maria de S. Catharina, Carmelita diſcalceato, in itinere ad Indias Orientales lib. 1. cap. 17. ubi ſcribit: Sergium indignatum, eo quòd ſe Conſtantinopoli ejectum vidiſſet, cum Mahumeto ſocietatem junxiſſe, & cum eodem Alcoranum compoſuiſſe, cujus prima ſtructura adeò rudis erat, & incondita, ut Arabes pudore illius affecti, legemque tàm ineptam ac barbaram dedignati; quatuordecim ſuorum doctiſſimos Damaſci collegerint, qui Alcoranum ad talem ſtyli elegantiam redegere, ut hoc tempore nihil illi par, nihil ſimile eſſe, aut fieri poſſe, ab inſulſis Mahumetanis cenſeatur. Hæc ille. Non tàmen omnem fidem iis, quæ à noſtris circa hoc argumentum dicuntur, haberi volo; quippe non rarò eos improbabilia, minimèque vero ſimilia afferre video. Illud certiſſimum eſt, in Alcorano, etiam prout hodie extat, maximam confuſionem ac perturbationem ex teſtimonio ipſorum Mahumetanorum reperiri. Inter hos Jahias Ebnoſalam Boſrenſis, in principio Expoſitionis Alcorani hæc habet. بعض الايات نزلت الاية منها قبل الاية وهي بعدها بالتاليف وقد ضربنا لك الوجه في مواضعها من التفسير: وان ما نزل بمكة فهو من المكي وما نزل في قدوم المدينة فهو من المدني: وما كان من القران يا ايها الذين امنوا فهو مدني: وما كان يا ايها الناس فهو مكي الى مدني واكثر مكي: قال يحيي: ولا يعرف تفسير القران الا من عرف اتي عشر علما: المكي والمدني: والناسخ والمنسوخ: والتقديم والتاخير: والمقطوع والموصول: والخاص والعام: والاضمار والعربية: واخبرني صاحب لي من سعيد بن ابي عروة عن قتادة ان حذيفة بن اليماني قال لعثمان ابن عفان ما كنت صانعا اذا قيل قراءة فلان وقراءة فلان وقراءة فلان كما صنع اهل الكتاب فاصنعه الان: فجمع عثمان الناس على هذا المصحف وصوحرف زايدا: وحدثني الحسن بن دينار عن محمد بن سيرين ان جبرايل كان ياتي النبي

النبي ع م فيعرض عليه القران عرضة كل عام فلما كان العام الذي قبض فيه انه عرض عليه مرتين: قال ابن سيرين فكانوا يرون ان قراءتنا هذه هي الاخرة، قال يحيى: وحدثونا ان السور لم تنزل كل سورة بإسمها جملة الا اليسير لكن النبي ع م قد كان مي وامرهم كلما نزل من القران عيا ان يضعوه من السورة المكان الذي يامرهم فيه حتى تتم السور: وكان يامران يجعل اية كذا بين ظهرين كذا وكذا من السورة: وقد نزل المكي قبل المدني وان هذا التاليف الذي الى بين السور لم ينزل على هذا التاليف ولكنه وضع هذا لم يجعل المكي من السور على حدة يتبع بعضه بعضا في تاليف السور: وقد نزل بمكة بعض ما امره الله ان يكون بالمدينة يعلمون به اذا قدموا المدينة وان بعض الايات نزل منها قبل الاية وهي بعدها في التاليف وقد فسرنا هذه الوجوه في مواضعها من التفسير وان ما نزل بمكة وما نزل في طريق المدينة قبل ان يبلغ النبي المدينة فهو من المكي وما نزل على النبي في لياقي بعد قدومه المدينة فهو من المدني: قال محمد: وجميع ما نقلته من كتاب يحيى فقد اخبرني ابي رحمه الله:

Quidam verficuli traditi fuisse ajunt alios, qui tamen postponuntur in ordine Alcorani. Jam verò explicavimus hoc fuisse locis in expositione Alcorani. Porrò id quod traditum fuit in Mecca, id inscribitur Meccanum. Quod verò traditum in adventu in Medinam, id inscribitur Medinense. Quoties in Alcorano dicitur: O qui credidernnt: est Medinense. Quoties verò dicitur: O homines: est Meccanum, vel Medinense; sed plerumque Meccanum. Non poterit autem rité exponere Alcoranum, nisi qui probè calluerit duodecim illius proprietates, nimirum: Meccanum, & Medinense: Abrogatum, & Abrogans: Præpositum, & Postpositum; Disjunctum, & Conjunctum: Peculiare, & Commune: Implicitum in intentione, & Explicitum in verbis. Narravit autem mihi amicus meus ex eo quod audierat à Saido filio Abu-Arue, qui audierat à Cottada: Hodeipham filium Jemanii dixisse Othmani filio Ophanis: Non faciebas (cùm tibi dicebatur: Ita legit talis (in Alcorano:) & ita talis, & ita talis) sicut fecerant Judæi in suis Bibliis: fac igitur nunc hoc. Congregavit ergo Othman homines super hoc exemplar: & ipse expunxit ex eo superflua. Et narravit mihi Hasan filius Dinar, se audivisse Mohammad filium Sairin dicentem: Consuevisse Gabrielem venire ad Prophetam Mahumetum, & ostendere illi Alcoranum semel per singulos annos. Cùm autem advenisset annus, in quo mortuus est, apparuit illi Gabriel, & ostendit ei Alcoranum duabus vicibus. Dixit filius Sairin: Existimabant igitur, hunc Alcoranum, prout nos legimus, esse illum eumdem, quem Gabriel ostendit Mahumeto ultima vice. Narraverunt etiam nobis, Suras Alcorani non traditas fuisse singulas in una summa, (totas scilicet & integras,) nisi paucas. Sed Propheta Mahumetus jam nomen indiderat Suris, & præceperat Amanuensibus, ut quoties traditum fuisset aliquid Alcorani, ponerent illud in Suris eo in loco, quem præcepisset illis, donec perficerentur, seu complerentur Suræ. Præcipiebat autem, ut ponerentur in principio Surarum id, quod erat Medinense ante Meccanum. Veniebat autem Gabriel ad Prophetam Mahumetum, & dicebat illi: Deus benedictus & excelsus præcipit tibi, ut ponas versiculum talem in medio talis, vel talis Suræ. Et jam quidem Sura Meccanæ traditæ sunt ante Suras Medinenses: quamvis hic ordo, quo nunc dispositæ sunt Suræ, non sit idem ordo, quo traditæ sunt. Verumtamen præsens Alcorani dispositio non collocat Suras Meccanas omnes simul separatas à Medinensibus, cum consequentia unius post aliam in ordine Surarum. Neque collocat Suras Medinenses separatim cum consecutione unius post aliam in serie Surarum. Porrò nonnulla tradita sunt in Mecca cum præcepto faciendi ea, quando pervenissent in Medinam, eo quod ad illud tempus pertinerent: quamvis quidam versiculi traditi sint Mahumeto ante alios, qui nunc in dispositione Alcorani iisdem postponuntur. Porrò id, quod revelatum fuit in Mecca, & in itinere, antequam perveniret Mahumetus in Medinam, pertinet ad Suras Meccanas. Quod autem revelatum fuit Prophetæ in aliis itineribus ejus post adventum in Medinam, pertinet ad Suras Medinenses. Dixit Mohammad: Omnia, quæ transcripsi ex libro Jahiæ, jam antè audiveram à patre meo fel. mem. Hactenus Jahias, vel potiùs Mohammad filius Abdallah Zemanin, qui Jahiæ historiam in compendium redegit.

Hæc omnia satis confirmant id, quod dicebam, nempe in Alcorano universa esse perturbata: cùm in eadem Sura confundantur Meccana cum Medinensibus, & anteriora cum posterioribus. Quamobrem impossibile est Expositoribus Moslemis Alcorani intelligentiam assequi, cùm incertis tantummodo conjecturis, fallaciique famæ inniti illos oporteat: id quod ingenuè fatetur celeberrimus ille Interpres Ahmed filius Mohammed Thalebiensis, cognomento القشتالنة *Castalana*, in principio expositionis Alcorani, ubi hæc habet: التفسير علم نزول الايه وشانها وقصتها والاسباب التي نزلت فيها ولهذا نه محظور على النبلى القول فيه الا بالسماع والاثر: *Expositio est scientia revelationis versiculi* (1. notitia temporis quo revelatus est,) & *qualitatis ejus*, & *narrationis ejus* (1. historiæ quam continet,) & *causarum, propter quas revelatus est. Certum est autem, non posse homines assequi hoc, neque de eo sententiam pronunciare, nisi ex auditu, & ex vestigiis*: ideft ex fama, & indiciis, seu conjecturis. Quòd si petas, cur concinnatores Alcorani non collocaverint Suras ac versiculos eo ordine, quo fingitur Gabriel tradidisse Mahumeto, & Mahumetus ipse dictavit: nihil aliud possunt Moslemi respondere, nisi Deum, vel Gabrielem, ita Mahumeto præcepisse. Frivola tamen hæc responsio est: nam Mahumetus non reliquit illum Alcoranum, neque Suras ac periodos illius certo ordine disposuit: alioquin non erat, cur Abubacer ferè statim post mortem Mahumeti laboraret in colligendis schedulis, & expiscandis versiculis ex ore & memoria

Digitized by Google

ria hominum ; ut ex his unum volumen conflaret. Hæc igitur perversio refundenda est in Abubacrum, qui cùm non posset singularum schedularum, seu versiculorum quos colligebat, ordinem certum, ac dispositionem dignoscere, universa permiscuit, ac perturbatè confusèque collocavit.

Veram tamen hujus rei causam hanc esse existimo. Cùm in Alcorano multa sint inter se oppositæ ac pugnantia : Moslemi, ne Prophetam suum contra sibi pugnare fateri cogerentur, rationem excogitaverunt eum ab hac nota liberandi, fingentes, Deum nonnulla Mahumeto præcepisse uno tempore, quæ alio tempore (eo quòd illi non congruerent) revocavit. E. C. Sura 2. quę inscribitur البقرة *Vacca*. §. 218. prohibet vinum, *quia magna est in eo iniquitas*. Et Sura 5. المايدة *Mensa* §. 96. iterùm prohibet, quia *est res abominabilis, & opus Satanæ, & avertit à memoria Dei*.

At verò Sura 16. النحل *Apis*. Commendat vinum & ebrietatem ex eo provenientem, *tanquam beneficium Dei, & argumentum potentiæ, & providentiæ ejus*. Qua in re cùm aperta Mahumeti inconstantia, ne dicam, stultitia, appareat: excusant eum Moslemi, asserentes, verba Suræ 16. revelata illi fuisse ante verba Suræ 2. & Suræ 5. quamvis in Alcorano postposita reperiantur. Quando scilicet vini usus nondum in excessum, & abusum pernitiosum transierat. Sed de hoc fusiùs suo loco agemus.

Supersest nunc, ut sententiam meam, seu potiùs conjecturam circa Alcorani Auctorem breviter aperiam.

Primum dico : non posse fustineri id, quod Moslemi fingunt, & in Alcorano non semel innuitur : nempe Alcoranum, viginti ac trium annorum spatio, fuisse per partes Mahumeto traditum, & deinde ab Abubacro in unum volumen post illius mortem collectum : nam centies idem Alcoranus accusat sese tanquam librum integrum, ac numeris omnibus absolutum, quem Mahumetus sæpè aliis ostenderet, ac legeret, & ad ejus imitationem æmulos suos provocaret, etiam in ipsis Pseudoprophetiæ suæ exordiis. Prima Alcorani verba post proœmium sunt ista : ذلك الكتاب لا ريب فيه *Hic Liber nullam habet dubitationem*. Agitur hìc de Alcorano, ut Expositores omnes fatentur. Ergo Alcoranus erat Liber jam absolutus, quando Mahumetus hæc legebat. Cùm autem Suram, in qua sunt hæc verba, quidam velint esse Meccanam, & consequenter traditam ante Hegiram : necesse erit fateri, Alcoranum totum ante Hegiram extitisse. Præterea Sura 15. quæ inscribitur الحجر v. 86. fingitur Deus dicere Mahumeto: ولقد اتيناك سبعا المثاني والقران العظيم *Et jam quidem tradidimus tibi septem versus, qui repetuntur* (1. proœmium Alcorani, seu سورة الفاتحة) *& Alcoranum magnum*. Et quidem hæc Sura citra controversiam Meccana est. Ergo cùm adhuc Mahumetus in Mecca moraretur, totus Alcoranus illi traditus fuerat. Præterea Sura 52. quæ inscribitur سينا *Syna*, & est Meccana, v. 31. & alibi ante Hegiram, provocantur Meccani ad faciendum Alcoranum similem illi, quem habebat, & legebat Mahumetus : vel saltem decem Suras, aut etiam unicam,

ejusdem excellentiæ. Idem constat ex vita Mahumeti, in qua habetur, illum in ipsis initiis legisse, & propositisse adversariis Alcoranum suum. Manifestè itaque convincitur, figmentum esse traditionem illam per versiculos, seu per partes, spatio trium ac viginti annorum : & collectionem schedularum factam ab Abubacro post mortem Mahumeti ad integrum perfectumque Codicem formandum.

Deinde probabile etiam existimo, Mahumetum vel per se (non enim congruit cum cæteris, quæ de eo scribuntur, id quod asserunt, illum adeò idiotam fuisse) vel ope alicujus Christiani, aut Judæi; sive ille Sergius fuerit, sive Bahira (quidam enim volunt utrumque fuisse) sive Abdallah filius Salam, qui inter Judæos doctissimus censebatur; conscripsisse Alcoranum, ac pro libro sibi à Deo per Gabrielem tradito Arabibus ignaris vendidisse. Porrò cùm Mahumetus sagacis esset ingenii (quantumvis idiotam fuisse concedamus) & per emporia Syriæ cum Mercatoribus Christianis & Judæis, inter quos plures erant hæretici, præsertim Arriani, & Nestoriani, assiduè versaretur : interrogabat eos de rebus Religionis eorum : & Judæi quidem fabulas Talmudicas, quibus Alcoranus totus refertus est; Christiani verò historias apocryphas sibi venditabant. Quædam etiam ex sacris libris veteris ac novi testamenti ab iisdem excipiebat: quę deinde ipse confusim & perversè, utpote ignarus, sibi ab aliquo scribenda curabat. Ita novam legem coagmentavit, quæ partim Hebræis, partim Christianis faveret. Christianos tamen, utpote potentiores, magis probat, & commendat; cùm Judæos plerumque vituperet, ac proscindat : fortasse ut hac ratione Christianos sibi magis benevolos faciat. Plura etiam ad Ismaeliticam superstitionem spectantia admiscuit : cujusmodi sunt, peregrinatio Meccana, jejunium Romadhan, visitatio Saphæ, & Maruæ, purificationes, & alia hujusmodi Arabibus Ethnicis usitata. Ita ut Alcoranus sit mixtura trium legum, seu religionum: Hebraicæ, Christianæ, & Ismaeliticæ, additis paucis quæ supersuisse, quæ è cerebro suo Mahumetus extraxit. Quæ autem ex singulis harum religionum, seu sectarum, in Alcoranum suum adscivit, poterit unusquisque in illius explicatione recognoscere. Unum illud admiratus sum, quòd cùm circumcisionem sive ab Hebræis acceperit, sive à Saracenis retinuerit, nullam de ea in Alcorano suo mentionem fecit.

Hæc, quæ de Alcorani Auctore ex mea conjectura dixi, vero similiora videntur illis, quæ nostri communiter enarrant. Probabile tamen est, sive Mahumetum, sive Sergium, sive Bahiram, novam hanc legem fictitio aliquo miraculo, sive fuerit illud Tauri, sive Columbæ, sive aliud, confirmare tentasse.

Neque credo à vero aberrabimus, si dicamus, Diabolum ipsum transfigurando se in Angelum lucis sub nomine Gabrielis, Mahumeto Alcoranum dictasse, vel totum simul, vel per sectiones, ac versus aliquo temporum intervallo. Est enim locutio Alcoranica valdè similis illi, qua utuntur Dæmones in Energumenis, vel Arreptitiis, vel quando se ab hominibus audiri sinunt; intermiscendo vera falsis, ludicra seriis, clara obscuris, & sæpè per ænigmata & ambages loquendo. Hujusce modi erant oracula Gentium : & ita sæpè Dæmon plures decepit, etiam Christianos, dictans eis sub figura Angeli lucis doctrinam tenebrarum : cujus rei superfluum est exempla adducere. Unum tamen, quia multum in rem nostram facit, non præteribo. Refert illud

Digitized by Google

Petrus Bedie Perfarmenus in opere suo inscripto چهل ستون *Cehil Sutun*, 1. *quadraginta columnarum*, art. 9. Ægyptius quidam, qui appellabatur شيخ عمر ابن فارث *Doctor Omar filius Thareth*, qui Sancti, & Prophetæ nomen apud Mahumetanos sibi compararet, sed erat omnis literaturæ expers, qualem fingunt Mahumetum : à malo Dæmone arreptus, sæpè sæpiùs in terram corruebat diversissima de diversissimis exclamans, ac prodens, cujusmodi in Alcorano etiam reperiuntur. Habebat autem quosdam amanuenses, qui ea, quæ sexaginta annorum spatio ita arreptus effutiverat, collegerunt, & volumen Alcorano majus & elegantius effecerunt, cui titulus appositus fuit : ديوان شيخ عمر بن فارث

Dialogus Doctoris Omar filii Thareth. Hodie etiam Dervisii, seu Monachi Mahumetanorum, in extasi illa, vel deliquio, quod post longam corporis totius rotationem ac turbinationem patiuntur, aliquid simile effigiunt. Hæc mea est de Alcorani Auctore opinio ; quam eò probabiliorem puto, quòd Alcoranus sit omnium ferè antiquarum Hæreseon colluvies, quas non nisi Satanas poterat jam propè extinctas, & in tenebris sepultas, in lucem revocare. Quia tamen magnam Alcorani partem fabulæ Thalmudicę & Rabbinorum deliria occupant : certum ferè habeo, Judęos, & præsertim Abdallah Ebno-Salam eorumdem primò antesignanum, ac deinde Mahumeti asseclam, & discipulum, seu potiùs magistrum, Alcorani si non unicos, saltem præcipuos Auctores fuisse.

CAPUT QUINTUM.

De Abrogatis in Alcorano.

JAm superiùs innuimus, plura in Alcorano, inter se pugnantia, seque invicem destruentia reperiri : quæ cùm Moslemi, utpote apertissima, inficiari non possint, excogitaverunt rationem, quæ Prophetam suum ab inconstantia, & cerebri levitate vindicarent, negotium totum in Deum rejiciendo. Fatentur igitur, Deum ipsum multa in Alcorano præcepisse uno tempore, quæ deinde, ita rerum necessitate exigente, revocavit. Versum revocatum vocant, المنسوخ *Abrogatum* : illum verò, quo revocatur, الناسخ *Abrogantem*. Quamvis autem Abrogans supponatur datus à Deo post Abrogatum : in ordine tamen Alcorani sæpè Abrogatus invenitur esse posterior ; cujus rei causam jam superiùs innuimus ; quia scilicet neque Suræ, neque versiculi in Alcorano dispositi sunt eo ordine, quo Mahumeto traditi esse finguntur ; sed confusim, & ordine præpostero ac perturbato : & nihilominus fatentur, duos esse versus Abrogatos à Deo, antequam Abrogantes ab eodem traderentur : quo nihil insulsius confingi potest.

Hujusmodi abrogationes frequentissimæ sunt in Alcorano : neque solùm in eadem Sura, sed etiam in eodem versu reperiuntur. Collegit has abrogationes in unum librum, celebris apud Moslemos Doctor Emam, seu Præsul Abu-Hasem Habat-Allah : qui in procemio Operis sui hæc habet notatu digna :

المنسوخ في كتاب الله على ثلاثة اضرب فمنه ما نسخ خطه وحكمه : ومنه ما نسخ خطه وبقي حكمه : ومنه ما نسخ حكمه وبقي خطه : فاما ما نسخ خطه وحكمه فمثل ما روي عن انس ابن مالك رضي الله عنه انه قال كنّا نقرأ على عهد رسول الله من سورة التوبة ما لحفظه منها غير اية واحدة وهي لو ان لابن ادم واديين من ذهب لابتغى اليهما ثالثا ولو ان له ثالثا لابتغى اليهما رابعا ولا يملأ جوف ابن ادم الا التراب ويتوب الله على من تاب وروي عن عبد الله بن مسعود رضي الله عنه انه قال اقرأني رسول الله ص اية فحفظتها في مصحفي فلما كان الليل لم ارجع منها الى شيء وغدوت على مصحفي فاذا الورقة بيضاء فاخبرت رسول الله ص فقال لي يا بن مسعود تلك رُفعت البارحة : واما ما نسخ خطه وبقي حكمه فمثل ما روي عن عمر بن الخطاب رضي الله عنه انه قال لولا اني اكره ان يقول الناس ان عمر قد زاد في القران ما ليس فيه لكتبت اية الرجم واثبتته والله لقد قرأناها على عهد رسول الله ص لا ترغبوا عن ابائكم فان ذلك كفر بكم : الشيخ والشيخة اذا زنيا فارجموهما البتة نكالا من الله والله عزيز حكيم : فهو منسوخ الخط ثابت الحكم : واما ما نسخ حكمه وبقي خطه فهو في ثلاث وستين سورة مثل الصلاة الى بيت المقدس في الصيام الاول والصفح عن المشركين والاعراض عن الجاهلين :

Abrogatum in Libro Dei est in triplici differentia. Aliquando enim abrogatur simul litera, & sententia. Aliquando litera tantùm, remanente sententia. Aliquando sententia tantùm, litera permanente'. Primi generis, in quo abrogatur simul litera & sententia, est illud, quod habetur per traditionem ab Anas filio Malec fel. mem. Ipse enim fertur dixisse : Legebamus tempore Legati Dei faustissimæ memoriæ, Suram Pœnitentiæ : non tenco memoria ex illa, nisi unum versiculum, nimirum : Profectò si filio Adam forent duo torrentes auri, certè concupisceret præter eos tertium. Quòd si foret ei tertius; certè optaret addi sibi quartum : neque implebitur venter filii Adam, nisi pulvere. Et convertet se Deus super eum, qui converterit se. Habetur etiam ex traditione, Abdallah filium Masaud fel. mem. dixisse : Legere fecit me Legatus Dei versiculum Alcorani, quem descripsi in Codice meo. Cumque nox advenisset, non diverti ab eo ad ullam rem (1. assiduè de eo cogitavi.) *Manè autem sequentis diei inspexi Codicem meum : & ecce pagina* (in qua lecipleram versiculum) *erat alba. Indicavi autem hoc Legato Dei, qui dixit mihi : O fili Masaud, hæc verficulus sublatus est proximâ nocte. Torrò inter eos, quorum abrogata est litera, & remansit vis sententiæ, est illud, quod habetur ex traditione Omar filii Chottab fel. mem. qui dixit : Nisi ego timerem, ne dicerent homi-*

Digitized by Google

mines: Omar adjecit aliquid in Alcorano, quod non erat in eo: certè scripsissem versiculum Lapidationis, & firmassem illum: nam testor Deum, me legisse illum adhuc vivente Legato Dei. Erat autem hujusmodi: Ne faslidiatis patres vestros, nam hoc esset ingratitudo in vobis. Senex & anus (melius vertas: vir illustris, & fœmina illustris,) cùm mœchati fuerint, lapidibus eos omnino obruite: supplicium à Deo irrogatum. Et Deus est Præpotens, Sapiens. Hic abrogata fuit litera, remanente sententia. Denique abrogata quoad sententiam, litera remanente, inveniuntur in Suris tribus ac sexaginta. Hæc autè sunt hujusmodi: Converti in oratione ad Templi Jerosolymitanum: jejunii juxta morem priorum: indulgere Idololatris, eisque ignoscere: & procul recedere ab ignorantibus. Recenset deinde Abulcasem singula abrogata in unaquaque ex prædictis sexaginta tribus Suris; quarum Prima continet triginta versiculos abrogatos: Secunda, decem: Tertia, vigintiquatuor: Quarta, novem: Quinta, quindecim. Et ita enumerat usque ad ultimam, ducentos, ac viginti quinque versiculos abrogatos.

Quamvis autem, ut dixi, velint Sapientes Moslemi, versiculum abrogantem semper traditum fuisse post abrogatum, licet in ordine Alcorani appareat collocatio præpostera; duobus tamen in locis allerunt, etiam in traditione abrogatum præcessisse abrogantem: quod est omnino ridiculum. Quid enim magis risu dignum, quàm si Princeps ita per præconem edicat: Sciant omnes, me nunc abrogare legem, quam deinde traditurus sum: itaque quando eam tradam, nullus eam observet, vel curet? Primus ex his versiculus est Sura 2. البقرة *Vacca*, §. 241.

والذين يتوفون منكم ويذرون ازواجا وصية لازواجهم متاعا الى الحول بغير اخراج فان خرجن فلا جناح عليكم فيما فعلن في انفسهن من معروف والله عزيز حكيم:

Qui ad mortem pervenerint ex vobis, & reliquerint uxores, faciant legatum ad favorem uxorum suarum, ut sit illis provisio ad annum: neque eas domo ejiciant. Quòd si spontè discesserint, non erit vobis piaculum ob id, quod ultrò fecerint, justè & legitimè. Et Deus est præpotens, Sapiens.

Hic abrogatur per præcedentem 234. والذين يتوفون

منكم ويذرون ازواجا يتربصن بانفسهن اربعة اشهر وعشرا واذا بلغن اجلهن فلا جناح عليكم فيما فعلن في انفسهن بالمعروف والله بما تعملون خبير:

Cùm aliqui fato fungentur ex vobis: uxores, quas reliquerint, expectabunt quatuor menses & decem dies absque novis nuptiis. Cùmque pervenerint ad finem hujus temporis, nullum erit vobis piaculum ob id, quod fecum ipsæ fecerint justè & legitimè. Et Deus de eo quod facitis est commonitus. Secundus est Sura 33. الاحزاب *Confœderati*, §. 53. Ubi ita fingitur Deus loqui cum Mahumeto: لايحل لك النساء من بعد ولا ان تبدل بهن من ازواج ولو اعجبك حسنهن الا ما ملكت يمينك وكان الله على كل شي رقيبا:

Non licebit tibi posthac accipere alias uxores, neque aliquam ex illis, quas habes, in aliam commutare; etiamsi illius pulchritudo te valdè alliciat. Poteris tamen habere pro uxoribus illas, quas captivas posideris. Et Deus omnia observat. Hic abrogatur per præcedentem v. 50. يا ايها النبي انا احللنا لك ازواجك التي اتيت اجورهن وما ملكت يمينك مما افاء الله عليك وبنات عمك وبنات عماتك وبنات خالك وبنات خالاتك التي هاجرن معك وامرة مومنة ان وهبت نفسها للنبي ان اراد النبي يستنكحها خالصة لك دون المومنين:

O Prophetæ: nos sanè concedimus tibi in uxores illas, quibus dederis dotes suas. Et præterea illas, quas captivas possederis concessas tibi à Deo in partitione prædæ: itemque filias patrui tui, & filias amitarum tuarum: & filias avunculi tui: & filias materterarum tuarum, quæ transmigraverunt tecum: & omnes mulieres fideles, quæ seipsas tibi tradiderint, si voluerit eas tibi matrimonio copulare. Hoc autem tibi ex peculiari privilegio conceditur, præter cæteros fideles.

Quòd si quæramus à Mahumetanis, cur in Alcorano abrogatus sit quoad literam & quoad sententiam versiculus ille, qui habetur per traditionem ab Anas filio Malec: *Profectò si filio Adam forent duo torrentes auri, &c.* vel quoad literam tantùm ille, qui habetur ex traditione Omar filii Chottab, de lapidatione adulteri, & adulteræ: cùm tamen uterque versiculus bonus sit, & conformis rationi: vel demum duo illi alii versiculi, quos recensuimus, priùs abrogati sint quàm traditi: non video quid possint congruè respondere. Plura sanè absurda possent Moslemis objici, quæ ex hac abrogatione sequuntur. Sed hoc loco pauca ista sufficiant.

CAPUT SEXTUM.

De Æstimatione Alcorani apud Mahumetanos.

VIx credi potest, quantam venerationem Moslemi erga Alcoranum ostendant, & quibus illum laudibus extollant. Vocant illum absolutè per Antonomasiam كتاب الله *Librum Dei*, utpote ab ipso Deo per Gabrielem traditum Mahumeto. Alcoranus totus plenus est laudibus sui ipsius. In eo, & in aliis libris Mahumetanorum prædicatur: *Veridicus: Veritas missa à Deo: totus rectus, ac sine ulla obliquitate: directio hominum: commonitio ad omnes creaturas: continens omne genus parabolarum: prædicandus hominibus, & dæmonibus: lux: lucerna refulgens: miraculum perpetuum: miraculum omnium maximum: sapientissimè dispositus: via recta: prædictus in Pentateucho & Euangelio, & utriusque assertor: indispunctabilis: Sacrosanctus, nec tangendus nisi à mundis: summè distinctus & elegans: omnium Sacrorum librorum præstantissimus: optimæ doctrinæ: inimitabilis ab ulla creatura: intelligibilis à solo Deo, & ab eodem speciali gratia custoditus.* Sed hæc levia sunt. Auctor celebris Abu-Mohammed Mostapha Ebnalfaïb Hasan, cognomine Gennabi, asserit *Alcoranum continere sexaginta millia miraculæ*. Ahmad filius Abdolhalim in sua Apologia, affirmat, Alco-

Digitized by Google

Alcoranum esse majus miraculum, quàm suscitationem mortuorum: & excellenter continere omnes alios Sacros Libros: & completi omnia tempora, præterita, præsentia, & futura. Algazel in professione fidei Mahumeticæ profitetur, Alcoranum esse قديم *aternum*, *subsistentem essentia Dei*. Alii communiter tenent, eum esse مخلوق غير *increatum*.

Sed duæ sunt præcipuè circa Alcoranum quæstiones. Prima est, utrum possit aliquid ei simile fieri ab ulla creatura. Secunda, utrum creatus sit in tempore: an verò increatus, & æternus.

Quoad primam quæstionem, certissimæ fidei est apud Moslemos, nihil par, aut simile ab ulla creatura Alcorano fieri posse, cùm id expresiè in Alcorano ipso asseratur: itaut oppositum credere, impium omninò sit ac blasphemum. Verùm quia nullus est adeò stolidus (dummodo stipes non sit) qui legendo Alcoranum, manifestè non agnoscat propositionis hujus vanitatem: ideo non defuerunt ex Moslemis ipsis, qui eam liberè negarent. Inter eos fuere Mardarienses, de quibus Ismael Sciahinsciah in suo Taarich, capite ى *de gente Moslemorum*, ita scribit: المردارية اصحاب عيسى بن صبيح المكنى بابي موسى المقلب بالمردار ويسمى راهب المعتزلة لانه تزهد وانفرد عن اصحابه بمسايل قبيحة جدا منها ان الناس قادرين على مثل هذا القران فصاحة ونظما وبلاغة وهو الذي بلغ في القول بخلق القران: *Mardarienses sunt assecla Isæ filii Sobeih, qui cognominatus fuerat Abu-Musa; vulgato autem nomine, Mardar. Vocabatur autem Monachus Mothazelitarum* (hi erant qui negabant attributa in Deo:) *religiosam quippe vitam professus est: & separavit se à suis sodalibus: tenuitque sententias admodum absurdas, ex quibus una fuit; quòd homines facere possent librum similem Alcorano in eloquentia, ordine, & elegantia. Et eò etiam audaciæ processit, ut asseveret, Alcoranum esse creatum.* Idem refert de hoc Sectario Gregorius Abulphargius Arabs Christianus, sed quem Mahumetani ipsi meritò plurimi faciunt, in Historia de Arabibus. Auctor Mahumetanus libri, qui inscribitur شرح المواقف *Declaratio stationum*, addit, hunc eumdem Novatorem docuisse, Arabes facere potuisse non solùm aliquid simile Alcorano, sed etiá حسن منه *melius illo*. Alius Auctor satis notus, nomine الشهير بابن السحار Sciahar Settanì, confirmat, ابطاله اعجاز القران من جهة الفصاحة والبلاغة: *illum pronunciasse, vanum ac futile esse, ponere miraculum in Alcorano, ob illius eloquentiam & elegantiam.* Neque solum Mardarienses, sed etiam alius Sapiens nomine العظام *Alnodham*, à prædicto Sciahar Settanì allegatus, nullum miraculum in Alcorano esse pronunciavit, nisi: من حيث الاخبار عن الامور الماضية والاتية ومن جهة صرف الدواعي عن المعارضة ومنع العرب من الاهتمام به جبرا او تعجيزا اذا لو خلاهم كانوا قادرين على ان يأتوا بسورة من مثله بلاغة وفصاحة ونظما: *Ex parte narrationis rerum præteritarum, & futurarum: & ex eo quod Deus averrit Arabes provocatos ad respondendum, ne responderent, neque ad hoc animum intenderent ex stupore, vel imbecillitate. Nam si liberos eos reliquisset, certè potuissent facere Suram similem Suris Alcoranicis in elegantia, eloquentia, & ordinis venustate.*

Quod attinet ad secundam quæstionem: utrum nimirum Alcoranus creatus sit, an verò increatus, & per consequens æternus: magnos multosque propugnatores habuit, & oppugnatores. Auctor Libri شرح المواقف superiùs allegatus, refert, Mahumetum ipsum dixisse: من قال القران مخلوق فهو كافر *Si quis dixerit Alcoranum esse creatum, infidelis est.* At verò Mardar, à Sciahar Settanì laudatus, nihili Prophetæ fui dicta faciens, & ut mulus strenuè adversus mulum recalcitrans, è tripode pronunciavit; كفر من قال بقدم القران *Infidelis est, qui dicit, Alcoranum esse æternum*, seu increatum. Non multum recessit ab hujus sententia insignis Doctor Giahedh, qui fuit Princeps Sectæ الجاحظية *Giahedhitarum*. Hic enim de Alcorano ita pronunciavit: ان القران جسد يجوز ان يقلب مرة رجلا ومرة حيوانا: *Alcoranus corpus est, quod converti potest aliquando in hominem, aliquando in bestiam.* Poterat verùs dicere, in bestiam tantummodo converti posse, nisi esset bestiis ipsis deterior.

Chalipha, seu summus Imperator Moslemorum Almamum (quemadmodum refert Almacinus ex insigni Chronologo Abu-giapher, pag. 128.) publico edicto definivit, de fide credendum, Alcoranum esse creatum: & deceretum ejus confirmavit Successor illius in Chaliphatu Vathecus, de quo ita scribit Auctor prædictus: وكان الواثق يقول بخلق القران والذي حسن له هذا القول احمد ابن ابي داويد بن عبد الملك وكان وزيرا وكتب الواثق الى جميع الامصار توحد المسلمين بان يقولوا بخلق وان يكتب على المساجد وغلظ ذلك وعظم على المسلمين وانكروا امد الانكار وكل من انكر هذا القول ولم يقبله ويقول به منهم من ضرب بالسياط ومنهم من حبس ومنهم من قتل: *Porrò Vatheeus asserebat, Alcoranum esse creatum. Qui verò perfusile illi hanc sententiam, fuit Ahmed filius Abu-David filii Abdolmalec, qui erat illius Vizirus* (seu Consiliarius.) *Scripsit autem Vatheeus ad omnes provincias, ut cogerent Moslemos ad profitendum, Alcoranum esse creatum: & ut hoc scriberetur super portas Meschitarum. Sed durum visum est hoc Moslemis, & grave; & obstinatissimè renuerunt illi assentiri. Quicumque autem recusabant edicto parere, vel illud recipere, ac profiteri; partim flagellis cædebantur, partim carceribus mancipabantur, partim occidebantur.* Sed Vathe-

Digitized by Google

Vatheci Successor Giaaphar Mottavacear, teste eodem Almacino اطلق من كان محبوسا بسبب خلق القران وسخط على محمد بن عبد الملك وزير المتعصم والواثق وعلى عمر بن الفرج الزحجي وعلى ابياح التركي وعلى احمد ابن ابي داوود قاضي القضاة:

Liberos dimisit eos, qui carceribus tenebantur inclusi ob rejectam Alcorani creationem: & indignatus est contra Mohammad filium Abdolmalec Vizirum Motaassemi, & revocavit edicta Motaassemi, & Vatheci, & Omaris filii Alphargi Zahagensis, & Abiahi Turcæ, & Ahmadi filii Abu-David, qui erat Judex Judicum. Mardar, qui tenuit creationem Alcorani, duos habuit discipulos, quorum uterque vocabatur Giaaphar: & hi litem ita composuerunt: ان الله تعالي خلق القران في اللوح المحفوظ لا يجوز ان ينتقل اذ يستحيل ان يكون الشي الواحد في مكانين في حالة واحدة وما نقراءه فهو حكاية عن المكتوب: الاول في اللوح المحفوظ: وذلك فعلنا خلقنا: *Deus excelsus creavit Alcoranum in Tabula custodita, unde non potest transferri aliò, cùm impossibile sit unam, eamdemque rem esse in duobus locis in unico statu. Alcoranus verò, quem nos legimus, est sermo, qui habetur per Scripturam. Prior Alcoranus est in Tabula Custodita: hic verò, quem legimus, est opus & factura nostra.* Sed videtur rem meliùs composuisse Algazel in professione Eslamica, dum definit, firmiter credendum: ان القران مقروء بالسنة مكتوب بالمصاحف محفوظ في القلوب وانه مع ذلك قديم قايم بذات الله لا يقبل الانفصال والفراق بالانتقال الي القلوب والاوراق: *Alcoranum legi, ac pronunciari linguis, scribi in Codicibus, conservari in memoriis: & nihilominus esse æternum, subsistentem in essentia Dei, nec recipere separationem aut divisionem ab ea per translationem in memorias, & in paginas.* Videtur hæc sententia velle, Ideam Alcorani esse in essentia Dei, & consequenter coessentialem & coæternam ipsi Deo. Sed in hoc non haberet majorem excellentiam Alcoranus, quàm quęlibet alia res creata: omnium quippe rerum ideę sunt in Deo: nec posset dici, descendisse à Throno Dei ad Cœlum lunæ ille idem Alcoranus, qui erat in Deo; sed alius juxta Ideam illius creatus, & in papyro descriptus. Et hoc videntur tandem velle Doctores Moslemi. Alioquin si ponunt Alcoranum increatum & ęternum subsistentem in Deo, qui non sit ipsamet essentia Dei, sed aliud aliquid ab ea distinctum: eogentur fateri, Alcoranum esse Deum, & quidem alium ab ipso Deo: in quo aliquid difficilius credent, quàm sit mysterium Sanctissimę Trinitatis.

Porrò cùm Moslemi tàm portentosa de Alcorano credant; non mirum si illum adeò superstitiosè venerentur. Non sinunt eum ab aliis, quàm à suis, legi, haberi, aut tangi. Et magno constaret Christiano, vel Judęo, vel alii cuilibet non Moslemo, si apud eum Alcoranus inveniretur. Ipsi etiam non nisi purificati illum tangunt, vel legunt. Quamobrem scribunt, vel formant in Alcorani Codicibus exterius hęc verba, لا يمسه الا المطهرون *Ne attingant eum, nisi purificati.* Illo utuntur ad juramenta sua: illum consulunt in graviorum rerum tractatione: illum gestant in bella: illius sententias in vexillis militaribus describunt: illum auro, ac lapidibus pretiosis exornant. Utinam Christiani, ac pręsertim Reges, & Principes, ea in ęstimatione haberent Euangelium Christi, in qua Mahumetani habent Alcoranum Mahumeti, Sed hęc breviter de Alcorano dicta sufficiant.

INDEX

Digitized by Google

INDEX CAPITUM VITÆ MAHUMETI.

Præfatio. pag. 1
Caput I. De Progenie Mahumeti. 10
Cap. II. De nativitate Mahumeti, & prodigiis, quæ in ea evenisse finguntur. ibi.
Cap. III. De iis, quæ post ortum Mahumeti evenere, usque ad illius profectionem in Syriam. 11
Cap. IV. De profectione Mahumeti in Syriam ad procuranda negotia Chadiges. 12
Cap. V. De iis, quæ Mahumeto in profectione Syriaca evenisse referuntur. 13
Cap. VI. De regressu Mahumeti è Syria, ejusque conjugio cum Chadige. 14
Cap. VII. De nova Secta à Mahumeto instituta. 15
Cap. VIII. Digressio circa Mahumeti idololatriam. 16
Cap. IX. De iis, qui primi Mahumeto adhæsere, 18
Cap. X. De emigratione Sociorum Mahumeti in Æthiopiam. 19
Cap. XI. De bis, quæ Mahumetus, & ejus asseclæ passi sunt ab infidelibus Meccanis. 20
Cap. XII. De nocturno Mahumeti itinere in Jerusalem, ejusque in cœlum translatione, & de incremento Sectæ illius. ibid.
Cap. XIII. De Transmigratione Mahumeti è Mecca in Medinam, quæ dicitur Hegira. 22
Cap. XIV. De bis, quæ primo Anno Hegiræ evenere. ibid.
Cap. XV. De Anno Hegiræ secundo. 23
Cap. XVI. De gestis à Mahumeto Anno tertio Hegiræ. 24
Cap. XVII. De gestis quarto Anno Hegiræ. ibi.
Cap. XVIII. De Anno quinto Hegiræ. 25
Cap. XIX. De iis, quæ Anno sexto Hegiræ evenere. ibid.
Cap. XX. De Anno septimo Hegiræ. 26
Cap. XXI. De octavo Anno Hegiræ: & expugnatione Meccæ. 27
Cap. XXII. De bis, quæ Anno Hegiræ nono evenere. 29
Cap. XXIII. De Anno decimo Hegiræ. ibid.
Cap. XXIV. De Anno decimoprimo Hegiræ, in quo mortuus est Mahumetus. 29
Cap. XXV. Quid post mortem Mahumeti evenerit: & de sepulchro ejus, ac de Templo Meccæ. ibid.
Cap. XXVI. De naturalibus, ac moralibus Mahumeti qualitatibus. 31
Cap. XXVII. De Uxoribus, filiis, aliisque rebus ad Mahumetum spectantibus. 32

De Alcorano.

Cap. I. De nomine Alcorani. 33
Cap. II. De Alcorani idiomate, versionibus, dispositione, & stylo. ibid.
Cap. III. De materia Alcorani. 34
Cap. IV. De Alcorani Auctore. 35
Cap. V. De Abrogatis in Alcorano. 42
Cap. VI. De æstimatione Alcorani apud Mahumetanos. 43

APPEN-

APPENDIX.

NE pagellæ vacarent, exhibui in eis epigraphas, seu titulos Surarum totius Alcorani ad numerum centum & quatuordecim. Poterit enim Lector ex tàm ineptis atque insulsis inscriptionibus agnoscere, cujus furfuris sit Liber ille, cui Mahumetani divinitatem ipsam tribuere non verentur.

Primæ Suræ titulus est, الفاتحة *Aperiens*. 2. البقرة *Vacca*. 3. ال عمران *Familia Amran*. 4. النساء *Mulieres*. 5. المايدة *Mensa*. 6. الانعام *Pecora*. 7. الاعراف *Alaraph*, (paries inter Paradisum & Gehennam.) 8. الانفال *Manubiæ*. 9. التوبة *Pœnitentia*. 10. يونس *Jonas*. 11. هود *Hud* (nomen Prophetæ fictitii.) 12. يوسف *Joseph*. 13. الرعد *Tonitru*. 14. ابرهيم *Abraham*. 15. الحجر *Hegrum* (nomen loci.) 16. النحل *Apes*. 17. الاسري *Iter nocturnum*. 18. الكهف *Spelunca*. 19. مريم *Maria* (Deipara.) 20. طه *Tab*. (Dictio ignotæ significationis.) 21. الانبياء *Prophetæ*. 22. الحج *Peregrinatio Meccana*. 23. المومنون *Fideles*. 24. النور *Lux*. 25. الفرقان *Distinctio*. 26. الشعراء *Poetæ*. 27. النمل *Formica*. 28. القصص *Historia*. 29. العنكبوت *Aranea*. 30. الروم *Romani*. 31. لقمان *Locman* (Æsopus.) 32. السجدة *Adoratio*. 33. الاحزاب *Conjurati*. 34. سبا *Saba* (regio.) 35. الملايكة *Angeli*. 36. يس *Jas*. (dictio ignotæ significationis.) 37. الصافات *Ordinatrices*. 38. ص *Sad* (character ignotæ significationis.) 39. الزمر *Caterva*. 40. المومن *Fidelis*. 41. فصلت *Distincta sunt*. 42. الشورى *Consultatio*. 43. الزخرف *Ornamentum*. 44. الدخان *Fumus*. 45. الجاثية *Genuflexa*. 46. الاحقاف *Alabkaph* (nomen loci.) 47. القتال *Bellum*. 48. الفتح *Aperitio* (seu Victoria.) 49. الحجرات *Conclavia*. 50. ق *Qoph* (character ignotæ significationis.) 51. الذاريات *Spargentes*. 52. الطور *Mons Sinai*. 53. النجم *Stella*. 54. القمر *Luna*. 55. الرحمان *Miserator*. 56. الواقعة *Casura*. 57. الحديد *Ferrum*. 58. المجادلة *Disceptatrix*. 59. الحشر *Congregatio*. 60. الممتحنة *Probata*. 61. الصف *Ordo*. 62. الجمعة *Conventus*. 63. المنافقون *Impii*. 64. التغابن *Fraudatio mutua*. 65. الطلاق *Repudium*. 66. التحريم *Prohibitio*. 67. الملك *Regnum*. 68. القلم *Calamus*. 69. الحاقة *Fatalis*. 70. المعارج *Gradus*. 71. نوح *Noe*. 72. الجن *Genii*. 73. المزمل *Involutus*. 74. المدثر *Coopertus*. 75. القيمة *Resurrectio*. 76. الانسان *Homo*. 77. المرسلات *Missæ*. 78. النباء *Nuncium*. 79. النازعات *Abstrahentes*. 80. عبس *Corrugavit faciem*. 81. التكوير *Involutio*. 82. الانفطار *Diffissio*. 83. التطفيف *Mensura injusta*. 84. الانشقاق *Scissio*. 85. البروج *Turres*. 86. الطارق *Noctu veniens*. 87. الاعلى *Altissimus*. 88. الغاشية *Operiens*. 89. الفجر *Aurora*. 90. البلد *Regio*. 91. الشمس *Sol*. 92. الليل *Nox*. 93. الضحا *Elevatio Solis*. 94. الشرح *Dilatatio*. 95. التين *Ficus*. (Alii الزيتون *Olea*.) 96. العلق *Sanguis coagulatus*. 97. القدر *Decretum*. 98. البينة *Evidentia*. 99. الزلزلة *Terræmotus*. 100. العاديات *Concitati equi*. 101. القارعة *Pulsatrix*. 102. التكاثر *Contentio multiplicandi*. 103. العصر *Pomeridianum*. 104. الهمزة *Detractor*. 105. الفيل *Elephantes*. 106. قريش *Corasini*. 107. الماون *Utensilia*. 108. الكوثر *Kautber* (Fluvius Paradisi.) 109. الكافرون *Infideles*. 110. النصر *Auxilium*. 111. ابولهب *Abulabeb* (Patruus Mahumeti.) 112. التوحيد *Unificatio*. 113. الفلق *Diluculum*. 114. الناس *Homines*.

Hæ verò tàm ridiculæ epigraphæ vix unquam cum Suris suis in argumento conveniunt: non secus ac si quis cerdo, vel barbitonsor apponeret tabernæ suæ signum caponis, vel myropolæ: vel si quis Ethnicus subscripsisset Jovis simulachro; *Mercurio Sacrum*.

Digitized by Google

PRODROMI
AD REFUTATIONEM
ALCORANI
PARS PRIMA,

In qua nulla Sacrarum Scripturarum oracula, quibus Christiana Religio confirmatur, Mahumeto, ejusque Sectæ suffragari demonstratur.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROOEMIUM.

VNam tantùm dari veram Religionem à Deo Optimo Maximo in sui ipsius cultum hominibus constitutam, nemo sanæ mentis, ut puto, negare audebit. Et nihilominus innumeræ propè nationes, quantumvis inter se contrariæ, de vera religione sibi blandiuntur. Inter has tres præcipuè gentes enumerantur: Judæi, Christiani & Mahumetani; quarum quælibet legitimum sibi Dei cultum attribuens, cæteras tanquam in errore versantes condemnat. Quidquid autem una ex his tribus nationibus ad religionis suæ veritatem comprobandam in medium adducit; duæ quoque aliæ pro se, si non proferunt, saltem proferre conantur: Sacrarum Scripturarum Oracula: miraculorum splendorem: legis sanctitatem: vitæ, morumque probitatem; ut Christiani contra Judæos, ac Mahumetanos; ita hi contra Christianos, & invicem contra se ipsos audacter fidenterque producunt. Hùc accedit, quòd quantumvis ardua, quantumvis paradoxa, quantumvis absurda una ex his habeat; semper se aliarum exemplo defensat ac tuetur, dum non minus, si non magis, incredibilia, & absona in illis esse contendit. Si Christianus Mahumeto uxorum turbam, liberumque ancillarum ad concubitum usum opponit: ille statim causam suam, Abrahæ, Davidis, ac Salomonis exemplo defendit. Si Judæus Moslemum irridet, quòd ipsius Propheta in Alcorano formicas, & upupas humano sermone loquentes inducat: hic & Serpentis Hevam, & Asinæ Balaam alloquentium historiam confestim reponit. Fidei prætereà Christianæ mysteria tàm ardua, ac difficilia, & prorsus inintelligibilia, & quædam prima fronte absona, & ab humana ratione aliena, latum exhibent hominibus malè erga illam affectis campum, quodlibet insanæ opinionis monstrum in alienis sectis comprobandi.

Cùm verò tres hæ sectæ, seu religiones inter se se maximè pugnent; nihilominus in qualibet earum quis versetur, illam mordicùs tenet, eò quòd eam solam veram, cæteras falsas existimet; ita ut non rarò, pro illa asserenda, sanguinem vitamque profundat. His difficultatibus quidam adacti, eò amentiæ prolapsi sunt, ut putarent, quamlibet sectam, etiam Idololatrarum, bonam esse, ac Deo placere, atque in ea æternam salutem posse obtineri. Hujus stultissimæ opinionis fuerunt quidam Mahumetani, de quibus Septemcastrensis in tractatu, quem inscripsit, *Turcicæ spurcitiæ*, hæc habet cap. 30. *Horum opinio est, quòd unusquisque salvatur in lege sua, & unicuique Genti, seu Nationi lex data est à Deo, in qua salvari debet; & æqualiter omnes leges bonæ sunt eas observantibus,*

nec aliqua præferenda est tanquam melior aliis. Refert etiam doctissimus, ac sapientissimus vir Clemens Tosius Abbas è Congregatione Sylvestrina in sua India Orientali par. 2. pag. 73. & 115. reperiri in regno Peguano quoddam Sacerdotum, seu Religiosorum genus (Telapoi appellantur) qui eadem insania laborant, à qua Brahmanes etiam non excipiuntur.

Verùm cùm Mahumetani ex præscripto Alcorani unam tantùm veram esse Religionem certissimè teneant; non est, quòd in hac opinione contra ipsos confutanda laboremus. Verum quidem est, aliquando in eodem Alcorano approbari tàm Judæis, quàm Christianis, & Sabæis, seu Sabaitis suam Religionem: sed Expositores communiter asserunt, hoc fuisse deinde à Mahumeto abrogatum per ea verba, quæ habentur in Sura 3. quæ inscribitur Arabicè آل عمران ideſt, *Familia Amran*, §. 83. ومن يبتغ غير الاسلام دينًا فلن يقبل منه وهو في الاخرة من الخاسرين ∴ *Et qui aliam religionem sectatus fuerit, quàm Eslam, nullo modo acceptabitur ab eo; & ipse in futuro sæculo erit ex pereuntibus*. Est autem religio Eslam illa, quam se profiteri jactabat Mahumetus, & quam Abraham, ac Prophetas omnes tenuisse, affirmabat. Non solùm autem docuit Mahumetus in una hac tantùm religione salutem reperiri, sed omnes ejusdem sectas, seu hæreses, in quas dividenda erat, ad æternam damnationem ducere pronunciavit. In quo sanè prudentiorem se ostendit Marco Antonio de Dominis Archiepiscopo Spalatrensi, à Catholica religione Apostata, ejusque Asseclis, qui docent, in qualibet Christianorum secta æquè benè, ac in Catholica Romana fide, quemlibet æternam salutem consequi posse. Est communis apud Moslemos traditio, ab Ismaele filio Aly, cognomine شاهنشاه Sciahinsciah, insigni inter Mahumetanos Chronologo, relata in suo Taarich, seu Chronico, cap. de Gente Moslemorum: quam etiam adducit Sciaher Settanius his verbis: فافترقت المسلمون علي ثلاث وسبعين فرقة والناجية من الفرق كلها واحدة كما قال صلي الله عليه وسلام ستفترق امتي علي ثلاث وسبعين فرقة الناجية منهم واحدة والباقون هلكا قيل ومن الناجية يا رسول الله قال اهل السنة والجماعة قال ما انا عليه واصحابي ∴

Divisi sunt Mahumetani in tres ac septuaginta sectas, ex quibus omnibus una ducit ad salutem; quemadmodum dixit Propheta Mahumetus sanctæ memoriæ: Dividetur gens mea in tres ac septuaginta sectas, ex quibus unica salutem consequetur; cæteræ verò perditioni erunt obnoxiæ. Cùmque dictum fuisset illi: O legate Dei, quænam secta salutem assequetur? Respondit: Illa, quæ profitebitur Sonnam, & Concilium: nimirum, quod ego, & socii mei profitemur.

Posito igitur ut certo & indubitato, unam tantùm veram esse religionem, in qua homines Deo placere, & æternam salutem consequi valeant: necessariò etiam fatendum est, ad divinam providentiam spectare, tàm clara, & evidentia ad eam ab aliis falsis ac fallacibus sectis discernendam argumenta à Deo mortalibus exhiberi, ut quisquis eam amplecti cupiat, non possit nisi ex propria culpa aberrare. Id manifestè ostendit David, illis verbis. *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis*, Psal. 92. *Præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*, Psalm. 18. *Lucerna pedibus meis verbum tuum, & lumen semitis meis*, Psal. 118. Quibus

bus consonant alia plura Sacrarum litterarum testimonia. Alioquin, si nullum esset à Deo constitutum argumentum, quo vera religio à falsa dignosci posset, liberum esset unicuique Sectam, quam vellet, amplecti: neque in hoc culpam ullam admitteret. Supereſt, ut quænam sint hæc veræ religionis indicia, seu notæ, solerter perquiramus.

Ne quis verò existimet, veræ religionis notas esse, vel magnitudinem imperii, atque ampla terrarum, quæ occupat spatia: vel temporis, quo perseveravit, diuturnitatem: (quamquam vera religio, quoad veritates æternas, eadem semper fuit ab ipsis mundi incunabulis, & erit usque ad illius finem:) vel victoriarum gloriam, & armorum felicitatem: vel perpetuos rerum secundarum eventus: vel quarundam virtutum moralium charitate destitutarum usum, propriæve legis, ac rituum exactam observantiam: vel crebras, aut prolixas preces, sive austera frequentiaque jejunia, seu multas corporis afflictationes, spontaneosque cruciatus, vel alia hujusmodi: hæc eadem non rarò in falsis sectis, magis quàm in vera religione reperiri cognovimus. Quis enim imperii magnitudine Romanos æquavit? Quot ætates Idololatria vidit, & quàm magnam terrarum orbis partem occupavit, hodieque occupat? Quis Alexandro Macedone, vel Julio Cæsare in bellis fuit fortunatior? Quanta cum gloria, virtutum quarundam moralium hujus generis praxis floruit in veteri illa Romanorum, vel Spartanorum Republica; qui etiam suarum legum, ac sacrorum adeò tenaces erant, adeòque in iis observandis exacti; ut leviſſimus in illis error, graviſsimi sceleris loco duceretur? In austerioris autem vitæ rigore, rerumque omnium terrenarum contemptu, pauci admodum Diogenem Cynicum, ejusque asseclas assecuti sunt. Si verò de jejuniis, precationibus, cœlestium rerum contemplatione, ab hominum rerumque omnium humanarum recessu agamus; non modò ex veterum scriptorum monimentis, sed etiam ex eo, quod hoc ipso tempore fieri vel videmus, vel audimus; Sabaithæ, Brahmanes, Gymnosophistæ, Bonzii, admirationem his in rebus afferunt universis. Alia ex parte Israeliticam gentem, populum Dei electum quondam fuisse, veram fidem, veram religionem habuisse, neque Christiani, neque Moslemi negant, aut negare possunt. Et nihilominus illorum imperii fines Palestinæ provinciæ angustias non excessere: religio verò non multò latiùs, quàm regnum se se extendit. Frequentiſsimas, & graviſsimas clades à Philistæis, Chaldæis, Assyriis, Græcis, Romanis accepere: nec semel in miserrimam totius gentis captivitatem ab hostibus redacti sunt. Tot verò ac tanta in iis scelera, ac flagitia, tùm contra morales virtutes, tùm contra religionem ipsam ferè perpetuò fuere; ut sacrorum scriptorum, & præsertim Isaiæ testimonio, Idololatras ipsos longè in iis superaverint. Nec tamen legimus (etiam cùm modestiùs, ac temperantiùs se gererent) illos aut crebris jejuniis, aut frequentibus precibus, aut corporis afflictationibus se se exercuisse. Quin & in legum, sacrorumque suorum observantia adeò socordes, ac negligentes erant, ut quemadmodum lib. 4. Reg. cap. 22. legimus, Josia Sanctiſsimo Principe regnante, prodigii propè loco habitum sit, ut unus Divinæ legis codex pervetustus (nam cæteri omnes vel perierant, vel ignorabantur) in templi angulo repertus sit. Et nihilominus populus idem Israeliticus hoc tempore, quo tàm ex nostra, quàm ex Mahumetanorum sententia, vera caret religione, & est Deo maximè exosus, adeò exactus, atque attentus in suarum legum, ac traditio-

num obſervantia apparet, ut in ſuperſtitionem propè degeneret. Et ubi anteà tàm frequenter in Idolorum cultum ruebat; nunc conſtantiſſimè unius Dei cultum retineat. Negari tamen non poteſt, aliqua etiam ex ſupradictis eſſe argumenta veræ religionis ſaltem probabilia; præſertim ſi ſimul conjuncta reperiantur, quemadmodum in Chriſtiana lege reperta ſunt antequam Moslemorum ſecta invaleſceret, & tot hæreſes in Eccleſiam Chriſti inveherentur: & hodie etiam (præſertim ſi de veris virtutibus loquamur) reperiuntur. Nihilominus his prætermiſſis, ad certiora argumenta, & quæ à Mahumetanis ipſis admittuntur, veniamus. Sunt autem hæc quatuor: nempe, Oracula Sacrarum Scripturarum: gloria miraculorum: veritas Dogmatum: Sanctitas morum, quæ in veræ Religionis profeſſoribus tantummodò reperitur, quamvis non in omnibus, ſed ſæpè in paucis; in iis videlicet, qui ejuſdem religionis leges, & inſtituta ritè obſervant. Nos, cæteris omiſſis, ea fortaſsè, Deo favente, aliàs tractaturi, de primo tantùm nunc agemus, utpote præcipuo, & quo ſolo Mahumetica ſecta tota corruat, ac penitùs diſſolvatur.

PRÆCIPUUM VERÆ RELIGIONIS ARGUMENTUM,

Sacrarum Scripturarum Oracula.

NULLO alio testimonio magis sectam suam Mahumetus confirmare conatur, quàm sacrorum Librorum, veteris scilicet, ac novi Testamenti, auctoritate. Quamvis autem Pentateuchi, & Euangelii tantummodò mentionem faciat, quorum primum التوراة *Altaurat*: Secundum الانجيل *Alangil*, corrupta Hebraica, & Græca voce, appellat: certum tamen est Pentateuchi nomine universos veteris Testamenti libros comprehendere, quod Hebræi etiam facere consueverunt, ut affirmat R. Bechai in Cad Hakemah in voce סוכה *Succa*. Ita testatur Ahmedus filius Abdolhalimi præcipuus inter Mahumetanos Doctor, part. 2. suæ Apologiæ contra Christianam Religionem pro secta Mahumetana, his verbis: فقوله اخبرني بصفة رسول الله في التوراة قد يراد فيه نفس الكتب كلها وكلها تسمي توراة: *Per hoc autem, quod dicitur: Annuncia mihi Epitheton Legati Dei in Pentateucho, intelliguntur omnes Sacræ Scripturæ, & omnes vocantur Pentateuchus*. Et paulò post: ولفظ التوراة قد عرف انه الكتب يراد جنس الشي يقراها اهل الكتاب فيدخل في ذالك الزبور ونبوة اشعيا وساير النبوات خلا الانجيل: *Sub hoc nomine Pentateuchi veniunt generatim omnes libri Sacri, qui à Scripturalibus* (nimirum à Judęis, & Christianis) *leguntur. Atque ita ingrediuntur in hoc nomen Psalmi Davidis, & Prophetia Isaiæ, & cæterorum Prophetarum libri, excepto Euangelio*. Eodem modo sub nomine Euangelii comprehendunt sine dubio Mahumetani cęteros libros Testamenti novi: quamobrem hic idem Auctor, & alii, quos videre potui, adducunt auctoritates ex Epistolis S. Petri, & ex Actis Apostolicis, & ex Apocalypsi, non secus ac ipsorum Euangeliorum testimonia.

Porrò vix extat pagina in Alcorano, in qua hi sacri libri magna cum laude non commemorentur. Quin & Mahumetus fatetur, illos esse verbum Dei, & regulam infallibilem veritatis, necessariam omninò ad æternam felicitatem consequendam. Præcipua hìc tantùm loca producere satis habeo. Sect. 2. de Vacca. §. 4. ita fingit Deum secum loquentem: والذين يومنون بما انزل اليك وما انزل من قبلك وبالاخرة هم يوقنون اوليك على هدى من ربهم واوليك هم المفلحون: *Et qui credunt in librum tibi revelatum: & in libros revelatos ante te: & de futura vita certam habent fidem: hi dirigentur à Domino suo, & beatitudinem consequentur*. Pro libro revelato Mahumeto intelligunt communiter Interpretes Alcoranum. Pro libris verò revelatis ante eum, Pentateuchum, & Euangelium. Sect. 3. de Familia Amran, fingit hęc sibi à Gabriele dici. الله لا اله الا هو الحي القيوم نزل عليك الكتاب بالحق مصدقا لما بين يديه وانزل التوراة والانجيل من قبل هدي للناس: *Nullus est Deus alius, præter Deum: misit ad te librum* (Alcorani) *in veritate, confirmantem libros ante te revelatos: & miserat anteà Pentateuchum, & Euangelium ad hominum directionem*. Ibidem §. 82. jubet suos Asseclas ita dicere: منا بالله وما انزل علينا وما انزل على ابراهيم واسماعيل واسحق ويعقوب والاسباط واوتي موسي وعيسي والنبيون من ربهم لا نفرق بين احد منهم *Credimus in Deum, & in librum* (Alcorani,) *qui traditus fuit nobis: & in libros, qui traditi fuerunt Abrahæ, & Ismaeli, & Isaac, & Jacob, & Tribubus Israel: & in eos, qui traditi fuere Moysi, & Jesu, & Prophetis à Domino ipsorum: nullum inter hos discrimen facimus*. Id est, omnes hos libros pari fide, ac veneratione suscipimus. Quòd verò librorum Abrahę, Ismaelis, Isaac, &c. mentionem facit, indicat erroneam Moslemorum opinionem,

Digitized by Google

qui non solùm his, sed etiam aliis Sacros Libros à Deo traditos fuisse credunt: nimirum, Adæ unum, ac viginti libros: Seth novem ac viginti libros: Henoch triginta: Abrahæ verò decem. Nullum tamen ex his ipsis habent, vel ostendere possunt. Eadem propè verba habet Sect. 4. de Mulieribus. §. 162.

Ubi Deum ita loquentem inducit: انّا اوحينا اليك كما اوحينا الي نوح والنبيين من بعد واوحينا الى ابرهيم واسمعيل واسحق ويعقوب والاسباط وعيسى وايوب ويونس وهرون وسليمن واتينا داود زبورا: *Nos sanè* (Alcoranum) *tibi revelavimus, quemadmodum revelavimus* (aliis Sacros Libros) *Noe, & prophetis post eum: & revelavimus Ismaeli, & Isaac, & Jacob, & Tribubus Israel, & Jesu, & Job, & Jonæ, & Aroni, & Salomoni, & dedimus Davidi Librum Psalmorum.* Sect. verò 5. de Mensa §. 72. loquens de Judæis, & Christianis, hæc habet: ولو انهم اقاموا التورية والانجيل وما انزل اليهم من ربهم لاكلوا من فوقهم ومن تحت ارجلهم: *Quòd si ipsi observarent Tentateuchum, & Euangelium, & id quod traditum fuit illis à Domino ipsorum; certè comederent de supra se, & de sub pedibus suis.* Id est, juxta Gloſſam Gelaleddini, copioſiſſimas à Deo opes obtinerent.

Supervacaneum est plura ex Alcorano loca congerere, ut probetur, Mahumetum ac Mahumetanos Sacrarum Scripturarum, & præsertim Pentateuchi, & Euangelii Divinam auctoritatem admittere, & in illis veræ Religionis fundamentum conſtituere. Illud etiam cum Mahumeto, & Mahumetanis nobis conveniat, non solùm Prophetam, qui novam legem Dei nomine hominibus traditurus sit, & veterem aboliturus, indigere præcedentibus Sacrorum Librorum vaticiniis in testimonium suę veracitatis, ut latè probat Ahmedus filius Abdolhalimi in sua Apologia superiùs allegata: verùm etiam Chriſtum Dominum non promulgasse legem suam Euangelicam, atque Mosaycam abrogasse, nisi Pentateuchi, & Prophetarum præviis Oraculis suffultum. Quamobrem ea ferè omnia de Chriſti adventu, & prædicatione Oracula in Sacris Scripturis veteris Testamenti admittunt, quæ nos admittimus. Id fatetur Mahumetus ipse in Alcorano Sectione 5. de Mensa §. 50. ubi Deum ita loquentem inducit: وقفينا على الانبياء بعيسى ابن مريم مصدقا لما بين يديه من التورية واتيناه الانجيل فيه هدى ونورا ومصدقا لما بين يديه من التورية وهدى وموعظة للمتقين وليحكم اهل الانجيل بما انزل الله فيه ومن لم يحكم بما انزل الله فيه فاولئك هم الفاسقون: *Et subsequi fecimus post Prophetas, Jesum Filium Mariæ; qui verificavit id quod antèd prædictum fuerat in Pentateucho* (id est oſtendit, ac probavit vaticinia Pentateuchi, seu veteris Testamenti de se verificata fuisse:) *& dedimus ei Euangelium, in quo est directio, & lux, & confirmatio, ac verificatio illius, quod prædictum fuerat in Pentateucho: & directio, & exhortatio timentibus Deum. Judicent ergo* (Chriſtiani) *qui profitentur Euangelium juxta id quod Deus in eo manifestavit. Qui verò non judicaverint juxta id, quod manifestavit Deus, hi sunt prævaricantes.* Possem sexcenta alia testimonia tùm ex Alcorano, tùm ex Doctoribus Mahumetanis producere ad hoc ipsum comprobandum. An verò poterunt Mahumetani idem de Mahumeto, atque illius nova lege demonstrare? Hoc nunc à nobis inquirendum est.

Jactat sanè Impoſtor non semel in Alcorano, se in Pentateucho, & Euangelio prædictum fuisse: atque hoc tanta fiducia, ut aſseclas suos hortetur ad Judęos, & Chriſtianos adeundos, ut eos consulant, & ab ipsis intelligant, verum esse id, quod de se ipse affirmabat. Quamobrem sect. 10. de Jona. §. 93. inducit Deum ita secum loquentem: فان كنت في شك مما انزلنا اليك فاسئل الذين يقرون الكتاب من قبلك: *Quòd si dubitatio aliqua in te suboriatur circa ea, quæ tibi revelavimus, interroga illos, qui ante te sacra volumina legerunt.* Explicat eum cęteris Interpretibus Gelaleddinus: فاسئل الذين يقرون التورات من قبلك فانه ثابت عندهم بخبرونك بصدقه: *Interroga eos, qui legerunt Pentateuchum ante te* (id est Judæos, vel Chriſtianos:) *nam hic manet integer apud eos: & docebunt te vera esse, quæ tibi revelavimus.* Hoc idem fingit Deum præcipere aſseclis suis Sect. 21. de Prophetis. §. 7. his verbis: وما ارسلنا من قبلك الا رجالا نوحي اليهم فسئلوا اهل الذكر ان كنتم لا تعلمون: *Et non misimus ante te nisi homines, quibus arcana noſtra revelavimus. Atqui interrogate professores Scripturarum, si vos nescitis.* Explicat idem Gelaleddinus: فسئلوا العلماء في التورية والانجيل: *Interrogate eos, qui sunt periti in Pentateucho, & Euangelio.*

Verùm cùm timeret Mahumetus (quippe qui non omninò stipes esset) poſse in hoc se mendacem deprehendi; sententiam mutavit, insiſque præcepit, ut neque approbarent, neque reprobarent id quod Judæi ex Pentateucho, & Chriſtiani ex Euangelio ipsis legisient. Atque ita eos commonet Sect. 29. de Aranea. §. 46. لا تجادلوا اهل الكتاب الا بالتي هي احسن وقولوا امنا بالذي انزل الينا وانزل اليكم والهنا والهكم واحد ونحن له مسلمون: *Ne disputetis cum Scripturalibus,* (ideſt Judæis, & Chriſtianis) *nisi humanis, & modeſtis verbis, dicentes: Credimus in Librum traditum nobis, & in Libros traditos vobis: & Deus noſter, & Deus veſter est unus, & nos illi devoti sumus.* Addit Gelaleddinus: ولا تصدقوهم ولا تكذبوهم في ذلك: *ne illos veraces, sed neque mendaces esse dicatis in hoc.* Confirmat hoc idem celeberrimus Doctor Albocharius par. 30. Alcoranicarum traditionum, his verbis: حدثني محمد بن بشار قال حدثنا عثمان بن عمر قال اخبرنا علي بن المبارك عن يحيى بن ابي كثير عن ابي سلمة عن ابي هريرة قال كان اهل الكتاب

الكتاب بقرون التوراية العمرانية وبغيرونها بالعربية لاهل الاسلام فقال رسول الله ص لا تصدقوا اهل الكتاب ولا تكذبوهم وقولوا امنا بالله وما انزل الينا وما انزل اليكم : *Narravit mihi Mohamed filius Basciar, dicens : Narravit mihi Othman filius Homar dicens : Narravit nobis Aly filius Almobarec, sc audivisse à Jahia filio Ebnolathir, qui audierat ab Abusalma, qui audierat Abuhorzira, his verbis : Legebant Judæi Pentateuchum in idiomate Hebraico, & explicabant eum Arabicè Mahumetanis. Dixitque illis Legatus Dei Mahumetus : Ne approbetis, ut vera ea, quæ legunt Judæi, neque reprobetis ea ut falsa: sed dicite : Credimus in Deum, & in Alcoranum nostrum, & in Pentateuchum vestrum.* Ita locutus est Veterator, ne palam mendax deprehenderetur, dum anteà Judæorum, & Christianorum Sacros Libros pro testimonio eorum, quæ de se jactabat, allegasset.

Verùm cùm videret, eosdem contra se suis ipsius verbis pugnare, manifestè ostendentes, nihil esse in Pentateucho, nihil in Euangelio, quod ad ipsum pertineret : ad miserum subterfugium recurrit. Tàm Judæos, quàm Christianos fraudis insimulavit, quòd nimirum vaticinia, quæ in Pentateucho, & Euangelio de se, suoque adventu scripta erant, vel sacrilegè abolevissent, vel malignè occulerent. Nulla est ferè in Alcorano pagina, in qua hoc scelus Scripturalibus, & præsertim Judæis non objicìat. Sect. 5. de Mensa. §. 16. ita Deum contra eos loquentem inducit : يا اهل الكتاب قد جاءكم رسولنا يبين لكم كثيرا مما كنتم تخفون من الكتاب ويعفوا عن كثير *O Scripturales, jam venit ad vos Legatus noster* (Mahumetus) *multa vobis manifestans, ex iis, quæ abscondebatis ex Scripturis; & multa dissimulans.* Idest, non ea vobis manifestans, quia nihil profuissent ad correptionem vestram, sed tantummodo ad probrum, & confusionem vestram. Ita explicat Gelaleddinus. Hoc idem innuit Sectione 2. de Vacca, §. 88. Ubi loquens contra Judæos, hæc habet. ولما جاءهم كتاب من عند الله مصدقا لما معهم وكانوا من قبل يستفتحون على الذين كفروا فلما جاءهم ما عرفوا كفروا به فلعنة الله على الكافرين بيسما اشتروا به انفسهم ان يكفروا بما انزله الله بغيا ان ينزل الله من فضله على من يشا من عباده فباوا بغضب على غضب : *Postquam autem venit ad eos Liber* (Alcorani,) *qui verificatur à libro ipsorum* (idest qui consonat Pentateucho:) *anteà verò implorabant auxilium à Deo adversus eos, qui non credidissent* (Mahumeto venturo,) *postquam, inquam, venit ad eos ille, quem anteà venturum esse sciebant, nolucrunt credere in illum. Verùm maledictio Dei super incredulos. O pretium infelix, quo vendiderunt animas suas, ut abnegarent id, quod revelavit Deus, ob invidiam, quòd Deus communicaret gratiam suam cui vellet de servis suis. Iram igitur super iram commeruerunt.* Sensus horum verborum est, juxta Glosam Gelaleddini ; Judæos, & Christianos anteà expectavisse adventum Mahumeti ; quem ex Pentateuchi, & Euangelii vaticiniis cognoverant : & implorasse Divinum auxilium contra eos, qui noluissent credere in illum. At ubi jam præsentem viderunt, avaritia, & invidia permotos, occultasse, vel delevisse è suis libris vaticinia, quæ de ipso extabant.

Libet hìc addere traditionem, seu fabellam ex Albochario, par. 30. Alcoranicarum traditionum, quę ita se habet : حدثنا موسي ابن اسمعيل قال حدثنا ابراهيم قال اخبرنا ابن عيهاب من عبيد الله ان ابن عباس قال كيف تسلون اهل الكتاب من شي وكتابكم الذي انزل على رسول الله احدث تقرونه محضا لم يشب وقد حدثكم ان اهل الكتاب بدلوا كتاب الله وغيروة وكتبوا بايديهم الكتاب وقالوا هو من عند الله ليشتروا به ثمنا قليلا الا ينهاكم ما جاءكم من العلم عن مسيلتهم لا والله ما راينا منهم رجلا يساللكم عن الذي انزل عليكم : *Narravit nobis Moyses filius Ismaelis dicens : Narravit nobis Abraham, dicens : retulit nobis Ebnofciabah ex relatione Obeid Allah, quòd Ebnabas dixerit: Quomodo petetis à Scripturalibus* (Judæis, & Christianis) *aliquid; cùm Alcoranus vester traditus Legati Dei, sit novissimus Sacrorum Librorum, quem legitis purum putum, & nondum fenuit? Et jam denunciavit vobis Mahumetus, quòd Judæi, & Christiani immutaverunt Sacras Scripturas, & variaverunt illas, & scripserunt manibus suis Librum, dicentes : Hic est à Deo ; ut lucrarentur per hoc exiguum pretium. An non detinet vos ab eo interrogando auctoritas Alcorani? Numquam certè vidimus aliquem Mahumeti in Alcorano, quo jubentur Mosemi interrogare Judæos, & Christianos de iis, quæ de ipso scripta sunt in Pentateucho, & Euangelio.* Et nescio qua fronte Albocharius contrarium asserat in suis traditionibus, dicens : قول النبي ص لا تسالوا اهل الكتاب من شي : *Dixit Propheta Mahumetus : Ne interrogetis Scripturales de ulla re.*

Ne verò gratis hanc fraudem Scripturalibus Mahumetus imposuisse videatur, duo pro se ex Sacris Libris testimonia in Alcorano adducit. Primum, Sect. 7. quæ inscribitur Alaaraph. §. 149. His verbis : الذين يتبعون الرسول النبي الامي الذي يجدونه مكتوبا عندهم في التورات والانجيل يامرهم بالمعروف وينهيهم عن المنكر ويحل لهم الطيبات ويحرم عليهم الخبائث ويضع عنهم اصرهم والاغلال التي كانت عليهم فالذين امنوا به وعزروه ونصروه واتبعوا النور الذي انزل معه اولئك هم المفلحون : *Qui secuti fuerint Legatum, Prophetam Idiotam, quem reperient scriptum apud se in Pentateucho, & Euangelio, præcipientem ipsis justum, & prohibentem injustum : concedentem res bonas, & interdicentem ipsis malas; & deponentem ab eis onus grave eorum, & vincula, quibus detinebantur : qui, inquam, credide-*

Digitized by Google

diderint in eum, & secuti fuerint lucem, quæ demissa est cum eo; & suppetias illi tulerint, & adjuverint eum; hi erunt fortunati. Alterum Sect. 61. quæ inscribitur. Oedo. §. 6. his verbis: وإذ قال

عيسى ابن مريم يا بني اسرائيل اني رسول الله اليكم مصدقا لما بين يدي من التورية ومبشرا برسول يأتي من بعدي اسمه احمد فلما جاءهم بالبينات قالوا هو

سحر مبين: *Et* (memento) *cùm dixit Jesus Filius Mariæ: O Filii Israel, certè ego missus sum ad vos Legatus à Deo, ut verificem Pentateuchum, qui traditus fuit ante adventum meum: & ut annunciem Legatum alium, qui venturus est post me, cujus nomen erit Ahmed. Cùm verò venisset ad eos cum clarissimis argumentis, dixerunt: Hic est manifestus præstigiator.* Verùm nihil hujusmodi vel in Pentateucho, vel in Euangelio reperitur.

Respondent Mahumetani, neque hæc, neque alia de Mahumeto testimonia in Pentateucho, & Euangelio inveniri, quia in illo à Judæis, in hoc à Christianis malignè sublata sunt, quemadmodum Alcoranus ipse sæpè testatur. Valdè tamen mirum est, si tàm multa erant in Sacris Libris de Mahumeto vaticinia, hæc tantùm duo ab ipso fuisse allegata.

Sed ut miserum hoc effugium Mahumetanis omninò præcludamus; evidenter ostendemus, Sacras Scripturas, quæ hodie apud Judæos, & Christianos reperiuntur, numquam quod ad substantiam attinet, corruptas, aut mutatas fuisse: sed integras omninò esse, & illibatas, & quales erant ante Mahumeti adventum, quando, ut ipsemet fatetur, omni vitio, corruptioneque carebant. Porrò cùm Mahumetus paciat primum, ac præcipuum superstitionis suæ fundamentum supra Sacrorum Librorum novi, veterisque Testamenti Oracula; si ostenderimus, nihil esse in his, quod illi suffragetur, imò omnia eidem adversari; cadet illa per se, ruetque, penitusque exterminabitur.

Probatur integritas Sacrorum Librorum.

PRæmitto; ad hoc, ut aliquis Auctor dici possit integer, & incorruptus, non esse necessarium, ut nullum in eo erratum, vel defectus, vel nulla lectionum varietas reperiatur: alioqui nullus penè liber dici posset incorruptus. Et quidem non solùm in Sacræ Scripturæ versionibus, cujuscumque sint idiomatis, errata aliquot irrepsere, sive ex Amanuensium incuria, sive ex Interpretum minori, quàm par erat, attentione, sive etiam insciti: verùm & in ipsis fontibus Hebraicis, & Græcis defectus aliquot reperiuntur. Ut enim Interpretes infallibilem Spiritus Sancti assistentiam non habuerunt, qua errare in interpretatione non possent: ita nec Amanuenses, qui ex Originalibus transcripsere, illam habuisse credendi sunt, ita ut hi quoque in aliquas mendas labi non possent. Hoc liquido in Hebraico Textu agnoscitur, in quo illa tàm celebris correctio facta fuit, quæ תִּקּוּן סוֹפְרִים, ideſt *Scribarum correctio* communiter appellatur. Additæ sunt præterea in eodem variæ lectiones, quæ sub vocibus כְּתִיב Kethib, & קְרִי Kethi ad marginem notari soleant: & juxta nonnullos ad 1171. perveniunt. Has autem correctiones, variasque lectiones ex Amanuensium erratis ortas fuisse non est dubitandum. Hoc idem in Alcorano evenisse certum est, cùm & in ipso plurimæ variæ lectiones reperiantur, quas Expositores Moslemi solerter adnotarunt. Diffident etiam inter se Alcorani Exemplaria in titulis Surarum, sive Sectionum, in numeris periodorum, in Commatum distinctionibus, & aliis hujusmodi, quæ sæpè notabiliter Tententiam immutant. Neé tamen propterea concedent unquam Mahumetani, Alcoranum vitiatum esse, vel corruptum. Certum præterea est, Alcoranum apud Persas, & Sciahitas non esse omninò eumdem, qui apud Turcas, & cæteros Sonnitas: sed magnum inter utrumque, etiam in substantialibus, discrimen reperiri. Quamobrem omnia Alcorani exemplaria, quæ ex expugnata Bagdado, seu Babylone Constantinopolim allata sunt; in loco Palatii Regii recondita fuerunt, anathematis pœna constituta iis, qui ea legisset. Ita refert Auctor historiæ imperii Othomannici præsentis status. Et nihilominus tàm Sciahitæ, quàm Sonnitæ credunt, se verum, & incorruptum habere Alcoranum. Porrò si in textu originario Arabico Alcorani hæc eveniunt, quid de illius versionibus in alia idiomata putandum erit?

Verùm ut ad id, quod primò proposueram, regrediar, directèque Moslemis respondeam; dico fallum esse omninò, vel à Judæis, vel à Christianis Sacros Libros Pentateuchi, & Euangelii, seu veteris, ac novi Testamenti (de his enim tantùm loquitur Alcoranus,) simpliciter, & absolutè corruptos fuisse. Fateor non defuisse ex nostris aliquos, etiam magni nominis Auctores, qui vaticinia aliquot ad Christi adventum spectantia, è veteri Testamento à Judæis malignè sublata, vel depravata fuisse affirmarent. Verùm à cæteris Doctoribus communiter hæc sententia, ut falsa, & Christianæ religioni nimis perniciosa, rejicitur. Nam cùm vetus Testamentum sit veluti basis, & fundamentum ejusdem religionis; si hoc corruptum depravatumque sit, vacillat, & penè corruit ista; nihilque solidi pro fide nostra firmanda relinqui videtur. Et nihilominus illi, qui contrarium asseruere, nullo modo locuti sunt, neque loqui potuerunt de corruptione universali, aut substantiali; sed de unius, aut alterius loci depravatione, quæ in eo sita effet, quòd cùm in Hebraico Textu duplex esset lectio; Judæi eam, quæ Christianæ religioni magis favebat omittentes, minùs favorabilem retinuerunt. Sed neque hoc verum est, cùm non rarò retineant eam lectionem, quæ magis Fidei nostræ favet, & oppositam à Textu rejiciant. Quod verò iidem Judæi in odium Christi & Christianorum simul conspiraverint, & dolo malo vel unam tantùm Sacrorum voluminum periodum corruperint, ab omni prorsùs veritate, & verosimilitudine abhorret: imò nullo modo id fieri potuisse, inferiùs patebit: Multò verò minus concedimus, corruptum, aut depravatum fuisse novum Testamentum à Christianis, ut deblaterat Mahumetus; ne ea, quæ de ipsius adventu in illo prædicebantur, appareret. Porrò, ut res evidentior fiat, afferam hic argumenta, quibus probetur, neque à Judæis, neque à Christianis potuisse Sacros Libros universaliter, aut substantialiter depravari.

Primum ac præcipuum argumentum est, Divina providentia, ad quam spectat legem suam inter homines conservare unà cum iis libris, qui ad veram Dei agnitionem, cultumque legitimum sunt necessarii, & quibus veram à falsa religione dignoscere possimus: alioquin omnia erunt confusa, incerta, ac tenebris plena. Quin & pro Mahumetanis ipsis res malè agetur: nameùm hi legem ac sectam suam (licet falsò)

Pen-

Pentateuchi, & Euangelii Oraculis ſtabilire ſe putent; ſi hæc depravata ſint, ac proinde fide careant; Religionis ſuæ veritatem nullo modo oſtendere poterunt, vel comprobare. Neque ſatis eſt, ſi dicant, extare Alcoranum: nam Alcoranus eſt in hac controverſia pars; neque poteſt in propria cauſa eſſe teſtis, vel judex, niſi aut mendax, aut ſuſpicioſus. Idemque dicendum eſſet de Euangelio, niſi teſtimonium Pentateuchi, & Prophetarum præcedentium poſſet proferre.

Secundum argumentum eſt, accuratiſſima diligentia, ac vigilantia, qua Hebræi veteris Teſtamenti, Chriſtiani verò tùm novi, tùm veteris libros ſemper cuſtodierunt. Incredibile eſt, quantum hac in re illi ſemper fuerint accurati, etiam ante ortum Mahumeti. Non ſolùm libros omnes, & capita librorum, ſed etiam periodos, dictiones, characteres, & apices in Sacris Bibliis enumeravere. Inſuper adnotarunt, quoties quælibet dictio, & qua forma in iiſdem ſcripta reperiatur. Tantam verò, ac tàm exactam curam in Sacris Codicibus exſcribendis adhibent, ut in ſuperſtitionem degenerare videantur. Viginti de hoc præcepta enumerat R. Moyſes in tractatu de lib. Leg. cap. 10. Inter quæ decimum eſt, ut ab homine Hæretico, vel profano exſcribi non poſſint. Undecimum, ut ſcriptor ita attentus ſit, dum aliquod ex Dei nominibus exarat; ut ſi eo tempore à Rege Iſraelis ſaluetur, ſalutem illi reddere non debeat. Duodecimum, & decimum tertium, & decimum quartum, ac decimum ſextum; ut ſi in ſcribendo literula ulla per incuriam vel addatur, vel detrahatur: ſi unus character ab alio nimis diſtet, vel eidem plus juſto adhæreat; totus liber profanus habeatur. Vix etiam credi poteſt, quanta religione Sacra volumina in Synagogis ſuis aſſervent, quantaque reverentia manus illis admoveant: itaut, ſi fortuito aliquo caſu in terram decidant, id tamquam flagitium aliquod, aut ſcelus jejunio expiandum decernant. Multò verò major, licet ab omni ſuperſtitione immunis, eſt, ſemperque fuit ab ipſo Apoſtolorum tempore Chriſtianorum cura in Sacris Scripturis, & præſertim Euangeliis aſſervandis, & venerandis. Non enim ſolùm in Eccleſiis, ſed etiam in privatis domibus illas habere perpetuò conſueverunt. Et cùm ſæpè ab Idololatris eas depromere, ſibique tradere juberentur; bonorum potiùs, vitæque jacturam facere, quàm ſanctas canibus dare eligebant. Mos etiam ſemper fuit, quotidie in publicis Conventibus, dum Sacra celebrarentur, eaſdem populo legere: ad quod minus peculiaris Miniſtrorum ordo, qui Lectores dicuntur, inſtitutus eſt, ad quos ſpectat legere in Eccleſia libros veteris, ac novi Teſtamenti.

Tertium eſt, à primo uſque Chriſtianæ religionis ſæculo Sacras Scripturas per univerſas terrarum orbis provincias ac nationes vulgatas fuiſſe, eaſque in omnium propè gentium linguas ex Hebraicis, Græciſque fontibus fuiſſe translatas: & præteretà fontes ipſos, tùm Hebræorum, tùm Chriſtianorum opera ad omnes æquè nationes promanaſſe. Sanctus Auguſtinus lib. 2. de Doctrina Chriſtiana, cap. 5. affirmat, Sacros Libros per varias Interpretum linguas longè latèque diffuſos fuiſſe. Et tract. in Pſalm. 105. ſcribit, *Magnum Dei beneficium fuiſſe, qui Scripturas ſuas in multis linguis eſſe voluit*. Theodoretus lib. 5. de Curan. Græcor. affect. teſtatur, *univerſam faciem terræ, quantacumque Soli ſubjicitur, ejuſmodi verborum* (nempè Sacrarum Scripturarum) *plenam jam eſſe*. Et quidem vetus Teſtamentum aſſerit ſuo tempore *verſum jam fuiſſe in idioma Romanum, Perſicum, Ægyptiacum, Indicum, Armenum, Schyticum, Sauromaticum; uno verbo, in omnium gentium linguas*. Vivebat hic Auctor anno Chriſti 450. centeſimo circiter anno ante natum Mahumetum. Sanctus Joannes Chryſoſtomus in Joan. cap. 1. Hom. 1. Meminit verſionum Syriacæ, Ægyptiacæ, Perſicæ, Æthiopicæ, & aliarum. S. Hieronymus præfat. in Euan. ad Damaſum, *Sacram Scripturam in variarum gentium linguas translatam eſſe* teſtatur. Floruerunt hi omnes longè ante adventum Mahumeti. Reperiuntur hodie hæ ferè omnes verſiones, & aliæ præterea æquè antiquæ, ut Arabica, Cophtica, Samaritana, & plures tàm Græcæ, quàm Latinæ, quas non eſt otium recenſere. Tàm multæ igitur Sacrorum Librorum translationes, præter originaria exemplaria innumera, tot, tàmque variis linguis ab omnibus propè terrarum orbis gentibus confectæ, quamquam inter ſe, propter idiomatum proprietatem, verbis differant; in ſubſtantia tamen, & in iis, quæ ad religionis, fideique dogmata, ad morum regulam, & ad hiſtoriæ veritatem pertinent, omnes conveniunt: quibus in rebus evidens eſt, Sacras Scripturas non fuiſſe corruptas. Verùm etiam ſi aliqua harum verſionum defectum aliquem, vel errorem ſubſtantialem contineret, id tamen Sacrorum voluminum integritati nullum inferret præjudicium: hujuſmodi enim defectus, ex tot aliarum verſionum, & ex originalium Textuum collatione facillimè deprehenderetur. Hùc accedit, quòd licet aliqua particularis interpretatio vitioſa eſſet, & corrupta; non tamen propter illam dici poſſent Sacræ Scripturæ corruptæ, cùm receptæ verſiones, & originalia illi adverſarentur: alioqui Alcoranus etiam corruptus, imò corruptiſſimus dicendus eſſet, cùm multi illum peſſimè deſcripſerint, vel in alias linguas converterint. Liberum eſt cuilibet vel ignariſſimo Interpretem agere; neque tamen cujuslibet interpretatio fidem facit, ſed illa tantùm, quæ Originali ſuo conſona, communibus Doctorum calculis approbata fuerit, & ab Eccleſia recepta, vel non rejecta.

Quartum eſt neque cauſas, neque tempus, neque Auctores corruptionis hujuſmodi poſſe aſſignari. Cur enim Judæi Teſtamentum vetus corrumperent? In odium, inquiunt, Chriſti, Chriſtianorum, ne ea, quæ illis favebant, apparerent. Atqui ſi res rectè perpendatur, hoc ſine aperta calumnia dici non poteſt. Primò enim in Hebraico Textu non ſolùm reperiuntur hodie vaticinia illa omnia, quæ in novo teſtamento à Chriſto Domino, ejuſque Diſcipulis allegantur: verùm & alia multa extant; & utraque interdum ob proprietatem Hebraicæ linguæ clariora, & efficaciora ibi ſunt, quàm in ipſa latina Vulgata. Neque dubitare aliquis poteſt, quinſi Hebræi tantum ſcelus perpetrare voluiſſent, hæc etiam, & mukò majori cum ratione ſuſtuliſſent. Deinde ſi vaticinia de Chriſto obſcurare, vel abradere decreviſſent: clariora, & ea, quæ minus negari poſſent, occuluiſſent; ex quibus tamen aliquod hodie in Euangeliis, libriſque Apoſtolicis, vel in primis Chriſtianæ religionis Aſſeclis, inter quos erant Hebræi doctiſſimi, reperiretur. At nihil tale uſquam invenitur: & conſonant omninò in his vaticiniis vetus, novumque Teſtamentum. Nec minor Mahumetanorum inſania eſt, dum Judæos Pentateuchum, Chriſtianos verò Euangelium corrupiſſe audacter affirmant, quò vaticinia, quæ in iis de Mahumeto, ejuſque Secta ſcripta erant, aboleret. Nam tàm Pentatenchus, quàm Euangelium, cæterique

Digitized by Google

rique Sacri libri ſunt hoc tempore prorſus iidem, qui erant ante adventum Mahumeti, quod 2. & 3. argumento jam allato manifeſtè probatur: & multò manifeſtiùs evincitur, quia multi hodie extant Codices, præſertim Hebraici, veteris Teſtamenti, quorum antiquitas ortum Mahumeti longè ſuperat; & tamen cum modernis Codicibus omninò conveniunt. Quòd ſi vel in his, vel in aliis Codicibus, aut Interpretationibus eſt aliquod diſcrimen, qualecunque illud ſit, nihil ad Mahumetum, vel ad ejus Sectam pertinet, ſed ex Amanuenſium, vel Interpretum minori attentione, quàm par eſt, contigiſſe cognoſcitur.

Quæ porrò gens tàm barbara, atque impia reperitur, quæ publicò communique aſſenſu, ad corrumpendos violandoſque Libros illos conveniat, quos religionis, regnique ſui fundamenta, ac baſes agnoſcit, & veluti Sacroſanctos venerantur? Eſſent ne unquam adeò ſtulti, antequàm Mahumetani, ut univerſi convenirent in iis ex Alcorano abradendis, quæ Chriſti Divinitati, Chriſtianæque religioni favere, vel Prophetæ ſuo, ejuſque Sectæ adverſari arbitrarentur? Et quidem plura ſunt hujuſmodi in Alcorano. Nunquam hoc mihi perſuadebo. Cur ergo adeò ſtultos, atque impios Chriſtianos, ac Judæos facere ipſi volunt, ut in odium Mahumeti, & ad illius memoriam abolendam, ſcripturas illas communi conſpiratione depravarent, quas utpote à Deo ipſo traditas, adeò reverentur, & quodammodo adorant, & pro quibus tuendis tot hominum millia vitam cum ſanguine profudere?

Convenit deinde corruptionis hujus tempus aſſignare, quod ſanè ante Chriſti adventum eſſe non potuit, cùm nulla tum fuerit cauſa ex ſuperiùs aſſignatis; Chriſti ſcilicet ipſius (& multò minus Mahumeti) memoriæ abolendæ cupiditas. Hùc accedit, quòd ſi Judæi hoc ſeculo perpetraſſent, neque Chriſtus, neque Apoſtoli ab illis incuſandis abſtinuiſſent, quemadmodum cætera eorum peccata non tacuere. Atqui non ſolùm hoc non fecerunt, ſed oppoſitum potiùs docuere, dum ſæpè ad Sacrarum Scripturarum teſtimonium Judæos, & præſertim ſapientiores, provocabant, ipſique earumdem auctoritate utebantur. Neque invenimus, eos aliquid unquam ex veteri Teſtamento allegaſſe, quod vel totidem verbis, vel ſaltem eadem ſententia in eo non exiſtat. Sed neque poſt Chriſti adventum potuerunt Sacra Volumina corrumpi, cùm jam in manibus Apoſtolorum, aliorumque fine numero, qui à Judaiſmo ad Chriſtianam fidem tranſierant, aſſervarentur: hi namque ſacrilegum Judæorum facinus detexiſſent. Erant præterea Judæi per totum orbem diſſeminati, & non ſolùm in Synagogis, ſed in privatis quoque domibus libros à Deo traditos habebant: itaut impoſſibile omninò ſit, eos omnes potuiſſe convenire in iis propter Chriſti odium corrumpendis. Loquendo autem de novo Teſtamento, nullo modo potuit à Chriſtianis ante Mahumeti adventum in odium ejuſdem Mahumeti depravari, ob jam dictas rationes. Neque dici poteſt, illud à Judeis vitiatum fuiſſe. Primò quia vulgatum jam erat, ac per ſum per omnes gentes, in quibus ab Apoſtolis, & eorum diſcipulis prædicatum fuerat. Deinde quia ea potiùs ipſi abraſiſſent, quæ ad Chriſti gloriam ſpectabant, non quæ ad vaticinia de Mahumeto, qui Chriſtianæ Religioni tantam cladem erat illaturus. Neque demum dici poteſt, poſt Mahumeti adventum curruptionem hujuſmodi factam fuiſſe, ob ſuprà allatas, & infrà aſſerendas rationes.

Demum ſi de Auctoribus hujus corruptionis agatur, luculentiùs agnoſcetur, nullo modo fieri potuiſſe. Neque enim dici poteſt, unum, vel duos, vel paucos aliquos ſingulares viros ad hoc conveniſſe: ſed cogimur aſſerere, Judæos omnes ad Pentateuchum depravandum, omneſque Chriſtianos ad corrumpendum Euangelium unanimi conſenſu conſpiraſſe; quo nihil abſurdius, nihilque incredibilius dici poteſt, vel etiam cogitari. Nam ſi aliqui tantùm hoc feciſſent (quod ſanè non negamus fieri potuiſſe) ſtatim ab aliis omnibus deprehenſi fuiſſent. Nec poterant hi pauci univerſum terrarum orbem pervagari, atque omnes Judæorum Synagogas, domoſque penetrare; omnes Chriſtianorum Eccleſias, atque ædes privatas pervadere: ut omnes Pentateuchos, omnia Euangelia, omnes Sacros libros tot idiomatibus exſcriptos, in tàm multis doctiſſimorum virorum Commentariis, Gloſſiſque inſertos, corrumperent, quò ex iis Chriſti, vel Mahumeti nomen, & memoriam aboleret. Multi ſaltem Sacrarum Sripturarum Codices integri, illibatique remanſiſſent, è quibus hodie procul dubio aliqui reperirentur. Et hoc eveniſſet, etiamſi non pauci aliqui, ſed plerique, imò omnes (paucis exceptis,) Judæi, & Chriſtiani tantam impietatem moliti fuiſſent. Et nihilominus videmus hodie Codices omnes cujuſvis idiomatis inter ſe, & cum aliis eſſe uniformes, atque eaſdem res in ſubſtantia continere, cùm tamen nihil in iis de Mahumeto legatur.

Eò accedit, non ſolùm difficile, ſed etiam impoſſibile omninò eſſe, ut in eadem ſententia ac voluntate, in re de ſua natura mala & illicita conveniant plures nationes inter ſe moribus, genio, lege, religione adverſæ, aut diverſæ; cujuſmodi ſunt Chriſtiani, & Hebræi, Latini, & Græci, Orientales, & Occidentales. Unica dictio addita à Latinis in Symbolo Fidei non ad aliquid de veritate detrahendum, ſed ad eamdem veritatem magis explicandam, tàm magnum inter eos, & Græcos peperit odium, ac diſſidium, ut quantumvis pluries Græcis in generalibus Conciliis additionem illam approbaverint, adhuc tamen inter eos, & Latinos ſciſſura perſeveret.

Sed eſt aliquid majus, ac mirabilius, quod ſe nobis in hoc argumento conſiderandum proponit. Quanta olim Arianorum multitudo, quanta potentia fuerit, nemo eſt qui ignoret. Mahumetani ipſi Chronologi de Ariana Secta, ejuſque numero ac viribus mentionem faciunt; quemadmodum etiam de Concilio Niceno, aliiſque Conciliis œcumenicis ad Arianam hæreſin comprimendam celebratis. Quamvis verò Imperatorum favore & auctoritate Ariani ita invaluiſſent, ut triumphare jam de Orthodoxa fide viderentur: numquam tamen auſi ſunt aliquid vel minimum eorum ex Euangelio, aliiſve Sacris Scripturis tollere, vel immutare, quod Chriſti Divinitatem, quam ipſi impugnabant, demonſtraret. Si ergo eo tempore, quo totus penè Orbis Arianus erat, ipſique Imperatores pro viribus Arianam hæreſin propugnabant, nulla potuit fieri corruptio in ſacris Scripturis ad obſcurandam Chriſti Divinitatem; quomodo facta fuerit, aut fieri potuerit ad occultendas, vel abolendas prædictiones de Mahumeto, eo præſertim tempore, cùm Mahumeti nomen vix extra Mecam, & Medinam audiretur? Porrò etiamſi daremus, Chriſtianos, & Judæos illarum Urbium aliquid Mahumeti cauſa in ſacris voluminibus corruppiſſe; poterantne hi pauci cæteros omnes terrarum orbis Chriſtianos, vel Judæos in ſuum ſcelus pertrahere?

Hoc porrò argumentum eò magis Moſlemos urget, quòd Mahumetus ipſe non ſemel in Alcorano fatetur, Pentateuchum, & Euangelium, cæteroſque ſacros

libros

libros à Judæis & Christianis depravatos non fuisse, nisi postquam sese Propheta cœpit venditare. Ita Sura 98. de Demonstratione, in ipso initio legimus.

لم تكن الذين كفروا من اهل الكتاب والمشركين
منفكين حتى تاتيهم البينة رسول من الله يتلو صحفا
مطهرة فيها كتب قيمة وما تفرق الذين اوتوا
الكتاب الا من بعد ما جاءتهم البينة :

Illi, qui credere noluerunt ex Judæis & Christianis, & Idololatris, non discesserunt, donec venit ad eos demonstratio, nempe Legatus à Deo, qui legeret Codices purificatos, in quibus erant Scriptura rectæ: neque diviſi sunt ii, quibus datæ sunt Sacræ Scripturæ, niſi postquam venit ad eos demonstratio. Hæc verba aliquanto obscuriora ita explicat Gelaleddinus :

لم تكن الذين كفروا من اهل الكتاب
والمشركين زايلين عما هم عليه حتى اتاهم الحجة
الواضحة وهي محمد رسول من الله يتلو صحفا مطهرة
من الباطل فيها لحكام مكتوبة اي يتلوا مضمون
ذلك وما تفرق الايمان بمحمد الذين
اوتوا الكتاب الا بعد ما جاءهم البينة وهو محمد ان
القرآن وقيل بحجة من كانوا مجتمعين على الايمان
به ان جاء فصدقه من كفر به منهم :

Qui noluerunt credere (in Mahumetum) *Judæi, Christiani, & Ethnici, non discesserunt ab ea religione, quam profitebantur, donec venit ad eos Mahumetus Legatus à Deo, recitans Codices purgatos ab erroribus, nimirum Alcoranum, in quo illi continentur. Neque diviſi sunt, seu discesserunt à fide in Mahumetum illi, quibus datæ sunt Sacræ Scriptura, niſi postquam venit ad eos Mahumetus cum Alcorano: & ante adventum ejus erant concordes in credendo in eum, cùm veniſſet: sed ob invidiam noluerunt poſtea credere in eum.* Itaque usque ad Mahumeti adventum Judæi, & Christiani Sacras Scripturas non corrupexant, saltem in ea parte, in qua de illius adventu vaticinia continebantur, dum adeò uniformiter, & constanter credebant, & sperabant, illum esse venturum. Illud verò manifestum est mendacium, quod Gelaleddinus ait, illas fuisse tales, quales continebat Alcoranus: nam cùm hodie sint eædem, quæ erant, antequam Alcoranus vulgaretur, ut suprà demonstratum est, videmus nihilominus Alcoranum eas non solùm diversa, sed sæpè adversa ratione referre, ab iis, quæ nunc sunt. Sed impudentius mendacium est asserere, Judæos, & Christianos credidiſse uniformiter in Mahumetum venturum. Certum est, magnam, imò maximam, & præcipuam Judæorum, & Christianorum partem nihil prorsùs de Mahumeto scivisse, niſi post plures annos ab illius morte. Et hodie etiam multi, imò plerique ex his, Mahumeti tantùm nomen, non ex Sacris Literis, sed ex fama noverunt. Præterea dum Mahumetus toties affirmat in Alcorano, necessariò credendum esse in Pentateuchum, & Euangelium; & præcipit Judæis, ut juxta Pentateuchum, Christianis autem, ut juxta Euangelium res suas judicent, Mahumetanis verò, ut simul cum Alcorano utrumque recipiant, ac venerentur, & toties utrumque laudat, & commendat tamquam duces veritatis, lucernas illuminantes, & vias rectas ad salutem: supponit, non solùm hos Libros extare, sed etiam integros esse, & incorruptos. Nec poterat loqui de alio Pentateucho, vel Euangelio, niſi de iis, quos Judæi, & Christiani tunc habebant: nempe de Pentateucho illo, qui à Moyse scriptus fuit: & de Euangelio illo, quod quatuor Euangelistæ, Matthæus scilicet, Marcus, Lucas, & Joannes scripsere. Nec Doctores ipsi Mahumetani alium Pentateuchum, vel aliud Euangelium agnoscunt. Et quidem, quod ad Pentateuchum attinet, dubium nullum esse potest, cùm Alcoranus ipse Moysi illum tribuat. De Euangelio autem ita scribit Aly Abulhasanus filius Alhoseini Masaudiensis :

وان المسيح عز
بحيرة الطبرية وعليها اناس من الصيادين والقصارين
فدعاهم الى الله وقال لهم اتعبوني تصيدون البحر
فاتبعه ثلاثة من الصيادين وهم بطرس زبدي واثنا عشر
من القصارين وقد ذكرهم في وجدنا ومرقوس ولوقا
وهم الحواريون الاربعة الذين نقلوا الانجيل والتوراة خبر
المسيح وما كان من مولده وكيف عاد يحيى بن
زكريا وهو يحيى المعمدي وما فعل به المعاصب
وانا من المعجزات وما ناله من اليهود الى ان رفعه الله
اليه وهو ابن ثلاثة وثلاثين سنة وفي الانجيل خطب
طويل في امر المسيح ومريم ويوسف النجار اعرضنا
عن ذلك لان الله تعالى لم يعبرني من ذلك في
كتابه ولا خبره محمد نبيه من :

Transivit Christus juxta Mare Tyberiadis, ubi erant aliquot piſcatores, & fullones, vocavitque illos ad Deum, & ait: Venite poſt me, & piſcabimini homines. Secuti sunt eum tres ex piſcatoribus, qui erant filii Zebedæi, & duodecim ex fullonibus. Inter hos nominantur Matthæus, & Joannes, & Marcus, & Lucas: funtque illi quatuor Apoſtoli, qui scripſerunt Euangelium, & Hiſtorias de Chriſto, & de eo, quod ad illius ortum spectat, & illius Baptiſmum per Joannem filium Zachariæ, cognomine Baptiſtam: itemque de miraculis, ac prodigiis illius, & de eo, quod pertulit à Judæis, donec Deus elevavit illum ad se in Cœlum, cùm esset annorum triginta ac trium. Fit autem in Euangelio prolixa narratio eorum, quæ spectant ad Chriſtum, & Mariam, & Joſephum fabrum lignarium. Nos tamen ab illis recedimus, quia nullam de eis mentionem facit Deus in libro ſuo, neque Propheta ejus Mahumetus. Nihil refert, quòd Mahumetus nullam faciat mentionem de iis, quæ habentur in Euangelio, vel saltem non omnia commemoret, vel etiam aliqua neget. Imò hinc manifestiùs apparet falsitas Alcorani, cùm vel taceat, vel neget ea, quæ ipsemet implicitè fatetur, dum Euangelium, quo ante suum adventum Christiani utebantur, toties cum laude commemorat, & illud sit hoc ipsum, quo semper Christiani usi sunt, ut superiùs probatum est. Præterea Ismael filius Aly in sua historia, loquens de Chriſtianorum gente, hæc habet :

وانما
الانجيل فهو كتاب يتضمن اخبار المسيح ع م من
ولادته الى وقت خروجه من هذا العالم كتبه اربعة
نفر من اصحابه ومنهي كتبه بفلسطين بالعبرانية
ومرقس

Digitized by Google

ومرقس كتبه بلاد الروم باللغة الرومية ولوقا كتبه بالاسكندرية باللغة اليونانية ويوحنا كتبه باقصى بلاد افسس باللغة اليونانية ايضا.

Evangelium liber est, qui gesta Christi continet ab ejus ortu usque ad exitum ex hoc mundo, Scriptum fuit à quatuor viris ex iis, qui cum sequebantur: fuerunt autem Matthæus, qui scripsit illud in Palæstina idiomate Hebraico: Marcus, qui scripsit illud in regione Romanorum lingua Romana: Lucas, qui scripsit illud Alexandriæ idiomate Græco: & Joannes, qui scripsit illud Ephesi item Græcè. Præterea Ahmedus filius Abdolhalimi idem confirmat in sua Apologia his verbis:

للمسيح تكلم بالعبرانية وترجم عنه بلغة اخرى كما الفوا احد الاناجيل باليونانية والاخر بالسريانية الاخر بالرومية ويوجد بقي عمرانيا.

Christus Hebraicè loquitus est: ejus autem sermo in alias linguas translatus fuit. Unum enim ex Evangeliis Græcè: aliud Syriacè: aliud Latinè scriptum fuit: unum autem remansit Hebraicum. Fallitur in eo, quod putat, unum ex Evangeliis Hebraicè, aliud verò Syriacè scriptum fuisse. Verùm hoc parvi refert. Accedit his duobus tertius Alfciaher Settanius, quem citat Ebnofahidius Mogrebinus in eo, quod de Christo scripsit in hæc verba:

ثم ان اربعة من الحواريين وهم متي ولوقا ومرقس ويوحنا ليجتمعوا وجمع كل واحد منهم انجيلا وخاتمة انجيل متي ان المسيح قال ابي ارسلكم الي الامم كما ارسلني ربي اليكم فاذهبوا واعلموا الامم باسم الاب والابن وروح القدس:

Quatuor ex Apostolis, scilicet Matthæus, Lucas, Marcus, & Joannes simul convenere: & quilibet eorum collegit Evangelium. Ultima autem verba in Evangelio Matthæi sunt hujusmodi: Dixit Christus Apostolis: Ego mitto vos ad gentes, sicut misit me Dominus meus ad vos. Ite ergo, & vocate gentes in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Nescio utrum ex malitia scriptum sit ربي Rabbi: *Dominus meus*: pro ابي Abi, *Pater meus*: & reliqua fuerint verba: *Baptizantes eos.*

Nullum aliud proferunt, neque proferre possunt Moslemi Euangelium, præter hæc quatuor, seu præter hoc unum à quatuor Euangelistis scriptum. Quamvis enim alia ab Hæreticis Euangelia conficta fuerint, nullum tamen ex iis fuit ab Ecclesia Christiana receptum, id quod Mahumetanos ipsos minimè latet: nam Ahmedus Ebnodrisius meminit cujusdam Euangelii, præter illa quatuor, quod ipsemet agnoscit, & fatetur spurium, & apocryphum: de quo ita scribit:

الانجيل الخامس يسمي انجيل الصمع ذكر فيه الاشياء الف صدرت من المسيح ع م في حال طفوليته بنصب لبطرس عن مريم ع م ونبيه زيادة ونقصان ومضامير معجزاته فيذكر فيه قدوم المسيح ع م وامه رضي الله عنها ويوسف النجار رضي الله عنه الي صعيد مصر ثم عوذته الي ناصرة:

Quintum Evangelium illud est, quod inscribitur de Infantia; in quo enarratur id, quod pertinet ad infantiam Christi. Petro tribuitur, qui illud scripsit ex relatione Mariæ Sanctæ Mem. Multa in eo abundant, multa desunt: & referuntur ibi mirabilia, quæ operatus est Christus (Infans:) & adventus ejus cum Matre sua, & Joseph Carpentario in Thebaidem Ægypti, & reditus illius in Nazareth. Hujus Euangelii de Salvatoris Infantia; multi etiam ex nostris meminere, & tamquam apocryphum semper fuit ab Ecclesia rejectum. Neque possunt eo, vel aliis hujusmodi Euangeliis Moslemi uti contra nos: quemadmodum neque nos contra Moslemos Alcoranо, qui scriptus est à Mosailma, vel aliis æmulis Mahumeti pugnamus, ad evertendum Alcoranum ipsius Mahumeti. Quamvis enim hujusmodi Alcorani, quos Moslemi spurios censent, ab aliquibus, imò à plurimis recepti fuerint: nunquam tamen communi Mahumetanorum consensu sunt approbati.

Verùm neque hæc Euangelia apocrypha quidquam Mahumetum, vel Mahumetanos juvant, cùm in illis ne minima quidem mentio Mahumeti, vel illius Sectæ reperiatur.

Argumenta Mahumetanorum contra Integritatem Sacrarum Scripturarum.

NUllius propè sunt momenti ea, quæ Moslemi proferunt ad probandum, Sacras Scripturas fuisse corruptas.

Primum Argumentum allatum ab Ismaele filio Aly in principio suæ historiæ, est: Dissensio inter Pentateuchum Hebraicum, Græcum, & Samaritanum in numero annorum à creatione Adam usque ad Abraham. *Nam (inquit ille) Pentateuchus Samaritanus ponit ab Adam usque ad Diluvium annos tantùm mille trecentos sexaginta septem: Hebraicus verò mille quingentos quinquaginta sex; inter Diluvium verò & ortum Abrahæ ducentos nonaginta duos. Summa autem annorum hujus Pentateuchi deficit à summa Pentateuchi Græci mille quadringentis septuaginta quinque annis.* Probat deinde, computum annorum Pentateuchi Samaritani non posse subsistere, quia ex eo sequeretur, Noe vixisse simul cum Adam supra ducentos annos, quod nemo unquam dixit. Computum etiam Hebraicum convincit esse falsum, quia ex eo sequeretur, Noe vixisse simul cum Abraham quinquaginta, & octo annos: quod item est absurdum. Existimat autem Auctor, malignè ab Hebræis ita numerum annorum decurtatum fuisse in odium Christi, quem cùm Sacræ Scripturæ in novissimo tempore venturum esse prædixissent, ita annis abbreviatis, non in novissimo tempore, sed potiùs in medio adventisse probaretur (posito quòd juxta communiorem opinionem tota mundi ætas septem millium annorum futura sit) & per hoc non verus Messias, sed falsus esse demonstraretur. Laudat deinde Auctor computum Pentateuchi Græci, asserens eo usos fuisse historicos veraciores: nihilque in eo absurdi, aut absoni, ratione temporis ab orbe condito contineri.

Verùm licèt daremus Ismaeli, Samariticum Textum non solùm in annorum computo, sed in aliis quoque gravioribus rebus esse vitiatum, nihil faceret contra nos: cùm hujusmodi Pentateuchum Christiana Ecclesia nunquam ut legitimum approbasse legatur. Quod verò attinet ad varietatem illam computi annorum in his tribus Pentateuchis; quorum tamen exemplaria in hac varietate non semper inter se conveniunt: dicimus, id non multum ad Pentateuchi sub-

subſtantiam referre, neque per hoc illius integritatem diminui. Norunt omnes, & experientia quotidie docet, quàm facilè in numeris, ſine magno, & ſæpè ſine ullo veritatis diſpendio, à librariis peccetur. Quamobrem tutò aſſerere poſſumus, illum eſſe verum numerum, qui magis ad Chronologicam hiſtoriæ veritatem accedit: cæteros Amanuenſium lapſus eſſe. Conati quidem ſunt nonnulli numeros annorum Pentateuchi Hebraici & Græci inter ſe conciliare: ſed irrito conatu, & adhuc ſub judice lis eſt. Debet tamen ſtare victoria pro Textu Hebraico, utpote primigenio, cum quo etiam latinus Textus, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, concordat.

Quòd verò objiciat Iſmael, abſurdum eſſe aſſerere, quòd Noe vixerit aliquot annos unà cum Abraham: reſpondemus, ipſi fortaſsè abſurdum videri: nihil tamen repugnat hoc factum fuiſſe. Verùm non eſt nunc mihi otium in hac quæſtione immorandi. Illud verò ridiculum, quòd exiſtimet, Judæos numerum annorum concidiſſe in odium Chriſti, ut apparet, illum non veniſſe in fine temporum juxta Sacrarum Scripturarum oracula, ac proinde non fuiſſe verum Meſſiam. Primò enim non ſeptem, ſed ſex millia annorum mundum perſeveraturum, eſt communis Hebræorum opinio ex traditione Scholæ Eliæ. Quamobrem etiam ſi Chriſtus in principio quinti millenarii adveniſſet, poterat nihilominus illud ultimum tempus appellari. Secundò, nihil vetat, quin ultimi temporis, vel noviſſimorum dierum nomine, non ultimum tempus mundi, ſed ſupremos Hebraici Regni dies intelligamus: hoc enim per Chriſti adventum auferendum erat, ac deſtruendum, quemadmodum videmus factum. Itaque nulla fuit cauſa, cur Judæi ita computum annorum in Pentateucho poſt Chriſti adventum corrumperent: ſed neque hoc facere potuerunt, ut ſuperiùs certis argumentis demonſtravimus. Quidquid autem ſit, nihil hoc pertinet ad Mahumetum, vel ad Sectam illius: neque apparet, ullam in hac annorum varietate potuiſſe intervenire malitiam.

Secundum Argumentum eſt Auctoris libri تأييد الملة ideſt Confirmatio Religionis, quo probatur, Pentateuchum eſſe corruptum: & eſt hujuſmodi: *Pentateuchus eſt Verbum Dei: Verbum autem Dei eſt æternum. At in Pentateucho, qui nunc extat, plura ſunt, quæ continent res novas, ac recentes. Ergo hic Pentateuchus corruptus eſt, ac depravatus.* Hoc argumentum meretur potiùs riſum, quàm reſponſum: & poſſet retorqueri hoc modo contra Auctorem: Alcoranus continet multas narrationes recentes, & præſertim ea, quæ in dies Mahumeto accidebant: & præterea fabulas multas ex Thalmud, & Rabbinis petitas. Ergo Alcoranus non eſt verbum Dei, ſed liber corruptus, ac depravatus. Hoc autem nemo Mahumetanorum admittet.

Tertium Argumentum eſt ejuſdem Auctoris in hunc modum: *Deus abſtulit Spiritum Prophetiæ à Moyſe, & dedit eum Joſuæ filio Nun. Præterea Moyſes peccavit in educendo aquam de Petra; quamobrem meruit iram Dei, & privationem Spiritus Prophetiæ.* Concludit Auctor ratiocinationem ſuam his verbis: وفي هذا القول مقنع لمن كان فيه فتديم عليهم اكثر الحجج : *Hoc autem argumentum omninò probat, & convincit: & tu poteris illum perpendere, eſt enim ex validiſſimis demonſtrationibus contra Judæos.* Admiratione dignum eſt acumen Chry-

ſippæum hujus Auctoris; quaſi verò repugnet Spiritus Prophetiæ in eo, qui aliquod peccatum, quem admodum Moyſes, imprudenter admiſit. Peſſimè faciunt Moſlemi, dum Mahumetum tanquam Prophetam venerantur, qui toties, ut ipſi fatentur, & ex Alcorano conſtat, graviſſimè peccavit. Argumentum tamen Auctoris probat potiùs, Pentateuchum non eſſe librum Divinum, quàm fuiſſe corruptum. Quòd verò Deus abſtulerit à Moyſe Spiritum Prophetiæ, & dederit Joſue filio Nun, eſt merum ſigmentum: nihil enim hujuſmodi habemus in Pentateucho. Sed etiamſi hoc verum eſſet, id tamen contigiſſet poſt ſcriptum à Moyſe Pentateuchum: præſertim cùm Mahumetani credant, totum Pentateuchum traditum ſimul Moyſi à Deo.

Quartum Argumentum ejuſdem Auctoris eſt, quia *Pentateuchus, quem nunc habemus, indignus eſt qui habeat Deum Auctorem: continet enim plurimas ſuperſtitiones, & vanitates, ut patet Cap. 13. Levitici, ubi agitur de purgatione leproſorum: & alibi plurimis in locis. Nihil verò in eo legitur, quod pertineat ad res æternas, ut ad Paradiſum, ad Gehennam, ad Extremum Judicium, ſed omnia, quæ ſunt in eo, res terrenas, & temporales reſpiciunt.* Hoc Argumentum videtur aliquid ponderis habere: facilè tamen reſpondetur, quaſdam in Pentateucho videri ſuperſtitiones, quę tamen ſunt myſteria, & oracula cœleſtia: & ita omnes tàm Judæi, quàm Chriſtiani ſemper ut talia illa agnoverunt. Neque inter Mahumetanos quidem ullum hactenus legi, vel audivi, qui de Pentateucho tàm indignè, impiéque loqueretur. Porrò quòd Pentateuchus de rebus ſpiritualibus, & æternis non ita clarè loquatur, non probat, non eſſe librum Divinum, vel fuiſſe corruptum. Continet ſanè hæc, ſed ſub velamine figurarum, & allegoriarum: & in eo ipſa temporalia, & terrena, tanquam ſpiritualium, & cœleſtium Symbola proponebantur. At enim, cur non palam, & abſque figurarum velamine hæc eadem Iſraelitis ingerebantur? Quia nimis erant rudes, & Spiritualium rerum incapaces: & quia Chriſto hæc eadem clarè apertèque manifeſtanda reſervabantur. Quòd ſi etiam Mahumetus de his agit in Alcorano, nullum mirum eſt, ſimiam actus hominis imitari. Hęc ille non ex ſe invenit, aut primus propoſuit, ſed ab Euangelio, & Chriſtianis Scriptoribus furatus eſt. Rurſum ad id, quod objiciebat Auctor, continere Pentateuchum ſuperſtitiones, ac vanitates; libet reſpondere verbis doctiſſimi Mahumetanorum Algazelis, qui animadvertens multa in Alcorano, & in Sacris Meccanæ peregrinationis, & variarum purificationum ritibus apparere inutilia, ac vana, prorſuſque ſuperſtitioſa; non tamen removendam ab eis veneration em cenſet: imò eò magis veneranda exiſtimat, quò minus eorum cauſa, vel utilitas agnoſcitur; & hoc in obſequium fidei, & obedientiæ, quam Deo, qui illa præcepit, debemus. En verba Algazelis, quæ impietatem hujus Auctoris jugulant: واما تردد الحمار وامثال هذه الاعمال فلا حظ للنفوس ولا لهن للطبع فيها ولا اعتد للعقل الى معانيها فلا يكون في الاقدام عليها باعث الا امر محرن وقصد الامتثال للامر من حيث انه امر واجب الاتباع فقط وفيه مزل العقل عن تصرفه وصرفه للطبع والنفس من حيث انه فان كل ما ادرك العقل معناه مال

Digitized by Google

الطبع اليه ميلا ما فيكون ذلك الميل مجيبا للامر وباعثا معه على العقل فلا يظهر فيه كميل الرقى والانقياد: *Quòd ad cursum illum repetitum*, *& jactum lapillorum*, *& similes hujusmodi actiones*, *nihil hæc ad animos spectant*, *nec sunt consentanea naturæ*, *nec est*, *quo intellectus dirigatur ad inquirendum*, *quid hæc sibi velint*, *nec quod quempiam ad ea amplectenda incitet*. *Verùm mandato simplici constant*, *& intentione mera obsequendi mandato*, *quatenus mandatum est*, *cui necessariò parendum sit*, *& cui se immiscere*, *intellectui non sit concessum*, *& à cujus usu familiari alieniores sint naturâ*, *& animus*. *Cùm enim percipit Intellectus rei alicujus scopum*, *sit aliquo modo natura ad eam propensior*, *quæ propensio suppetias fert mandato*, *unàque cum eo intellectum excitat*; *adeò ut non apparcat in eo plena servitus*, *& obedientia*.

Quintum Argumentum est cujusdam Ahmed filii Zin Alabedin, inter Persas nobilitate, ac doctrinæ insignis, qui idiomate Persico conscripsit librum adversùs Christianam Religionem, & characteribus aureis exaratum Romam misit ad Pontificem Maximum Urbanum Octavum, ut ad illius objecta responderendum curaret. In eo, ut Euangelium corruptum fuisse probaret, opposuit contrarietates, seu dissonantias, quæ inter quatuor Euangelistas esse videntur. Verùm satis prolixè & eruditè responsum illi fuit à P. Philippo Guadagnolo è Religione Cleric. Regul. Min. in Romano Lyceo publico Arabicę linguę Professore, omnigena eruditione, sapientia, viteque probitate ornato. Nunc ego breviter respondeo, hujusmodi contrarietates, seu dissonantias, esse tantummodò apparentes, & majores inveniri in Pentateucho, ac cęteris libris veteris Testamenti: & tàm his, quàm illis abundè ab antiquis Patribus & recentioribus responsum esse, ita ut nulla in utrisque sit vera contrarietas, vel dissonantia.

Omitto alia argumenta, utpotè levissima, & nullius momenti: & ex ipso Alcorano desumo ego argumentum satis validum pro integritate Sacrorum Librorum. Sura 15. quę inscribitur Hegra, inducitur Deus ita loquens: انا نحن نزلنا الذكر وانا لحافظون *Nos certè demissimus Commonitionem*, *& profectò nos custodiemus illam*. Nomine الذكر idest *Commonitionis*, seu commemorationis, aliquando intelligitur Pentateuchus, aliquando Euangelium, aliquando Alcoranus, aliquando demùm omnes Libri Sacri. Hoc tamen loco Gelaleddinus, Zamchascerius, Jahias filius Salam, & alii quos videre potui, intelligunt solum Alcoranum: sed immeritò, cùm nullo modo Deus ita illud custodierit, ut non multa in eo varietas facta sit, ut jam suprà ostendimus, & in Prolegomeois Alcorani fusiùs probavimus. Verùm, esto Deus Alcoranum illibatum custodierit: peto à Moslemis, quare Pentateuchum etiam, atque Euangelium non debuit custodire, cùm Mahumetus ipse jubeat in Alcorano, tàm Alcoranum ipsum, quàm Pentateuchum, & Euangelium, & reliquos Sacros Libros pari veneratione suscipi, & tanquam verbum Dei recognosci, ac servari?

Postremò si Moslemi obstinatè contendant, Pentateuchi, & Euangelii Libros, quibus nunc Christiani, & Judæi utuntur, esse corruptos; proferant nobis ipsi utrumque, vel alterutrum incorruptum; eum scilicet, qui antequam Mahumetus adveniret, existebat, & quem Mahumetus ipse asserit, ob invidiam, & odium sui, à Judæis, & Christianis fuisse corruptum. Probent autem solidis, & certis argumentis, Pentateuchum, & Euangelium, quod nobis proferent, esse verum, legitimum, & incorruptum, itant de illius veritate, & integritate dubitari non possit. Hoc numquam facient, nec facere poterunt.

Mahumetani agnoscentes integritatem Sacrarum Scripturarum, iisdem abutuntur ad Mahumeti Propheticum munus adstruendum.

Hìs tàm claris argumentis convicti sapientiores Moslemi coguntur ad Sacras Scripturas, quas nunc præ manibus habemus, recurrere, cùm alias non habeant, neque habere possint, ad quas confugiant; atque ex his aliquid eruere pro suo Propheta conantur, ne ille mendax nimis impudenter reperiatur, dum affirmat, se à Pentateucho, & Euangelio prædictum fuisse. A Christianis igitur apostatis, scelestissimisque Judæis edocti, tot ex utroque testamento pro Mahumeto testimonia producunt, ut Ahmed filius Abdolhalimi affirmare non vereatur, plus quàm centum loca in utroque testamento inveniri, quæ de Mahumeti adventu, deque illius Secta loquantur. Ego quæcumque apud Doctores Moslemos reperire potui, accuratè collegi.

Sed Lectorem præmonendum putavi, Dæmonem, (ita Mundi sceleribus exigentibus) quædam, quæ Christus fecit, in Mahumeto æmulatum fuisse, ac veluti mimicè expressisse; multa etiam hujusce modi de illo Mahumetanos impudenter confixisse: itaut mirum non sit, si nonnulla in Sacris Literis, ad Christum spectantia, Mahumetani in Prophetam suum aliquali verosimilitudine detorqueant. Neque mirum, neque novum hoc est. Idem Ethnici, idem Hebræi, idem Hæretici quidam fecere. Virgilius aptat Salonino filio Pollionis Oracula Sybillæ Cumææ, quibus Christi adventus, atque ætas aurea sub illo futura prædicitur, ut apparet in Ecloga quarta. Pueri nobilitas, Patris virtus, temporis à Sybilla prædicti convenientia, assentationi huic ansam dedere. Suetonius Tranquillus in vita Vespasiani; Cornelius Tacitus Hist. lib. 2. atque ipse Josephus Hebræus, Vespasiano Oraculum illud tribuere, quod vel à Sacris Literis, vel à Prophetis Carmeli Montis acceptum, per totum ferè Orientem percrebuerat de novo quodam Rege è Judæa tunc temporis venturo, qui toti Orbi dominaretur. *Percrebuerat* (inquit Suetonius) *Oriente toto vetus constans opinio*, *esse in fatis*, *ut eo tempore Judæa profecti*, *rerum potirentur*. *Id de Imperatore Romano*, *quantum postea eventu patuit*, *prædictum*, *Judæi ad se trahentes rebellarunt*. Divinabant Judæi, nam re vera de Christo eorum Rege, non de Vespasiano erat Oraculum. Possem hujusmodi exempla fexcenta referre, sed omnia omitto, uno tantùm, eò quòd in rem nostram optimè quadret, contentus. Refert Otho Frisingensis in Friderico, lib. 4. cap. 54. aliique Ecclesiasticæ Historiæ Auctores, & fuit res toti penè Orbi notissima: dum Eugenius III. Rhemis Concilium Generale celebraret, An. Christiano 1148. productum fuisse in plenum Concilium coram Pontifice Maximo hominem quemdam, qui præstigiis, & astu mali dæmonis tàm multos seduxerat, ut multitudine assclarum fretus, ubique formidabilis appareret. *Eudo* is vocabatur, natione Brito, homo illiteratus, & idiota:

Digitized by Google

ta: adeo ut cùm Gallicè *Eon* diceretur; ipsè confundens *Eum* cum *Eon*; & *Eumdem* cum *Eudum*, affirmaret se esse Christum, de quo legitur in Ecclesiasticis precibus: *Ter cum qui venturus est, &c.* & : *Per eumdem Dominum nostrum, &c.* Hoc tàm ridiculo fundamento novam Sectam instituens, cooperante Diabolo, cujus etiam ope varia prodigia faciebat, præsertim circa phantasticam apparentiam, & multiplicationem ciborum; incredibile dictu est, quàm latè Sectam suam dilataverit. Illud verò mirum, quòd quisquis ex cibis illis Dæmonum ope paratis semel gustasset, ilatim dementatus, insaniæ illius tenacissimè adhærebat. Multi Principes adversus eum exercitus miserunt, sed fruſtrà: perquisitus enim, nullibi inveniebatur. Tandem verò diabolica ope desistutus, à Rhemensi Archiepiscopo comprehensus est, & in Concilium Generale adductus unà cum multis ipsius Discipulis. Interrogatus à Pontifice, quis esset: respondit, *Se esse eum, qui venturus est judicare vivos, & mortuos, & gentem per ignem.* Ad hæc risit universum Concilium, justitque eum tamquam fatuum, arctâ, tutaque custodia interim asservari, in qua brevi extinctus est. Assectæ autem ejus maluerunt igne comburi, quàm errores ab homine tàm insano hausios abjurare. Non absimilis Mahumeto hic Eudus mihi videtur: & si incidisset in populos prorsùs agrestes, & nullius Religionis, qualeserant Arabes, seque se suos magis corroborare potuisset; nullo negotio Imperium aliquod formidabile sibi comparasset, quod hodie quoque perduraret: & quod vix credi potest, tàm levi, imò tàm nullo fundamento; dum nomen illud sibi vindicabat, quod vix aliquam similitudinem cum vero ipsius nomine præferebat. Potest unusquisque ad libitum, Sacræ Scripturæ verba torquere, & distorquere, ingeniosis quidem, sed falsis, vel violentis allusionibus, & interpretationibus. Fecerunt hoc excellenter Doctores Moslemi ad Pseudoprophetæ suo fidem adstruendam, quemadmodum in subjectis exemplis poterit unusquisque recognoscere.

Vaticinia, quæ pro Mahumeto proferunt Doctores Moslemi ex Testamento Veteri.

PRoferunt primo loco tamquam præcipuum de Mahumeto, ejusque Secta vaticinium illud Deuteronomii cap. 23. *Dominus de Synai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de Monte Pharan &c.* Cui associant illud Habbacuc cap. 3. *Deus ab Austro veniet, & Sanctus de Monte Pharan.* Quæ duo loca exponens Ahmed filius Abdolhasimi, hæc habet. *Asserunt plures è Sapientibus, & assertur ab Abu-Mohammed filio Cotaibæ, non esse in hoc occultum, neque obscurum vellè perpendentibus argumentum. Nam adventus Dei de Monte Synai nihil aliud innuit, quàm eumdem Deum Moysi Pentateuchum tradidisse ex Monte Synai, quemadmodum à Judæis, Christianis, & à nobis affirmatur. Juxta hoc convenienter dicendum est, ortum illius è Monte Seir, esse velut typum traditionis Evangelii, quod dedit Christo, qui fuit ex Seir terra Galilææ oppido quodam, cui nomen Nazareth, unde Christi assecla Nazareni sunt appellati. Consequenter etiam dicendum erit, apparitionem Dei de Monte Pharan præsignare traditionem Alcorani factam Mahumeto. Certum quippe est tàm apud Mahumetanos, quàm apud Judæos & Christianos, Pharan esse Montem Meccæ, imò Meccam ipsam.* Et post multa, quibus intentum suum probare conatur, tandem subdit. *Et cum hoc congruit id quod dicit Habbacuc Propheta: Venit Deus ab Austro, & apparuit Sanctus super Montes Pharan; & impleta est terra laudatione Ahmedi; & possedit dextera ejus cervices gentium, & illuminavit terram luce sua, & invecti sunt equites ejus in mare.* Hoc idem argumentum affert Auctor libri Confirmationis Religionis, Sciaher Settanius, Thalebiensis, & alii.

Sed respondemus, non esse satis, ad novam religionem constituendam, allegorico Sacræ Scripturæ sensu ingeniosè conficto abuti. Deinde dicimus nihil attinere ad Christum, vel ad Christianos Montem Seir, vel gentem Esau, sive Idumæos. Quod enim asseritur, Seir esse Montem, vel Oppidum Bethleem, ubi Christus natus est; vel Nazareth, vel juxta Sciaher Settanium, Jerosolymam; inepté omninò falsoque asseritur. Licet enim concederemus, esse hodie his in locis Montem aliquem, qui Seir appelletur; esset tamen in nomine æquivocatio, neque aliquid commune haberet cum Seir Monte Idumææ in Regione Arabiæ, de quo sermo est in loco ex Deuteronomio superiùs allegato. Verum quidem est, Hebræos appellare per contemptum Christianos Idumæos: sed ridiculo prorsùs fundamento ex fabula quadam Josephi filii Gorionis, quam refert R. Isaac Abrabanellus scribens sup. cap. 34. Isaiæ: quòd scilicet Sepho nepos Esau venerit in Africam, & cum Chartaginiensibus pugnaverit contra Italos: & deinde transfugiens ad Italos, pugnaverit pro eis Imperator contra Africanos, & Pisanos. Quamobrem ab Italis Rex electus Sepho-Janus appellatus est ob Jani memoriam. Omitto alias ineptias. Unum quæro: quid facit hoc ad constituendum Christum, & Christianos Idumæos?

Quod verò attinet ad Montem Pharan; supponunt Moslemi Doctores, Montem illum hujus nominis, de quo sermo est in Deuteronomio, esse eundem cum Mecca. Falsum hoc esse Tabulæ Geographicæ luculenter ostendunt. Longissimè hæc duo loca inter se distant, nimirùm plusquam triginta dierum intervallo. At enim Ismael in Monte Pharan habitavit, Mahumetus autem Ismaelita fuit. Parum hoc ad rem; nihilominùs dico, Ismaelem non in Monte Pharan, sed in deserto Pharan habitasse. Ita enim habemus in Gen. cap. 21. *Crevit & moratus est in solitudine, habitavitque in deserto Pharan.* Atque hoc bis ibidem habetur. Illud etiam satis probat, Pharan, sive mons, sive desertum sit, non esse Meccam; quia cùm Mecca perlongè distet à Judæa, desertum Pharan est eidem maximè propinquum. Patet hoc: nam David, ut Saulis iram effugeret, in desertum Pharan unà cum sociis fecedebat, eratque locus Carmelo Judææ monti contiguus, qui quadraginta propè dierum itinere distat à Mecca. Ita habemus lib. 1. Reg. cap. 25.

Jam verò, ut Doctoribus Moslemis directè respondeam, dico, Pentateuchi verba ab ipsis adducta, nihil aliud significare, nisi Deum in Monte Sinai Israelitis legem dedisse inter Angelorum myriadas, non inter animas Prophetarum præteritorum, ac futurorum, ut Hebræi fabulantur; neque inter inania quædam Phantasmata, quæ Mahumetanam gentem præsignarent, ut Moslemi fingunt. Deinde in Seir Idumææ monte magis gloriam suam manifestavit per signa & prodigia, quorum quædam Pentateuchus enarrat; quædam verò in libro Judicum cap. 5. innuuntur, ubi Debora Deum sic alloquitur: *Domine cùm exires de Seir, & transires per regiones Edom, terra mota est, cælique, ac nubes distillaverunt aquis: Montes fluxerunt à facie Domini.* Multòque magis sese Divina potentia, & gloria manifes-

Digitized by Google

tavit in Pharan, ob prodigia ibi à Deo patrata. Et quoniam in dies Dei Majestas, Potentia, & Gloria tantò magis innotescebat non solùm Israelitis, sed etiam cæteris gentibus, quantò magis miracula, & prodigia multiplicabantur: ideò posita fuit illa gradatio: *Venit, ortus est*, seu coruscavit: & *apparuit*, seu manifestatus est: qua gradatione Ahmed abutitur ad probandam excellentiam Legis Euangelicæ supra Mosaycam, & Alcoranicę supra Euangelicam. Hic est verus, & literalis verborum illorum sensus.

Per hoc patet responsio ad locum ex Propheta Habbacuc producțum: in eo enim præterita cum allusione ad futura prophetică enarrantur: nempe ea, quę fecerat Deus in educendis Israelitis ab Ægypto, & per desertum in terram Chanaan introducendis; & ea, quę facturus erat pro iisdem Israelitis adversus Chaldæos per Cyrum, & Darium. Nec fine causa nominavit Theman, sive Austrum, & montem Pharan, loca meridionalia: nam Medi, & Persæ, per quos Hebraicum populum coutra Chaldæos vindicare decreverat, ad Meridiem siti erant respectu Judęę. Non negamus tamen, sub verbis tàm Pentateuchi, quàm Habbacuc, alios sensus mysticos posse latere. Verùm non potest in his solidum pro nova Religione constituenda argumentum fundari. Non est hic dissimulanda Mahumetanorum audacia in allegandis tàm perversè verbis Habbacuc, ingerendo etiam nomen *Ahmed*, seu *Mahumeti*. Ubi enim legitur, *& laudis ejus plena est terra*, nempe laude Dei: ipsi habent: *Et impletaest terra laudatione Ahmed*. Quod in nullo unquam Textu legitimo reperietur.

Secundum Argumentum delumitur ab Ahmed prędicto, & cæteris sapientibus Moslemis, ex eo quòd Deus fecerit emanare fontem, quo Ismaelem siti pereuntem recrearet: & quòd dicatur de illo cap. 21. Genes. *Et fuit Deus cum puero*; & quòd Ismael unà cum patre suo Abraham templum Meccę ędificaverit, quod semper à Barbaris, & Arabibus, imò à Moyle, & cæteris Prophetis visitatum fuit. Ex eo etiam, quòd Angelus promiserit Hagari Matri ejus, Deum facturum illum patrem copiosissimę gentis: Et quòd manus ejus futura esset super omnes, & manus omnium futura esset cum eo: & denique quòd habitatio ipsius futura esset super fines omnium fratrum suorum. Signatim autem hęc habet Ahmed: *Deus Excelsus de Ismaele dixit. Ego faciam eum in gentem magnam, & magnificabo eum valdè valdè. Hujusmodi magnificatio toties iterata, rarum quemdam, & insolitum honorem, dignitatemque pollicetur. Verùm si templum illud, quod Ismael in Mecca construxit, à nullo inviseretur, & si illius progenies præter magnitudinem, & numerum, speciosi nihil haberet, ut Judæorum, & Christianorum multi deblaterant; in hujusmodi multitudine, & magnitudine nullus insolitus honor, nulla extraordinaria dignitas contineretur. Nam ex eo tantummodò, quòd quis numerosam, magnamque prolem fortitus sit, non agnoscitur singulari aliqua honoris nota insignitus, dum in ejus progenie homines fideles, pii, Deoque obedientes non reperiantur. Hinc sit, ut cum dicat Deus: Ego faciam eum in gentem magnam: si hujusmodi gens sit infidelis, veraque religione careat; nullo modo magna possit appellari.* Et paulò post: *Constat præterea hoc tàm insigne magnitudinis genti Ismaelis concessæ incrementum, per quod manus illius supra omnes mortales evasit, non nisi in Mahumeti Prophetia completum, verumque fuisse.* Et mox: *Et ipse* (Mahumetus) *est qui prænuntiatus fuit tanquam legis sortis Auctor, qui Reges, & Gentes terræ confregit, donec terrarum orbis ejus nomine, ac gente repletus fuit ab ortu solis usque ad occasum: & imperium ejus stabit in æternum.* Deinde refert verba Angeli ad Agar de Ismaele, licèt satis infideliter, dicens: *Et allocutus est eam Angelus dicens: manus ejus erit super omnes, & manus omnium erit cum eo; & habitatio ejus erit supra confinia omnium fratrum suorum.* Et mox. *Nec fuit manus filiorum Ismael super omnes, nisi postquam missus est Mahumetus. Tunc enim fuit manus eorum super omnes, nec fuit in terra Imperium potentius Imperio eorum; & hoc usque ad finem mundi perseverabit.*

Urget argumentum Auctor libri de Confirmatione Religionis; ex eo quòd nomen Ismaelis ab Angelo matri prædictum fuerit antequam natceretur; & quòd in eodem nomine, Dei ipsius nomen contineatur; idem enim sonat Ismael, ac, *Audiet Deus*. Deinde contendit, verba illa, quæ dixit Deus Abrahæ Genes. cap. 15. *Suspice Cælum, & numera Stellas, si potes, sic erit semen tuum*, accipienda esse non quidem pro Isaac, sed pro Ismael. Hinc refert, quid Hagari, & filio ejus Ismaeli evenerit: & verba Angeli ad eandem Hagar eodem modo infideliter ac superiùs ab Ahmed allegata. Tum profert verba Gen. c. 17. quibus Deus confirmat ingentia promissa, quæ fecerat Abrahæ, & posteris ejus, pollicendo eidem ex Sara filium: & ea quæ dixit eidem de Ismaele: *Super Ismael quoque exaudivi te. Ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eum valdè: duodecim Principes generabit: & faciam ex eo gentem magnam: & pactum meum firmabo cum Isaac, quem pariet tibi Sara.* Circa hæc postrema verba ita insulsè argumentatur. *Existimant Judæi, sese terræ hæredes futuros, eò quòd dixerit Deus excelsus: & pactum meum firmabo cum Isaac: Saram verò fuisse, Hagare excellentiorem, eò quòd hæc ancilla ejus fuerit. Sed ad hoc illis respondemus: jam vos non ignoratis, Deum benedixisse Ismaeli: porrò vox, Benedictio, excellentior est, & plura complectitur, quàm vox, Pactum. Quod evidenter probatur, quia inter Epitheta Dei unum est* ﷺ *idest, Benedictus sit. Benedictio igitur sanctitatem, & puritatem sonat, & præterea incrementum, ac magnitudinem. Insuper respondemus illis, Deum firmasse pactum suum cum Ismaele, quemadmodum cum Isaac. Et hæc sunt verba illius ad Abrahæm: Et firmabo pactum inter me, & inter te, & inter semen tuum post te, pactum sempiternum; & ero tibi, & semini tuo post te, Deus. Deinde subdit: porrò Ismael, ego faciam ex eo gentem magnam, eò quòd sit semen tuum.* Deinde ut probet benedictionem esse aliquid majus, quàm pactum, subdit: *Habemus præterea Deum dixisse Noe: Ecce ego firmabo pactum meum vobiscum, & cum semine vestro post vos, & cum omni anima vivente, quæ est vobiscum ex volucribus, & jumentis. Init ergo Deus pactum cum jumentis, & volucribus, & cum Noe, & filiis ejus, sicut inivit cum Isaac, & cum filiis ejus. Et quidnam habet excellentius pactum Dei cum Noe, & filiis ejus, & cum pecudibus, & avibus, quàm pactum ejusdem cum Isaac?*

Nititur deinde probare, benedictionem Dei, qua benedixit semini Abrahæ, non pertinere ad filios Isaac, sed ad filios Ismael. Cùm enim dixisset Deus Abrahæ, postquam separatus fuit à Lot: *Leva oculos tuos, & vide à loco, in quo es, usque ad Aquilonem, & Meridiem, & Orientem, & Occidentem: omnem*

Digitized by Google

omnem enim terram, quam conſpicis, dabo tibi, & ſemini tuo poſt te in ſempiternum: & ponam ſemen tuum in multitudine ſicut pulverem terræ. Poſteà limitavit filiis Iſaac terram, præcipiens eis, ne certos illius fines transirent, ut manifeſtè patet ex capite 34. Numer. & ex lib. Joſue. Concluditque Auctor: *Conſequens igitur eſt, intentum Dei fuiſſe, ut nonniſi Iſmaelis filii terram poſſiderent. Et hoc ſignificant verba illa; manus ejus ſuper omnes, & omnium manus cum eo; & habitabit ſuper omnes terminos fratrum ſuorum; nimirum ſuper totum orbem terrarum.*

Adducit præterea in laudem Iſmaelis, quòd Deus poſt nativitatem ejus mutaverit Abrahæ nomen, præcipiens ei, ne ultrà vocaretur *Abram*, ſed *Abraham*, addita litera, H, tamquam nota dignitatis, perfectionis, ac felicitatis; & ad indicandum futurum eſſe Principatum in Iſmaele, & ſtirpe ejus uſque ad diem reſurrectionis. Poſteà ſubdit: *Validius autem confirmatur hoc ex eo, quod vaticinatus eſt Balaam filius Bahur: nimirum: Orietur ſtella ex Jacob, & conſurget homo de Iſrael, & percutiet duces Moab, vaſtabitque omnes filios Seth: & erit Idumæa ſeparata, ideſt devaſtata: & Idumæa nomine Romani intelliguntur, &c.* Poſteà revocat in dubium, utrum benedictio, qua Iſaac benedictus fuit à Deo, transierit ad poſteros Jacob, an verò ad poſteros Eſau: & propendet in ſententiam pro poſteris Eſau: *Quia*, inquit, *antequam eſſet Rex ullus ex filiis Iſrael, fuerant Reges inter filios Edom. Et ita videmus hodie eſſe Reges in filiis Edom: cùm tamen nullum Regem habeant filii Iſrael. Hinc cogimur aſſerere, benedictionem Iſraelis ceſſaſſe, nec eos amplioribus ſpatiis ultrà dilatandos eſſe.*

Poſtremò probare conatur, non modò Saram, ſed Hagar quoque veram Abrahæ uxorem fuiſſe: & licèt Hagar ancilla eſſet, parem tamen cum Sara habuiſſe excellentiam: *Quia*, inquit, *ſervi conditio nihil detrahit de dignitate perſonæ: quemadmodùm conſtat in Joſeph, qui Putipharis Iſmaelitæ ſervus fuit. Jacob item fuit ſervus Eſau fratris ſui, dicente Deo* الكبير يتعبد الصغير *major premet ſervitute minorem. Et ita videmus hodie Judæos à Romanis premi ſervitute. Et ipſe idem Jacob ſepties Eſau fratrem ſuum adoravit, dicens: Ego ſum ſervus tuus.* Pergit deinde inepte ſe in laudes Hagar diffundendo, quòd ſcilicet fuerit filia Regis Ægypti, & eadem cum Cetura, quam Pentateuchus appellat abſolutè uxorem Abrahæ: & quòd Angelus ei uterum geſtanti apparuerit, & de futura prole præmonverit: quo honoris genere nulla alia mulier unquam dignata fuerit. Nec obſtat, quòd fuerit ancilla, vel concubina: nam etiam Bala, & Zelpha tales fuere, & tamen ex illis orti ſunt quidam Patriarchæ; & Judas ex inceſto Liæ matrimonio natus eſt; & idem ex nuru ſua Thamar genuit Phares, ex quo regia Davidis, & ipſius Meſſiæ progenies emanavit.

Hanc eandem promiſſionem factam Hagari de Iſmaele, ejuſque multiplicatione, & magnitudine in poſteris futura pertractat Auctor Vitæ Mahumeti, & ſucceſſorum ejus, cui titulus eſt: اعلام الهدى

Signa directionis. cap. 2. Et inter alia hæc habet: *Reperitur de eodem* (Mahumeto) *vaticinium factum à Moyſe in Pentateucho, quod mihi enarravit quidam, cui optimè notum erat, dicens: Scriptum eſt in Pentateucho, exiturum Prophetam ex progenie Iſmaelis, qui ibidem his verbis deſcribitur:* لاموميل فيعثيجا ملي براهم اوتوا بهون عنيم هوشور دميم *dولد ونلتتبوا لغوي كودول: quorum verborum hæc eſt interpretatio: Iſmael, ſuſcepi orationem ejus; & benedixi in illo, & creſcere illum feci, & multiplicavi numerum illius in filio, qui erit ei, cujus nomen erit Mahumetus: erunt nonaginta duo in computo. Educam duodecim Reges ex ſemine ejus, & dabo illi gentem multam numero.*

Ut his tàm ineptis ac frivolis Moslemorum argumentis è Sacris Literis pro ſuo Pſeudopropheta petitis brevitèr reſpondeam, dico; nos etiam fateri Iſmaelem adhuc puerum, monſtrante Angelo Hagari ejus matri fontem aquæ, ab exitio, quo ex ſiti periclitabatur, ſervatum fuiſſe. Sed id totum fieri potuit, licet Iſmael deinde à Deo eſſet reprobandus. Nam etiam propter Regem Saul primò Deus non levia, nec pauca miracula oſtendit: quæ tamen ab eodem Deo in fine eſt reprobatus, & cum tota progenie extinctus. Verum etiam eſt, dici de Iſmaele; *Et fuit Deus cum puero.* Sed de Sampſone quoque dicitur Judic. cap. 13. *Benedixit ei Dominus, cœpitque Spiritus Domini eſſe cum eo.* Et nihilominùs cap. 17. legimus: *Receſſit ab eo Dominus.* Et etiam Regi Saul dixit Propheta Samuel 1. Reg. cap. 10. *Inſiliet in te Spiritus Domini: Et, Dominus tecum eſt.* Porrò cùm in Sacris Literis dicitur Deus eſſe cum aliquo, vel aliquid hujuſmodi; ſæpè nihil aliud ſignificatur, quàm temporaria aliqua, vel terrena felicitas. Atque ita fuiſſe dicitur cum Cyro Perſarum Rege, cui dixit ipſe Deus Iſaiæ cap. 45. *Hæc dicit Dominus Chriſto meo Cyro, cujus ego apprehendi dexteram, ut ſubjiciam ante faciem ejus gentes: Ego ante te ibo, ut ſcias, quia ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Iſrael.* Poterat ne amplioribus, aut magnificentioribus verbis exprimi Divina aſſiſtentia cum Cyro? Et tamen homo Ethnicus erat, & infidelis. Quantum ſe jactarent Doctores Moslemi, ſi tantundem de Iſmaele, vel Mahumeto in Sacris Literis reperiretur.

Quòd verò Iſmael unà cum Abraham Templum Meccanum ædificaverit, omni prorsùs caret fundamento, Nam ſi hoc fuiſſet. aliqua de eo mentio in Scripturis reperiretur, in quibus tàm magnificis verbis, tàmque prolixa narratione Templum à Salomone ædificatum, à Nehemia inſtauratum commemoratur. Moyſes etiam Gen, cap. 12, non omittit, quin referat, Abraham ædificaſſe in Sichem Altare Domino: aliudque Altare inter Bethel, & Hai. Et cap. 13. Aliud juxta Mambre. Et cap. 21. Plantaſſe nemus in Berſabee (locum ſcilicet ſacrum, Deoque dicatum) & invocaſſe ibi nomen Domini. Et quis eredat, cùm tàm exactè referat Moyſes altaria, quę in honorem Dei Abraham erexit, Templi tàm celeberis ab eo conſtructi mentionem nullam feciſſe? Atqui ex Sacræ Geneſeos contextu manifeſtè colligitur, non ſolùm Abraham hujuſmodi Templum in Mecca non ædificaſſe, ſed ne Meccam quidem unquam vidiſſe.

Quòd Angelus prædixerit, Iſmaelem numeroſæ gentis, magnique populi patrem futurum, nihil facit pro Mahumeto, neque pro ſuperſtitioſa Religione illius. Nam hi modi loquendi in Sacris Literis nihil propè aliud, quàm poſterorum multitudinem, potentiamque ſignificant. Atque ita dixit Deus ab initio avibus, ac piſcibus: *Creſcite, & multi-*

Digitized by Google

plicamini, & replete aquas maris, &c. Eademque verba dixit Noe, & filiis ejus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram*. Et tamen ex tribus filiis Noe, duo infidelium populorum patres fuere: tertii quoque progenies non pertinuit nisi ex parte ad populum Dei. Neque refert, quod dicatur, gentem Ismaeliticam magnam esse futuram; quasi id sit argumentum Fidei, ac Religionis in illa à Deo constitutæ. Nam Josue c. 23. dicitur: *Auferet à vobis Deus gentes magnas, ac robustissimas*: Et tamen sermo ibi est de gentibus, quæ idola colebant. Et Hieremiæ cap. 7. de Chaldæis impiis, & infidelibus scriptum est: *Ecce populus venit de terra Aquilonis, & gens magna consurget à finibus terræ*. Et idem repetitur cap. 50.

Neque quia in promissione hujus copiosæ posteritatis ex Ismaele dicatur: *Et multiplicabo eum valdè*: vel ut in Hebraico fonte legimus בִּמְאֹד מְאֹד *in multum multum*; insertur singularis aliqua prærogativa pro ipso, vel posteris ipsius. Nam etiam de filiis Israel dicitur Exodi cap. 1. *Et filii Israel creverunt & multiplicati sunt, & roborati sunt in multum multum*. Prætereà eadem loquendi forma adhibetur de Isaac, & posteris ejus, cap. 17. vers. 2. & 6. Dicitur enim primo loco: *Et ponam pactum meum inter me, & inter te, & multiplicabo te in multum multum*. Secundo verò: *Ego sum, & pactum meum tecum, erisque pater multarum gentium ..... faciamque te crescere in multum multum: Et ponam te in gentibus, Regesque ex te egredientur: & statuam pactum meum inter me, & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fadere sempiterno, ut sim Deus tuus, & seminis tui post te. Daboque tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam*. Non potest dubitari, quin his duobus in locis sermo sit de Isaac, dum multiplicatio cum *pacto* conjungitur, quod non cum Ismael, sed cum Isaac initum est, quemadmodum paulò post dicit Deus ipse: *Pactum autem meum statuam ad Isaac*. Et prætereà sermo est de illo semine, cui terra Chanaan danda erat in hæreditatem, & ex quo Reges egressuri erant. Certum porrò est, hoc esse semen Isaac. Nam cùm de Ismaele loquitur Scriptura, numquam nominat Reges, sed Duces, vel Principes. Contrà verò ex Isaac oriundos semper Reges appellat. Denique cùm in Pentateucho nominatur absolutè *Semen Abrahæ*, semper de Isaac accipiendum est, cùm dixerit Deus Abrahæ, Gen. cap. 21. *In Isaac vocabitur tibi Semen*. Itaque Ismael non ingreditur in pactum, neque computatur in Semine Abrahę, nec filius ejus censetur. Id quod manifestè patet ex modo loquendi Dei cum Abraham in illis verbis Gen. cap. 22. *Tolle filium tuum unigenitum, quem diligis Isaac*. Porrò Ismaelem semper vocat Scriptura filium ancillæ: quòd si filius Abrahę censeretur, non posset Isaac cum veritate filius ejus unigenitus appellari. Si verò Moslemi objciant, Ismaelem quoque ingressum fuisse pactum Circumcisionis: Respondebimus, Circumcisionem non fuisse propriè pactum, sed signum pacti, quemadmodum dixit Deus Gen. cap. 17. *ut sit signum fœderis inter me, & vos*. Cæterùm licet pactum pertineret tantùm ad Isaac: Signum tamen pacti, nempe Circumcisio, extendebatur ad omnes, qui erant in convictu Abrahę, ut patet ex illis verbis Dei: *Tàm vernaculus, quàm emptitius circumcidetur, & omnis qui non fuerit de stirpe vestra*. Magis autem roboratur hęc veritas, quia quoties dixit Deus Abrahę: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*, certum est cum respectu Isaac tantùm locutum fuisse. Eadem quippe verba eidem Isaac iteravit Deus Gen cap. 26. dicens: *Eroque tecum, & benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas Cœli: & benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ*. Et ne quis posset dubitare, an hęc pro Jacob, an verò pro Esau dicerentur (uterque enim fuit semen Isaac) eadem Deus Jacobo confirmavit cap. 28. dicens: *Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac* (nunquam & nusquam dicitur Deus Ismael) *eritque semen tuum quasi pulvis terræ. Dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem: Et benedicentur in te, & in semine tuo cunctæ Tribus terræ*. Hinc apparet quàm fluxè de hac re Auctor libri de Confirmatione Religionis dubitaverit.

Ad id, quod allegant de Ismaele dictum: *Manus ejus erit super omnes, & manus omnium erit cum eo: Et habitatio ejus erit supra omnes fines fratrum suorum*. Respondetur, eos perperam verba Scripturę referre, & magis perperam interpretari. In fonte Hebraico legimus: *Manus ejus in omnes, & manus omnium in eum*. Et eodem modo Septuaginta Interpretes transtulere. Neque aliud per hoc significatur, nisi Ismaelem, ejusque posteros omnibus infestos futuros; & è converso omnes illis adversaturos, vicemque reddituros. Et quocumque modo verba interpretemur, nihil amplius dicitur de Ismaele respectu omnium, quàm de omnibus respectu Ismaelis: utrobique enim Hebraicè est eadem particula בְּ *Be*, quam omnes in rpretes eodem modo utrobique verterunt. Prætereà falsò dicitur, habitationem Ismaelis futuram supra omnes terminos fratrum suorum. Nam particula Hebraica עַל־פְּנֵי *hal penè*, non significat, *supra*, sed *coram*, vel *contra*: & ita etiam Interpretes Græci, & Latini verterunt. Verùm licet daremus Moslemis, promitti à Deo his verbis illud Imperium Ismaelitis, quod olim habuerunt: nunquam tamen dicere verè poterunt, se Romanis superiores, vel etiam pares fuisse; qui tamen vera religione caruerunt. Quod autem Ahmed, & alii Sapientes Moslemi asserant, Imperium Orbis terrarum in posteris Ismaelis æternum futurum, divinant mendacium: videmus enim hoc tempore Ismaelitas, & Arabes imperio spoliatos sub Scytharum, & Turcarum tyrannide miserè servire, quamvis ejusdem superstitionis fœce contaminatorum.

Neque quod Ismaelis nomen ab Angelo prædictum fuerit, aliquid tàm magnum, aut singulare præsagit, quantum auctor existimat. Nam etiam Cyri Persarum Regis Ethnici nomen à Deo prædictum fuisse, colligunt communiter Interpretes ex illis verbis Isaiæ eidem Cyro dictis à Deo cap. 45. *Ego Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel*. Et quidquid sit, felicior hac in re fuit Isaac, cujus non matri, sed patri, non Angelus, sed Deus ipse nomen prænunciavit, Gen. cap. 17

Neque quòd in hac voce, *Ismael*, nomen Dei contineatur, aliquid singulare præsagit. Innumeri prope sunt in Sacris Literis, qui Dei nomina אֵל *El*, vel יהּ *Jah*, vel alia, annexa nominibus suis habent, quorum tamen plerique nullius pretii, vel etiam ma-

li,

li, fceleſtique fuerunt. Alia ex parte neque Abraham, neque Moyſes, neque David, (pudet dicere, neque Mahumetus,) hujuſcemodi nomen fortiti ſunt. Sed nihilominus ſi hinc felicitatis omen captare libet, felicior cenſendus erit Iſrael, nempe Jacob, quàm Iſmael: non ſolùm quia immediatè nominatus fuit à Deo: ſed etiam quia Iſrael ſignificat, vir videns Deum: Iſmael autem, audiet Deum, vel Deus. Videre autem nobilius eſt, quàm audire.

Fallitur porrò, totoque Cœlo errat adverſarius, dùm putat verba illa Gen. cap. 13. quæ Deus dixit Abrahæ: *Suſpice Cœlum*, &c. ad Iſmael, non ad Iſaac pertinere: vel promiſti Abrahæ univerſum Orbem terrarum. Promittebatur enim tantùm terra Chanaan poſteris Iſaac, & Jacob, ut patet ex cap. 26. ubi Deus ita loquitur cum Iſaac: *Tibi enim, & ſemini tuo dabo univerſas regiones has* (erat tunc Iſaac in terra Chanaan) *complens juramentum, quod ſpopondi Abrahæ patri tuo*. Sed hæc nimis aperta ſunt.

Admirandum porrò eſt acumen Adverſarii in diſtinctione illa *Pacti*, & *Benedictionis*: quaſi verò Iſaac quoque non fuiſſet à Deo Benedictus. Sed contrarium apertè conſtat ex c. 17. Gen. cum hoc tamen diſcrimine, quòd Iſmaelis benedictio ſiſtat in ipſo, nec tranſeat ad alios: contrà verò benedictio Iſaac non ſolùm diffuſa eſt ad nepotes, & poſteros ejus: ſed ad omnes gentes Orbis terrarum: cùm ſæpè repetantur ea magnifica verba: *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*. At in ſemine Iſmael nullus legitur fuiſſe benedictus. Cæterùm tàm *Pactum*, quàm *Benedictio*, commenſurari debet ſubjecto ſupra quod cadit, & fini, ad quem dirigitur, cùm in Sacris Literis tàm *Pactum*, quàm *Benedictio*, reperiatur dici tàm de hominibus, quàm de animalibus brutis, cum magno tamen diſcrimine.

Quòd autem Deus perfecerit nomen Abrahæ in gratiam Iſmaelis; non ſolùm gratis, ſed etiam falsò aſſeritur: nam propter Iſaac hoc factum fuiſſe, ſatis conſtat. Eodem quippe anno, quo Iſaac natus eſt, tertio decimo anno poſt ortum Iſmaelis, Deus Abrahæ nomen mutavit, in qua mutatione mentio fit Pacti Divini cum ſemine Abrahę; quæ duo non ad Iſmaelem, ſed ad Iſaac pertinere ſuprà demonſtravimus. Denique eodem tempore, eodemque momento nomen Saræ matris Iſaac mutatum fuit à Deo, ad quam nihil attinebat Iſmael: imò erat ei maximè exoſus. Porrò ſi in gratiam Iſmael hæc mutatio facta fuiſſet; non Saræ, ſed Hagaris nomen mutari debuiſſet.

Vaticinium illud Balaam ineptè omninò atque inſulsè adducitur: nulla enim ibi mentio fit de Iſmaele, vel de Iſmaelitis. Neque Mahumetus ortus eſt ex Jacob, vel ex Iſrael.

Comparatio inter Hagar, & Saram, nihil facit ad rem. Et quamvis certum ſit, Saram, ut potè dominam, excellentiorem fuiſſe ancilla ſua Hagar: fatemur tamen nos etiam, conditionem ſervilem non impedire, quin aliquis poſſit à Deo ad maximam excellentiam promoveri. Negamus tamen, Hagar fuiſſe vel filiam Regis Ægypti, vel eamdem cum Cetura; quidquid Moslemi, vel Rabbini fabulentur. Unum diſſimulare non poſſum, quod nimirum verba illa Gen. cap. 25. *Major ſerviet minori*; nempe Eſau Jacobo: ſenſu oppoſito allegentur ab adverſario: nempe: *Major ſervitute premet minorem*. Quòd ſi Jacob aliqua ſervitutis obſequia oſtendit erga Eſau, id fuit ex urbanitate, velex metu, ac neceſſitate tantummodo.

Venio nunc ad Auctorem Vitę Mahumeti ſuperiùs allegatum. Hic verba Hebraica fideliter expreſſit, licet ſatis pingui Minerva, characteribus Arabicis, quorum fidelis interpretatio hæc eſt: *Pro Iſmael audivi te: Ecce benedixi ei* (omittit per incuriam, non per fraudem) *Et creſcere faciam eum, & multiplicare faciam eum in multum multum: duodecim principes generabit, & dabo eum in gentem magnam*. Ita habetur in Foate Hebraico. Ille verò eadem verba ſic vertit, ſeu veriùs pervertit: *Iſmael, ſuſcepi orationem ejus, & benedixi in illo, & creſcere feci illum, & multiplicavi nomen ejus in filio, qui erit ei, cujus nomen erit Mohammed. Erunt nonaginta duo in computo. Educam duodecim Reges ex ſemine ejus, & dabo illi gentem multam numero*. Hic homo, non verba, ſed Cabaliſticum verborum ſenſum à ſciolo aliquo Rabbino edoctus expreſſit. Quem ut tu quoque ſector intelligas; ſcito verba illa, *in multum multum*, Hebraicè ſcribi בְּמְאֹד מְאֹד, ſeptem characteribus, qui quando ſunt numerales, efficiunt ſummam 92. quam ſummam faciunt etiam characteres, quibus Arabicè ſcribitur nomen محمد *Mohammad*, nempe *Mahumetus*, ſi iidem characteres more Hebraico numeriè ſum mentur.

Sed reſpondetur primò, etiam cùm Scriptura loquitur de Iſaac, ut ſuprà oſtendi, eadem verba, eoſdemque characteres adhibere: quemadmodum etiam Exod. cap 1. cùm loquitur de Iſraelitis in Ægypto commorantibus.

Reſpondetur ſecundo: Nomen Arabicum محمد *Mohammad* ſummare numerum non quidem 92. ſed 132. Habet enim literam م Mim in medio latentem ſub ſigno, quod Grammatici vocant, تشديد ideſt *roborationem*. Sciendum eſt enim, Arabes non ſcribere duos characteres ſimiles poſitos inter duas voces: ſed alterum eorum innuere per ſignum prædictum, cujus figura eſt, ـّ, & ſuprà literas collocatur, quemadmodum nos per apicem ſuprapoſitum in hac voce Mohamad, ſignificamus contineri ibi duplicem M: & in hac, Anus, deſiderari alteram literam N. Atque ita ſi Arabicè ſcribenda eſſet hæc vox, Annus, neceſſariò ſcriberetur انّوس cum unico N, expreſſo, latente altero N ſub ſigno prædicto. Cùm igitur hæc vox محمد contineat tres م *Mim*, quæ ſummant numerum 120. & ح *Ha*, & د *Dal*, quæ conficiunt numerum 12. erit tota ſumma 132.

Hùc accedit, non niſi ineptiſſimè deduci Anagramma in uno idiomate ex Anagrammatiſmo alterius idiomatis, ut ſi quis E. G. ex voce Arabica *Sued*, nempè niger, vellet deducere vocem Latinam *Deus*.

Poſtremò quis ignorat, quàm inanis, & fallax ſit ars per literarum numerum, vel tranſpoſitionem, divinandi, quam nos Anagrammaticam, Hebræi Cabaliſticam appellant: cùm ex eodem Themate erui poſſint ſenſus non ſolùm ridiculi, & inepti, ſed etiam inter ſe prorſus oppoſiti? Et ne longiùs abeamus, ex his iiſdem literis ſuprà poſitis, בְּמְאֹד מְאֹד ex quibus Arabes vitiosè deducunt nomen محمد Mohammad: per juſtum computum in eadem lingua Hebraica formantur hæ dictiones נְבִיא כָּזָב *Propheta mendacii*, vel *Pſeudopropheta*. Hic nulla eſt in

Digitized by Google

in numeris, vel characteribus licentia : & Cabala, seu Anagramma, fit in eodem idiomate, ut patet in subjecto tchemate, in quo etiam videre licet parem numerum characterum ;

מחמד	92.	נר	92.
מ	40	נ	50
ח	8	ר	200
מ	40		
ד	4		

Dicendum igitur erit, prædici, ac promitti hoc loco Mahumetum quidem, sed seductorem, falsumque Prophetam, qui fraudibus, ac mendaciis suis Ismaelitarum gentem, atque Imperium multiplicaverit. Neque nos in hoc valdè reluctabimur : sed quis credat, Deum, Religionis, ac Fidei suæ mysteria his nugis alligare?

Jam verò, ut sapientibus Moslemis plenius satisfaciam : dico, certum esse, Hagar, fœminam proterva, & ancillam contumacem fuisse, despiciendo Saram dominam suam, seque illi præferendo. Quamobrem, etiam approbante Deo, illam domo, unà cum filio, ejecit : Angelus verò illi apparens, justit regredi ad dominam suam, seque illi submittere, & humiliare.

De Ismaele varia est tùm Hebræorum, tùm Christianorum sententia : omnes tamen conveniunt, illum multis in rebus peccasse, & saltem in eo, quòd cum Isaac adhuc puero licentiùs ageret, sive ad Idololatriam, sive ad actus obscœnos, provocando, sive contumeliosè tractando, sive persecutiendo : quamobrem meritò à Sara unà cum matre domo fuit ejectus. Verba etiam illa Pentateuchi de Ismaele : *Hic erit ferus homo : manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum*; ostendunt, illum fuisse barbarum, ac rudem, & rixarum amicum, & feræ potiùs similem, quàm homini : quamobrem Hebraicè vocatur פֶּרֶא אָדָם ideſt *Onager*, seu *asinus sylvestris*. Et S. Paulus in Epistola ad Galatas, cap. 4. asserit, illum persecutorem fuisse fratris sui Isaac. Postremò de Ismaelitis, & de Hagarenis, nihil laude dignum, sed tantummodò, quod vituperationem mereatur, inveniturin Scripturis, & præsertim quòd populo Dei iniqui semper infestique fuerint. Alia ex parte, cùm in Sacris Literis nominatur Abraham, frequenter adjunguntur illi Isaac, & Jacob, nunquam verò Ismael : quia felicet vera Religio, quam professurum erat semen Abrahæ, non in Ismaele, sed in Isaac, & Jacob, eorumque posteris invenienda erat. Quamobrem idem S. Paulus loco citato, comparat Isaac, & Ismael veluti Cœlum, & Terram; libertatem, ac servitutem; populum electum, & populum reprobatum.

Tertiò allegant Doctores Moslemi, & præsertim Auctor libri de confirmatione Religionis, verba illa Moysis ad Israelitas Deuteronomii cap. 18. *Prophetam è medio tui è fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus : ipsum audietis*. Hæc verba expendens Adversarius, ita loquitur : *Hic sermo indicat nobis verba Alcorani gloriosi. At Judæi ex propria opinione asserunt, nullo modo hic Mahumetum, vel ejus Propheticum munus prædici : sed Job, aut alium Prophetam promitti; cùm filii Israel alios fratres habeant, præter filios Ismael. Quibus nos ita respondemus : Vos fatemini nullum fuisse inter filios Esau Prophetam. Quod si hujusmodi Propheta fuit inter filios Israel, quid sibi volunt verba illa Dei in ultimo Pentateuchi capite : Et non surrexit Propheta ultra in Israel sicut Moyses? Et ex quanam gente erit hic Propheta, quem asserit Deus futurum sicut Moyses? Hic nihil est quod respondeant, sed necesse est penitus obmutescant*.

Respondemus, hoc argumentum nullius esse momenti. Primò, quia Propheta, quem Deus promittit in eo loco Pentateuchi, suscitandus dicitur è medio, seu, ut legitur in fonte Hebraico, ex interioribus Israelitarum, & è fratribus eorum. At nunquam, & nusquam Ismaelitæ Israelitarum fratres in Scripturis dicuntur, sed hostes, & extranei contentur. Secundò : Verba illa : Non surrexit Propheta ultra in Israel sicut Moyses, non repugnant cum promissione Dei, venturum esse alium sicut Moysen : & ad hanc difficultatem respondent Doctores Hebræi lib. 3. Iechazim cap. 20. his verbis : *Nullo modo fieri potest, ut non surgat aliquando Propheta similis Moysi, atque etiam major illo. Verùm ita explicandæ sunt verba illa, non surrexit sicut ille. non ut nunquam futurus sit ullus similis illi absolutè : sed tantùm, ut non futurus sit similis illi in aliqua peculiari qualitate. Vel, ut toto eo tempore, quo Prophetæ futuri sunt post eum, usque ad Prophetiæ cessationem, nullus surrecturus sit similis illi. Verùm posted erit non solùm similis, sed etiam major Moyse*. Et Auctor Nevæ Scialon lib. 9. cap. 5. hæc habet. *Rex Messias erit supra Abraham, & supra Moysen : Et verè etiam dicitur supra Angelos Administratores*. Quòd verò hoc vaticinium pertineat ad Messiam, non solùm affirmat S. Petrus in Actis Apostolorum cap. 3. sed etiam aliqui Doctores Mahumetani; & inter eos Ahmed filius Abdolhalimi in sua Apologia his verbis : *Dicunt nonnulli eorum* (Judæorum,) *hunc non esse sermonem affirmativum, sed interrogativum in sensu negantis : non secus, ac si diceretur : An suscitabo filiis Israel Prophetam? Inferendo : nequaquam suscitabo. Hoc modo corrumpunt, & depravant Judæi vaticinia spectantia ad Christum. Verùm hoc nihil apud Mahumetanos, & Christianos detrahit de vero, legitimoque sensu eorumdem de Christo vaticiniorum*. Postremò adverto, non esse novum in Scripturis hunc modum loquendi, nimirùm quòd inter multos infignes viros, dicatur de unoquoque singillatim, nullum illi similem esse, vel fuisse. Exempla sunt lib. 4. Reg. cap. 18. ubi dicitur de Rege Ezechia : *Post eum non fuit similis ei de cunctis Regibus Juda, sed neque in his, qui ante eum fuerunt*. Eadem penè verba dicuntur de Rege Josia cap. 23. *Similis illi non fuit ante eum Rex : neque post eum surrexit similis illi*. Et nihilominus tàm de hoc, quàm de illo asseritur fuisse prorsùs similes David. cap. 18. de Ezechia dicitur : *Fecitque quod erat bonum coram Domino juxta omnia, quæ fecerat David pater ejus*. De Josia verò cap. 22. *Ambulavit per omnes vias David patris sui; non declinavit ad dextera*,

teram, neque ad sinistram. Ne falsitas ponatur in Sacris Literis (quod absit,) dicendum est, his modis loquendi vel denotari tantummodo excellentiam magnam personæ; vel affirmari, in aliquibus quidem nullum similem habuisse: in aliis tamen non solùm similes, sed etiam superiores illi fuisse. Et ita neque Messias ipse fuit in omnibus similis Moysi.

Quartò. Adducit idem Auctor verba illa Deuteronomii cap. 26. quibus ita alloquitur Deus Israelitas juxta originem Hebraicam: *Et Dominus condixit te hodie, ut sis ei in populum peculiarem..... & ut faciat te excelsum super omnes gentes, quas fecit: ad laudem, & ad nomen, & ad decorem, & ut sis populus sanctus Domino Deo tuo*. Ita igitur arguit hic Auctor: *His verbis innuit Deus gentem Mahumetanam. Quæ enim sunt hæ gentes, quas asserit Deus se creasse ad laudem, & nomen, & gloriam?*

Verùm hoc testimonium facit potiùs contra Mahumetanos: ostendit enim, Deum facturum esse Israelitas excellentiores illis gentibus, per quas Mahumetani putant se significari. Sed simpliciter respondeo, Auctorem hallucinari, dum verba illa, *ad laudem, & nomen, & honorem*, refert ad gentes, quas creavit Deus, cùm referenda sint ad Israelitas; atque id patet ex ipso contextu, & etiam ex eò quòd post verbum, *creavit*, tàm in Originali Hebraico, quàm in æteris versionibus, ponatur distinctio. Clarius septuaginta Interpretes, quos Moslemi æteris præferunt, ita verterunt: *Dominus elegit te hodie, ut esses sibi populus peculiaris, sicut dixit tibi; ut custodias omnia præcepta ejus; & ut esses sublimis super omnes gentes; qui fecit tenominatum, & gloriosum, & honoratum, ut esses populus sanctus Domino*.

Quintò. Profert Ahmed filius Abdolhalim verba Psalmi 149. hoc modo: *Dixitque David in Psalmis: Laudate Dominum laudatione nova: & lætetur inter creaturas ille, cujus Deus gentem elegit, & dedit illi victoriam, & feliciter direxit bonos ex eis cum honore. Laudabunt eum in cubilibus suis, & magnificabunt eum vocibus altis: in manibus eorum gladii duarum acierum, ut ulciscatur per eos de gentibus, quæ non serviunt illi*. Existimat Auctor, hoc esse vaticinium de gente Mahumetana, eò quòd hęc magnificet Deum vocibus altis è Turribus Meschitarum, advocans populum ad quinque Orationes, quas dicit esse laudationem novam: quia nulla gens hunc morem servat. Hebræi enim tubis, Christiani Campanis, ad preces indicendas utuntur. Præterea Mahumetani, qui primi fecuti sunt Mahumetum, gladiis duarum acierum usi sunt, quibus Provincias debellarunt. Insuper Mahumetani laudant Deum in cubilibus suis, quia dum orant, si stare nequeunt, sedent: si verò iedere non possunt, jacent super cubilia sua extensi. Christiani verò neque laudant Deum elatis vocibus, neque habent in manibus gladios duarum acierum ad pugnandum contra Infideles. Imò improbant eos, qui gladio infideles oppugnant.

Respondemus primò. Depravatè, & infideliter verba Psalmi illius afferri. Secundò, ex ipso contextu liquet, tibi sermonem esse de Israelitis, non de Ismaelitis, dicitur enim inter alia, *lætetur Israel in eo, qui fecit eum, & filii Sion exultent in Rege suo*. Tertiò. Nimis frivolis argumentis probatur hìc agi de Ismaelitis, seu Mahumetanis: quòd nimirum hi elatis vocibus è turribus invitent ad preces, neque utantur tubis, vel campanis, sicut Judæi, & Christiani: quòd utantur contra infideles gladiis bicipitibus: quòd orent jacentes in cubilibus: quòd quinque eorum preces sint laudatio nova, & aliæ hujusmodi ineptiæ, quas fatius est irridere, quàm confutare.

Sextò. Affirmat idem Auctor verba Psalmi 44. quæ ineipiunt à versiculo tertio: *Speciosus forma præ filiis hominum*, esse vaticinium de Mahumeto.

Respondeo. Totum illum Psalmum, non solùm ex dicto S. Pauli in Epistola ad Hebræos cap. 1. verùm etiam ex consensu Hebræorum, & Christianorum, & quod majus est, ex confessione ipsius Ahmed, ad Messiam, non ad Mahumetum pertinere. Ita enim scribit ille in Apologia pag. mihi 60. oppugnans Christi Divinitatem. وممما يبين قولنا فى خلق المسيح ان هذا الامر انما وقع له لانه مسح للنبوة وللخير ومصحه الله تبارك وتعالى وقد قال داود فى زبوره قولا يشهد على ذلك بعينه من اجل هذا مصحك الله الملك اكثر مما مسح به نظرائك فلبان داود يهذه الاية مسح المسيح وان مصحه الله وانه مصطفا مكرم بزيادة على نظرائه

Inter ea, quæ magis confirmant dictum nostrum de esse Christi creato, illud est, quòd hoc nomen, Messias, impositum fuit illi eò quòd ad Prophetiam, & ad felicitatem unctus fuerit à Deo benedicto, & excelso. Et quidem dictum Davidis in Psalmis hoc idem testatur; Ait enim: Propterea unxit te Deus tuus plusquam unxerit consortes tuos. Innuit autem David his verbis significationem hujus vocis, Messias; quia scilicet unctus fuit à Deo, & electus ab eo supra omnes consortes suos: hæc Ahmed. Quamobrem miror nunc, adeò sui oblitum fuisse, ut trahere velit ad Mahumetum, quæ illi nullo modo conveniunt, fed absolutè debent exponi de Christo.

Septimò. Objicit idem ex Psalmo 47. pro Mahumeto testimonium, his verbis: *Dixit David in quodam Psalmo: Dominus noster magnus, laudabilis valdè. Hujus verò interpretatio est: Deus noster Sanctus, & Mohammed coopernit totam terram lætitia magna. Manifestavit autem David nomen Mahumeti, & patriam ejus, quam civitatem Dei appellavit, docuitque, verbum ejus universam terram replere*.

Respondeo, nullo modo hìc prædici Mahumetum, vel Meccam, sed totum Psalmum referri ad Jerosolymam, ac montem Sion, Templumque in eo fundatum, ut patet ex illis verbis: *Fundatur exultatione universæ terræ mons Sion. Lætetur mons Sion, & exultent filiæ Judæ. Circumdate Sion, & complectimini eam*. Fundamentum verò adversarii nimis leve est, ac ridiculum; quia scilicet nomen محمد *Mohammad*, sive Mahumetus significat, *laudatus*, seu *laudabilis*, & in hoc Psalmo Deus appellatur *laudabilis*: putat hic prædici Mahumetum: & quæ hìc dicitur *Civitas Dei*, esse Meccam patriam illius; quo nihil insulsius dici potest. Adde in nulla versione Arabica Deum hìc dici محمد *Mohammad*, sed مسحم *Mosabbah*; quod item significat *laudatus*: Hebraieè autem est מְהֻלָּל *Mehullal*; quorum neutrum habet ullam similitudinem cum nomine *Mohammed*.

Digitized by Google

med. Quin nec ipſe Ahmed habet محمد *Mohammad*, ſed محمود *Mahmud*. Verùm quid ego in his nugis tempus teram?

Octavò. Abutuntur duo prædicti Auctores verbis Pſalmi ſeptuageſimi primi, cujus initium eſt: *Deus judicium tuum Regi da*; falsò afferentes, ea, quæ in hoc Pſalmo continentur, non Chriſto, ſed Mahumeto convenire.

Reſpondeo, nonnulla non ſolùm Mahumeto, ſed etiam cuivis magno Regi, ſeu Monarchæ, præſertim pio, poſſe aliquo modo in hoc Pſalmo convenire. Verùm titulus ipſe Pſalmi, qui in fonte Hebraico eſt לשלמה in Salomonem, oſtendit illum nullo modo ad Mahumetum pertinere. Communis porrò tùm Hebræorum, tùm Chriſtianorum ſententia eſt, agi hìc de Meſſia ſub figura Salomonis, ex cujus progenie Meſſias erat naſciturus. Præterea ſi omnia, quæ in hoc Pſalmo continentur, colligantur, nulli niſi Chriſto poſſunt convenire. Dicitur enim in eo: *Et benedicentur in ipſo omnes tribus terræ; omnes gentes magnificabunt eum*. Prima horum verborum pars non poteſt convenire niſi alicui ex ſtirpe Iſaac, vel Jacobo prognato; his enim tantummodò dictum fuit à Deo: *In ſemine tuo benedicentur omnes Tribus Terræ*, vel, *omnes gentes terræ*. Hoc verò de nullo ab his duobus oriundo dici poteſt, niſi de Chriſto, per cujus Euangelium, ac fidem benedictæ ſunt omnes nationes Orbis terrarum. Neque ullus adhuc ab Iſaac, & Jacob exortus, magnificatus fuit ab omnibus gentibus præter Chriſtum, qui non ſolùm ab omnibus Chriſtianis, verùm etiam ab omnibus Mahumetanis tamquam Meſſias, & Verbum, ac Spiritus Dei magnificatur, & honoratur; imò & adoratur, illa ſaltem adoratione, quam Mahumetani creaturis concedunt: dicitur enim: *Et adorabunt eum omnes reges terræ*. Porrò omnes reges, qui adorant Mahumetum, adorant etiam Chriſtum: at innumeri propè Reges, & Principes adorant Chriſtum, qui non adorant Mahumetum, neque ullo eum dignantur honore. Præterea Chriſtus ab Imperatore Romano, & à Regibus ferè totius Orbis adoratus fuit vera, propriaque adoratione latriæ, quæ ſoli Deo convenit, licet aliqui deinde ab illius adoratione reſilierint. Sed neſcio qua fronte Mahumetani verba hæc Prophetæ ſuo tribuant, qui vituperent Chriſtianos, & Judæos, quòd Pontifices ſuos, & magiſtros adorent, ideſt flexis genibus, honorent; cùm dicant, adorationem hanc uni Deo convenire. At enim, quomodo, inquiunt, verificatur de Chriſto: *Et dominabitur à Mari uſque ad Mare, &c.* Facilè reſpondetur, dominium Chriſti dilatatum fuiſſe à Mari ad Mare, & uſque ad terminos Orbis terrarum, per prædicationem Euangelii, per quam regnum ſuum univerſum per Orbem dilatavit.

Sed objicit Adverſarius primò: Chriſtus non liberavit pauperes à potentibus, neque humiliavit calumniatores.

Reſpondeo, Chriſtum dum viveret, ſemper pauperum, & inopum ſe patronum geſſiſſe, & contra potentiores, ac divites, pauperumque oppreſſores proclamaſſe. Neque verò neceſſe eſt, ut omnia, quæ de Chriſto prædicta ſunt, ipſemet dum viveret, compleverit (hoc enim neque in ſuo Mahumeto Moslemi exigunt.) Satis eſt, ut per legem ſuam, ac Vicarios ſuos, proceſſu temporis hæc perfecerit. Vera tamen hujus loci intelligentia eſt, quòd Chriſtus homines à Dæmonibus, & à ſervitute peccati liberaverit, tamquam pauperes, & inopes à potentibus, & calumniatoribus: Satanas enim Græcè dicitur διάβολος, ideſt *calumniator*.

Objicit ſecundò ad ea verba: *Et adorabunt de ipſo ſemper, tota die benedicent ei*; hæc non verificari de Chriſto, ſed de Mahumeto, pro quo Mahumetani jugiter preces, & benedictiones effundunt, præſertim dum illum nominant, verbis illis: صلي الله عليه وسلام ideſt *Oratio Dei, & pax ſuper illum*.

Reſpondeo primò: Etiamſi Chriſtiani non orent pro Chriſto, quia, ut benè notat Adverſarius, colunt eum tanquam Deum, nec putant illum indigere orationibus hominum: ipſi tamen Mahumetani orant pro eo, dum illum nominantes, addunt plerumque eamdem formulam صلي الله عليه وسلام vel ſaltem عليه السلام *Tax ſuper eum*: vel illam, رضي الله عنه *Complaceat ſibi Deus de illo*.

Reſpondeo ſecundò, duplici modo poſſe verba Pſalmi explicari: primò, ut idem ſit orare pro aliquo, ac Deum precari, ut liberet eum ab aliquo malo, quod patitur: vel concedat ei aliquod bonum, quo caret. Secundò, ut idem ſit, ac laudem, benedictionem, & fauſtas acclamationes eidem tribuere. Priori modo, ne Mahumetani quidem intendunt orare pro ſuo Mahumeto. Poſteriori autem non ſolùm Mahumetani, ſed etiam Chriſtiani ſemper, & ubique orant pro Chriſto, dum illum ſemper laudant, & benedicunt, & præterea dum orant Deum, ut illius nomen, & Religionem dilatet per totum Orbem terrarum.

Poſtremò, nullo modo conveniunt Mahumeto verba illa: *Orietur in diebus ejus juſtitia, & abundantia pacis*: cùm totam ferè vitam inter bella, arma, prædas, rapinas, cædeſque tranſegerit. Referunt enim Chronologi Moslemi, ipſum ſexaginta, ac duo bella partim per ſe, partim per Duces ſuos geſſiſſe: quamobrem vocant eum نبي الملحمة والقتال *Prophetam belli, & Interfectorem*, ſeu *Sanguinarium*.

Nonò: Proferunt Moslemi (ut affirmat Abul-Pharegus in libro, quem ſcripſit de rebus Arabum) ex Pſalmo 49. verba illa: *Ex Sion ſpecies decoris ejus, Deus manifeſtè veniet*. Quæ ipſi legunt cum Interprete Syro. اكليلا محمودا الظهر الله من صهيون *Coronam laudatam Deus manifeſtavit ex Sion*. Ubi vox محمودا *laudatam*, habet eandem originem ac nomen محمد *Mohammad*, à verbo حمد *laudare*. Ajunt propterea (inquit Abul-Pharegus) الاكليل رمز على الملك والمحمود على محمد: *Corona indicat Regnum: laudata verò, ſignificat Mahumetum*.

Reſpondeo primò, in nulla verſione Arabica inveniri vocem illam محمودا; ſed tantùm ممجدا, quæ eſt etiam in textu Syriaco. Reſpondeo ſecundò, frivolum omninò, ac vanum eſſe, ſuper hujuſmodi nominum alluſiones, præſertim dum non ſunt in fonte originario, ſed in verſionibus, religionis myſteria fundare. In fonte autem Hebraico ita legimus: *Ex Sion perfecti decoris, Deus affulſit*. Ubi neque *Corona*,

Digitized by Google

na, neque *laudata* habetur. Respondeo tertiò, Coronam hanc laudatam, non ex Mecca, vel ex Pharan, sed ex Sion manifestandam fore prædici. Porrò Sion non ad Ismaelitas, sed ad Israelitas pertinet, & ex eo non Alcoranus, aut Mahumetus, sed Euangelium, & Christus exivit.

Decimò. Affert Ahmed, aliique sapientes Moslemi vaticinium pro Mahumeto ex cap. 42. Isaiæ, cujus initium est: *Ecce servus meus, suscipiam eum*: totumque illud caput pro eodem interpretantur. Et quamvis multa perperam, ac perversè alleget Ahmed, sed multa ex variis Isaiæ locis confarcinet: nihilominus Auctor libri de confirmatione Religionis, totum hoc Isaiæ caput fideliter atque integrè adducit. Ex quo constat, Doctores Mahumetanos in allegandis Sacris Scripturis, Judæorum, vel Christianorum uti admiculo, à quibus, vel ob insecitiam, vel ob malitiam, non raro decipiuntur.

Inter alia, in quibus hallucinatur Ahmed, est illud, quod Hebraica verba in secundo versu, לא יצעק *Non clamabit*: vertit لا يصخب *Non ridebit*, quasi Hebraicè esset יצחק: quod quàm parum conveniat Mahumeto ex eo constat, quòd Auctor libri de signis Directionis cap. 3. Sect. 8. tribuit illi tamquam à Sacris Scripturis prædictum Epitheton الضحوك ideſt *Risor*, seu *pronus*, *ac frequens ad risum*.

Verùm ne diutiùs in hujus testimonii confutatione tempus teram, dico, hoc Isaiæ vaticinium omninò de Christo intelligendum esse: ita enim intelligit Sanctus Matthæus in suo Euangelio cap. 12. Septuaginta etiam Interpretes, quos Ahmed cæteris præfert, de Messia sub nomine Jacob, & Israel, ex quo Messias nasciturus erat, exponunt hoc modo: *Jacob puer meus tuebor eum*; *Israel electus meus, suscepit eum anima mea*. Hebræi etiam de Messia communiter accipiunt: quare Thargum ita hæc verba interpretatur: *Ecce servus meus Messias, adducam eum, in quo complacuit sibi Verbum meum*; *dabo Spiritum meum super eum, judicium meum revelabit gentibus*. Etiam R. David Kimhi hæc verba exponens, ait: *Iste est Rex Messias*. Hùc accedit, nullo modo ea, quæ in hoc capite dicuntur, Mahumeto convenire. Hic enim describitur Vir mitis, & humilis, qui sine strepitu, ac tumultu legem suam gentibus esset laturus. At Mahumetus strepitu armorum, ac tumultu prælиorum undequaque debacchatus Alcoranum suum promulgavit. Postremò ille, qui hìc prædicitur, asseritur mittendus à Deo *in fœdus populi*, *& in lucem gentium*. At fœdus populi (qui cùm contradistinguitur à gentibus, Israeliticus intelligitur) non fuit initum à Deo cum Ismaele propter Mahumetum, sed cum Isaac propter Messiam.

Pergit Ahmed referens verba Isaiæ, sed tribuens ea Davidi, hoc modo: *Dixit David in suis Psalmis: Lætentur deserta, & civitates eorum: Fiat terra Cedar in prata: & laudent habitatores petrarum, & vociferentur de verticibus montium cum laude Domini, & evulgent laudes ejus in tabernaculis campestribus*. Mox subdit Auctor Mahumetanus: *Et quænam gens habitat in desertis, præter gentem Mahumeti? Et quis est Cedar, nisi filius Ismaelis, qui fuit avus Mahumeti? Et quinam sunt habitatores petrarum, & cacuminum montium, nisi Arabes?*

Sed respondemus, meritò Prophetam Arabiæ desertæ, populos Cedar, & habitatores rupium ad laudandum Deum invitare, quia per Christi adventum, & per Pauli Apostoli, aliorumque Apostolicorum hominum prædicationem maxima Arabiæ pars Christianam fidem suscepit; & omnia illius deserta, ac montes Sanctorum Monachorum cœtibus repleta sunt, qui assiduè die ac nocte laudes Deo concinebant. Porrò quòd Christiana religio in Arabia floruerit, habemus testimonium ipsorum Mahumetanorum, inter quos Sciaher Settanius, plurimos in Arabia Christianam fidem professos fuisse ingenuè fatetur. Auctor verò libri المشارق *Almeshareph*, refert, Christi fidem floruisse præcipuè in Tribu Rabiæ, & Gossani, & Codahæ: & præterea in Tribubus Baharæ, & Taruchi, & Tagebi: multos etiam ex Tajensibus, & Hirensibus unà cum Rege Nomano filio Regis Abulmondari, & Regina Mauvia ipsius uxore Christianos fuisse. Erant porrò in Hira Urbe regia, multa, & magnifica templa, teste Phirauxbadio. In Nairan quoque, Jemanensis Arabiæ provincia, Christi fides vigebat, quemadmodum scribunt Abulpheda, & Sophioddinus. Præterea Caisus Zoheiri filius, Rex Arabum, non solùm Christo nomen dedisse, sed Monasticam quoque vitam amplexus fuisse, ab iisdem Auctoribus refertur. Ex historiis autem nostris innumeros propemodum pro Christi nomine in Arabia martyrio coronatos fuisse accipimus. Quin & tres Magos, Christi Infantis adoratores, ex Arabia advenisse, atque illùc regressos Christi nomen fidemque invexisse, probatissimi Auctores affirmant. Si quid igitur ex Sacris Literis habemus, quod pro Arabibus faciat; eosque divinarum laudum præcones futuros prænunciet, nullo modo cogit nos, ut ad ineptas, ac stolidas Moslemorum vociferationes recurramus, cùm tantam Christianorum multitudinem, quæ Deum corde, & ore in Arabia, ejusque desertis laudavit, habeamus. Quin & hoc tempore non desunt ibi, qui hoc idem præstent.

Atqui verùs, rectiusque dici potest, Cedaris deserta, ac montes Arabiæ, mystice præsignare universam gentilitatem: Cedar enim tenebras, vel obscuritatem significat: deserta autem infœcunda sunt, ac steris plena: per quæ Gentiles populi non semel in Sacris literis figurantur. Omitto aliis levioribus ex hoc capite desumptis argumentis respondere.

Undecimò. Idem Auctor Ahmed filius Abdolhalimi, & alius Auctor item nomine Ahmed, cognomine Alabedin, & alii Doctores Moslemi concorditer proferunt Auctoritatem ex cap. 21. ejusdem Prophetæ, his verbis: *Et in vaticiniis suis dixit Isaias: Dictum est mihi: Surge Speculator, & contemplare quod videbis. Et dixi: Video duos equites advantantes; alter est super Asinum, alter super Camelum. Dicit alter eorum alteri: Ceciderunt idola Babylonis, & cultores eorum in mare. Equitator Asini Messiam significat: confecerunt autem Cameli Mahumetus esse intelligitur. Magis porrò celebre, ac vulgatum est Mahumetum confendisse Camelum, quàm Messiam Asino insedisse. Et quidem per Mahumetum Babylonis idola ceciderunt.*

Ut nihil de inepta, ac depravata verborum interpretatione dicam; respondeo, nimis ridiculam esse Moslemorum Doctorum simplicitatem, dum in Sacrarum Scripturarum expositione ita uni, aut alteri verbo, quod pro re sua facere putent, inhærent, nulla vel præcedentium, vel subsequentium verborum habita ratione. Prædicit hoc loco Sacer Vates, Babylonis per Medos, ac Persas devastationem: & per Ascensorem Asini (seu per currum tractum ab Asino) Cyrum Persarum Regem: per ascen-

Digitized by Google

aſceenſorem autem Cameli, ſeu currum tractum à Camelo, Darium Medorum Principem deſignat: atque hos eoſdem Idumæam, & Arabiam, præſertim Cedarenam, devaſtaturos eſſe mox vaticinatur illis verbis: *Et auferetur omnis gloria Cedar, & reliquiæ numeri ſagittarum fortium filiorum Cedar imminuentur.* Præterea hic Eques uterque tanquam belli, ac tumultus auctor introducitur: id quod, ut ut Mahumeto conveniat, Chriſto certè Regi pacifico convenire nullo modo poteſt.

Præterea ſi Mahumetanis ipſis credendum ſit, non magis Cameli, quàm Aſini inſeſſor Mahumetus dicendus eſt. In libro enim العلم الهدي, ſeu *de ſignis Directionis*, Sect. 8. dicitur Mahumetus ipſe aſſeruiſſe, prædictum eſſe à quodam Propheta Judæo, ſcriptum de ſe in Pentateucho: هو اخر الانبياء واضليهم ويلبس العباءة: *Ipſe erit noviſſimus Prophetarum, & omnium eorum excellentiſſimus. Aſinum equitabit, & veſte, quæ totum corpus operiat, induetur.* Gelaleddinus quoque in Sura 49. Aleorani v. 8. ita ſcribit: *Cùm Mahumetus aſino veſtus transires juxta locum, ubi erat quidam nomine Ebnobaja, contigit, ut aſinus mingeret. Tunc Ebnobaja digitis naves præcluſit, ac ſi fœtorem lotii ferre non poſſet: ſed alius quidam, nomine Ebnoarauba, juravit per Deum, lotium aſini Mahumeti ſuavius muſco redolere. Hine exorta inter utriuſque gentem rixa, alii alios manibus, & crepidis, palmarumque ramis verberare cœperunt.* Præterea Iſmael filius Aly refert in vita Mahumeti, illum quatuor habuiſſe aſinos ad equitandum, quorum duo erant coloris nigri. Vide quoties Mahumetus aſinis uſus ſit, quorum opem ſemel tantùm Chriſtus ſibi ad iter habendum accerſivit.

Aſſerere autem, per Mahumetum Babylonis idola corruiſſe, merum eſt mendacium: multò enim antè, quàm Mahumetus naſceretur, Babylon diruta fuerat: ita ut D. Hieronymus, qui ſupra centum annos Mahumetum præceſſit, ſcribens in cap. 13. Iſaiæ, affirmet, ævo ſuo ſolum Babylonicorum murorum ambitum relictum fuiſſe, cùm intus tantùm nemora, & ſylvæ ad venationem viſerentur.

Duodecimò. Producunt iidem Auctores vaticinium de Urbe Mecca, patria Mahumeti, ex cap. 60. eiuſdem Prophetæ in iis verbis: *Leva in circuitu oculos tuos, & vide: omnes iſti congregati ſunt, venerunt ad te*: cum reliqui, quæ ſequuntur: quæ tamen ſatis pravè interpretantur.

Sed reſpondeo. Prophetam hoc loco ne Meccam quidem ſomniaſſe: omnia enim verba ſua ad Jeruſalem dirigit, vel ad Sion, ut patet ex ultimis verbis capitis præcedentis. Quamobrem ſeptuaginta Interpretes expreſſerunt in ipſo principio capitis nomen Jeruſalem Θυγατρὸς Θυγατρὸς Ἰερουσαλήμ: quod fortè ex Hebraico Textu incuria librariorum excidit. Non diſſitebor tamen, verba Prophetica non poſſe niſi de Coeleſti Jeruſalem plenè, legitimèque explicari, ut totum Textum percurrenti manifeſtè patebit.

Decimotertiò. Aliud de Mecca vaticinium profert idem Ahmed ex cap. 54. ejuſdem Prophetæ in illis verbis: *Lætare, & exulta ſterilis, quæ non pariebas; & erumpe in laudes, & gaude, quæ non concipiebas, &c.* Sterilis nomine, Meccam intelligit, quæ ante Prophetæ Mahumeti adventum non pariebat: parientis verò nomine, & habentis prolem, Jeruſalem vult ſignificari.

Sed breviter reſpondeo, ex teſtimonio Divi Pauli in Epiſtola ad Galatas cap. 4. pro ſterili intelligi Jeruſalem, quæ de ſurſum eſt, nempe Eccleſiam gentium à Chriſto congregatam. Pro illa autem, quæ habebat virum, & prolem, Jeruſalem terrenam, populum ſcilicet Judæorum. Nonnulli expoſitores pro ſterili accipiunt populum Hebraicum poſt captivitatem Babylonicam: quemadmodum pro habente virum, & prolem, eumdem populum ante captivitatem Babylonieam: & hunc volunt eſſe literalem ſenſum hujus loci.

Decimoquartò. Profert idem Auctor, tanquam oraculum de Mahumeto, verba illa ejuſdem Prophetæ cap. 9. *Parvulus natus eſt nobis, &c.* Quæ ipſe ita depravatè allegat: *Natus eſt nobis adoleſcens, & erit in miraculum, & in fauſtum nunc eium. & nævus niger erit ſuper humeros ejus, Archon pacis*: & *ipſe filius ſcientia præditus ſedebit ſuper ſolium Davıd*. Mox ſubdit: *Dictio Archon in Evangelico idiomate, Magnum, ſeu Principem ſonat. Porrò Deum Iſaias eum appellavit eo modo, quo Moyſes in Tentatecho Deus Pharaonis dictus fuit: & quo David de magnatibus populi ſui dixit: Ego dixi, Dii eſtis. Et quidem veraci vaticinio teſtimonium Iſaias Mahumeto perhibuit, ſuis illum epithetis, ſignifique deſcribens, inter quæ præcipuum eſt, nævus niger, quem nævum nec Salomon, nec Chriſtus habuit. Manifeſtè etiam illud deſignavit, dum aſſerit, ſuper Thronum David eum feſſurum: nimirum filiorum Iſrael in Regno, Prineipatu, & Prophetia hæredem futurum.*

Reſpondeo: Nonniſi amentis hominis eſſe, putare Iſaiam genere Judæum, ut civibus ſuis fauſtum nuncium afferret, Mahumeti adventum iiſdem prædixiſſe, qui Judæorum hoſtis infenſiſſimus fuit, eoſque non ſolùm ex Arabia, ſed ex univerſo terrarum orbe eliminare ſemper ſtuduit.

Reſpondeo ſecundò: Magnam infidelitatem, vel inſcitiam oſtendere adverſarium, dum pro מַמְשָׁרָה ideſt Imperio, vel Principatu, vertit הַשָּׁמָה, ideſt nævum nigrum, alludens ad nævum quemdam piloſum, quem, tanquam Prophetiæ characterem fabulantur Moſlemi, Mahumetum inter humeros habuiſſe: cùm tamen Iſaias de Sceptro, Imperii ſigno, quod Puer non inter humeros, ſed ſuper humerum geſtaturus erat, loquutus fuerit.

Reſpondeo tertiò: Nullo modo quadrare in Mahumetum ea nomina, quibus puer hic à Propheta inſignitur, præſertim, *Deus*, & *Princeps pacis*. Non enim ſcribitur hic Deus Hebraicè, quemadmodum tribuitur Moyſi, & Magnatibus Davidis, אֱלֹהִים: ſed אֵל, quod nomen abſolutè de Deo tantùm vero dicitur in Sacris literis. Addo, nunquam, & à nullo Mahumetum *Deum* appellatum fuiſſe: Chriſtus autem Deus quotidie à Chriſtianis appellatur. Minimè etiam convenit Mahumeto, ut appelletur *Princeps pacis*, quem ſui Prophetam gladii, & Apoſtolum belli communiter vocant, & ipſe Mahumetus ſe talem vocavit, & talis re vera fuit, ut jam ſuprà adnotavimus.

Demùm de hoc puero dicitur: *Super Solium David, & ſuper Regnum ejus ſedebit, ut confirmet illud, & corroboret in judicio, & juſtitia à modo, & uſque in ſempiternum*: id quod de Mahumeto nullo

nullo modo dici potest. Porrò ex verbis Angeli in Euangelio S. Luce cap. 1. constat, hæc verba de Christo fuisse verificanda, dum idem Angelus dixit matri ejus: *Dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Ex verbis etiam Davidis Psal. 131. & Hieremiæ cap. 23. habetur, manifestè: *Nullum alium nisi eum, qui foret ex semine David, sessurum super Thronum ejus.* Quamobrem verba Isaiæ hoc loco ita interpretatur Thargum: *Dixit Prophetæ domui David, quia Infans natus est nobis: & suscipiet super se legem ad servandum eam: & vocabitur nomen ejus ab antiquo, mirabilis consilio, Deus, fortis, permanens in sæcula sæculorum, Messias.*

Decimoquintò. Ex eodem Propheta cap. 49. à verbis illis: *Ecce in manibus meis descripsi te,* producit idem Ahmed oraculum de Urbe Mecca, & illius templo.

Respondeo, ex ipsis Prophetæ verbis sole clarius apparere, Isaiam hic vaticinari, non de Mecca, sed de Sion, & Jerusalem: sic enim legimus: *Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus: & Dominus oblitus est mei.* Deus verò respondet querelis Sion: *Ecce in manibus meis descripsi te, &c.*

Decimosextò. Allegat idem Auctor, sed perperam, verba illa ex cap. 24. Isaiæ, quæ in Hebraico fonte ita sonant: *Ab extremo terræ cantus audivimus, gloriam Justo.* Ahmed verò ita vertit: الما سمعنا من اطراف الارض صرت محمد: *Certè nos audivimus ab extremitatibus terræ vocem Mahumeti.* Deinde subdit: *Hic Isaias clarè prædicit nomen Apostoli Dei Mahumeti. Neque ullus reperitur Propheta, ò Scripturales, cujus prophetæ alii nomen expressérint, excepto Apostolo Dei.* Tum addit, etiam Habbacuc bis nomen Mahumeti expressisse cap. 3. primò dum dixit: لقد اضاءت السما من بها محمد *Jam porrò resplenduit cælum à splendore Mahumeti.* Secundò dum addidit: صيدوع قصتك امراتا نزما وترتسوى السهام بامرك يا محمد: *Intendet arcus tuus nervos vehementer: & inebriabuntur sagittæ ad imperium tuum, ò Mahumete.* Notat etiam prima illa verba capitis: ان الله جاء من التيمن والقدس من جبل فاران *Deus à meridie venit, & Sanctus à monte Pharan:* asserens, Pharan esse Meccam patriam Mahumeti, quæ etiam est in parte meridiana.

Sed respondemus, neque in Isaia, neque in Habacuc esse vel minimum vestigium nominis Mahumeti; ut quilibet videre potest tùm in fonte Hebraico, tùm in Græcis, ac Latinis textibus, tùm in cæteris aliis interpretationibus. Dicimus etiam, falsùm esse nullius Prophetæ nomen prædictum fuisse ab aliis prophetis: nam Christi Domini nomen, *Jesus*, passim prædicitur in Sacris Literis. Postremò Pharan non esse Meccam, patet ex superiùs dictis. Neque refert, quòd Mecca sit in parte meridionali: nam innumeræ aliæ regiones sunt in ea parte: & suprà vidimus, cur dicatur Deus à meridie esse venturus. Sed notandum in fonte Hebraico esse, מיתימן *ex Theman*; quæ vox hic juxta versionem septuaginta significat locum, qui pertinet ad Idumæos: ut patet in Amos cap. 1. ubi propter scelera Edom, seu Idumææ, minatur Deus, se *missurum esse ignem in Theman, qui devoraret ædes Bosræ.* Et Hieremiæ cap. 49. ubi dicitur *Ad Idumæam: Hæc dicit Dominus Exercituum: numquid non est sapientia in Theman?* Porrò si Doctores Mahumetani adeò hallucinantur in rebus tàm claris, ut confundant Pharan, & Theman cum Mecca, cùm hæc tria loca sint inter se diversissima, testibus omnibus Geographis, imò omnibus mortalibus; quomodo credemus, eos fidem servaturos in allegandis Sacris Scripturis?

Decimuseptimum vaticinium desumitur à Moslemis communiter ex cap. 2. Danielis, cujus tamen verba valdè infideliter allegat Ahmed, ubi facit Prophetam ita somnium Regis Nabuchodonosor explicantem: *Porrò lapis, quem vidisti, qui percussit, & comminuit statuam illam magnam, erit Propheta, quem suscitabit Deus Cæli, & Terræ, cum lege forti; & dejiciet omnes Reges terræ, & populos eorum, itaut Terra repleatur illo, & gente illius: & manebit Imperium Prophetæ illius usque ad finem Mundi.* Tum subdit Ahmed satis Thrasonicè: *Totum hoc non Messiæ, sed Mahumeto convenit: hic enim cum lege forti missus est, cunctosque terræ Reges, atque eorum populos devicit, ac debellavit; itaut universus terrarum orbis ab Ortu, usque ad Occasum, eo, atque ejus gente repletus sit. Imperium autem ejus æternum erit, itaut nemo unquam illud evertere possit.*

Respondemus, non solùm Christianos, sed Judæos etiam tenere, semperque tenuisse, ut certissimum, lapidem illum è monte sine manibus abscissum, qui statuam comminuit, & factus est Mons magnus, & implevit universam terram, Messiam, ejusque Regnum præsignare: Regnum, inquam, non temporale, sed spirituale, cujusmodi Christi Regnum futurum erat, tàm ex oraculis Prophetarum, quàm ex ipsius Christi verbis apud Joan. cap. 18. *Regnum meum non est de hoc Mundo.* Neque Mahumetani possunt hoc negare. Ex una enim parte fatentur, Prophetas prædixisse, Christum futurum Regem Judæorum, atque omnium gentium, præsertim in illis verbis Psalmi 2. *Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion Montem Sanctum ejus: &: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam: & possessionem tuam terminos terræ.* Quę verba non solùm Judæi, sed etiam Mahumetus filius Jacob Auctor Camus, seu Thesauri Arabici, celeberrimus inter Mahumetanos, de Christo intelligenda esse affirmat. Et ex illis verbis, quæ Angelus Gabriel dixit Mariæ: *Dabit ei Dominus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum.* Ex alia parte non ignorant, Christum nullum in terris Regnum, ditionem nullam obtinuisse, imò pauperem, & rerum omnium indigentem fuisse. Necesse igitur est, Regnum illius spirituale, ac cœleste, non temporale, ac terrenum fuisse.

Quòd si Moslemi respondeant, Christum, cùm redibit in Mundum ante diem Judicii, futurum Regem, & Monarcham totius orbis terrarum, & sub eo aureum sæculum renovandum: nos contrà respondebimus, hoc totum fabulam à nobis æstimari. Verùm ut daremus etiam ita futurum, Christus foret Rex major, & universalior, quàm Mahumetus: & sic lapis ille Propheticus, etiam in sententia Mahu-

Digitized by Google

metanorum, Christo potiùs, quàm Mahumeto conveniret. Sed ut dixi, hunc Christi reditum nos non admittimus.

Illud verò videtur, & est irrefragabile argumentum, nimirum quòd cùm Christus agnitus, & receptus sit tanquam Supremus Rex, & Monarcha, atque etiam ut verus Deus ab omnibus illis quatuor Monarchiis, quas statua illa Nabuchodonosorica præsignabat: ita ut ipse Romanus Imperator illum, ut talem adoraverit, & Imperium suum, totumque terrarum orbem, cui præerat, illi subjecerit; omninò fatendum est, regnum illius regnis illis omnibus successisse: & ipsum esse lapidem illum, qui regna illa omnia evertit, & comminuit, quemadmodum prædixerat etiam David Psal. 2. illis verbis: *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos.* Hæc autem contritio, seu comminutio non potuit esse materialis, alioqui frustrà dixisset Deus Christo: *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ:* ipse enim hæreditatem, ac possessionem suam destruxisset, si eam tanquam vas figuli contrivisset. Contrivit ergo, & comminuit hæc omnia Regna spiritualiter, per prædicationem Euangelii sui, destruendo in eis idololatriam, impietatem, & alia scelera, ac flagitia; & Dei agnitionem, veramque Religionem ingerendo. Hùc accedit, quòd Regnum Christi hodie, non solùm à Christianis, qui vel æquant, vel etiam, ut plerisque placet, superant numero Mahumetanos: sed etiam ab omnibus Mahumetanis recognoscitur, dum illum verum Messiam à Deo in Regem super omnes inunctum confitentur, juxta illud Davidis: *Unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis: intende, prosperè procede, & regna. Sedes tua, Deus, in sæculum sæculi, &c.*

Porrò verba ipsa Danielis ostendunt, hoc Regnum esse Spirituale, cœleste, & æternum, nec posse Mahumeto, aut Ismaelitis convenire. Sic enim dixit Daniel Nabuchodonosori: *In diebus autem regnorum illorum, suscitabit Deus Cœli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* (At Ismaeliticum jam non dissipatum est, & traditum Turcis, seu Scythis:) *& Regnum ejus alteri populo non tradetur.* (Nota hoc appellari Regnum Dei, à quo fuscitandum erat:) *comminuet autem, & consumet universa Regna hæc* (idest rediget in nihilum, itaut præ Regno ipsius sint omnia tanquam nihil) *& ipsum stabit in æternum*: quia incipiens in hoc Mundo per gratiam, perseverabit in æternum in Cœlo per gloriam. Confirmat hoc idem cap. 7. illis verbis: *Hæ quatuor bestiæ magnæ, quatuor Regna sunt, quæ consurgent de terra. Suscipient autem Regnum Sancti Dei Altissimi, & obtinebunt Regnum usque in sæculum, & sæculum sæculorum.* Sic enim legendum est juxta textus Græcos, & Latinos. Videant Moslemi, regnum, de quo hic agit Daniel, non surrecturum de terra, sicut cætera regna: sed esse Regnum Cœleste, & Sanctorum; & permansurum in æternum. Id clarius confirmat verbis paulò post sequentibus: *Regnum autem, & potestas, & magnitudo regni, quæ sub subter omne Cœlum, detur populo Sanctorum Altissimi, cujus Regnum, Regnum sempiternum est, & omnes Reges servient ei, & obedient.* Videant Mahumetani, utrum hæc Mahumeto, & Ismaelitarum Regno conveniant, an potiùs Christo, & Regno ejus spirituali, & cœlesti.

Vaticinia, quæ pro Mahumeto ex novo Testamento proferunt Doctores Moslemi.

CErtissima est apud omnes Mahumetanos fides, Paracliti illius Spiritus nomine, quem Christus promisit in Euangelio S. Ioannis cap. 14. 15. & 16. non alium, quàm Mahumetum significari. De hoc, fusissimè Ahmed filius Abdolhalimi, Auctor الهدى, *Confirmationis Religionis*, & alii sapientes Moslemi: quorum argumenta adeò infirma, ac stramines sunt, ut nullius operæ pretium existimem esse, hìc illa referre. Verùm quicquid de hoc Moslemi ganniant:

Respondemus breviter, certissimum semper, prorsusque indubitatum fuisse apud omnes Christianos (si paucos aliquos, vel amentes, vel hæreticos excipias) Spiritum illum Paracletum, de quo in Euangelio Ioannis loquutus est Christus, fuisse omninò eundem, ac illum, qui post quinquagesimum ab illius resurrectione diem, sub linguarum ignearum specie è Cœlo demissus est, cum maximis prodigiis, super Apostolos in cœnaculo Sion commorantes. Omnes novi Testamenti libri hoc apertissimè confirmant. Quòd si verba à Christo prolata rectè perpendantur (quæ in substantia à Doctoribus Moslemis allegantur:) liquidò apparebit, sermonem ejus esse de re, quæ quamprimùm futura erat, & in ipsis Apostolis complenda. Neque verum est id, quod fingit Ahmed, Prophetam aliquem, aut Nuncium sibi similem, aut se majorem, qui foret homo, à Christo promissum fuisse. Nam, dum dixit Apostolis; *Mundus non potest cum accipere, quia non videt eum, neque scit eum*, liquidò ostendit, illum, quem promittebat, non hominem visibilem, sed Spiritum invisibilem futurum. Quamobrem S. Augustinus, qui multò tempore ante Mahumetum vixit, hæc eadem verba exponens ait: *Non habet enim invisibiles oculos mundana dilectio, per quos videri Spiritus Sanctus potest, qui videri nisi invisibiliter non potest.* Hoc magis illa alia Christi verba confirmant: *Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit.* Quæ idem S. Doctor exponens, non secus, ac si crassum hunc Mahumetanorum errorem prævidisset, hæc subdit; *Sed ne putarent, quod dictum est, apud vos manebit, ita dictum, quemadmodum apud hominem hospes visibiliter mansre consuevit, expositi, quid dixerit, apud vos manebit, cum adjunxit; & in vobis erit. Ergo invisibiliter videtur.*

Sed, ut redeam ad id, quod primò dixeram: verba ipsa, quibus Christus hunc Spiritum promisit, ostendunt, non posse esse Mahumetum, qui post annos sexcentos ortus est; sed alium quantocyùs mittendum, & quidem super ipsos Apostolos, quibuscum loquebatur. In Actis enim Apostolicis, cap. 1. ita illos affatus est: *Joannes quidem baptizavit aqua; vos autem baptizabimini Spiritu Sancto, non post multos hos dies.* Et paulò post addidit: *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus Sancti in vos; & eritis mihi testes in Jerusalem, & in omni Judæa, & Samaria, & usque ad ultimum Terræ.* Et in Euangelio Lucæ cap. ult. dixit iisdem: *Et ego mittam promissum Patris in vos: vos autem sedete in Civitate, quoadusque indumini virtute ex alto.* His, atque aliis hujusmodi testimoniis Moslemi convicti, fatentur quidem, Spiritum Sanctum Apostolis die Pentecostes datum fuisse; sed veluti umbram quan-

quandam, ac figuram Mahumeti, qui verè, ac propriè fuit Spiritus ille Paraclitus, quem promiserat Christus. Hanc tamen opinionem non esse omnium Mahumetanorum; sed solùm eujusdam inter eos Sectæ, quæ Kadazeladorum appellatur, affirmat Auctor historiæ præfentis status Imperii Othomanici lib. 2. cap. 12. Et quicquid sit, est opinio valdè absurda, & ridicula, & nullùm prorsus habet fundamentum.

Causam hujus erroris Mahumetanorum, quo Spiritum Sanctum Paraelitum, Pseudoprophetam suum esse crederent, hanc fuisse existimo: quia cùm ex Alcorano habeant, Christum promisisse Apostolis, seu Judæis, venturum post se Prophetam, nomine احمد *Ahmed*, quod idem ferè est, ac محمد *Mohammed*, seu Mahumetus, quæ voces *Laudatum*, seu *Laudatissimum* sonant; nec invenirent in Euangelio alium promitti à Christo, nisi Spiritum Sanctum, (nam Pseudoprophetam aliquem ex iis, quos venturos prædixerat, esse fateri noluerunt) hunc ipsum Spiritum Sanctum, illum esse mentiti sunt. Decepit eos nomen *Paracliti*, quod cùm Græcè scribatur Παράκλητος, & *Advocatum*, seu *Consolatorem* significet; illi Περικλυτὸς *Periclytos*, idest, *Inclytus*, seu Illustris, & Gloriosus, perperam legerunt, non absimili ab Arabica voce احمد *Ahmed* significatione: vel putaverunt, utramque vocem Græcam idem significare. Hinc Auctor Apologiæ jam allegatus pagina 746. معنى الفارقليط هو الحامد والحمّاد او المحمد اى للعز فهذا الوصى ظاهر فى محمد فانه والمحامدون الذين يحمدون الله على كل حال فكان احمد محمد اوالحمد واما من قسم المعز فلم يعرف قط نبى اعز اهل التوحيد الله والايمان كما اعزهم محمد فهو احق باسم المعز من كل احـــــد:

Paraclitus idem est ac laudans, vel laudator, vel laus, vel gloriosum faciens. Hæc autem omnia Mahumeto manifestè conveniunt. Ipse enim, & gens ipsius Deum laudant in quolibet statu. Et pretered nomen ejus, Laudatus, seu Laudatissimus exponitur. Porrò si interpretemur nomen Paracliti, gloriosum faciens: nunquam agnitus fit Propheta, qui gloriosiores fecerit fideles cultores unius Dei, quàm Mahumetus: quamobrem nulli mortalium magis convenit hoc nomen, quàm Mahumeto. Puto, hunc Auctorem, quemadmodum deceptus fuit in voce Græca Παράκλητος, legens pro ea Περικλυτὸς: ita deceptum fuisse in interpretatione ejus Arabica, dum legit المعز glorificans, pro المعزى consolator: quæ est legitima interpretatio vocis Græcæ Paraclitj.

Secundò. Proferunt verba Christi apud Joannem cap. 14. *Venit enim Princeps Mundi hujus, & in me non habet quidquam:* quæ ita depravat Adversarius jam allegatus Ahmed: لكن العالم مبانى فليجئ شى: *Princeps Mundi veniet, & non erit in me quidquam*, & pro Principe Mundi vult intelligendum esse Mahumetum: itaut sensus sit: Veniet Mahumetus, qui Princeps erit totius Mundi, & in me non erit quidquam illius divinitatis, quam mihi attribuent; nam ille ostendet, unum tantùm esse Deum, & me esse creaturam, & servum Dei. Ita Apologista Mahumetanus.

Sed facilè respondetur, nomine Principis hujus Mundi intelligi hic Diabolum: quemadmodum etiam cap. 12. ubi Christus dixit: *Nunc judicium est Mundi: nunc Princeps hujus Mundi ejicietur foras.* Sanctus quoque Paulus ad Ephesios cap. 6. vocat Diabolos, *Principes, Potestates, & Rectores Mundi.* Mundi autem nomine intelliguntur homines mundani, & à Deo, Cœloque alieni. Sensus igitur verborum illorum est: Diabolus, qui mundanis cordibus dominatur venit (Græcè ἔρχεται temporis præsentis, non futuri) ad instigandos Judæos contra me, & ad pœnas, & cruciatus mihi comparandos, ut me ad impatientiam, vel indignationem contra Deum provocet: sed nihil illi proderunt sui conatus: nihil enim habet in me, quod pro ipso faciat. Cæterùm, si accipiamus pro Principe mundi non solùm Diabolum, sed etiam ministros, & membra ejus; libenter assentiemur Moslemis, Mahumetum hoc loco à Christo significari, tanquam præcipuum membrum illius, ac ministrum.

Tertiò. Proferunt Mahumetani pro se, suoque Propheta, verba illa, quæ dixit Christus apud Joannem cap. 4. mulieri Samaritanæ: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in Jerosolymis, neque in monte hoc adorabitis Patrem: sed venit hora, & nunc est, quando veri adoratores adorabunt Patrem in Spiritu, & veritate.* Putant scilicet, per veros adoratores, seipsos designari, qui Deum in spiritu, & veritate se credunt adorare ob quinque preces, quas quotidie persolvunt.

Verùm hæc Mahumetanorum opinio vanissima est: cùm Christiani etiam frequentes preces effundant: eum hoc tamen discrimine, quòd Christiani sæpiùs spiritu, & interiùs orent: Mahumetani verò in solis ferè exterioribus actibus orando sistant: dum nunc corpus agitant, nunc caput demittunt; nunc attollunt, nunc circumgirant: nunc dorsum incurvant, nunc manus jactant, & alia hujusmodi ostentant, ob quæ non spiritu & veritate, sed corpore, & apparenter tantùm Deum adorare meritò dici possint.

Quartò. Allegat pro se Apologista Mahumetanus epistolam primam Sancti Joannis cap. 4. eujus verba, quemadmodum alibi, tanquam ex Apocalypsi ita depravatè refert: *Et dixit discipulus Joannes in libro Epistolarum discipulorum, qui dicitur Apocalypsis; O dilecti mei, cavete, ne credatis in omnem spiritum: sed discernite spiritus, qui sunt ex Deo ab illis, qui non sunt. Et scitote, quòd omnis spiritus, qui credit, quòd Jesus Christus venit, & fuit corporeus, hic est ex Deo: & omnis spiritus, qui non credit, quòd Jesus Christus venit, & fuit corporeus, non est ex Deo, sed ex Antichristo, de quo audistis: & ipse nunc est in mundo.*

Prorsùs ignoro, ad quid hunc Joannis locum in medium adducat Adversarius, nisi fortasse, ut probet, Mahumetum fuisse spiritum bonum, & à Deo, quia confessus est Christum venisse: & fuisse corporeum, idest hominem, non autem Deum, vel filium Dei. Verùm legere debuisset ea, quæ mox subdit idem Joannes: *Quisquis confessus fuerit, quia Jesus est Filius Dei; Deus in eo manet, & ipse in Deo.* Cæterùm non satis est ad asserendum, Mahumetum fuisse spiritum ex Deo, quòd fateatur Christum venisse, & fuisse corporeum: hoc enim multi etiam peccatores, & scelesti confitentur.

Quintò. Addueit testimonium Christi ex S. Mat-

Digitized by Google

thæo cap. 21. his verbis: *Assernit autem discipulus Matthæus, Christum dixisse: Nonne vidistis, quòd lapis, quem reprobaverunt ædificantes, factus est in caput anguli? A Deo fuit hoc, & est mirabile in oculis nostris. Idcircò dico vobis: Regnum Dei tolletur à vobis, & dabitur genti alteri, quæ comedat fructus ejus. Et qui ceciderit super lapidem illum, confringetur: super quem verò ille ceciderit, conteret eum.*

Benè, vel non malè testimonium Christi profert; sed non facit ad rem. Puto enim, Adversarium, lapidis reprobati nomine, Prophetam suum intelligere: gentis verò, in quam regnum Dei transferendum erat, nomine, Mahumetanos interpretari. At verò certo certius est, lapidem hunc, Christum ipsum significare. Gentis verò alterius, cui regnum Dei tradendum erat, nomine, infideles populos, ad Christi fidem conversos, esse intelligendos. Neque potest de hoc dubitari, dum Sanctus Petrus in Actis cap. 4. de eodem Christo loquens dicit: *Hic est lapis, qui reprobatus est à vobis ædificantibus; qui factus est in caput anguli: & non est in alio aliquo salus.* Idem repetit in sua prima Epistola cap. 2. ubi etiam ostendit, quænam sit illa gens, in quam transferendum erat regnum Dei. Sic enim ait, alloquens Christianos: *Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Et mox subdit: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, qui aliquando non populus, nunc autem populus Dei, &c.* Imò verò Moslemi ipsi fatentur, regnum Dei à Judæis ablatum, ad Christianos primùm, deinde à Christianis ad se translatum fuisse. Primum verè: secundum prorsus falsò.

Sextò. Profert Apologista testimonium ex cap. 4. Epist. primæ S. Petri, hoc modo: *Et dixit Simon Cephas Princeps Apostolorum in lib. actuum: Jam tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei.*

Ridiculum se, atque ineptum ostendit Ahmedus, dum putat, esse in his verbis aliquid pro re sua. Censet nimirum nomine الحكم, idest, *Judicii*, judiciariam potestatem, ac jus regium designari. Et *Domum Dei*, Templum Meccanum, quod Arabes بيت الله Beit-Allah, idest Domum Dei vulgò appellant; & per Synechdochen, Meccam ipsam, in qua Mahumetus natus est, denotare. Quasi verò prædiceret Apostolus, post breve tempus sectam & Imperium Mahumetanum exoriturum. Atqui Sanctus Petrus (quem meritò Mahumetanus homo ad nostrorum Novatorum confusionem, Principem Apostolorum appellat) satis aperte ostendit, quisnam sit sensus illorum verborum, dum statim subdit: *Si autem primum à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Euangelio? Et si justus vix salvabitur; impius & peccator ubi parebunt?* Intelligit igitur, hoc judicium non esse activum, sed passivum; punitionem scilicet, seu flagellum Dei, quo primò puniuntur ii, qui sunt Deo cariores, & veluti domestici ejus, ad correptionem, & bonum ipsorum: deinde verò cæteri peccatores, & impii ad ipsorum malum, & perditionem.

Alia testimonia, quæ pro Mahumeto, & ejus secta è sacris literis faltò prosecutus Mahumetanorum Doctores,

PRæter testimonia hactenus à sapientibus Moslemis pro Pseudopropheta suo è Scripturis sacris allata, aliæ ab iisdem producuntur ex iisdem Scripturis auctoritates, quæ tamen nullibi in illis reperiuntur; & vel à Moslemis fictæ sunt, vel Judæis aliquis, aut Christianus illas eis venditavit tanquam oracula Prophetarum, vel ad illorum gratiam captandam, vel ad Mahumetanicam sectam ludibrio magis exponendam. Has refert Ahmedus filius Abdolhalimi in sua Apologia: & ego hic ejusdem verbis ex Arabico idiomate fideliter translatis recenfebo.

Primò. Dixit Isaias Propheta, cui sit pax; clarè manifestans nomen Jegati Dei: *Ego constitui Imperium tuum, ò Mahumete, ò Sancte Domini. Nomen tuum inveniur à sæculo. Affirmat Isaias hic, Mahumeti nomen à sæculo reperiri: in quo convenit cum eo, quod ex Davide citavimus, nempe, ante solem inveniur nomen ejus. Quòd verò dicit; O Sancte Domini: idem est, ac si diceret: O tu, quem sanctificavit Dominus, & mundavit à malitia sua, & elegit eum sibi.*

Neque in Isaia, neque alibi in sacris literis hujusmodi testimonium reperitur. De Deo quidem legimus, tàm ipsum, quàm ejus nomen esse à sæculo. Ea verba David: *Ante solem permanet nomen ejus:* jam vidimus, & fatentur ipsimet Hebræi, ad Messiam spectare, neque posse ullo modo Mahumeto convenire.

Secundò. *Et dixit Isaias, probitati & religioni gentis Mahumetanæ perhibens testimonium: Exaltabo scientiam habitatoribus terræ de longe, & prædicabitur illis ab extremis terræ; & venient properantes. Prædicitur his verbis id, quod effecit Mahumetus per tres illos viros, in peregrinatione Meccana: & hi fuerunt, qui honorem Deo dederunt, & unicum esse confessi sunt, & coluerunt eum, & ut unicum Dominum adoraverunt, & confregerunt simulachra, & subfiulerunt idola. Scientia verò, est Prophetia. Porrò hi, qui minimi, abjectique erant, vocaverunt eos ad Prophetam Dei, & Templum Meccanum, itaut venirent ad eum obedientes, & prompti.*

Fictum sanè est hujusmodi vaticinium. Verùm & si apud Isaiam, vel alium Prophetam extare concederemus, quid illud ad Mahumetum, vel ad tres illos, qui cum eo ad Meccam peregrinantes venere?

Tertiò. Dixit item Isaias in persona Dei: *Honorabo dilectum meum, & filium meum Ahmedum. Appellavit eum Deus, dilectum, ac filium. Davidem etiam, & alios appellavit filios: præterquam quòd Deus speciali prærogativa præstulit eum illis: tribuens ei rem sibi debitam, dum dixit: Honorabo, seu confitebor dilecto meo, & filio meo. Et peculiariter expressit Isaias de Mahumeto confessionem: prædicavit que de eo, & de gente ejus confessionem, & gloriam propriam Dei: ut manifesta esset æstimatio ejus, & sublimitas gradus ejus apud eum. Hoc autem de nullo alio Propheta manifestavit præter Mahumetum.*

Nihil hujusmodi in Isaia, vel alibi in Sacris literis reperitur. Quamobrem nulla huic vaticinio omninò fictо debetur responsio.

Quar-

Digitized by Google

Quartò. Et dixit Ezechiel minitans Judæis, gentemque Mahumetanam illis delignans: *Et quidem gens hominum apparere faciam super vos, & mittam eum eis Propheram, & defendere faciam super eos librum, & subjugabo eis cervices vestras, & vincent vos cum virtute, & humiliabunt vos cum veritate. Et egredientur viri filiorum Cedar cum turbis populorum, cum quibus erunt Angeli super equos albos, sapientes vos: & erit finis vester in ignem, & quo liberet nos Deus. Hoc autem dixit Ezechiel, quia viri filiorum Cedar fuerunt Rabia, & Modhar filii Adnan, & uterque ab Ismaele ortus est: de quâ re nulla est inter homines controversia. Vel fuerunt filii Hottan orti ab Ismaele, vel juxta alios ab Hud.*

Quidquid sit de Rabia, & Modhar, & utrum ab Ismaele, an ab Hud ortum duxerint, nihil nobis curandum est. Illud unum certissimum est, prædictum vaticinium fictitium esse, & neque in Ezechiele, neque in alio Propheta, vel libro Sacro reperiri.

Quintò. Et dixit Daniel, cui sit pax, Mahumetum legatum Dei proprio nomine delignans: *Attrahes nervum arcus tui ad jaculandum, & inebriabuntur sagittæ ad imperium tuum, ò Mahumete, vehementer. Hoc est apertissimum de Mahumeto vaticinium, quod in dubium revocari non potest; & est veritas, quæ nullo modo potest negari. Quod si quis de hoc dispeream volverit, alium nobis proferat, qui Mahumetus vocetur; qui sagittas arcu ejaculetur; & qui obtineat Imperium, cui sine controversia omnes obedient.*

Videtur hoc testimonium ex aliquot verbis Scripturarum, & ex appendicibus ipsius Auctoris confarcinatum. Alibi hæc ferè eadem Davidi Auctor attribuit. Sed neque apud Danielem, neque apud Davidem, neque apud alium Sacrum Scriptorem invenitur.

Sextò. Dixit etiam Daniel Propheta: *Oravi Deum, & supplicavi illi, ut manifestaret mihi, quid futurum esset de filiis Israel, & an placandus esset illis, & resistenturus esset illis Regnum eorum, & missurus in eis Prophetas: ex verò factum esset hoc in aliis præter eos. Et apparuit mihi Angelus in figura juvenis speciosi, & dixit: Pax tibi Daniel: Deus excelsus dicit: Filii Israel inobedientes fuerunt, & rebelles mihi, & serviernnt diis aliis præter me: & post scientiam secuti sunt stultitiam, & post veritatem mendacium. Propterea postulatum dedi contra eos Regi Nabuchodonosor, qui occidit viros eorum, & captivavit filios eorum, & destruxit templum eorum, & combussit libros eorum. Et idem fecit successor ejus contra eos. Ego verò non complacco mihi in eis, & non proderunt eis peccata eorum: nec definent esse sub indignatione mea, donec mittam Christum meum filium Virginis intactæ. Et postea figillabo super eos maledictionem, & iram: & non cessabunt esse maledicti, viles, & miseri, donec mittam Prophetam ex filiis Ismaelis, qui annunciatus fuit Hagari, nam missi ad eam Angelum meum, & annunciavit illi. Et revelabo huic, & docebo eum nomina mea; & adornabo eum pietate, & ponam justitiam felicitatem ejus, & pictatem intentionem ejus, & veritatem verba ejus, & benignitatem naturam ejus, & rectam intentionem viam ejus, & directionem legem ejus. Dabo ei ex speciali gratia librum confirmantem Sacros Libros antè traditos, & abrogantem nonnulla, quæ erant in eis. Venire faciam eum noctu ad me, & ascendere de Cælo in Cælum, donec evadat ad summum. Et appropinquare faciam illum ad me, & salutabo eum, & revelabo illi arcana. Deinde resistituam illum ad fervos meos, cum gaudio, & felici statu: custodiet quod sibi commissum fuerit: fidelis erit in eo, quod sibi mandatum fuit. Vocabit ad unitatem meam cum placido sermone, & exhortatione pulchra. Non erit inhumanus, neque asper, neque clamosus in plateis. Benignus erit affectis suis, misericors credentibus in se, asper contra inimicos suos. Vocabit gentem suam ad unitatem meam, & ad cultum meum; & annunciabit eis id, quod viderit de signis meis: & tanquam mendacem rejicient eum, malèque vexabunt. Dixit translator: Hæc est prædictio. Deinde scripsit Daniel narrationem de legato Dei verbatim ex eo, quod revelavit illi Angelus, donec perveniret extremum dierum gentis fuæ per sonitum tubæ, & finem mundi: & Prophetia illius est multiplex, & hæc modò est in manibus Christianorum, & Judæorum, qui legunt eam, & in ea est id, quod narravimus ex eo, quod commemoravit Deus de qualitate hujus gentis, & Prophetæ ejus, & de duratione Regni ejus usque ad diem resurrectionis. In hoc vaticinio Danielis est prædictio de Messia, & de Mahumeto, & de epithetis ejus, & gentis ejus distincte. Et jam legerunt illud Moslemi, cùm expugnaverunt Babylonem, quem admodum referunt sapientes, inter quos Abu-lalia narrat, eos expugnavisse Cosein, & invenisse Danielem mortuum, & cum eo Codicem. Dixit Abu-lalia: Ego legi hujusmodi Codicem, & in eo vos describebamini, & sonus sermonis vestri. Et factum est, cùm homines regionis illius de hoc moniti fuissent, aperuerunt sepulchrum eius, & cùm inter se dissiderent, scripsit Abu-Musa de hoc ad Omar filium Chottab: & rescripsit Omar ad eum, ut diutno tempore tredecim effoderet sepulchra: noctu verò in uno eorum illud sepeliret, ad tumultum, & turbas hominum effugiendas.*

Ex hac narratione potest unusquisque apertè cognoscere, quanta sit Mahumetanorum sapientum levitas: & quàm facilè cuivis nebuloni, & impostori in rebus fectæ suæ faventibus fidem adhibeant. Si Auctor afferuisset, vaticinium hujusmodi in eo sepulchro inventum quidem fuisse; hodie tamen non reperiri in libro Danielis, quia inde per fraudem à Judæis, vel Christianis abrasum fuerit; mendacem quidem fe, sed non adeò impudentem ostendisset. At verò cùm audacter, & fidenter affirmet, hodie in Codicibus Judæorum, & Christianorum reperiri; impudentiam, perfidiam, & amentiam apertissimè demonstrat. Auctor libri, qui inscribitur تاريخ الملة idest, *Confirmatio Religionis*, alia de Mahumeto è Sacris libris vaticinia adducit: nempe.

Septimò. Dixit Habbacuc: *Ego corroborabo filios Cedar ope Angelorum: & exibunt cum equis albis. & armis: & ponam judicium sub pedibus eorum: & judicabunt eos judicio suo: & confringent nasum vestrum cum furore, & ira: & spoliabunt vos vestimentis vestris, & vasis gloriæ vestræ: idest, stibus infidelitatis: & omne beneplacitum meum facient in vobis:* (idest, asperè ac durè tractabunt vos in prælio, & in exigendo tributum) *subjectique, & humiles efficiemini. Porrò Cedar fuit prosapia Arabum, & filius Ismaelis. Dicimus itaque Judæis: Quinam sunt filii Cedar; & quodnam est judicium, quo vos erant judicaturi? Et tamen vos negatis, Deum ullis gentibus aliud judicium constituisse, quam vestrum. Quid verò significant verba illa, quibus asserituc*

Prodrom. ad refut. Alcorani. Pars I.

Deum corroboraturum esse eos ope Angelorum? Certum est apud omnes gentes, Deum non corroborate ullos homines per Angelos, nisi quos peculiari amore, ac benevolentia prosecutus fuerit.

Nihil hujusmodi somniavit Habbacuc, vel alius Propheta. Verùm etiamsi legitimum esset hoc vaticinium; non tamen probaret, Religionem Eslamiticam bonam esse, ac veram: etenim non modò Angeli, sed Deus ipse quandoque adjuvat, & corroborat infideles ad alios infideles deprimendos, & ad fideles etiam puniendos: ut constat in Nabuchodonosor, Cyro, Vespasiano, Attila, & aliis plurimis.

Octavò. Et dixit Daniel in sua revelatione: *Venit Deus cum declaratione: & impleti sunt Cœli, & terra laudatione Ahmedi, & gentis ejus.*

Videtur hic Auctor tribuere Danieli id, quod in Habbacuc ex parte legimus. Ex parte inquam: nam vaticinium totum nullibi reperitur. Quod verò attinet ad verba Habbacuc, jam satis suprà dictum est.

Nonò. Dixit Deus ad Abraham: *O Abraham, obedebis filium, ex quo egredientur populi, & populi, & rursus populi. Et de hac re fit mentio in Pentateucho his verbis: Tempus, & duo tempora, & dimidium temporis, donec veniat Propheta idiota, qui erit sigillum Prophetarum.*

Vel nugatur, vel insanit hic Auctor. Quis enim hoc vaticinium unquam ita confæreiminatum audivit? Promisit sanè Deus Abrahæ filium, & ex eo copiosissimam posteritatem. Utrum verò hoc in Ismael, an in Isaac completum sit, jam superiùs demonstratum est. Illa autem verba: *Tempus, & tempora, & dimidium temporis*, reperiuntur non quidem in Pentateucho, sed in Daniele, & in Apocalypsi: & per ea prædicitur non adventus Mahumeti, sed duratio persecutionis Antichristi per spatium trium annorum cum dimidio. Illa verò appendix, *donec veniat Propheta idiota*, &c. è putido Auctoris cerebro erupit.

Decimò. Dixit Vacheb filius Menbah: *Quando jussus fuit Salomon domum sanctam construere, dictum fuit Davidi per revelationem: Ingredere domum meam, quam ædificasti: & lauda me, & sanctifica me, & imitare gentem, quam ego elegi super hunc mundum. Dixit David: Domine mi: & quenam est hæc gens? Respondit Deus: Hæc est gens Abmedi. Dixit David: Domine mi: ostende mihi signa hujus gentis. Respondit Deus. Quando timebunt, magnificabunt me. Quando ieiscentur, reverebuntur me. Quando inter se disceptabunt, laudabunt me. In alia relatione ita habetur. Erit in ipsis talis oratio, ut, si fuisset in populo Noe, non submersus fuisset ab aquis: & si fuisset in populo Ad, non periisset. Et in libris missis è Cælo à Deo, dicitur: Cum veniet ultima lingua (alii legunt, ultima gens) sequentur ascensorem cameli: gens nova, quæ laudabit Deum vocibus altis in Oratoriis novis. Latentur filii Israel, & pergant in Sion (i. in Jerusalem.) Ibunt ad eam cum hoc Propheta, quem ipsi sequentur. Nam Deus elegit in diebus reliquis gentem, quæ laudabit eum: in cujus manibus erunt gladii encipites, ut vindictam sumant pro Deo de gentibus infidelibus in omnibus finibus terræ. Et quenam est hæc gens, quæ habet gladios encipites in manibus, nisi Arabes. Et in alio ex libris ipsorum scriptum est: Attrahes in arcu tuo nervos, & inebriabuntur sagittæ ad Imperium tuum vehementer, ò Mahumete. Si autem dixerint hunc esse alium, quàm Propheta nostrum, frustrà hoc dicent, cùm hic manifestè nomen ejus, & epitheta illius exprimantur. Cùm hoc vaticinium ex Vacheb filio Menbah retulisset Ahmed filius Abdolhalim, subdit: Et hujusmodi vaticiniorum, & auctoritatum longa est series in libris originariis, veluti libro Isaiæ, & Ezræ, & Danielis; sed illa prætermitto, ad prolixitatem fugiendam.*

Poterat sanè hujus generis vaticinia alia sine numero allegare: sed non ex sacris Scripturis. Quid enim vetat, vaticinia ex suopte cerebro confingere, quot quisque voluerit? Certè de eo, quod hic dicitur circa Salomonem, & Davidem, ne vestigium quidem in Sacris libris reperitur. Cætera farrago sunt, & veluti farcimen, ex diversis scripturarum verbis hinc inde desumptis, vel potiùs corruptis, quæ nullam responsionem merentur.

Undecimò. Ahmedus Thelabiensis in expositione cap. 3. Alcorani allegat Soddiensem in hæc verba: *Deus excelsus præcepit filiis Israel in Tentateucho dicens: Si quis venerit ad vos, qui asserat, se esse Prophetam Dei, ne credatis illi, nisi venerit ad vos cum sacrificio, super quod descendat ignis, & ubsumat illud, donec veniat ad vos Christus Jesus filius Mariæ, & Mahumetus. Et cùm venerint isti duo ad vos, credite illis: ambo enim venient sine sacrificio.*

Quidquid sit de Sacrificio Christi, vel Mahumeti: certum est, testimonium hoc, ex Pentateucho allatum, totum esse fictitium. Cæterùm nullus unquam inter Christianos dubitavit, Christum, utpote verum Sacerdotem secundùm Ordinem Melchisedec, verum etiam obtulisse Sacrificium, nempe Corpus, & Sanguinem suum in Cruce, & in Sacramento Eucharistiæ, quemadmodum asserunt S. Paulus in epist. ad Ephesios cap. 5. Et ad Hebræos cap. 9. Et prædixit David Psal. 110. Et Malachias cap. 1. De Mahumeto, nos etiam assentimur, nullum ab eo institutum esse Sacrificium; & hoc probat, Sectam Mahumetanam non posse esse veram Religionem: vera enim Religio non potest esse sine Sacrificio: nec unquam Deus caruit in terra gente aliqua, quę verum illi offerret Sacrificium: quippe hoc est supremi ejus dominii signum, quo se à mortalibus vult ut summum Dominum recognosci.

Duodecimò. Auctor libri *de signis directionis*, allegat Alym filium Ebrahimi filii Hasamę, in hæc verba: *Venerunt ad Mahumetum Judæi quidam Arabes, & dixerunt ei: O Mahumete, ad quid vocas? Respondit: Ad testificandum non esse alium Deum præter Deum, & me esse legatum Dei. Et quidem ego ille sum, quem scriptum reperietis in Pentateucho, & quem vobis sapientes vestri annunciaverunt, dicentes, egressum meum fore è Mecca, & emigrationem meam hoc tempore eventuram.*

Non profertur hic aliquod peculiare testimonium de Mahumeto. Quamobrem videtur allata alibi testimonia innuere, quibus superiùs responsum est.

Decimoterciò. Idem Auctor citat verba Doctoris cujusdam, nomine Althaca, ita scribens: *Ex hoc genere testimoniorum est illud, quod retulit Althaca, se legisse in Evangelio, & meminit illius Doctor Abugiaafer filius Babavie in libro de Perfectione religionis, & complemento gratiæ. (Ibi ita loquentem cum Christo Deum introducit in Evangelio:) Ego sum Deus permanens, & nunquam deficiens. Credite in Propheram idiotam, ascensorem Cameli, gestatorem loricæ, & cydatis, & crepidarum, & virgæ. Hujus oculi nigri erunt, veluti lithio depicti: frons clara: genæ rotundæ: nasus aquilinus: dentes molares rari, & inter se dissiti, &c. totus pilosus erit*

Digitized by Google

erit à pectore usque ad umbilicum. Pectum, mammasque volas crassiores habebit. Cùm inter homines versabitur, suum illis sudorem distribuet, qui ex ejus fronte margaritarum instar defluet. Musci odorem ex se efflabit, cui nullus similis inventus est, nec unquam inveniretur. Mulierum fœminarum maritus erit, sed paucæ prolis pater.

Aliæ inepitæ sunt in hoc fictitio ex Euangeliis vaticinio, quas libens prætereo. Vix autem credi potest, sapientissimos Moslemorum, è quibus unus fuit Abu-gapher, non solùm his fabulis fidem præbere, sed etiam asserere, eas in Euangelio reperiri, & super eas sectam suam fundare, ac stabilire.

Decimotertiò. Abu-nazar, celebris inter Mahumetanos Auctor, agens de prodigiis, quæ in nativitate Mahumeti, evenisse fabulantur, ita scribit: *Dixit Caab Alachbar scl. mem. Legi in Pentatcucho, quod cùm rollet Deus pranunciare filiis Israel adventum Mahumeti, dixit eis: Cùm stella, nota nomine suo, mota fuerit, ac mutata de loco suo: tempus erit, quo egredietur in mundum Mahumetus Propheta Dei. Cùm igitur hic natus esset, mota fuit stella illa: ex quo agnoverunt omnes, eum jam in mundum advenisse. At verò Judæi invidia agitati, id totum absconderunt. Ita notum fecit Deus in Euangelio genti Jesu; quòd cùm palma quædam singularis, quæ jam exaruerat, folia fructusque protulisset, tunc foret tempus, quo adveniret Mahumetus sanctus mem. Cùm igitur hic natus esset, palma illa arida, folia fructusque protulit: idque Christiani cognoverunt, sed propter invidiam celaverunt. Denique pranunciavit Deus populo Davidis in Psalmis, quòd cùm ex fonte quodam noto, ex quo aqua fluere penitùs desierat, atque omnino exaruerat, aqua copiosissimæ emanassent, illud foret signum adventus Prophetæ Mahumeti. Id totum evenit: at illi invidi silentio prodigium pressere.*

Quot in una narratione mendacia? Extat Pentateuchus: Extat Euangelium: Extant Psalmi. Ne verbum quidem in illis, quod hujusmodi præsagia innuat, reperitur. Illud verò mirum, quomodo potuerint hæc signa, tàm nota, ob invidiam celari. Sed esto id factum fuerit. Quenam causa fuit & Judæis, & populo Davidis, & Christianis celandi illud, quod in suum ipsorum bonum cedebat: præsertim cùm populus Davidis nulla posset laborare invidia, quia tempore ejus nondum venerat Mahumetus: nisi fortè dicant, populum Davidis, & populum Moysi, seu filios Israel, esse Synonyma. Sed quidquid sit, fabulæ hæ sunt, & nugæ, quemadmodum etiam alia vaticinia, quæ ex Sacris Scripturis Moslemi mendaciter producunt, & quæ ego, prolixitatis vitandæ causa, libens prætermitto.

Ex iis, quæ hactenus dicta sunt, sequentes conclusiones adversus Mahumetanos, eorumque sectam deduco.

Prima Conclusio.

EX confessione tàm Christianorum, quàm Mahumetanorum, & Judæorum, sunt in Sacris literis plura, certa, & clara vaticinia de adventu Messiæ, seu Christi, quem tàm Christiani, quàm Mahumetani fatentur esse Jesum Nazarenum filium Mariæ Virginis. Hùc accedit, omnia ferè hujusmodi vaticinia, quæ Christiani adducunt, non solùm Mahumetanos, sed etiam Hebræos, præsertim antiquiores, fateri, & probare tanquam legitima, & vera de Christo. Imò Hebræi pro certo habent, omnia, quæ Prophetæ, cæterique viri sancti in veteri testamento scripserunt, esse tantùm in ordine ad Messiam venturum. Quamobrem legitur in libro Sanhedrin, cap. Chelek: *Dixit R. Ebia filius Abba: Dixit R. Johanan: Prophetæ omnes, nullo excepto, nihil prophetaverunt, nisi de diebus Messiæ.* Et R. Salomon in cap. 9. Zachariæ hæc habet: *Dixit Mar: Omnes prophetæ non prophetaverunt nisi de annis redemptionis, & de diebus Messiæ.* De Mahumeto nullus est Propheta, qui vel unum verbum dicat; nisi fortè in malum. Hoc Judæi, hoc Christiani concorditer fatentur: Moslemi negant; sed gratis, & sine ullo fundamento, ut patet ex dictis.

Secunda Conclusio.

MEssiæ Regnum futurum erat universale, & æternum. Hoc jam superiùs Prophetarum auctoritate satis comprobatum est, & manifestè ostenditur novi Testamenti testimoniis propè innumeris. Dixit ipse Christus Matth. cap. 10. *Omnia mihi tradita sunt à patre meo.* Et Joan. cap. 12. *Si exaltatus fuero à terra, omnia trahàm ad me ipsum.* Et c. 13. sic de eodem scriptum est: *Sciens quia omnia dedit ei Pater in manus.* Et S. Paulus ad Philippenses cap. 2. ita loquitur de Christo: *Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur, Cœlestium, Terrestrium, & Infernorum.* Et ad Ephesios cap. 1. *Omnia subjecit sub pedibus ejus: & ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam.* Et ad Colossenses cap. 1. *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt; & ipse est ante omnes, & omnia in ipso consistant.* Et Apocalypsis cap. 1. appellatur *Princeps Regum terræ.* Et cap. 12. dicitur de eo, quòd *recturus erat gentes in virga ferrea.* Et paulò post: *Nunc facta est salus, & virtus, & Regnum Dei nostri, & potestas Christi ejus.* Et cap. 19. dicitur *Rex Regum, & Dominus dominantium.* De hujus verò regni stabilitate, ac perpetuitate, satis multa superiùs dicta sunt.

Tertia Conclusio.

REgnum hoc Messiæ non temporale ac terrenum, sed spirituale ac cœleste futurum erat: loquor quoad exercitium: nam alioqui Christus verè fuit Rex etiam temporalis, & poterat, si voluisset, regiam exercere potestatem. Hoc ex superiùs dictis satis patet. Verum quidem est, posse illud temporale etiam, & terrenum appellari: Christus namque jam gloriosus in Cœlis, verè & propriè est Rex universalis totius orbis, eumque per ministros suos, Reges fœliciter ac Principes terræ, gubernat, & regit. Neque obstat, quòd plerique eorum infideles sint, & mali: etenim eodem modo Deus regit, semperque rexit mundum hunc inferiorem; semperque habitus est verus ac proprius illius Rex, quamvis in eo fuerint, ac sint tot regna, ac provinciæ infidelium, qui Deum ipsum non agnoscunt.

Quarta Conclusio.

SI Christi regnum est æternum, etiam lex illius, quæ est Euangelium, debet esse æterna. Quod atti-

Digitized by Google

attinet ad legem Moysi judiciariam, & cæremonialem (nam de morali; & naturali non loquor:) apertissima sunt in Scripturis testimonia, eam non futuram æternam, sed in Messiæ legem commutandam. Id Mahumetani etiam fatentur, & quod majus est, Judæi non negant, imò ultrò admittunt. Quòd verò lex Messiæ in legem aliam commutanda esset; hoc neque in Scripturis Sacris, neque in libris Judæorum, & Christianorum, neque in ullis amborum traditionibus reperitur. Quòd autem Moslemi tàm audaciter, & confidenter dicant, Judæos & Christianos Mahumeti adventum, & Alcoranicam illius legem olim avidè exspectavisse; impudentissimum est mendacium, & ab omni prorsus veritate alienum. Quomodo enim poterant Christiani aham legem à Christi lege diversam expectare, dum quotidie audirent verba S. Pauli in Epist. ad Galatas cap. 1. *Licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizatum est vobis, anathema sit. Sicut prædiximus, & nunc iterum dico: Si quis vobis evangelizaverit præter id, quod accepistis, anathema sit.* Quòd si rectè attentèque omnes testamenti novi paginæ perlegantur, reperiemus, nihil in illis magis fidelibus inculcari, quàm ut firmi, constantesque in ea lege, ac doctrina permaneant, quam à Christo, & Apostolis ejus acceperant; atque ab omni alia doctrina peregrina, & nova sedulò caveant. Quamobrem S. Paulus ad Hebræos cap. 3. ait: *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula. Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci.* Per quod manifestè ostendit, quemadmodum nullus alius novus Christus venturus erat; ita neque novum Euangelium, aut legem novam hominibus deinceps esse tradendam. Quod spectat ad Judæos: certum est, ipsos post Messiam nullum alium legislatorem unquam expectasse, neque nunc expectare. Cujus rei, præter alia, illud firmissimum est argumentum ad hominem, quòd Hebræi communiter (licet etiam è Christianis nonnulli) putant, mundum sex millia annorum perduraturum: quorum duo millia fine lege fuerint: duo millia legem habuerint: & duo millia ad Messiæ regnum pertineant. Sic scriptum reperimus in Thalmud in lib. Sanhedrin, distinct. Chelec, his verbis: *Habetur ex traditione domus Eliæ, per sex millia annorum mundum perseveraturum: ex quibus duo millia erunt thohu*: (idest vanitas, nimirum sine lege, ut exponit Glossa R. Salomonis Jarchi, *duo millia cum lege erunt: & duo millia erunt dies Messiæ.* Itaque juxta Hebræorum sententiam, Mahumeto, ejusque Alcorano nullum ultra tempus relinquitur. Præterquam quòd, cùm lex Euangelica sit summæ perfectionis (quod Mahumetani vel inviti fateri coguntur) non conveniebat, ut in minus perfectam mutaretur, qualis est Alcoranica, quæ retrahit homines partim ad legem Abrahæ, partim ad Sanctiones Mosaycas, partim ad superstitiones Arabicas.

Quinta Conclusio.

IN Saeris Scripturis nullibi lex, aut universalis benedictio, aut regnum, aut prophetia promittitur, nisi respectu Isaac, ejusque posterorum per lineam Jacob, non autem Esau. Isaiæ cap. 2. *De Sion exibit lex, & Verbum Domini de Jerusalem.* Joan. cap. 4. *Salus ex Judæis est.* Ad Isaac & Jacob dicta sunt ea verba: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ.* Davidi & semini ejus facta est promissio de regno Messiæ, ut suprà vidimus. S. Paulus ad Galatas cap. 3. asserit *in gentibus benedictionem Abrahæ factam esse in Christo Jesu*, qui fuit oriundus ab Isaac, & Jacob. De Ismaele, ejusque posteris, nihil habetur in Sacris literis, quod non sit cum vituperatione, vel quod ad res terrenas, vel carnales, & præsertim ad prolem copiosam non pertineat, in quo tota illius benedictio sita est. Si quid verò de eo dicitur, quod ad laudem pertineat, nunquam tamen habetur, quod ad legislationem, vel Prophetiam, vel religionem, vel communem salutem pertineat. Et quidem nimis monstruosum, atque omninò absonum fuisset, quòd cùm Sacræ omnes Scripturæ Christum tanquam scopum in suis oraculis haberent, neque in illis quidquam penè aliud ageretur, quàm de posterorum Isaac & Jacob successibus in ordine ad eumdem Christum: vix deinde hic apparuisset, legemque suam Euangelicam promulgasset, ut repentè nullis præcedentibus oraculis, & nihil tale hominibus inspicantibus, novus nescio quis Propheta de stirpe Ismaelis ex Arabiæ latibulis tanquam mus vel fungus erumperet, qui Christi regnum, legem, ac religionem everteret, novaque lege ac religione inducta, penitus aboleret.

Hùc accedit, quòd S. Paulus de Hagar & Ismaele ex una parte; & de Sara atque Isaac ex alia loquens, ita inter se hæc duo binaria comparat, ut primum, nempe Hagar & Ismael, typus sit legis servilis, & carnalis: secundum verò, scilicet Sara, & Isaac, legis libertatis, filialis, ac spiritualis: facitque Ismaelem figuram Judæorum infidelium, & Christianam fidem persequentium: Isaac verò fidelium, quos Judæi persecuti sunt. Vide epistolam ad Galat. cap. 4. Neque dici potest, hoc in odium Mhumeti scriptum fuisse, eùm sexcentis annis, antequam Mahumetus appareret, scriptum fuisse, certissimum sit. Quamobrem dicendum est, apertissimum hoc esse vaticinium, factum ex divino afflatu à S. Paulo de Mahumetanica impietate: per quod etiam ostenditur, nullum ab Ismaele, ejusque posteris bonum speramdum esse, sed potiùs mala omnia veris fidelibus metuenda; quod utinam facto ipso non experiremur.

Sexta Conclusio.

UBi Sacrarum Scripturarum vaticinia, & sententiæ respiciunt Isaac, & ejus posteros, vel aliquid, quod ad illos pertineat, ut Jacob, Israel, Judam, David, Jerusalem, Sion, & alia hujusmodi: non possunt, nec debent Mahumetani ea Ismaeli, vel ejus posteris appropriare; sed Christo omninò tribuere, tanquam ex Isaac, & Jacob prognato: in eo enim, ut superiùs monuimus ex S. Paulo, omnes benedictiones Abrahæ, Isaac, Jacob, & eorum, qui ex his orti sunt, complendæ erant. Aliàs intolerandæ sequeretur confusio: & nos etiam dicere possemus, si quid boni de Ismaele, aut Ismaelitis, eorumque rebus in Scripturis continetur, Christo, & Christi fidelibus esse tribuenda.

Septima Conclusio.

IN Sacris Scripturis exponendis, uti debemus verissima, & certissima regula, quam tradit etiam ipse Adversarius Ahmedus filius Abdolhalimi, à Christianis Doctoribus acceptam, quamvis ille malè ea uta-

Digitized by Google

utatur. Est autem hujusmodi : اما بحب ان يقال الجزء على الكل ويستدل على ما غاب بما حضر وعلى ما لم يكمل بما ظهر: *Necessarium porrò est, partem juxta totum regulari: & id, quod figuratum est, per id, quod clarum est, & sine figuris, demonstrari: & id, quod dubium est, per id, quod certum est, explicari.* Itaque si universa Sacra Scriptura, ut jam vidimus, & omnes tàm Christiani, quàm Moslemi, ac Judæi fatentur, clarè, & apertè loquitur de Messia; etiamsi sit in illa locus aliquis obscurus, dubius, & ut ita dicam, absens; explicandus erit juxta loca clara, certa, & manifesta. Hùc accedit, quòd eadem illa loca, quæ pro Secta sua, & Mahumeto asserunt Moslemi; omnia, vel ferè omnia, tanquam certa, & aperta, tàm à Christianis, quàm à Judæis de Christo intelligantur. Pauca quædam videntur pro Ismaele, & Ismaelitis facere, spectantia ad temporaneam, ac mundanam felicitatem, vel etiam ad agnitionem, & laudem veri Dei. Sed hæc quoque juxta regulam jam propositam exponenda sunt: nimirum, quòd ea omnia, quæ in ordine ad res spirituales, ac divinas de illis dicuntur, ad Christum referantur. Veritatem enim debet in eo illa promissio: *In semine tuo benedicentur omnes gentes terræ*: ita ut Arabes etiam in hac benedictione comprehendantur; non quidem hoc tempore, neque in lege Mahumetica; sed eo tempore, quo florebat, vel in posterum florebit inter Ismaelitas, & Arabes Christiana Religio: & præsertim cùm Arabiæ, & Pharan deserta, Sanctorum Monachorum turbis referta erant,

Octava Conclusio.

SI dicant Mahumetani, Scripturas Sacras esse corruptas: vel tanquam falsa, aut suspiciosa rejiciant ea testimonia, quæ ex utroque testamento hactenus pro Christiana Religione contra eos protulimus: id facient cum injuria, & absque ulla prorsus ratione; cùm suprà satis evidenter earumdem Sacrarum Scripturarum integritatem probaverimus. Si enim Sacræ Scripturæ corruptæ sunt, quomodo poterunt ipsi probare, ea testimonia, quæ pro se ex illis citant, & legitima esse, & incorrupta? Nos sanè non dicimus, auctoritates à Mahumetanis productas falsas esse, ac depravatas, dum in probatis Sacrorum Librorum translationibus, quæ apud Christianos, & Judæos sunt, saltem quoad substantiam verè reperiantur, neque constet manifestè, esse ab ipsis confictas, aut corruptas.

Neque dici potest, Mahumetanos, dum contra nos Sacrorum Librorum auctoritate utuntur, argumentari ad hominem; ut falsè, ne dicam stultè asserit Hottingerus. Tunc enim *ad hominem* contra adversarium quis argumentatur; cùm concedit illi eam propositionem tanquam veram, quam tamen ipse pro vera non habet; vel de cujus veritate, aut falsitate ipse nihil curat, dummodo propriis ejus principiis adversarium convincat; quibus tamen ipse ad stabiliendam sententiam suam nunquam volet uti. Atqui nullo modo dici potest, Mahumetanos non habere pro veris, & legitimis ea Scripturarum testimonia, in quibus fundant, ac stabiliunt Prophetæ, sectæque suæ veritatem; & in quorum explicatione, & intelligentia nos illis contradicimus; asserentes, eos male, ac perperam illam intelligere, & explicare; eodem ferè modo, quo, cùm nos aliquem Alcorani locum contra ipsos producimus, explicantes illum ad favorem nostrum; (ut cùm dicitur in Alcorano, Christum esse Verbum, & Spiritum Dei, asserentes, ibi Mahumetum fateri divinitatem Christi) Mahumetani sese opponunt, negantes, illum esse sensum verborum Alcorani; neque posse ibi Mahumetum fateri Christi divinitatem, cùm eam alibi expressis verbis inficietur. Ita prorsus evenit in re nostra. Est tamen hoc discrimen, quòd Christiani argumentantur ex verbis Alcorani claris, & apertis contra Mahumetanos: & licet non credant, esse verba Dei, putant nihilominus in iis veritatem contineri, si ita accipiantur, ut sonant, quamvis Adversarii id negent. At verò Moslemi argumentantur contra nos ex verbis Sacrarum Scripturarum obscuris, allegoricis, & figuratis, reponentes omnem vim non in solis verbis, sed in mysterio, quod in illis continetur (quod sanè non nisi à Deo esse potest:) ut cùm apud Isaiam in Ascensore Cameli Mahumetum: in ascensore autem Asini Christum volunt prænunciari. Et in Pentateucho per tres montes, Sinam, Seir, & Pharan, tres Prophetas, ac tres leges à Deo per eos datas asserunt designari. Quis verò nisi omninò fatuus, & similis Hottingero, dicat his in locis Mahumetanos argumentari contra nos ad hominem, cùm argumententur non à verbis, quę utique concedimus, sed à mysterio, quod nos negamus.

Alia ex parte non minor esset amentia, credere, Mahumetanos non habere tanquam verba Dei illa, in quibus agnoscunt occulta mysteria, & prædictiones rerum futurarum tanti momenti, quanti est veracitas Prophetę sui, ac veritas suę religionis. Hujus rei certissimum est argumentum, quod cùm aliquid, præsertim ex veteri testamento, allegant, untuntur ferè semper formula illa قولة تعالى ideſt, *dicit Eum Dei Altissimi:* quam in Alcorani verbis citandis consueverunt adhibere.

Hìc tamen adnotandum est id, quod superiùs inuui, argumentum ductum à sensu mystico, & allegorico ex Sacris literis, non necessario convincere, nisi quando vel ab ipsis Sacris literis manifestè colligitur, vel per communem Doctorum, & Expositorum sententiam agnoscitur, vel ab omnium fidelium consensu comprobatur. Hoc autem in vera tantùm Religione potest evenire. Et cùm apud Judæos ante Christum, & apud Christianos post Christum, fuerit vera Religio, saltem usque ad Mahumetum; ut Moslemi affirmant: si quid utrique communi sensu circa Sacrarum Scripturarum mysteria eo tempore, quo in vera Religione erant, probaverunt, illud certum erit, & verum. Constat autem, eos convenisse in intelligendis de Christo plerisque eorum, quæ Moslemi de Mahumeto suo (quem nec Judæi, nec Christiani unquam somniaverunt) conantur violenter exponere.

Respondetur Argumentis Moslemorum.

DUplici contra nos argumento utuntur Doctores Moslemi, ad probandum, Mahumetum in Sacris Scripturis prædictum fuisse. Tractat utrumque satis prolixè Ahmedus filius Abdolhalimi in sua Apologia pag. mihi 253. Ego utrumque succinctè proponam, eique paucis respondebo.

Pri-

Digitized by Google

Primum argumentum est hujusmodi. Mahumetus sexcenties in Alcorano affirmat, se in Pentateucho, & Euangelio prædictum fuisse; & hoc palam prædicabat, audientibus Judæis, & Christianis, à quibus, nisi vera dixisset, facillimè mendacii argui potuisset. Cùm autem Mahumetus esset prudentissimus, atque omnium mortalium sagacissimus, stultum se atque insanum prorsus ostendisset, si ea tanquam vera affirmasset, de quorum falsitate ab omnibus convinci potuisset. Fatendum est igitur, illum in Sacris literis prænunciatum fuisse.

Respondemus; cùm aliquid esse, vel non esse, sensu deprehenditur, factoque ipso manifestè convincitur, nullas in contrarium rationes posse valere. Quòd Mahumetus fuerit prudentissimus, ac sagacissimus omnium mortalium, gratis omninò asseritur: id tamen non convinceret necessariò, quòd non posset aut ipse decipi, aut alios decipere, aut mentiri etiam in rebus satis apertis, ac manifestis. Factum est hoc in sexcentis aliis novorum dogmatum inventoribus, novarumque sectarum institutoribus, qui doctrina, prudentia, ac sagacitate excellere videbantur, & fortasse excellebant: & nihilominus, vel ex errore intellectus, vel ex voluntatis malitia, apertissima mendacia protulere. Erat porrò Mahumetus homo ignarus, legendique, ac scribendi omninò imperitus. Hoc ipsemet in Alcorano fatetur, nec inter Mahumetanos ullus in dubium revocat: propterea enim النبي الامي *Prophetam idiotam* asserunt eum (licet falsò) in Sacris literis appellari: quid ergo mirum, si à nebulone aliquo Judæo, seu Christiano, vel ut gratiam ejus iniret, vel ut fucum illi faceret, perfusus fuit, esse in Sacris voluminibus de se vaticinia conscripta? Neque tamen verum est, Judæos, & Christianos prudentiores, ac peritiores Mahumeto hujusmodi vaticinia jactanti assensos fuisse, vel non restitisse. Quamobrem idem sæpè in Alcorano conqueritur de Scripturalibus (Judæis scilicet, & Christianis) quòd vaticinia de se ipso in Pentateucho, & Euangelio extantia, occultarent, vel depravarent. Verùm si hi ea occultabant, cur ipse Propheta tantus, & qui sciret ea in Scripturis reperiri, non manifestabat? Refert autem Thalebiensis in expositione Suræ 4. v. 161. ex dicto Ebn-abbasi, Auctoris supremæ inter Moslemos auctoritatis, Primates Meccanos, cùm audirent Mahumetum adeò sese in oraculis Pentateuchi jactantem:

ائتوا الي النبي من فقالوا يا محمد بيننا منك اليهود ومن صفتك في كتابهم فزعوا انهم لا يعرفونك ودخل على النبي من جماعة من اليهود فقال اني بالله اعلم انكم لتعلمون اني رسول الله فقالوا لا نعلم ذلك: *veniſſe ad illum ac dixiſſe: O Mahumete, nos interrogavimus Judæos de te, & de prædictionibus, quæ dicis eſſe de te in Scriptura eorum. At illi aſſeruerunt, ſe neſcire, quiſnam tu ſis. Cùmque deinde Judæorum caterva ad Mahumetum veniſſet, ille dixit ad eos: Ego certiſſimè ſcio, vos non ignorare, me eſſe legatum Dei. Illi verò reſponderunt: Nihil hujuſmodi novimus.*

Illud præterea animadvertendum est, ea in ætate, atque eos inter homines Mahumetum vixisse, inquibus scientiarum omnium, & præsertim Sacrarum literarum ignorantia maximè dominabatur. Imò Meccani, inter quos ille natus, & supra quinquaginta annos versatus est, ut erant idololatriæ tenebris involuti, parum, aut nihil de Sacris Scripturis noverant, nisi quantum Judæos aliquos, aut Christianos de illis balbutientes audiebant. Quamobrem poterat illis facilè quidlibet persuaderi, & imponi, quemadmodum impositum fuit Mahumeto, qui ex mendaci aliquorum Judæorum, & Christianorum relatione, tot fabulas, atque ineptias, tanquam Sacrarum Scripturarum oracula, Alcorano suo immiscuit: quæ tamen facilè ab Arabibus ignarissimis, & prorsus agrestibus credita sunt. Hoc autem minimè mirum videbitur illi, qui animadverterit, tot provincias, ac regna catholica, & in iis tot Principes, tot Reges, tot Respublicas; & (quod vix credi potest) tot Præsules, tot Presbyteros, tot Monachos in Apostolica fide natos, atque enutritos, ad suasionem fratercli unius apostatæ, & unius presbyteri nefando scelere coinquinati, Religionem illam deseruisse, quam & majores eorum, & ipsi semper professi fuerant: & tàm impia, tàm spurca, tàm belluina dogmata amplexos fuisse, ut non pauca ex illis, Alcoranicis comparata, longè deteriora, ac pestilentiora videantur. Hoc certè portentum majus est illo, quod in Mahumeto suo nescit Ahmedus intelligere.

Secundò argumentâ ita summatim complector. Nulla lex ita diffusa est, ac dilatata, sicut lex Mahumeti. Hæc verò est res adeò prodigiosa, ut sive vera, sive falsa Mahumetus evulgaverit, debuerit omninò à Prophetis prædiei, ut homines ab eo caverent, si prava docuisset: si verò recta, eum sequerentur: atque ita videmus in Sacris literis, tàm de Christo, quàm de Antichristo plura prænunciata fuisse. At nihil est in Sacris Scripturis, quod Mahumetum malum futurum esse significet, vel vituperationem ullam illius contineat: ergo necessariò erunt in illis vaticinia in laudem Mahumeti, & Legis, ac Religionis illius. Quòd verò hæc modò non reperiantur, censendum est à Judæis, & Christianis fublata fuisse.

Sed facilè respondetur, falsum esse, Mahumeti Sectam tàm magnum effe prodigium, quantum jactant Mahumetani. Num non modò Affyriorum, Græcorum, & Romanorum Idololatria, ampliora spatia, ac tempora diuturniora obtinuit, quàm Secta Mahumetica: sed etiam Christiana Religio, & regionum amplitudine, & temporum diuturnitate illam superavit. Quanquam ingens numerus, magnaque multitudo, certa Religionis argumenta non sunt habenda, ut alibi fusiùs demonstrabo. Quod verò ex tàm copiosa Mahumetanicæ Sectæ dilatatione, sive vera illa sit, sive falsa, infert Adversarius, necessariò eredendum esse, Mahumetum à Prophetis prædictum fuisse, ut si malus, ac mendax foret, homines sibi ab eo caverent: si autem verax, ac bonus, eum sequerentur: respondemus: Primò, non posse hominem Deo leges præscribere de eo, quod per Prophetas revelaturus sit. Plura maximi momenti in orbe evenere, de quibus in Sacris literis ne verbum quidem existit; cùm de aliis levioribus frequens præcedat enunciatio. Perfarum, ac Medorum successus Prophetæ prænunciavere: de Syncopismo, Tartarorum, Japonum, & aliarum gentium præcipitarum rebus, prorsus conticuere. De Antichristo ipso in veteri Testamento obscura fatis, & dubia sunt oracula, & nonnisi sub aliorum regum impiorum typo: ita ut sint, qui existiment, nihil de illo directè fuisse à Prophetis prænunciatum. Quamobrem nihil mirum, si de Mahumeto quoque in Sacris literis prædictum fuerit.

Deinde animadvertendum est, vaticinia ferè omnia vete-

Digitized by Google

veteris Testamenti ad Christum directa, atque in illo absoluta, perfectaque fuisse. *Finis enim legis Christus* : quemadmodum scribit S. Paulus ad Romanos. Hinc est, quòd à primo Christi adventu, cæterarum rerum, quæ intercesserunt, successibus ferè prætermissis; ad secundum ejusdem adventum, qui maximè Prophetarum omnium scopus fuit, flatim ab iisdem transitus fiat. Id verò non obscurè innuit Daniel cap. 9. verbis illis: *Septuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam tuam, ut consumetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia; & ungatur Sanctus Sanctorum.* Post quæ verba, nulla aliarum rerum prædictione facta, statim cap. 12. ad noviſſima mundi tempora Daniel pertransit.

Neque tamen negaverim, etiam de magno hoc terrarum orbis Seductore, Antichristi prodromo Mahumeto, in Sacris Scripturis aperta satis vaticinia reperiri; quorum

Primum extat cap. 16. Geneseos, ubi de Ismaele prædicitur: *Hic erit ferus homo: manus ejus contra omnes, & manus omnium contra eum: & è regione universorum fratrum suorum figet tabernacula.* Quibus verbis prænunciantur ablque dubio sub Ismaelis persona, feritas, atque immanitas Mahumeti, & successorum ejus Ismaelitarum.

Secundum habetur Isaiæ cap. 27. in illis verbis: *In die illa visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leviathan serpentem vectem, & super Leviathan serpentem tortuosum, & occidet cetum, qui in mari est.* Quod oraculum non solùm Hebræi, sed Christianorum doctissimi de Mahumetico Imperio intelligendum esse asseverant.

Tertium extat Danielis cap. 7. ubi dicitur, inter quartæ horribilissimæ bestiæ cornua decem, cornu aliud exiguum pullulasse. *Et ecce* (inquit) *cornu aliud parvulum ortum est de medio eorum, & tria de cornibus primis evulsa sunt à facie ejus. Et ecce oculi, quasi oculi hominis erant in cornu isto, & os loquens ingentia.* Et paulò post subdit: *Magnus erat cæteris, & faciebat bellum adversus sanctos, & prævalebat eis.* Hic mysticè Mahumetus juxta Doctorum nostrorum sententiam exprimitur, licet alii velint, primariò Antichristum præfigurari.

De Mahumeto etiam, ac tyrannico ejus imperio exponunt plures tùm Hebræi, tùm Christiani id, quod Danielis cap. 2. de pedibus, & cruribus statuæ à Nabuchodonosore somniatæ, argilla, ferroque compactis enarratur. Et quamvis Daniel quatuor tantùm imperia commemoret, nihilominus quia Mahumetani jure belli, & vi armorum Romanis in Imperio Orientali succesere: ideò unum atque idem utrorumque imperium censeri potest: quemadmodum crura, & pedes unum tantùm in humano corpore membrum constituere videntur. Et quidem hodie quoque Turcarum Princeps Cæsaris, & Augusti titulo sese condecorat: & regio illius adjacens Imperatoriæ Urbi, Romanæ nomine appellatur.

In novo verò Testamento passim seductores, Pseudoprophetæ, & antichristi prædicuntur, præter illum celebrem Antichristum, qui in fine mundi venturus esse, communi omnium assensu, creditur. Quòd si Mahumetus nominatim minimè prædicitur, id tantasse evenit, quia plures illi similes futuri erant, ut Arius, Nestorius, Dioscorus, aliique plures, præter eos, qui adhuc venturi sunt, Mahumeto fortasse pejores. Neque verò necesse erat, illum signatim prænunciari, dum generatim omnes illi vitandi proponebantur, qui alienam à Christi Euangelio doctrinam profess fuissent, juxta illud Pauli ad Galatas cap. 1. *Sed licet nos, aut Angelus de Cælo evangelizet vobis præterquam quod evangelizavimus vobis, anathema sit.*

Præterea si res rectè perpendatur, nihil aliud effecit Mahumetus, quàm illud, ut præteritorum Hæresiarcharum, Arii potissimùm, & Nestorii errores renovaret, & propagaret. Quamobrem inter Seductores justius hi duo fortasse principatum merentur, quàm Mahumetus: ita ut nulla esset causa, cur in Sacris literis de hoc peculiaris mentio præcederet.

Et nihilominus in Apocalypsi cap. 6. juxta veriorem expositionem, in aperitione sigilli quarti, ubi dicitur: *Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi Mors, & Infernus sequebatur eum: & data est illi potestas super quatuor partes terræ, interficere gladio, fame, & morte, & bestiis terræ*: Mahumetus omninò præsignatur, illiusque bestialis superstitio, quæ mortem intulit non tàm temporalem, quàm æternam, aperuitque Tartarum universo orbi adeò ingenti ruina, ut major nulla deinceps futura credatur, nisi sub Antichristi tyrannide, de qua flatim in eodem capite mentio habetur. Videtur autem Sanctus Paulus in epistola 2. ad Thessalonicenses, cap. 2. hoc ipsum innuisse, cùm scripsit, neque Antichristum, neque supremum mundi diem venturum, nisi priùs advenisset *discessio*, Græcè ἀποστασία: *Nisi venerit*, (inquit) *discessio primùm, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis*. Consensere prisci Patres, per discessionem, seu apostasiam, generaliem à Romano Imperio gentium rebellionem esse intelligendam. Idem sentiunt recentiores: sed addunt, sub hoc nomine comprehendi etiam, & quidem præcipuè, à Romano Pontifice, & à Catholica, & Christiana fide discessionem, quam nemo hactenus ita minatus est, ut Mahumetus, & Mahumetismus.

Concedimus porrò Adversario; si Mahumetus verax Propheta fuisset, & opus ejus, utpotè rectum, à Deo emanasset, præmittenda fuisse de eo in Sacris literis vaticinia, quemadmodum de Christo præmissa fuere. Sed cùm hæc nullibi reperiantur, retorquemus contra Moslemos argumentum, inferentes, Mametum nullo modo verum Prophetam fuisse, nec Legem, aut Religionem bonam promulgasse. Quòd verò hujusmodi vaticinia extiterint quidem, sed à Judæis, & Christianis sublata fuerint, jam suprà nullo modo fieri potuisse demonstravimus.

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX

Vaticinia alia, Prognoſtica, ac Teſtimonia, quæ pro Mahumeto, ejuſque Secta proferunt Moslemi extra Sacras Scripturas.

PRæter ſuperiùs allata vaticinia, quæ Mahumetani ex utroque Teſtamento producunt, & vel depravata, vel falſa, & commentitia eſſe convincuntur: proferunt illdem ingentem farraginem prædictionum, ſignorum, prognoſticorum, ac teſtimoniorum ex diverſis Auctoribus, præſertim Judæis, & Chriſtianis, ad majorem fidem Prophetæ ſuo conciliandam, & ad ſuperſtitionem illius magis corroborandam, & conſtabiliendam.

Primò: in antiquiſſimo Codice M. S. ex Bibliotheca Eminentiſſimi Cardinalis Camilli de Maximis, qui nunc in inſigni Bibliotheca Szeri Collegii de Propaganda Fide Romæ aſſervatur, legimus, Angelum Gabrielem Mahumeto apparuiſſe, eique dixiſſe, ſe ignoraſſe nomen ſuum per ſpatium decem millium annorum, poſtquam creatus fuerat: tunc enim audivit primò, ſe vocari à Deo nomine Gabrielis, & juberi ſanctificare ipſum Deum: id quod ipſe fecit per alia decem millia annorum. Poſt quæ audivit divinum, præceptum, ut eumdem glorificaret: idque fecit per alia decem millia annorum. Pergit Auctor, ſeu potiùs Gabriel: قال لى يا جبرائيل صلى على محمد فصليت عليك يا محمد عشرة الاف عام فقال لى انصب اى تراه وتنظر اليه . فقلت بلى يا رب . فامر فكشف لى عن سبعين حجابا فنظرت الى ثلثة منابر من نور وعليها ثلثة اشخاص فعلمتك من بينهم فنادانى ربى يا جبرائيل الا تنظر اليه جالسا بين وزرائه يعنى ابابكر وعمر رحم الله عليهما. *Dixit mihi Deus: O Gabriel, ora pro Mahumeto. Ego verò oravi pro te, ò Mahumete, per decem millia annorum. Dixitque mihi rurſum: Cupis ne videre eum, eumque cognoſcere? Reſpondi: Utique Domine mi. Jubente Deo, ſublata ſunt mihi ſeptuaginta velamina: & vidi tres ſedes ex luce, & ſuper eas tres perſonas, & cognovi te eſſe unam ex illis. Tunc advocans me Dominus meus, dixit mihi: O Gabriel, videſne illum ſedentem inter Conſiliarios ſuos? per hos autem ſignificabat Abubacrum, & Omarem, quorum miſereatur Deus.*

Nolui hic, quemadmodum neque in ſequentibus narrationibus, ſeu fabulis, omnia Arabicè referre, ne nimis exturgeſcat liber: ſed tantummodo ea, quæ magis notabilia judicavi. Porrò non eſt hic opus argumenta multa congerere, ad commentum tàm infanum, ac ridiculum refutandum. Quis enim non rideat, audiens, Gabrielem quadraginta millibus annis ante Mahumetum, nomen ſuum ignoraſſe per decem millia annorum; & Mahumetum ipſum per tot millia annorum, antequam naſceretur, in Cœlo cum Abubacro, & Omare fuiſſe? Addit monſtro monſtrum Joſeph filius Abdolatiphi Scriptor inſignis inter Mahumetanos, allegatus à Gabriele Sionita, & Joanne Heſronita, doctiſſimis Maronitarum: Nimirum: *Mahumetum, dum ità in Cœlo moraretur, antequam in terra appareret, ceciſſe quondam Thronum Dei circumire. Quo tempore Deus converſus reſpexit eum: ille verò ex timore ac pudore in ſudorem erupit. Cùm autem digito à fronte ſudorem abſterſiſſet, ſex illius guttæ extra Paradiſi ſeptæ decidere: ex quarum una roſa germinavit; ex altera oriza: & ex aliis, quatuor Mahumeti ſodales:* adeò delirant, & inſaniunt vel doctiſſimi Mahumetanorum.

Secundò. In libro اعلام الدي *de ſignis directionis*, cap. 3. ſect. 1. ita legimus: في كتاب دلايل النبوة حدثنا الحافظ باسناد ذكر عن ابراهيم ابن محمد بن طلحة قال: قال طلحة ابن عبد الله حضرت سوق بصري فاذا راهب في صومعته يقول سلوا اهل هذا الموسم افيهم من اهل الحرام. قال طلحة قلت نعم انا. قال هل ظهر احمد بعد: قال قلت ومن احمد قال ابن عبد الله بن عبد المطلب هذا شهر الذي يخرج فيه ومن الانبياء مخرجه من الحرام ومهاجره الى نجد ونجران &c. *In libro demonſtrationum prophetiæ, narravit nobis Alhaphedh in allegationibus ſuarum narrationum ex dicto Ebrahim filii Mobham-*

hammad filii Talhæ, dicens: Dixit Talha filius Abdallah: Ego interfui in foro Bosræ, vidique Monachum intra suum cœnobium, qui dixit: Interrogate hos negotiatores peregrinos, utrum sit inter eos aliquis Meccanus. Ego verò respondi (inquit Talha:) Ego sum Meccanus. Tunc Monachus ait: Apparuit nè adhuc Ahmed? Ego verò: Quis est, inquam, Ahmed? & ille: Filius est Abdallah filii Abdalmotalleb. Hic est Mensis, quo adventurus est in Mundum, & ipse erit ultimus Prophetarum. Egressus ejus erit è Mecca: & emigratio ejus erit in Naged, & Horrat, & Sebach. Pergit Talha dicens, se statim profectum fuisse in Meccam, & ibi reseviisse, jam apparuisse Mahumetum, & cœpisse prophetare, & nonnullos illi adhæsisse, ejusque doctrinam amplexos fuisse.

Erat Monachus hic procul dubio Christianus, quemadmodum alii Monachi, quos Mahumetani fingunt prædixisse, ac prænunciasse Prophetæ sui adventum: vel postquam advenerat, illum ut Prophetam agnovisse, ac secutos fuisse. Atqui, cùm inter Christianos, sive anteriores, sive posteriores Mahumeto, nulla unquam fuerit de eo talis notitia, qua crederetur mittendus, vel missus à Deo ad novam Religionem constituendam: imò nullus unquam de eo, antequam oriretur, cogitaverit, aut somniaverit: patet, omnia hæc, quę de Christianis Monachis referuntur, esse vel figmenta, ac mendacia, vel ludibria: quia scilicet per Magicas artes quidam de eo aliquid præfagiverint, aut divinaverint.

Tertiò. Profertur hux quędam prodigiosa, quam fabulantur Moslemi posìtam à Deo in vultu Adæ, ad omnes ejus nepotes per lineam Ismaelis translatam fuisse, tanquam perpetuum testimonium adventus Mahumeti, atque in eo tandem fixam constitisse. Longissimas de portentosa hac luce nugas Moslemi congerunt. Referam hìc præcipua, quæ

scripsit Mohammed Abul-Hasan, cognomẽto المجاري *Albocharius*, in Libro الانوار *Splendorum*, ex traditione Ebnol-Abbai filii Abdallah: Vaheb filii Mombah: Ebn-Abbas, & allorum inter Moslemos propè

divinæ auctoritatis:

لما اراد الله تعالى ان يخلق سيد ولد آدم واشرف الاولين والاخرين محمداً من امر لطائف الملائكة وهو جبرائيل ع م ان ياتيه بالطينة: فهبط جبرائيل وملائكة الصفيح الاعلى وجملت العرش فقبضوا قبضة تربة رسول الله من تربة نقية طاهرة فعرج بها الروح الامين فعجنها في عين الحلصبيل حتى بقيت كالدرة البيضاء وكانت تغمس في نهر من انهار الجنة وتعرض على الملائكة فتشرق انوارها فتستقبلها الملائكة بالتحية والاكرام وكان يطوف بها جبرائيل في صفوف الملائكة فاذا نظروا اليها قالوا الهنا وسيدنا ومولانا ان امرتنا بالسجود لهذا عرفت الملائكة فضلها قبل ان يخلق آدم ع م: فلما خلق آدم ع م في ظهره شبحاً كشبح الطير وتسبيحها وتقديسها فقال آدم يا رب ما هذا التسبيح فقيل يا آدم هذا تسبيح محمد العربي من حين

Prodrom. ad refut. Alcorani. Pars I.

الاولين والاخرين السعيد من الخلائق وتبعه والشقي من خالفه فقد يا آدم بعهدي ولا تودعنه الا في الاصلاب الطاهرة قال آدم سمعت وأطعت وقبلت العهد والميثاق ولا اودعه الا في الاصلاب الطاهرة من الرجال والارحام الزكية من النساء الطاهرات العفيفات الحافظات: فقال آدم يارب لقد زينتني بهذا المولود صرفاً وبهاء: قال ولما نزل نور النبي ص في عرة آدم كالقمر ودوران الفلك ان كالقمر في ليلة البدر فقد نار منه العوالم والارض والسماوات والعرش &c.

Cùm vellet Deus creare Mahumetum Dominum, & Principem Primorum, & Novissimorum, præcepit Gabrieli paxoni Angelorum, ut lutum sibi afferret. Descenditque Gabriel, & Angeli supremi ordinis; & portaverunt Thronum. Et acceperunt pugillum puliveris puri, & mundi ex loco, in quo sepeliendus erat Mahumetus. Ascenditque cum eo Gabriel, & lavit eum in fonte Salsabil, itaut remaneret sicut margarita candida: & lavabat se in aliquo ex fontibus Paradisi, & ostendebat se Angelis; & exhibabat ex se splendores: & salutabant eam Angeli, cum honore, & veneratione. Et cùm Gabriel circumferret eam per ordines Angelorum, ipsi illam aspicientes, dicebant: O Deus noster, & Domine, atque Here noster, si jubes, adorabimus eam. Et cognoverunt Angeli excellentiam ejus, antequam crearetur Adam. Cùmque hic creatus fuisset, sensit in humeris suis strepitum velut garritum avium laudantium, & sanctificantium Deum. Dixitque Adam: O Domine mi, quænam est hæc laudatio? cui respondit Deus: Hæc est laudatio Mahumeti Arabis, Domini Primorum, & Novissimorum. Beatus qui obedierit ei, & secutus fuerit eum: & infelix, qui adversatus fuerit ei. Accipe igitur, ò Adam, hoc, quod tibi concredo (nempe pulverem illum candidum) *cum patìo, ne deposites illud, nisi in lumbis puris. Respondit Adam: Audivi, & obediam, & promitto, me observaturum pactum tuum, non depositandi hoc, nisi in lumbis puris virorum, & in uteris mundis mulierum castissimarum: tibique gratias ago, quòd me hoc munere tàm splendido, ac nobili fœcundasti. Numquam igitur recessit lux Prophetæ Mahumeti à facie Adam, sed semper resplendut in ea sicut Sol, aut circulus Firmamenti, vel Luna plena: itaut resplenderent ex ea Cœlum, & Terra, & Thronus Dei, cum velaminibus ante ipsum oppansis.* Pergit Fabulator: Cùm Heva peperisset Seth, Gabriel posuit inter eam, & Diabolum velamen lucis adeò crassum, ut quingentorum annorum iter crassitudo illius occuparet, itaut non posset Diabolus intueri Seth, usque ad ætatem septem annorum. Et cùm vellet Adam eidem Seth legare pretiosum illud depositum lucis, obtinuit, ut id sibi liceret, facultatem à Deo: confectumque est de hoc Instrumentum coram testibus Michaele, & Gabriele, & sexaginta millibus Angelorum, qui propterea è Cœlo descenderant in terram. Signavit Gabriel anulo suo scripturam, eamque tradidit ipsi Seth: statimque apparuit lux illa, quæ fuerat in vultu Adam, in facie ejus, & radios suos usque ad Cœlum jaculabatur. A Seth translata est cum iisdem solemnitatibus ad Enos: & ab eo ad Cainan: & ita ab alio ad alium per propagationem

Digitized by Google

generationis usque ad Hasem Mahumeti progenitorem, qui vultus sui luce loca omnia, in quibus erat, replebat; & quacumque transiret, nullus erat lapis, aut gleba, à quibus his verbis non salutaretur: ابشر يا هاشم فانه ميظهر من ذريتك اكرام الخلق على الله تعالى وشرف العالمين: *Lætare, ô Hasem, quia apparebit ex generatione tua honoratissimus omnium creaturarum apud Deum Excelsum, & nobilissimus omnium seculorum.* Pervenit autem fama ejus ad Regem Æthiopię, & ad Imperatorem Romanorum: obtulerunt que ei filias suas in conjuges, ut lucem illam mirabilem hæreditario jure obtinerent. Cognoverant enim ex verbis Monachorum, & Sacerdotum suorum, lucem illam esse Mahumeti Legati Dei. At verò recusavit hoc Hasem; maluitque fœminam ex gente sua, quæ Salma vocabatur, accipere. Judæi autem Intelligentes ex Pentateuchi oraculis, Hasem esse illum, ex quo Mahumetus, qui ipsorum pernicies futurus esset, oriturus erat; cædem illi moliti sunt, adjutore Diabolo; sed eum magno eorum, & ipsius Diaboli malo illorum astus successit. Ubi verò Salma Hasemo nupsit, انتقل الدور الذي كان في وجهه الي سلما فزادت حسنا وجمالا ... وطلع حسن سلما الي جميع الافاق وكان اذا مشت ببلدتها الشهر والمدر والشجر بالتحية والاكرام وتمع قابلا يقول بن يمينها السلام عليك يا خيرة النسوان . فاذ نظرت حجاب من نور قد ضرب عليها من البيت الي السماء وحمس الله عنها الشيطان فولدت بوميد مبيتة وقامت من وقتها وسلمتها: *translata est lux, quæ erat in facie ejus ad illam, & aucta est pulchritudine, & decore: itaut pervenerit fama pulchritudinis ejus ad omnes fines terræ. Cùm ambularet, arbores, & glebæ, & lapides cum honore, & reverentia salutabant illam, dicentes: Pax super te, ô pulcherrima mulierum. Ecce autem vidit velamen factum ex luce positum super se, & pertingens usque ad Cœlum, quo Deus Satanam ab ipsa cohibuit: peperitque eadem die Sicoaibum: statimque à partu surrexit, & dimisit eam.* Refert deinde, quomodo lux illa transierit in Sicoaibum, cujus vultum triplici involucro pater contexit, ne splendor erumpens proderet illum Judæis. Nec tamen potuit eos latere: quamobrem conati sunt puerum occidere: sed Deus divinitùs illum ab eorum manibus liberavit. Demum lux illa ad Abdallah Mahumeti genitorem translata est, & ab eo in Amenam ejusdem Mahumeti matrem tanto cum splendore, ut palatia, ac turres Urbis illuminaret. Cùm autem tempus nativitatis Mahumeti pervenisset, misit Deus Gabrielem cum centum millibus Angelorum per omnes terrarum orbis regiones, quo universis mortalibus adventum illius annunciaret.

Hæc lux tàm magna adeò manifestàm facit vanitatem totius hujus narrationis, ut nulla necessaria sint argumenta ad illam impudentissimi mendacii convincendam. Fieri ne potest, ut res tàm nova, tàm prodigiosa, tàm admirabilis, ab Adam ad Mahumetum usque protracta, per spatium scilicet suprà quinque millium annorum; & quam Æthiopum Reges, & Romanorum Imperatores, ac totus propè terrarum orbis resciverit, nullum à sacris, vel profanis Scriptoribus, nisi à Mahumetanis testimonium habeat? Quis nisi amentissimus, ac stolidissimus credat lucem tàm claram, quæ per tot sæcula, & ætates perseveravit, homines omnes cæteros talpas fuisse, Mahumetanos solos lynceos oculos habuisse?

Quartò. Certissimæ fidei dogma est apud Moslemos, sub ortum Mahumeti Dæmones omnes ab orbibus Cœlestibus, in quibus ad furtim audiendum Angelorum, qui Divinas revelationes sibi mutuò communicabant, colloquia residebant, ejectos fuisse à Deo flammis, seu exhalationibus illis, quas Meteorologi sydera discurrentia, seu volantia, vel stellas cadentes juxta diversos earumdem motus appellant: quæ tunc primùm apparere, viderique cœperunt. De hujusmodi prodigio fit mentio in ipso Alcorano, Sura 72. quæ inscribitur الجن *Genii* §. 18. ubi Dæmones ipsi ita loquentes inducuntur: وانا لمسنا السما فوجدناها ملئت حرسا شديدا وشهبا وانا كنا نقعد منها مقاعد للسمع فمن يستمع الان يجد له شهابا رصدا. *Nos sanè tentavimus propiùs ad Cœlum accedere.* (Explicat Gelal. روما لتسترق السمع منها: *cupientes furtim audire ex illis revelationes Angelorum:*) *sed invenimus illud plenum custodia valida:* (Gelal. من الملائكة *Angelorum:*) *& flammis scintillantibus* (Gelal: لها وشهبا محرقة وذلك *stellis comburentibus:* & *hoc postquam missus est Propheta Mahumetus.*) *Et nos quidem sedebamus in quibusdam sedibus* (Gelal. قبل مبعثه: *ante missionem ejus*) *ut audiremus revelationes Angelorum. Sed nunc, qui tentat accedere ad audiendum, reperit ibi flammas custodes:* idest Angelos, qui evibrant in illum flammas. Et Sura 37. الصافات *Ordinatrices*, ita fingitur Deus loqui: انا زينا السما الدنيا بزينة الكواكب وحفظا من كل شيطان مارد لا يسمعون الي الملا الاعلى ويقذفون من كل جانب دحورا ولهم عذاب واصب الا من خطف الخطفة فاتبعه شهاب ثاقب. *Nos certè Stellarum ornamento Cœlum hoc decoravimus, quod Terræ imminet; & custodiam apposuimus ad arcendum ab eo omnem Satanam rebellem, ne audire fas sit illi Principes sublimes: undique enim flammis appetuntur, & in pœnam perpetuam incurrunt: excepto quòd semel unus ex ipsis furtim audivit, & raptim aliquid: sed statim insecutus est eum flamma penetrans.* Fuit hic, juxta Gelalem, omnium Dæmonum maximus. Addit Jahias filius Salam in expositione horum verborum, se audivisse à quodam Abdalsamed, quod ipse audivisset à quodam Dæmone nomine Aburagia hæc verba: قبل ان يبعث النبي ما نري نجوما يرمي فيبتدا نحن ذات ليلة اذا النجوم قد يرمي بها قلنا ما هذا الامر قد حدث فجاءنا ان النبي ع م بعث:

Alte-

Digitized by Google

Antequam mitteretur Propheta Mahumetus, nos non videbamus ſtellas ullas evibrari. Verùm dum nocte quadam ſimul eſſemus, ecce ſtellæ cæperunt evibrari. Tunc diximus: Quid eſt hoc? certè hæc res de novo accidit, eodemque tempore audivimus, jam miſſum fuiſſe Prophetam Mahumetum. Addit Albocarius part. 6. Dæmonem quemdam dixiſſe Zarkæ Reginæ Arabiæ Felicis, quæ erat famoſiſſima præſtigiatrix.

لقد كنا نصعد الي الحوان الجميع
ونسترق السمع الي ان بعث المسيح ابن مريم فطردنا
من اربع حوان فلما كان في هذه الايام طردنا من الحوان
كلها ومعنا مناديا ينادي في الحوان العلي ان آلله
عز وجل يريد ان يظهر رسوله وحبيبه ليكسر
الاصنام ويظهر عبادة الرحمن.

Olim nos per ſeptem Cœlos omnes aſcendebamus: & furtim audiebamus divinas revelationes, donec miſſus eſt Chriſtus filius Mariæ: tunc verò è quatuor Cœlis ejecti ſumus. Verùm his diebus ex omnibus Cœlis expulſi ſumus: vocemque ex altiſſimo Cœlo hanc audivimus: Deus Potens, & Glorioſus vult manifeſtare Legatum ſuum, & Dilectum ſuum, ut confringat Idola, & Miſeratoris cultum edoceat.

Mira eſt eraſſities, & hebetudo Mahumeti, & Mahumetanorum, dum credunt, Angelos unius Cœli ſuperioris communicare, ſeu revelare divina mandata Angelis Cœli inferioris per voces corporeas, quas Dæmones in iiſdem Cœlis latitantes furtim poſſint audire. Ut enim Angeli ſunt ſubſtantiæ ſpirituales, ita ſpirituáliter operantur, & inter ſe loquuntur non per voces externas, ſed per actus voluntatis, & intellectus. Ut verò concedamus Mahumetanis id, quod ipſi putant, Angelos aliquam tenuiſſimam ex igne corporeitatem habere, ac propterea materialibus vocibus uti: cùm ab uno Cœlo ad aliud infinita ſit quodammodo diſtantia, vix credi poteſt, vocem Angeli ſuperioris Cœli ad Angelum inferioris poſſe pervenire; niſi fortè ille ad hunc deſcendat, propiuſque illum in aurem alloquatur; quo pacto Dæmones remotiores non poſſent eorum voces audire. Verùm quidquid ſit de hoc: quis riſum teneat, dum audit, exhalationes illas, quas per aerem ſæpè diſcurrere videmus, & ſydera volantia, vel ſtellas cadentes appellamus, tunc primùm apparere cœpiſſe, cùm Mahumetus advenit: & tunc à Deo creatas fuiſſe, ut iiſdem Angeli Dæmonas invaderent, atque ex ordinibus Cœleſtibus, in quibus reſidebant, exturbarent. Ahmedus filius Abdal-halimi in ſua apologia pagina mihi 353. ad aſſerendam figmenti hujus veritatem, ita paralogizat. Mahumetus legebat hæc, quæ in Alcorano continentur, coram multis hominibus, nulluſque ea negabat, nec in controverſiam vocabat. Quòd ſi antea vidiſſent ſydera illa per Cœlum diſcurrere, manifeſti mendacii convincere illum potuiſſent; & id tantò libentiùs feciſſent, quantò illi inſenſiores erant, eumque ut falſum Prophetam exiſtimabant. Sed facilè reſpondetur, vel falſum eſſe, quòd Mahumetus hæc legeret Meccanis, vel aliis: vel hinc argui poſſe, quàm craſſi, & rudes eſſent illi, quibus hæc legebat, qui tamen fortaſſè ob timorem non audebant Mahumeto contradicere in iis, quæ manifeſtè falſa eſſe cognoſcebant. Cæterùm quòd flammæ illæ volantes, tàm ante Mahumetum, quàm poſt Mahumetum ſemper eodem modo in aere apparuerint, certiſſimum eſt apud omnes mortales: nec niſi ſtultiſſimus, & ignariſſimus poteſt de hoc dubitare. Quamobrem Virgilius lib. 1. Georgicon cecinit:

Sæpè etiam ſtellas, vento impendente, videbis
Præcipites Cœlo labi, noctisque per umbras
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.

Et Ariſtoteles Meteor. lib. 1. cap. 4. & 5. fuſè diſſerit de hujuſmodi ſtellis volantibus, tamquam de re frequenti, communi, & omnibus nota. Neque Ahmedus ipſe auſus eſt negare, etiam ante Mahumeti adventum viſas fuiſſe hujuſmodi exhalationes: ita enim ſcribit:

و قد ظن بعض الناس ان الشهب
يكن يرمى بها قبل ذلك الحال. والصواب انه كان
الرمى بها كما هو الان احيانا كما ثبت في صحيح
مسلم.

Porrò opinati ſunt nonnulli, has flammas nunquam ante hoc tempus viſas fuiſſe. Sed verius eſt, anteà etiam aliquando apparuiſſe, eo modo, quo nunc videmus: quemadmodum aſſeritur in Sahibo Moslemi.

Certiſſimum eſt præterea, flammas prædictas in orbibus cœleſtibus non gigni, quemadmodum Ahmedus ipſe fatetur: ſed in ſecunda aeris regione, remotiſſimè ab infimo Cœlo, ad quod, certum eſt, eas non poſſe pertingere; imò plerumque non ſurſum, ſed obliquè, & in tranſverſum moventur; & aliquando etiam deorſum feruntur, ut aſſerit Ariſtoteles loco citato his verbis: *Aut in ſublime feruntur, vel ad latus: ſed ferè ad latus, quòd duobus motibus, vi deorſum, natura ſurſum feratur: omnia enim talia per diametrum ferri ſolent. Itaque Stellarum, quæ trajiciuntur, motus, inflexus & obliquus ferè exiſtit.* Quomodo ergo ſine riſu audiri poteſt hæc meteora invehi ſurſum ad feriendos, ac depellendos Dæmonas, qui in orbibus cœleſtibus, & ab aere, & inter ſe longiſſimè diſſitis reſident, ne Angelorum colloquia poſſint audire? Hùc accedit, flammam illam, utpote corpoream nullam actionem habere poſſe in Dæmonas, qui ſunt ſubſtantiæ ſpirituales. Quòd ſi etiam corporeitatem aliquam cum Moslemis illis tribueremus, cùm tamen exhalatio illa ſit tenuiſſima, ſtatimque evaneſcat, non videtur aliquam vim habere poſſe ad illos comburendos, quemadmodum falsò exiſtimavit celeberrimus inter Moslemos Ebn-abbas, qui ut refert Jahias in expoſitione Suræ 37.

Alcorani dixit Auditoribus ſuis:

اذا رايتم الكوكب
قد رمى به فتورى فانه يحرق ما اصاب ولا يقتل.

Cùm videritis ſtellas in Cœlo evibrari, ſtatimque evaneſcere: ſcitote, eas ſolùm comburere eum, quem feriunt, non tamen occidere.

Puto hoc totum figmentum inde ortum habuiſſe, quòd Deus, ut habetur in Geneſi cap. 3. ejectis è Paradiſo Protoplaſtis, *collocaverit ad ingreſſum illius Cherubim, cum gladio flammeo, atque verſatili, ad cuſtodiendam viam ligni Vitæ.* Putant enim Mahumetani, Paradiſum non in terra, ſed in Cœlo fuiſſe.

Quintò. Albocarius in libro de Splendoribus: Auctor lib. de ſignis directionis, & alii Moslemi, qui de Mahumeti rebus ſcripſere, referunt duo de eodem

Digitized by Google

Mahumeto vaticinia, seu testimonia. Alterum Satihi Principis Gosani in Syria: alterum Zarkæ Reginæ Jemanis, seu Arabiæ Felicis. Tàm verò ille, quàm hæc, divinandi atque ariolandi arte excellebat, præstigiisque ad hoc dæmoniacis utebatur. De Satiho, qui verò nomine Rabia filius Mazen dicebatur, ita scribit Albocarius:

فاما مطيع فان اللـــه
بعثه خلقه قطعة لحم بلا قصب ولا عظم ولا عصب سوي جمجمة وكان يطوي كما الثوب من اسفله الي الترقي ثم ينشر بالنهار كما ينشر الثوب ثم
يطوي بالليل ويجعل على وضعه كما يجعل اللحم
على وضع القصاب. لا ينام الليل الا يسيرا يقلب
طرفه الي السما ويتطر الي النجوم الزاهرات في الافلاك
الدايرات والعروق اللامعات يجعل على وضعه
الي الامصار ويرفع الي الملوك في نواحي الاقطار
يصلونه عن غوامض الاخبار

Porrò hunc Satihum creaverat Deus gloriosus unum fruſtum carnis, ſine fiſtulis, ſine oſſibus, & ſine nervis, excepto cranio. Et plicabatur velut veſtis, ab imo uſque ad claviculas gutturis. Deinde explicabatur, atque extendebatur in die, ſicut explicatur veſtis. Deinde iterum plicabatur noctu, & ponebatur ſuper ſtoream ſuam, ſicut ponitur caro ſuper ſtoream lanionis. Non dormiebat noctu, niſi parum, converſo ſemper obtutu ad Cœlum, ut inſpiceret ſplendorem ſtellarum, & revolutionem orbium Cœleſtium, & fulgetra micantia. Portabatur ſuper floream ſuam per varias regiones ad Reges, uſque ad extremas partes terræ: & interrogabant eum de rebus occultis, maximèque reconditis. Pergit Mythologus referre, quomodo nocte quadam Satihus magnam ſtellarum agitationem cum flammis fumoque præter morem aſpexerit; tandemque ſtellas omnes cadere, obſcurarique viderit. Intellexit hoc ſignum eſſe adventus Mahumeti. Verùm cùm aliquantulum hæreret, ſcripſit ad Zarkam Reginam Jemanis iam præſtigiis ac magiis peritiſſimam, quæ hujuſmodi artibus Arabiæ Felicis Regnum occupaverat. De hac ita ſcribit Auctor (libet enim quædam magis Ἀκριβῶς, Auctorum Moslemorum verbis ipſis afferre, ne quis fortè à me conficta fuiſſe ſuſpicetur): وكانت
جادة النظر بعيدة الحضر تنظر من مصيرة ثلاثة ايام
كما ينظر الانسان الذي بين يديـــــــه.

Erat acutiſſima viſu, quamvis longè præſentia diſtaret: itaut res ſpatio itineris trium dierum remotas, tamquam præſentes intueretur. Reſpondit igitur Satiho, omnia illa, quæ videret, vera ac certa eſſe adventus Mahumeti præſagia. Tunc ille ſeſe ad Meccam, ubi Mahumetus proditurus erat, deferendum curavit: ubi cùm Abutalleb Mahumeti patruum, & Abd-allah ejuſdem Mahumeti patrem reperiſſet, plura illis de eo prædixit; atque his verbis omnia concluſit:

اسمه في السماء احمد وفي الارض محمد وفي الجنة ابو
القاسم. *Nomen ejus notum eſt in Pentateucho, & Euangelio. In Cœlo nomen eius eſt Ahmad; in terra Mohammad; in Paradiſo Abul-Ceſem.* Poſtea multa vaticinatus eſt de Aly, qui Mahumeti gener futurus erat: inter quæ, hæc notatu digna ſunt:
يكون لمحمد وزيرا وصدما بعد موته اميرا واسمه
في التورات بريّ وفي الانجيل ايّا وعند قومه عليّا.

Erit Mahumeto conſiliarus; & vocabitur poſt mortem ejus ſummus Imperator. Nomen ejus in Pentateucho eſt Bary (1. Purus): *in Euangelio Addy* (1. Victor): *ſed à gente ſua vocabitur Aly* (1. Excelſus): deinde præcepit Satihus, ut matres omnes ad ſe adducerentur, inter quas Mahumeti matrem digito voceque commonſtravit; habebat enim familiarem Dæmonem ex iis, qui eo tempore in orbibus cœleſtibus reſidebant, divinaſque revelationes furtivis auribus excipiebant; atque hic eidem univerſa revelabat. Mox Zarka quoque Regina Meccam advenit, & ea, quæ Satihus de Mahumeto & Aly prædixerat, confirmavit: tentavitque Mahumeti matrem per Tacannam ejus famulam occidere. Verùm cùm Tacanna facinus aggrederetur, ſubita morte extincta eſt: quamobrem Zarka ſpe ſua fruſtrata ſuſugit. Satihus quoque in Syriam regreſſus eſt, ibique uſque ad Mahumeti mortem moram fecit. Eodem tempore Simulacra omnia Idolorum prono ore in terram ceciderunt. Decrevit aqua lacus Sabah, & exundavit Torrens Samavah. Perſarum ignes ſacri extincti ſunt, & Coſroæ Regia per medium diſrupta eſt, & quatuor illius turres corruere. Quibus monſtris perterritus Coſroes, Auctore Muabedano, ſeu Summo Sacrorum Principe, miſit ad Noamanum filium Mondari (erat hic Rex Arabum, & Chriſtianus) ut eum de his, quæ evenerant, interrogaret. Noamanus verò miſit ad Coſroen Abdalmeſihum nepotem Satihi, qui ab avunculo ſuo inſtructus, ſignificavit Coſroæ prodigia illa, quæ evenerant, nihil aliud, quàm novi Prophetæ, Mahumeti ſcilicet, adventum ſignificare.

Gratulamur Moslemis, Magos, ac Præſtigiatores Prophetam ipſorum prænuncios habuiſſe: neque tamen hujuſmodi nugas, ac fabulas illis probamus. Detrahunt enim omnibus fidem portentoſa illa Satihi figura, & prodigioſum illud Zarkæ oculorum acumen: multòque magis impudentiſſimum utriuſque mendacium, quo nomina Mahumeti, & Aly, in Pentateucho, & Euangelio reperiri aſſeruerunt.

Sextò. Auctor libri de Signis directionis cap. 2. affert id, quod tradidit Aly filius Abrahim filii Haſem, qui id audierat à patre ſuo, & ipſe à patruo ſuo acceperat: fuiſſe ſcilicet in Mecca Judæum quemdam nomine Joſeph, qui ea nocte, qua natus eſt Mahumetus, vidit ſtellas agitari, ac ſeſe mutuò collidere. Quo viſo dixit: هذا نبي قـــد ولد في هذه
الليلة لانا نجد في كتبنا انه اذا ولـد احد الانبيـاء
رجمت الشياطين وحجبوا عن المعـــــاء.

Hic eſt Propheta, qui natus eſt hac nocte. Nos enim invenimus in libris noſtris, quòd cùm ortus fuerit ulli-

ultimus Prophetarum; lapidabuntur Dæmones, & arcebuntur ab aspectu Cœli. Mane autem facto curavit ostendi sibi puerum ea nocte natum: ejusque oculos attentè contemplatus, humeros illius detexit, viditque inter eos signum quoddam obscurum veluti nævum pilis obsitum. Id cùm vidisset, statim velut exanimatus corruit, quod Meccani cernentes, cachinnari cœperunt. At Joseph severiori vultu indutus dixit illis: أتضحكون يا معشر قريش . هذا نبي السيف ليبيّرنكم و ذهبت النبوة عن بني اسرا ييل وهذا اخر لا بدّ وتفرق الناس . *Ridetisne ò Coraisitæ? hic est Propheta gladii, qui vos dispersurus, atque ad extremam perniciem adacturus est. Jam discessit prophetia à filiis Israel: & hic procul dubio est ultimus Prophetarum. Illi autem divisim discessere.*

Non est, quòd multum laboremus in hujus narrationis falsitate demonstranda. Satis enim est, si universi, qui in orbe terrarum sunt, Judæi interrogentur, utrum in libris suis, præsertim Sacris (nam hi soli intelliguntur in Alcorano nomine librorum) habeant hodie, vel unquam anteà habuerint hujusmodi prædictiones: & utrum putent, prophetiam defecisse ab ipsis, quando natus est Mahumetus, an verò sexcentis ferè annis anteà, quando scilicet natus est Christus. Nihil dico de figmento expulsionis Dæmonum ab orbibus cœlestibus: satis enim suprà de eo dictum est.

Septimò. Idem Auctor cum aliis refert testimonium cujusdam Salmanis Persæ, qui varias regiones circuivit, pluresque sapientes consuluit ينتظر قيام سيد الاولين والاخرين محمد ص اربعماية سنة *expectans adventum Mahumeti Domini Primorum, & Novissimorum per spatium quadringentorum annorum.* Cùm autem à Monacho Christiano audisset, illum in Mecca esse oriturum; & à quibusdam Judæis jam ortum esse cognovisset; profectus est ad eum, obtulitque ei calathum dactylis plenum: deinde, inquit Auctor: دار خلفه فالقي رسول الله عن كتفه الازار فنظر سلمان الي خاتم النبوة والشامة فاقبل يقبّلها فاسلم . *circuivit post tergum ejus: rejecitque Mahumetus ab humeris suis vestem, qua erat indutus; & vidit Salman sigillum prophetiæ, quod erat nævus niger: & accedens osculatus est illud, & amplexus est sectam illius.*

Mendacium hoc, non veram historiam esse, dubitari non potest. Si enim pro fabula omnes habent; Nestorem trecentos annos vixisse: quantò magis fabulosum censendum erit, quòd Salman quadringentos vitæ annos expleverit ea in ætate, qua hominum vita nonnisi rarò sæculum unum paucis annis excedebat?

Octavò. Scribit idem Auctor, Tobbam Regem Arabiæ Felicis prædixisse Mahumeti adventum his verbis: سيخرج من هذه مدينة يعني مكة نبي مهاجره الي يثرب . *Egredietur ab hac Urbe, nempe Mecca Propheta, qui emigrabit in Jathreb,* seu Medinam. Et addit, Tobbam hunc misisse plures suæ gentis, ut habitarent cum Judæis in Medina, quò Mahumetum adjuvarent, quando illùc esset emigraturus: & prætereà dixisse: شهدت على احمد انه رسول من الله بارئ النسم. فلو مدّ عمري الي عمره لكنتُ وزيرًا له وابن عمّ. وكنتُ عذابًا على المشركين واسقيهم كاسَ خوف وغمّ. *Testificor de Ahmad* (idest Mahumeto,) *quòd ipse erit Legatus Dei Creatoris Spirituum. Quòd si extendatur vita mea ad ætatem illius: ero sanè Consiliarius, & tamquam nepos illius: & afficiam pœnis Idololatras: & potabo eos calice timoris, & afflictionis.*

Reges omnes Arabiæ Felicis censebantur nomine تبّع *Tobba.* Quamobrem adducitur hìc pro teste individuum vagum, quòd nullam fidem facere potest. Ego tamen suspicor, hìc innui ab Auctore Abucarbum, Asaedum, qui appellatus fuit Tobba Justus, fuitque trigesimus secundus Rex Arabiæ Felicis. Et amplexus est cum gente sua Judaismum. Verùm si hic prophetico spiritu pollebat, vel aliquid noverat de eo, quod ex libris suis finguntur novisse Judæi: nempe Mahumetum fore pestem, ac perniciem Judæorum, eosque omnes ex Arabia igni, ferroque exterminaturum; neque debuit Judaismum amplecti, neque suis præcipere, ut Medinam emigrantes, cum Judæis commercium inirent.

Nonò. Refert Abu-bacar Ahmedus filius Alhasanis Bihakiensis in libro Demonstrationibus prophetiæ: biennio post Mahumetum natum, Saiphum filium Du-jazenis, Regem Æthiopiæ dixisse Abdalmotallebo avo Mahumeti, qui ipsum inviserat: اذا وُلد بتهامة غلام بين كتفيه شامةٌ كانت له الامامة ولكم به الزعامة الي يوم القيامة. هذا حينه الذي وُلد فيه اسمه محمد يموت ابوه و امّه ويكفله جدّه وعمّه و قد وُلد سرارًا والله باعثه جهارًا وجاعل له منّا انصارًا. وانّك يا عبد المطلب لجدّه بغير الكذب. فانّي اجد في الكتاب الناطق والعلم السابق ان اليثرب دار ملكه فيها استحكام امره وموضع قبره *Cùm nascetur in Mecca puer, inter cujus scapulas sit nævus niger: hic rerum imperium obtinebit; & vos per eum principatum obtinebitis usque ad diem Resurrectionis. Hic est punctus temporis, in quo natus est. Nomen ejus erit Mohammad: morietur pater ejus, & mater ejus: & in tutelam suscipiet eum avus ejus, & patruus*

Digitized by Google

ejus. Natus est occultè; sed Deus mittet eum manifestè, & dabit ei ex nobis adjutores. Et tu quidem, ò Abdalmotallebe, es procul dubio avus ejus. Ego verò invenio in libro loquente, & in scientia præcedente, quòd Medina erit sedes Regni ejus: in ea erit firmamentum imperii ejus, & locus sepulturæ ejus. Hoc ubi audisset Abdalmotallebus, confessus est Regi id, quod jam evenerat domi suæ circa Mahumeti nativitatem. Rex verò confirmavit ei, hunc esse puerum illum, de quo locutus fuerat: monuitque, ut eum à Judæis custodiret, quippe hostes illius infensissimi futuri erant.

Dubitari non potest, hæc omnia fictitia esse, & chimerica. Primò enim dixerat Saiphus, se ea, quæ Abdalmotallebo manifestabat, invenisse, في الكتاب المكنون والعلم المخزون الذى اختزناه لانفسهما واخبروناه دون غيرنا *in libro occulto, & in scientia recondita, quam elegerant sibi, & aliis manifestaverant*: deinde vocat librum illum الناطق: *loquentem*: & scientiam illam السابق *præcedentem*. Porrò liber loquens non potest esse occultus: & scientia præcedens non potest esse abscondita. Omitto alias ineptias, in quibus refutandis frustrà tempus, & operam insumerem.

Decimò. Celeberrimum, ac vulgatissimum est apud Scriptores Moslemos, atque etiam apud Christianos Auctores non ignotum id, quod evenit inter Mahumetum, & Bahiram Monachum Christianum, (quamvis Abulhofeinus Ahmedus filius Farefi asserat fuisse Judæum) in Syria, quò Mahumetus adhuc duodennis, vel, ut alii scribunt, vigintiquinque annos natus profectus erat cum mercatoribus Meccanis. Hanc historiam, seu veriùs fabulam his verbis à me fideliter ex Arabico translatis refert Albacarius in lib. الانوار *de Splendoribus*: *Pervenerunt* (Meccani mercatores cum Mahumeto) ad locum, in quo cœnobium erat Monachis refertum, inter quos unus erat, à cujus sententia, & imperio cæteri in rebus suis dependebant. Hic, Felix vocabatur, filius Jonæ filii Abdalfalibi; cognomen autem ejus erat Bahiras. Jam legerat libros Prophetarum, habebatque apud se librum Testamenti Jesu filii Mariæ, in quo erant epitheta Prophetæ Mahumeti. Quando verò Monachis Euangelium legebat, & ad hujusmodi epitheta perveniebat, ajebat cum fletu: O filii mei, quandonam annunciabitis mihi adventum Fausti Prædicatoris, quem Deus mittet à Mecca, gloria coronatum, nube adumbratum, qui orabit pro transgressoribus in die Resurrectionis? Diù in hoc Monachus perseveravit: quamobrem cæteri Monachi dixerunt ei: O Pater noster jam te fletibus ac mœrore enecasti causa hujus, quem tu commemoras: & fortasse prope est jam tempus adventus ejus. Respondit ille: Ita sanè: jam enim in Templo, quod Abraham construxit, apparuit: & Religio ejus apud Deum est Eslam. Verùm quandonam annunciabitis mihi profectionem ejus à regione Meccæ, cùm super eum nubes umbram effundet? Tunc cœpit ita canere: Si posset oculus meus pulchritudinem amoris mei intueri, dilargirer hominibus quidquid possidet manus mea, & quidquid possidet Spiritus meus; divitias, & omnia alia bona mea: & hoc totum, parum esset præ amore meo in Ahmedum. Oravi Deum meum, ut concedat mihi propinquitatem ejus, & ut conjungat me cum prophetis Mahumeto. Nec cessabat Monachus, quoties Dilecti mentionem faceret, gemitus ac fletus multiplicare; quamobrem caligaverunt oculi ejus, & crevit solicitudo, & anxietas de illo. Haud multò post prosperexerunt è fenestris quidam Monachi; jamque coruscabant lumina è fronte Electi (Mahumeti) & mercatorum caterva veniebat è regione deserti; & lux splendebat, & in sublime elevabatur. Præcedebat catervam Dominus gentium (Mahumetus), super cujus caput nubes umbram effundebat. Id cùm Monachi animadvertissent, dixerunt Bahiræ: O pater noster, jam appropinquat mercatorum caterva adveniens è Mecca. At ille: O filii mei, inquit, & quoties hæc advenit? defecerunt jam oculi mei. Illi verò dixerunt: Nos lucem intuemur, quæ sese in altum extollit. Lucemne, inquit ille, intuemini? Jam discessit infelicitas, & cessavit calamitas. Deinde extulit caput in Cœlum, & ait: Deus meus, nihil mihi prodest hic Dilectus, in quo tantum crevit solicitudo mea, nisi mihi oculorum lucem restituas. Vix ita loquutus fuerat, cùm Deus illi visum restituit. Deinde dixit: O filii mei, si hic est Propheta, qui cum hac mercatorum caterva mittendus erat, assidebit sub arbore illa, quam videtis: & arbor revirescet, & proferet fructum. Et jam quidem resedit sub illa magnus Prophetarum numerus: & à tempore Jesu filii Mariæ arefacta est, nec unquam amplius reviruit. Et ex hoc puteo, in quo ex longo jam tempore aqua non fuit, emanabit nunc aqua, & ipse bibet ex ea. Haud multò post pervenit caterva mercatorum, & constitit circa Monasterium, ubique sarcinas camelorum deposuit. Mahumetus, utpote solitudinis amans, sub illam arborem sese recepit, quæ statim reviruit, ac fructus produxit. Deinde ad puteum perrexit: cùmque in illum expuisset, aquæ copiosissimæ inde emanavere. Id cùm Bahiras vidisset, dixit cæteris monachis: Hic est, filii mei, ille, quem desiderabam. Properate, parate convivium, quantum fieri possit opiparum, ut honoremur per Dominum filiorum Hasemi: ipse enim est Dominus omnium hominum, & Dæmonum: & ab eo privilegium pro omnibus Monachis obtinebimus. Pergit fabulator referre, quomodo Monachi lautissimum convivium paravere: deinde Bahiræ jussu, caterva mercatoriæ principem invitavere. Mens autem Bahiræ erat, ut Mahumetum invitarent. Sed cùm Monachi Abugehelum omnibus corpore præstantiorem, & speciosiorem vidissent, illum invitavere. Abugehelus ob hoc tumefactus, Mahumetum ad custodiam sarcinarum reliquit, ipse verò cum cæteris ad cœnobium, & convivium cum fastu præcedens perrexit. Ubi verò accubuerunt, vescique cœperunt, Bahiras librum manu tenens, partim in illum, partim in convivas oculos defigebat. Sed cùm singulos attentiùs observaret, nullum adesse videbat, cui ea, quæ in libro scripta erant, congruerent. Quamobrem convivas interrogavit, utrum aliquis ex eorum caterva abesset. Respondit Abugehelus, remansisse puerum quemdam ad custodiendas sarcinas quarundam mulierum Meccanarum. Tunc indignatus Hamza, qui simul discumbebat, quòd Abugehelus tàm abjectè de Mahumeto loqueretur, parum abfuit, quin illum occideret. Deinde rogavit Bahiram, ut ipsi librum illum, quem manibus tenebat, ostenderet, & ea, quæ in eo continebantur, exponeret. Respondit Bahiras: In hoc libro sunt hæc, & hæc epitheta cujusdam Prophetæ Dei. His auditis dixit Abbasius, qui etiam erat inter convivas Bahiræ:

O Mo-

O Monache, si eum videres, agnoscerès ne illum? Utique, inquit Bahiras. Tunc Abbasus: Perge sub illam arborem, ibi enim est ille, cui hæc epitheta conveniunt. Egressus itaque cœnobio Bahiras, cucurrit eò, ubi erat Mahumetus; qui videns eum venientem, tetendit in occursum ejus; humiliterque eum salutavit, dicens: Fausté advenerìs, ò Felix. Respondit ille: Salve ò Pater puerorum. Et Mahumetus: Tu quoque salve ò Magister Monachorum, qui admonitus es à Deo de missione mea in novissimis temporibus ad res mirabiles patrandas. Tunc Bahiras pronus procidit in terram, & cœpit exosculari pedes ejus, & supplex precatus est, ut veniret ad convivium. Ille verò se excusavit, eò quòd relictus esset ad custodiam sarcinarum. Sed cùm Bahiras se vadem pro sarcinis obtulisset, profectus est cum eo ad convivium. Habebat autem cœnobium duas portas: alteram angustam, alteram ampliorem. Intra angustam facellum visebatur, in quo erant imagines quædam depictæ, & simulacra sculpta. Cùmque aliquis per portam ingrederetur, flectebat caput, ut figuras illas adoraret. Per hanc portam introduxit Bahiras Mahumetum: sed volente Deo, columnæ illius longiores factæ sunt, & porta ipsa latior, & amplior apparuit: & per eam iutravit Mahumetus erecto corpore, nec sese vel tantillum inflexit. Ubi verò ad convivii locum pervenit, omnes honoris ergò illi assurrexere, & in medio ipsorum sublimiori in sede collocaverunt. Bahiras verò, circumstantibus Monachis, constitit ante eum. Hic verò misit Deus Gabrielem, qui vestimenta à dorso Mahumeti elevans, scapulas ejus denudavit, itaut inter illas apparuerit sigillum prophetiæ, ex quo clarissima lux emicabat. Id cernens Bahiras, timore correptus, procidit in terram, illudque adoravit. Deinde elevato capite dixit ei: Tu es, tu es verè expectatus. Postèà redeuntibus reliquis ad sarcinas, soli remansere Bahiras, Mahumetus, & servus Chadigæ, nomine Meisera. Dixit que Bahiras Mahumeto: Gaude Domine mi, nam Deus humiliabit tibi cervices hominum, & omnes regiones obtinebis: & super te descendet Alcoranus, & judicio tuo omnes subjicientur. Cùmque alia plura illi prædixisset, addidit: Rogo te, Domine mi, ut mihi eleemosynæ loco privilegium concedas pro universis Monachis, quo imperes, ne tua gens eo tempore accipiat ab eis tributum. Id libenter concessit Mahumetus Bahiræ, qui deinde dixit servo Chadigæ: O Meisera, salutem plurimam impertire Dominæ tuæ, & certiorem fac eam, quòd ipsa acquisivit gratiam Domini omnium creaturarum: & tandem præcepit ei, ut caveret Mahumeto à Judæis hostibus ejus, dum moram traheret in Syria, donec in Meccam reverteretur.

Hoc ferè totum refert Mohammedus filius Haac filii Jaser: sed asserit contigisse anno ætatis Mahumeti duodecimo, cùm duxit eum secum Abutallebus patruus ejus in Syriam. Ejusdem sententiæ est Aly filius Hoseini Masaudiensis, qui etiam addit, Bahiram in libris Christianorum Sergium appellari. Gennabius celebris inter Mahumetanos Auctor, scribit, non solùm Bahiram, sed etiam duos alios Monachos, quorum alter بصطور *Nestorius*: alter مدلس *Addas* appellabatur, Mahumeto testimonium perhibuisse. Masaudius etiam, pro Bahira ponit Nestorium, fortasse, quia, ut scribit Georgius Monachus Arabs, fuit Nestorianus, & errores suos Mahumetum, adhuc idololatram edocuit. Quidam volunt diversam fuisse profectionem Mahumeti duodennis, vel, juxta Gregorium Abulpharegum, novennis in Syriam cum Abutaleb patruo suo: & cum in eandem venit, jam viginti quinque annos natus eum Meisera ad negotia Chadigę curanda. Abunazar in unam confundit utramque profectionem, vel facit unam tantùm, in qua hoc evenisse narrat. *Die quadam egressus Mahumetus cum Abubacro, & Meisera, perrexit, ut videret festivam quamdam Judæorum Panegyrim. Et ingressus Synagogam, convertit oculos ad lampadas quasdam catenis appensas, & statim catenæ omnes disrupte sunt. Proptered timore correpti Judæi, dixerunt Sapientibus suis: Quodnam est hoc signum? at illi respondérunt:* انّا وجدنا في التورية انّه ياتي في اخر الزمان نبي اسمه محمد وانّه اذا حضر في عيد اليهود يظهر في هذه العلامة فلعلّه قد حضر اليوم فاطلبوه فقالوا لو وجدناه لقتلناه: *Nos invenimus in Pentatеucho, quòd veniet in ultimis temporibus quidam propheta, nomine Mahumetus, qui cùm intererit festivitati Judæorum, manifestabitur per hoc signum: & fortè hic adest hodie: quamobrem perquirite eum. At illi dixerunt: Si invenerimus eum, profectò occidemus eum.*

Sunt ex Nostris, qui negent, vel in dubium revocent hanc profectionem Mahumeti in Syriam; inter quos est Erpenius Orat. de lingua Arabica: credo, quia tantam Mahumetanorum Scriptorum varietatem, & incoustantiam in ea referenda invenerunt: ego verò neque illam negare ausim: neque renuerim credere, fuisse Bahiram illum Monachum Nestorianum, & cum Mahumeto commercium habuisse; vel aliquid utrique commune fuisse. Non tamen puto, illum esse eumdem ac Sergium Monachum, quemadmodum censet Ismael filius Aly: quamvis & hic magnus Mahumeti adjutor fuisse communiter existimetur. Et licet gravissimorum Auctorum ferat opinio, Bahiram, Nestorianum, vel Jacobitam fuisse; & unà cum Sergio, aliisque sceleștis Sycophantis partim Judæis, partim Christianis, & præsertim Arianis, teste Sancto Joanne Damasceno, in Alcorano confarciminando Mahumeto adjutorem fuisse: nihil tamen vetat, quin Sanctus aliquis Monachus (quicumque tandemille fuerit) futuri Imperii magnitudinem & victoriarum felicitatem Mahumeto per prophetiæ spiritum prædixerit: quemadmodum Jeroboamo homini impiissimo Israeliticum Regnum prædixit Propheta Dei Abias Silonites lib. 3. Reg. cap. 12. atque illud pro Monachis privilegium verè obtinuit, sicut ab eodem Mahumeto Monachi Sanctę Catharinæ Montis Synai obtinuisse feruntur, ex quibus unus Imperium illi, & futuram magnitudinem dicitur prædixisse: & fortasse fuit Monasterium illud Bahirę hoc ipsum Sanctæ Catharinæ. Hoc, ut puto, dedit ansam toti fabulæ hactenus expositæ circa Mahumetum, & Bahiram. Illud nimirum usu venit, ut supra rei alicujus veræ fundamentum plurima figmenta, & mendacia construantur. Porrò quando in hac historia nihil aliud esset, quod eam fabulosam, & mendaciis plenam probaret: satis esset illud, quod tàm fidenter asseritur, esse in Pentatеucho, & Euangelio epitheta illa, & oracula, quæ de Mahumeto referuntur, & præsertim hæc, quæ in Euangelio legit Hamzæ Bahiras: هذا مفرقيه صفة النبي ص لا بالطويل ولا بالقصير ولا بالاشقر ولا بالادعج ولا بالسبط ولا بالجعد ولا بالمطهم ولا بالمكلثم ولا بالبطين ولا بالمترادف ولا بالمتماسك ولا بالمتكاسل ولا بالمتهافت ولا بالمتماوت ولا بالمتخاذل ولا بالمتقاعس ولا بالمتباطئ ولا بالمتثاقل ولا بالمتكاسل ولا بالمتهافت ولا بالمتماوت ولا بالمتخاذل ولا بالمتقاعس ولا بالمتباطئ ولا بالمتثاقل

Digitized by Google

عامق و لا بالقصير لاصق معتدل القامة بين كثيفة علامة تظلّه العمامة يمعث من تؤامة شفيع العمامة يوم القيامة *In hoc libro sunt epitheta prophetæ à Deo benedicti: Statura ejus neque justo altior, neque humilior erit: sed habebit omnimodam proportionem. Signum inter humeros habebit: obumbrabit enim nubes: mittetur ab Urbe Mecca: intercedet pro transgressoribus in die Resurrectionis.* Hæccine sunt, vel fuere unquam in Euangelio? Et quis fidem ullam habeat tàm impudenter mentienti?

Undecimò. Refert idem Albacarius, Sacerdotem quemdam Judæorum, dum enm Chadige, quæ erat inter Meccanas nobilissima, & in ætatis flore maritum amiserat, familiariter versaretur, Mahumetum adhuc adolescentem, qui fortè inde transibat, advocasse, eique dixisse: يا فتى اكشف لي من بطنك *O adolescens denuda mihi corpus tuum.* Quod cùm ille feciffet, زبي الخبر خاتم النبوة فدهش لذلك *vidit Sacerdos sigillum prophetiæ, & attonitus hæsit.* Cùm autem videret Chadige id, quod Sacerdos faciebat, dixit ei: Si viderit te patruus ejus ita illum contrectantem, magnum procul dubio malum reportabis: fedulò enim illum à Judæis tuetur. Verùm Sacerdos sanctè juravit Chadigæ, nullum Mahumeto posse nocere: esse enim Prophetam illum, qui in novissimo tempore mittendus erat: & beatam fore fœminam illam, omniumque fœminarum felicissimam, quam ille sibi conjugio copulasset. Hæc Sacerdotis verba magnum amoris incendium in Chadige erga Mahumetum excitavere: cùmque is discessisset, multa circa eum curiosiùs à Sacerdote perquirebat. Ille verò, ut fœminæ amorem erga adolescentem magis exciteret, in illius laudes copiosiùs se effudit, & inter alia dixit: وجدت صفاته في التوراة وانه مبعوث في اخر الزمان: يا خديجة هو النبي بلا شك كذا قد قرأت في الانجيل صوف يأتي من الاله بوحي ثم بخصه الله بالتنزيل و يجوز ذات الفخار فيحصا في الوحي عاماً على كل جمل *Inveni prædicata ejus in Pentateucho, & quòd ipse mittendus sit in fine temporum. O Chadige, hic est Propheta fine dubio. Ita ego legi in Euangelio. Revelationibus divinis honorabitur: præterea speciali nota eum Deus insignibit per missionem Alcorani: & excedet omnem gloriam: & reputabitur inter omnes creaturas omni monte sublimior.* His auditis, adeò crevit in Chadige amoris erga Mahumetum incendium, ut à Varca patruo suo facultatem petierit novi connubii ineundi, nulla tamen de Mahumeto facta mentione. Varea, qui ut scribit Auctor, كان من كهان قريش وكان قد قرأ صحف شيث وصحف ابراهيم وقرأ التوراة والانجيل وزبور داود وكان عارفا بصفات النبي من يتزوج بامرأة من قريش تكون سيدة قومها *erat unus ex Ariolis Corasitarum, & jam legerat codices Seth, & Abrahæ, & Pentateuchum, & Euangelium, & Psalmos David: & noverat epitheta Prophetæ benedicti à Deo, & quòd duceturus esset in uxorem fœminam ex Corasitis, Dominam gentis suæ:* tradidit illi chartulam, in qua verba quædam scripta erant, ut eam capiti suo dum dormitura esset supponeret. Ita enim in somnis vidisset eum, qui maritus ejus esset futurus. Id feeit Chadige: apparuitque illi dormienti Mahumetus. Quid verò eum eo sibi tunc acciderit, patruo enarravit; atque ego hìc referrem, nisi pudor me prohiberet; & timor, ne lectoris modestiam offenderem.

Satis sit rem narrasse, ut intelligant omnes quibus testimoniis Mahumetani Doctores Prophetæ sui dignitatem, & auctoritatem tueri conentur. Unum hìc adnotasse sufficiat: Sacerdotem Judæum Euangelii oraculis Mahumeto prophetieum munus asserere: & ad conciliandas illius & Chadiges juveniles libidines, lenonis partes exercere.

Duodecimò. Ahmedus filius Abdalhalimi, Auctore Ebnolnaduro, affirmat, Heraclium Imperatorem insignem Astrologum fuisse: & nocte quadam cùm stellas observaret, cognovisse ex earum motu أن ملك للختان قد ظهر *quòd Rex circumcisionis jam apparuisset*: quamobrem Imperio suo metuens ab hoc novo Rege, interrogavit suos, quænam gens circumcideretur. Cùmque audissent Judæos circumcidi, universos jussit interfici. Cùm deinde Arabem quemdam reperissent, invenit etiam ipsum esse circumcisum, & Arabes quoque circumcisione uti intellexit. Scripsit igitur hac de re Romam ad amicum suum, qui respondit, se eumdem motum Stellarum observasse, & cognovisse ex eo adventum novi Prophetæ, nempe Mahumeti.

Aliquid simile etiam nostri referunt Auctores. Et fieri sanè potuit, ut Heraclius, quippe qui jam à Catholicæ fidei puritate cœperat declinare, Magum aliquem, vel Ariolum consuleret, à quo hæc ex Dæmonis suggestu intelligeret. Neque enim ignorabat id malus Genius, cùm eo tempore Mahumetus Sectam suam, & Imperium jam dilatare cœpisset. Certum porrò est, multis hominibus tenuis etiam fortunæ, à Magis, & Astrologis Regna, & Imperia prædicta fuisse: qua ratione, modò non dissuadeo.

Decimoquartò. Celeberrimum est inter omnes Auctores Moslemos testimonium, quod de ipsorum Propheta dedisse ferunt Regem Æthiopiæ, qui communi Regibus illis nomine dicebatur النجاشي *Alnogiasci*: proprio autem اسمه *Ashama*, vel اصحم *Asham*. Cùm enim, ut refert Thalebiensis in expositione Suræ tertiæ, آل عمران *De familia Amran*, quidam Mahumeti assecłæ, ut Meccanorum furorem evaderent, in Æthiopiam ad Regem prædictum transfugissent, Meccani quoque adversarii ad eos in potestatem suam redigendos, eòdem se contulere. Pervenientes igitur Mahumeti socii ad Regem, illum more solito cæterorum non adoraverunt, sed tantùm honorificè salutaverunt. Interroganti verò Regi, cur se non adorassent: respondérunt; se non adorare nisi Deum: verba porrò, quibus eum salutaverant, ex monitu Prophetæ eujusdam

eujusdam veracis, quem ad ipsos miserat Deus, adhibuisse: & esse eadem, quibus sese invicem salutant Beati, qui sunt in Paradiso. Subdit Thalebiensis:

فعرف النجاشي ان ذلك حـــق وانه في التوراة والانجيل *Cognovit autem Rex hanc esse veritatem: eò quòd hoc scriptum esset in Pentateucho, & Euangelio.* Cùm verò coram Rege asseclæ Mahumeti, & Meccani eorum adversarii de novo Propheta, novaque Religione ardentiùs altercarentur, pergit Thalebiensis:

امر الملك بضرب الناقوس فاجتمع كل قسيس ورهب فقال النجاشي لهذكم بالـــذي انزل الانجيل على عيسي أتجدون بين عيسي وبين القيامة نبيًا مُرسلًا، فقالوا اللهم نعم فقد بشّرنا به عيسي وقال من امن به فقد امن بي ومن كفر به فقد كفر بـــي. *Præcepit Rex, ut pulsarentur campanæ, ad quarum sonitum congregati sunt omnes Presbyteri, & Monachi, quibus dixit Rex: Contestor vos per Deum, qui demisit Euangelium super Jesum, ut dicatis mihi, utrum reperiatis inter Jesum, & inter diem Resurrectionis Prophetam ullum mittendum esse. Illi verò respondentur: Utique per Deum; jam enim Jesus annunciavit nobis hujusmodi Prophetam; & dixit: Qui crediderit in eum, jam porrò credet in me: & qui abnegaverit eum, jam porrò abnegabit me.* His auditis, interrogavit Rex Giazpharum, qui erat Princeps asseclarum Mahumeti, quidnam Mahumetus doceret. Cùmque de illius doctrina à Giazpharo instructus fuisset, rogavit eum, ut aliquid sibi legeret ex libro Alcorani, quem Mahumetus vulgaverat. At ille legit ei Suram, quæ inscribitur, العنكبوت *Aranea*; & eam, cui titulus est, الروم *Romani*. Ad quarum lectionem Rex, & qui erant cum eo, in lacrymas erupere: rogaveruntque eum, ut etiam aliquid aliud legeret. Ille verò legit Suram, quæ inscribitur. الكهف, *Spelunca*, & Suram مريم *Mariæ*. Cùm autem audiret Rex, quæ in hac de Jesu, & de Maria referebantur, dixit;

والله ما زاد المسيح على ما يقول هذا *Per Deum juro, Christum amplius non dixisse, quàm iste dicat.* Addit Auctor libri اعلام الهدي *De signis directionis*: Cùm legeret Giazpharus verba illa, quæ dixisse fingitur Gabriel Mariæ:

وهزي اليك بجذع النخلة تساقط عليك رطبًا جنيًا فكلي واشربي وقري عينًا، بكي النخل وقال هذا هو الصدق

Et excute ad te truncum palmæ, nam cadent super te dactyli maturi: & comede, & bibe, & tranquilla oculum tuum: flevit Rex, & dixit: Hæc est veritas. Idem Auctor affirmat, hunc Regem amplexum fuisse sectam Mahumetanam, & scripsisse ad Mahumetum epistolam, qua se assecłam illius profitebatur. Præterea misisse ad eum triginta Presbyteros, ut Alcorani dogmatibus imbuerentur. Hi verò ubi Meccam pervenerunt, ut scribit Gelaleddinus in expositione Suræ المائدة *Mensa*: legit illis Mahumetus Suram يس *Jas*: quam cùm audissent, in lacrymas erumpentes, dixerunt. ما اشبه هذا بما كان ينزل على عيسي: *Quàm similia sunt hæc illis, quæ demissa sunt super Jesum!* scilicet, quæ in Euangelio continentur. Et statim in Mahumeti legem juraverunt.

Hæc omnia falsa esse, & à Moslemis conficta, ex variis argumentis colligi potest, quorum præcipuum est: quòd si Rex Æthiopum non omninò insanierat; & Presbyteri, Monachique illius non erant prorsus Scripturarum, & Christianarum rerum ignari, nullo modo dicere poterant, ea, quæ habet Alcoranus de Jesu, ejusque Matre Maria, esse vel conformia, vel similia illis, quæ in Euangelio leguntur: & hoc nihil amplius habere, quàm quod in illo continetur. Etenim ubinam in Euangelio fabulæ illæ reperiuntur, quas in Sura decima nona, quæ inscribitur *Mariæ*, profert Alcoranus? Legat eam, & alias, quæ hoc loco commemorantur: & videbit apertè, nihil propè esse in illis, quod cum Euangelio conveniat, imò etiam quod illi non adversetur. Deinde neque ex ullis probatis historiis, neque ex peculiaribus Æthiopum monumentis reseitum est, ullum Æthiopiæ Regem Mahumeticam superstitionem amplexum fuisse. Verum quidem est, Æthiopum Reges sæpè fuisse, & nunc etiam esse à Catholica Fide, & à Romana Ecclesia alienos: semper tamen Christianam Religionem professi sunt, quam hodie etiam illos profiteri, certum est. Porrò nullo modo credi potest, Regem illum ob tàm levia argumenta, in nescio cujus Prophetæ Arabis superstitionem ab avita Religione declinasse. Illud etiam incredibile est, Presbyteros, ac Monachos Æthiopicæ Ecclesiæ adeò ignaros, & insanos fuisse, ut per ea Christi verba Joan. cap 3. *Qui accipit si quem misero, me accipit: qui autem me accipit, accipit eum, qui me misit* (quæ verba Presbyteri, & Monachi illi satis diversè allegarunt) novum Prophetam, novamque Religionem præsignari existimarent: cùm Christiani omnes expositores, & Doctores semper crediderint, & docuerint, hìc sermonem esse tantummodo de illis, qui post Christi in Cœlum ascensionem, Vicarii, ac Ministri ejus in gubernanda Ecclesia futuri erant, & præcipuè de Sancto Petro, ejusque Successoribus. Quamobrem nullum aliquem peculiarem Christus designavit, sed generatim dixit: *Si quem misero.* Quæ verba referuntur ad ea, quæ paulò superiùs dixerat: *Non est servus major domino suo: neque Apostolus major est eo, qui misit illum.* Quibus verbis manifestè ostenditur, eos, quos Christus misurus erat, futuros esse servos, & legatos suos, seque prorsus minores, & inferiores. Numquam verò Mahumetani concedent, Mahumetum esse servum, & legatum Christi, eoque minorem, & inferiorem. Ridiculum verò est, Regem Æthiopiæ, & Procores, ac Presbyteros, & Monachos illius, audientes sectiones illas seu Suras, quas ex Alcorano allegat Auctor, in lacrymas, ac fletus erupisse: cùm nihil in illis contineatur, quod lacrymas possit excitare: omnia quippe meræ nugæ, & quis-

Digitized by Google

& quiſquiliæ ſunt, quæ non lacrymas, ſed riſum poſſint commovere.

Decimoquintò. Thalebienſis in expoſitione Suræ de Familia Amram hæc habet: قدم الحبران من احبار الشام على النبي من فلما ابصروا المدينة قال لاحدهما لصاحبه ما اشبه هذه بصفة مدينة النبي الذي يخرج في آخر الزمان; فلما دخلا على النبي من عرفاه بالصفة والنعت فقالا له انت محمد قال نعم قالا وانت احمد قال لبا احمد ولبا محمد: قالا انا نسألك عن شي ان اخبرتنا به امنا بك وصدقناك; فقال سلا فقالا اخبرنا عن اعظم شهادة في كتاب الله تعالى: قال: لشهد الله انه لا اله الا هو. الاية. فاسلم الرجلان. *Venerunt duo Sacerdotes Judæorum è Syria ad Mahumetum: cùmque urbem Medinam vidiſſent, dixit unus eorum alteri: Quàm ſimilis eſt urbs iſta urbi Prophetæ illius, qui venturus eſt in noviſſimo tempore. Cùm verò Mahumetum adiiſſent, agnoverunt eum ex epithetis, & attributis* (quæ nimirùm in Sacris eorum libris extabant.) *Dixerunt ergo illi: Es ne tu Mohammad? Reſpondit: Ego ſum. Dixerunt ei: Es ne tu etiam Ahmad? Ille verò reſpondit: Ego ſum Mohammad, & ego ſum Ahmad. Dixerunt illi: Nos ſanè interrogabimus te de una re, ad quam ſi nobis benè reſponderis, credemus in te, & dicemus te eſſe veracem. Interrogate, inquit Mahumetus. Illi verò dixerunt: Die nobis, quænam ſit maxima teſtificatio in libro Dei Excelſi. Reſpondit Mahumetus verba illa Alcorani: Teſtificor eſſe unum Deum, neque alium eſſe præter eum. Tunc duo illi viri Mahumeti ſectam amplexi ſunt.*

Hìc etiam fictio manifeſta eſt. Nam neque de Medina, neque de Mahumeto poterant hi Judæi quidquam ex Sacris Scripturis reſcire, cùm in illis neveſtigium quidem Medinæ, vel Mahumeti reperiatur. Neque poterant appellare *librum Dei Excelſi* Alcoranum, cùm eſſent Judæi, neque de Alcorano quidquam adhuc vel curarent, vel noſſent.

Decimoſextò. Albocarius parte 5. *Splendorum*; hoc refert prodigium ad confirmandum, Mahumetum verum Dei Prophetam fuiſſe. وكان بعد تزويج امنة بعبد الله ان الاحبار اجتمعوا بارض الشام وتكلموا في مولد رسول الله من والدم الذي جرى من جبهة يحيى بن زكريا عم فلما تحققوا وعلموا انه قد قرب خروج الحبيب المحلول وظهرت لولي تفاريوا فيما بينهم وعقدوا ان يصيروا الى حمر لهم في قرية من قرى الاردن. *Poſtquam Abdhallah* (Pater Mahumeti) *in conjugem Amenam accepiſſet; Sacerdotes Judæorum congregati ſunt in Syria, & colloquuti ſunt de Ortu Mahumeti, & de ſanguine, qui fluxerat ex tunica Joannis filii Zachariæ fauſtæ memoriæ. Cùmque certò reſciviſſent, illum jam natum eſſe, & propinquum eſſe exitum Gladii evaginati, & apparuiſſe fulgores illius: inito conſilio, ſtatuerunt ire ad quemdam ex ſuis Sacerdotibus, qui in Urbe prope Jordanem ſita degebat.* Perrexerunt igitur ad eum, conſilium petituri, quomodo poſſent malum evadere, quod à novo illo Propheta timebant, cujus epitheta legerant in libris ſuis, quòd nimirum futurus eſſet السفاك النهاك: *effuſor ſanguinis, & victor.* Ille verò admonuit eos, nullo humano conſilio impediri poſſe id, quod Deus de hoc homine decreverat. Quamobrem mœſti timidique diſceſſerunt.

Iiſdem argumentis commentum hoc refellitur, quibus alia ſuperiora rejecta ſunt. Sed hìc illud eſt amplius, quòd Judæi tunicam Sanctì Joannis Baptiſtæ aſſervarent, & quòd ex ea prodigioſus ille cruor emanaret. Mira ſunt quæ de hac tunica, & de hoc ſanguine fabulantur Moſlemi, quæ tamen neque ad Judæorum, neque ad Chriſtianorum aures unquam pervenere. Inter alia hæc habet Auctor loco citato: واما احبار اليهود كانت معهم جبة بيضاء وكانت جبة يحيي ابن زكريا ع م وكان عليها الدم بايعة لانها قد قمصت في دمه يوم قتل وكان في كتبهم ان من هذا الدم الذي في الجبة اذا قطر منها قطرة واحدة فيكون قد قرب خروج الحبيب المحلول. فنظروا ذلك الدم فوجدوه قد صار رطبا يقطر منه فعلموا انه قد دنا خروجه فاجتمعوا لذلك فما هدينا وبعثوا الى مكة رجالا منهم يكشفون لهم الخبر فلزموهم بحضر مولده. *Porrò Pontifices Judæorum habebant penes ſe tunicam albam, quæ fuerat tunica Joannis filii Zachariæ, fauſtæ memoriæ. Erat autem ſuper eam ſanguis exſiccatus: nam conſperſa fuerat ſanguine ejus ea die, qua fuit occiſus. Eratque ſcriptum in libris eorum, quandocumque ex hoc ſanguine illius tunicæ vel unica gutta ſtillaſſet, propinquum eſſe exitum Gladii evaginati. Cùm verò hunc ſanguinem voluiſſent inſpicere, invenerunt factum eſſe recentem, fluidumque ſtillare. Quamobrem cognoverunt, propinquum jam eſſe exitum prædicti Gladii. Hinc in maximam triſtitiam, atque animi anguſtiam inciderunt: miſeruntque Meccam quoſdam ex ſuis, qui explorarent, num novi aliquid ibi eſſet. At illi retulerunt, natum ibi eſſe Mahumetum.*

Operæ pretium duxi has nugas referre, ut univerſi mortales intelligant, quàm debilibus marcidiſque fundamentis Mahumetanica Secta innitatur. Quòd ſi illa adeò excrevit, ac dilatata eſt, & tamdiù perſeveravit, atque adhuc perſeverat: id juſtiſſimis, licet occultiſſimis Dei judiciis, tribuendum eſt. Nec tamen deſunt rationes, ob quas illum juſtè tantum in Orbe malum permiſiſſe nobis perſuadeamus: inter quas præcipuam illam eſſe puto, quòd Chriſtiani adeò in Religionis ſuæ cultu ſocordes facti ſint: & fidem ſuam verbis tantùm tenentes, ac profitentes, in charitate, boniſque operibus plerique refrigueriut.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Præmium. pag. 1.

Cap. I. Præcipuum veræ Religionis argumetum, Sacrarum Scripturarum oracula. 5.

Cap. II. Probatur integritas Sacrorum Librorum. 8.

Cap. III. Argumenta Mahumetanorum contra integritatem Sacrarum Scripturarum. 12.

Cap. IV. Mahumetani agnoscentes integritatem Sacrarum Scripturarum, iisdem abutuntur ad Mahumeto propheticum munus adstruendum. 14.

Cap. V. Vaticinia, quæ pro Mahumeto proferunt Doctores Moslemi ex Testamento Veteri. 15.

Cap. VI. Vaticinia, quæ pro Mahumeto ex Novo Testamento proferunt Doctores Moslemi. 26.

Cap. VII. Alia testimonia, quæ pro Mahumeto, & ejus Secta è Sacris literis falsò proferunt Mahumetanorum Doctores. 28.

Conclusiones octo contra Mahumetanos, quas nullo modo possint negare. 31.

Cap. VIII. Respondetur argumentis Moslemorum. 33.

Appendix.

Cap. IX. Vaticinia alia, prognostica, ac testimonia, quæ pro Mahumeto, ejusque secta proferunt Moslemi extra Sacras Scripturas. 36.

Digitized by Google

APPENDIX.

QUoniam in hoc meo opere sæpè Sacrorum Librorum testimonia, tàm à Mahumetanis contra Christianam Religionem pro superstitione sua stabilienda, quàm à me pro eâdem religione contra Agarenicam sectam propugnanda, producuntur: non erit abre, eorundem Sacrorum Librorum, quos divinæ auctoritatis Christiani orthodoxi esse profitentur, catalogum attexere, prout in Sacrosancto Oecumenico concilio Tridentino Sessione quarta continetur.

Libri Sacri Testamenti Veteris.

Quinque Libri Moysi: nempe Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium: qui apud nos Pentateuchus, apud Hebræos תּוֹרָה apud Arabes التورية communi nomine appellantur: Josue: Judicum: Ruth: Quatuor Regum: Duo Paralipomenon: Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Neemias: Tobias: Judith: Esther: Job: Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum: Parabolæ: Ecclesiastes: Canticum Canticorum: Sapientia: Ecclesiasticus: Isaias: Jeremias cum Baruch: Ezechiel: Daniel: Duodecim Prophetæ minores, idest: Osea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Michæas, Nahum, Habacuc, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Machabæorum, primus, & secundus.

Libri Sacri Testamenti Novi.

Quatuor Euangelia, secundùm Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apostolorum à Luca Euangelista conscripti: Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli; ad Romanos; duæ ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Philippenses; ad Colossenses; duæ ad Thessalonicenses; duæ ad Timotheum; ad Titum; ad Philemonem; ad Hebræos: Petri Apostoli duæ: Joannis Apostoli tres: Jacobi Apostoli una: Judæ Apostoli una: & Apocalypsis Joannis Apostoli.

Sunt igitur Veteris Testamenti quadraginta quinque libri: Novi autem viginti septem: omnes simul, duo ac septuaginta.

Quamvis autem Hebræi in Sacrorum Librorum Canonem, Tobiam, Judith, Sapientiam, Ecclesiasticum, Baruch, Libros Machabæorum, & aliquot Capita Danielis, & Esther non admittant; & de his iisdem aliquando inter nonnullos ex nostris etiam orthodoxis dubitatum fuerit: nunc tamen, cùm, communi totius Ecclesiæ consensu, hos etiam divinæ auctoritatis esse declaratum fuerit, ulteriùs de illis à nobis dubitare non licet. Ipsi etiam Sapientiores Hebræi eosdem, ut ἐγγράφους, nempe sanctos ac pios, agnoscunt, ac recipiunt, imò per בַּת קוֹל *Filiam vocis*, nempe divinum afflatum, ferè omnes scriptos fuisse affirmant; ut ex testimonio Doctorum Hebræorum ostendit doctissimus vir Joseph de Voisin in observationibus in Prœmium Pugionis Fidei P. Raimundi Martini Ordinis Prædicatorum, pag. 102. Quamobrem mirum esse debet, quòd Heterodoxos nostros, dum hos libros contemnunt, ac rejiciunt, sese Hebræis deteriores ostendere non pudeat.

Mahumetani Libros ferè omnes tàm Veteris, quàm Novi Testamenti agnoscere, ac tamquam sacros, & divinitùs traditos suscipere videntur. Eorum enim testimoniis non solùm contra nos, & Hebræos; sed etiam pro sua secta corroboranda, & pro Mahumeto Prophetico munere asserendo passim utuntur: & cùm aliquam eorum sententiam allegant, formulam illam proponunt قولة تعالى *Dictum Altissimi*; qua in Alcorani versibus allegandis uti consueverunt: ut patet ex his, quæ in toto hoc nostro opere differuntur. Quamobrem falsò, & ineptè Hottingerus Tigurinus, Mahumetanos Sacris Scripturis contra nos non ferìò, neque quòd eas ut verbum Dei agnoscant, sed ad hominem tantùm (ut dicitur) uti pronunciat. Et quamvis Alcoranus nonnisi التوراة والانجيل *Attaurat ù Alangil*, nempe Pentateuchum, & Euangelium, illis tamquam Libros Sacros, & à Deo traditos proponat: Pentateuchi tamen nomine, omnes Veteris Testamenti Libros, Euangelii autem, totum novum Testamentum communiter accipiunt, prout alibi ex eorum testimonio demonstravimus.

Digitized by Google

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in vita Mahumeti, & in Tractatu de Alcorano continentur.

Primus numerus indicat paginam. Secundus columnam Paginæ. Tres characteres a. b. c. principium, medium, & finem columnæ.

A

Abutaleb suscipit curam Mahumeti orphani, nepotis sui. 12. b. 2.
Abugebel cognatus Mahumeti semper illi infestus. 13. c. 1. & alibi.
Abrogata multa in Alcorano. 42. b. 1.
Quædam abrogata etiam, antequàm in eo scriberentur. 43. b. c. 1.
Abdallah, & Amena genitores Mahumeti. 10. c. 1.
Æthiopiæ Rex fit Mahumetanus. 19. c. 2.
Scribit, & mittit Epistolam cum muneribus ad Mahumetum. 20. a. 1.
Aisam septenam ducit Mahumetus in uxorem. 23. b. 1.
Fuit super cæteras dilecta à Mahumeto, sed suspecta de adulterio. 25. b. 2.
Illius calumniatores graviter punit Mahumetus. 25. c. 2.
Alcoranus miscella, & cento variarum legum. 41.
Collectus, & confarcinatus post mortem Mahumeti. 38. c. 2.
Censetur opus magicum, & fascinatio à doctioribus Meccanis. 19. c. 1.
Traditus fuit à Deo scriptus idiomate Arabico. 33. c. 2.
Totus confusus, ac perturbatus etiam ex confessione Mahumetanorum. 39. c. 2. 33. c. 2.
Nullum habet ordinem rerum, vel temporum. 39.
Traditus per Gabrielem in Mense Romadan. 38. b. 1.
Alcorani filius. 34. b. 2.
De illius Authore, & origine variæ opiniones. 35. c. 2. 41.
Est increatus, & æternus. 38. c. 1.
Revelatus fuit Mahumeto per versiculos spatio viginti, ac trium annorum. Ibid.
Quanti fiat à Mahumetanis. 43. c. 2.
Quædam sunt in eo fana, ac recta. 35. a. 2.
Quæ sit dispositio illius. 34. a. 1.
Eius Author probabiliter Dæmon. 41. c. 2.
Plura in eo fuerunt à Deo abrogata. 42. b. 1.
Illius materia. 34. c. 2.
Alii similes Alcorano libri dicti à Diabolo. 42. a. 1.
Varia illius nomina, & quid significet hoc nomen Alcoranus. 33. a. 1.
Illius præcipui errores. 35. b. 1.
Illius Expositores Mahumetani, & versiones. 35. c. 2.
Aly filius Abutaleb adhæret Mahumeto. 18. a. 2.
Adhuc puer constituitur à Mahumeto Vicarius suus. 18. b. 2.
Recuperat visum sputo Mahumeti. 26. a. 2.
Gigantea illius fortitudo, & robur. ibidem.

B

Bahira Monachus, alio nomine Felix, excipit hospitio Mahumetum proficiscentem in Syriam. 13. c. 2.
Adjuvat illum in scribendo Alcoranum. 37. b. 2.
Censetur idem fuisse, ac Sergius. ibid.
Bedrense bellum. Vide bellum.
Bellum Obodense infaustum Mahumeto, & Mahumetanis. 24. b. 2.
Bellum Bedrense primum. 23. b. 2.
Bellum Bedrense majus. 23. c. 2.
Bellum Forex. 25. c. 1.

C

Chadige consanguinea, & uxor prima Mahumeti. 12. b. 2.
Insanit amore illius. 14. c. 1.
Prima omnium credidit in eum. 15. c. 2.
Christiani Nageremes legationem instituunt ad Mahumetum. 28. b. 2.
Corasini, vel Corasiniæ præcipui Meccanorum, ex quibus ortus est Mahumetus. 10. c. 1.
Adversantur Mahumeto novam Sectam instituenti. 18. c. 2.
Eorum Decretum contra Mahumetum, & assecias illius, affixum in Templo Meccæ. 20. b. 2.

D

Dæmones, nascente Mahumeto, ex orbibus cœlestibus ejiciuntur. 10. c. 2.
Dæmones Nisibini, audito Alcorano, fiunt Mahumetani. 20. c. 2.
Diabolus incitat Meccanos contra Mahumetum. 22. b. 1.

E

Ebrahim filius Mahumeti moritur puer. 28. a. 1.

G

Gabriel apparet Mahumeto, & annunciat illi munus Prophetiæ cum. 15. a. 1.

H

Halima nutrix Mahumeti. 11. b. 2.
Hamza patruus Mahumeti immaniter occiditur. 24. b. 2.
Hegiræ Mahumetanicæ origo. 28. c. 1.

I

Jejunii mensis Romadan origo. 25. a. 2.
Judæi Chaibereenses victi bello à Mahumeto. 26. a. 2.
Judæi moliuntur mortem Mahumeto. 13. c. 2.
Expelluntur à Mahumeto in Syriam. 26. c. 1.
Negant reperiri aliquid in Sacris Litteris citra novum Prophetam Mahumetum. 19. a. 2.
Perfidè tractantur à Mahumeto. 25. c. 1.

M

Mahumeti progenitores. 10. c. 1.
Illius nativitatis annus, ac dies. 10. b. 2.
Mahumeti nominis Etymologia. 10. b. 1.
Nativitatem ejus prodigia multa comitantur. 10. c. 2. 11.
Adhuc puer multa facit miracula. 12. a. 1.
Laborat Ophtalmia. 12. a. 2.
Pascit oves Halimæ nutricis suæ. 12. a. 1.
Dum esset infans, dispanit. 12. c. 1.
Apparet illi dæmon in forma draconis. 13. a. 2.
Illius adhuc infantis lascivia, & procacitas. 23. b. 1. 27. b. 2.
Habuit tria nomina. 10. b. 1.
Chadige facit eum suum procuratorem. 13. b. 1.
Illi dormienti assistit draco. 14.
Jam quadragenarius incipit se Prophetam venditare, & Sectam suam instituere. 15. a. 1. Chadiges amore incenditur. 14. b. 2.
Mahumeti, & Chadiges Connubium. 14. c. 2.
Illius assectæ confugiunt ad Regem Æthiopiæ. 19. c. 2.
Præcedebat eum lux. 13. a. 1.
Apparet arreptitius. 16. a. 1.
Incipit concionari è suggestu. 26. a. 2.
Prima ejus inauguratio in Principem. 21. c. 2.
Secunda ejus inauguratio. 22. a. 1.
Prima ejus profectio in Syriam, & prodigia ab eo in itinere patrata. 13. b. 1.
Fugit in Medinam, & per plura miracula defenditur ab iis, qui eum insequebantur. 22. a. 2.
Eripit se à conspiratione suorum. 23. c. 1.
Illius assectæ divexantur ab adversariis. 20. a. 2.
Tertiò inauguratur in Regem. 26. c. 1.
Transfertur nocte à Mecca in Jerusalem, & inde in Paradisum. 20. c. 2.
Invitat adversarios ad scribendum aliquid simile suo Alcorano. 19. b. 2.
Factus potentior dilatat Sectam suam vi armorum. 28. c. 1.
Primi, qui sequuti sunt Sectam ejus. 18. a. 2.
Plures Sectæ ejus adhærent, ut liberius latrocinentur. 26. c. 1.
Assectæ ejus cum summopere venerantur. 26. b. 1.
Contumelia insigni afficitur à Corasinis. 20. c. 1.
Visitat loca Sacra Meccæ. 27. a. 1.
Varia illius bella, & expeditiones. 23. a. 2. 25. c. 2.
Invitat per Epistolas Imperatorem, & omnes Reges, & Principes ad Sectam suam. 26. c. 2.

M

Illius

Digitized by Google

INDEX.

Ilius uxores, filii, ancillæ, jumenta, & alia ad ejus usum spectantia. 32. b. 1.
Prædicat unitatem Dei contra Mecæanos Ethnicos. 15. b. 1.
Non cogebat ullum ad Sectam suam. 27. a. 2.
Subit periculum vitæ. 24. b. 1.
Elegit duodecim Adjutores. 23. c. 2.
Instituit fraternitatem inter suos asseclas. 23. c. 1.
Usque ad annum quadragesimum coluit idola. 16. a. 2.
Infeliciter pugnat in bello Ohodensi, & fede vulneratur. 24. b. 2.
Salutatur ut Prophæa ab arboribus, montibus, & lapidibus. 15. c. 1.
Alloquitur cum humiliter camelus ferocissimus. 15. a. 1.
Ex ejus digitis scaturiunt aquæ copiosæ. 15. b. 2.
Factus amens tenuit sæpè sese præcipitare. 15. c. 1.
Rediens è Syria portatur ab Angelis in tabernaculo Paradisi. 14. b. 1.
Liberatur per miraculum à Judæis. 13. c. 2.
Mahumeti effrænata libido. 26. b. 2.
Crudelitas illius in victos. 26. a. 1.
Injustitia ejus in divisione prædæ. 27. b. 2.
Ejus levitas, & dedecus. 25. a. 2.
Pronus ad privatam ultionem. 20. c. 1.
Varia, ac multiplicia illius vitia. 31. a. 2.
Tanquam impostor ab omnibus rejicitur. 21. a. 1.
Nihil habuit prorsum prophetæ, vel Sancti. 32. c. 2.
Falso tribuuntur illi à Mahumetanis multæ virtutes morales. 31. a. 2.
Expugnat Meccam patriam suam. 27. c. 1.
Venenum hausit in harmo ovis assæ sibi à Judæa propinatum, ex quo paulò post moritur. 26. c. 2.
Mors illius infelicissima, in qua delitat. 29. a. 1.
Tumus illius, & sepulchri descriptio in Medina. 29. c. 2. 30. a. 1.
Naturales qualitates illius. 31. a. 1.
Mahumetanam Sectam cur multi amplectantur. 21. c. 2.
Illius suscipiendæ ritus. 21. b. 2.
Mahumetani pugnant contra Romanos, sed ab illis fugantur. 27. b. 1.
Mecca patria Mahumeti. 10. b. 1. Urbs est Arabiæ. 34. c. 1.
Ab illo perfide, & impiè expugnatur. 27. b. 2.
Medina Urbs Arabiæ Petræ refugium Mahumeti. 22. c. 1. 34. c. 1.
In ea recipitur Mahumetus profugus cum magno plausu. 22. a. 2.
Meskitæ, seu Templi illius fundamenta jacit Mahumetus. 22. b. 2.

O.

Orationis ritus primus instituitur à Mahumeto. 23. c. 1.

P.

Purificationis per pulverem ritus à Mahumeto institutus. 25. c. 2.

S.

Sergius Monachus adjutor Mahumeti in scribendo Alcorano. 33. c. 2. 37. a. 1.

V.

Vinum prohibetur à Mahumeto. 25. a. 1.
Ultima illius peregrinatio ad Meccam. 28. c. 2.
Ultimus illius morbus, & mors. 29. b. 1.
Tumus illius, & sepulturæ. 29. b. 2.
Sepulchri illius in Medina descriptio. 29. c. 2.
Qualitates ejus naturales. 31. a. 1.

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in prima parte Prodromi continentur.

Primus numerus indicat Paginam. Secundus columnam paginæ. Tres verò characteres a. b. c. principium, medium, & finem columnæ.

A.

Æthiopiæ Rex fautor Mahumeti, & assectarum ejus, sit Mahumetanus. 44. c. 2.
Alcoranus fatetur veritatem librorum sactorum utriusque Testamenti; sed recipit alios apocryphos. 5. b. 2.
Arabia floruit religione Christiana, & Monachismo. 23. a. 2.

B.

Bahiras Monachus Nestorianus testimonium perhibet Mahumeto; & quid actum sit inter utrumque. 42. b. 1. V. Sergius.
Benedictio omnium gentium in Isaac, & Jacob, respectu fuerit Messiæ; non in Ismael, nec in Esau. 32. c. 1.

C.

Chadigæ, & Mahumeti obscœni amores conciliantur, & foventur à Sacerdote Judæorum. 44. a. 1.
Christus adoratus ab omnibus. 22. c. 1.
Cognitum fuisse à Prophetis, Judæi, Christiani, & Mahumetani omnes conveniunt. 31. c. 1.
Cum lex, seu Euangelium, est æterna, nec post eam alia lex danda est. 31. c. 2.
Cum Regnum Spirituale, atque etiam temporale. 31. c. 2. & universale, atque æternum. ibid.

D.

Dæmones in ortu Mahumeti ejecti flammis, seu stellis volantibus ab orbibus cœlestibus. 38. a. 2.
Danielis prædictio asserta de Mahumeto. 25. a. 2. 29. c. 1.
Deuteronomii testimonium asserrum pro Mahumeto. 33. c. 1.

E.

Evangelii nomine intelligunt Mahumetani libros omnes novi Testamenti. 5. c. 1.

F.

Flammæ, seu stellæ volantes non erant ante ortum Mahumeti. 39. c. 1.
Figmenta Mahumetanorum de illis. ibid.

G.

Gabriel cum centum millibus Angelorum nunciat per Orbem Nativitatem Mahumeti. 38. c. 1.

H.

Habbachuc vaticinatur de Mahumeto. 15. c. 1.
Hagar ancilla Satæ laudatur. 17. c. 1.
Heraclius Imperator ex Stellarum motu præsagit adventum Mahumeti. 44. b. 2.

I.

Idiotarum nomine censent Judæi Christianos. 15. b. 2.
Joannis Baptistæ Præcursoris tunica à Judæis custodita sanguinem mercurem effundit in testimonium adventus Mahumeti. 46. c. 1.
Ismael allegatus pro Mahumeto, & Mahumetanis. 23. a. 1. c. 2. & alibi.
Ismael laudatur, & eius prærogativæ. 26. c. 2.
Ismaelitæ sacris habet malam famam. 20. b. 1.
Judæi accuratissimi in custodiendo Pentateucho, & aliis sacris libris ab omni corruptione. 9. a. 1.
Judæorum Sacerdotes agnoscunt Mahumeti adventum, & prophetiam Spiritum illius. 44. a. 1.
Judæorum Sacerdos fuit Leno Chadigæ apud Mahumetum. 44. a. 1.

L.

Lex Mosaica cessaturu erat. 32. a. 1.
Libros sacros omnes recipit æqualiter Mahumetus cum suo Alcorano. 5. b. 2.
Libri quidam sacri apocryphi ficti ab Alcorano. ibid.
Lux prodigiosa in vultu Mahumeti, quæ transivit ab Adam per omnes generationes usque ad ipsum. 37. b. 1.

M.

Mahumetus prædictus in sacris scripturis. 15. a. 1. & deinceps.
Falsò credunt Mahumetani illum esse Paraclitum promissum à Christo. 26. a. 2.
Illius nomen per Kabaham in Pentateucho. 19. a. 2.
Illius ortus prævidetur à quodam Judæo. 40. c. 2. Itemque à quodam Monacho Christiano. 37. a. 1.
Prodigia ortum ejus subsequuta. 40. b. 2.
Adventus illius varia prognostica. 36. & deinceps.
Lux illius vultus prodigiosa. V. Lux.
Habebat nævum nigrum in humeris in signum Prophetiæ illi à Deo collatæ. 24. a. 2.
Etat in cœlo quadraginta millibus annis, antequàm nasceretur, una cum Abubacro, & Omare. 36. a. 1.
Fuit amicus asinorum. 24. a. 1.
Numquam fuit appellatus Deus, aut Christus. 24. c. 2.
Sexaginta, ac duo bella gessit: unde Prophera belli appellatus fuit. 22. c. 2.
Mahumetani prædicti ab Isaia. 23. c. 1. & in Psalmis. 21. c. 1.
Duo eorum præcipua argumenta pro secta sua refelluntur. 33. c. 2.
Mecca patria Mahumeti prædicta in Sacris Scripturis. 24. c. 1. 25. a. 1.
Falsò asseritur esse Pharan, vel Theman. 25. c. 1.

N.

Nestorius. V. Bahiras.

P.

Paraclitus. V. Spiritus Sanctus.
Pharan falsò asseritur esse Mecca. 25. c. 1.
Credunt Mahumetani fuisse typum sectæ suæ. 15. c. 1.
Pentateuchi, & Euangelii nomine intelligunt Mahumetani omnes libros veteris, ac novi Testamenti. 5. c. 1.
Psalmorum vaticinia alligata pro Mahumeto, & Mahumetanis. 21. c. 1. 22. a. 1. & alibi.

R.

Religio vera una tantùm datur. 1. a. 1. Et ea tantùm ducit ad salutem etiam in sententia Mahumeti. 2. a. 1.
Religionis veræ notæ legitimæ. 3. a. 1. 4. a. 1.
Religionem quamlibet quidam approbant. 1. c.
Religio nova indiget testimonio divino. 6. b. 1.

S.

Sacræ Scripturæ. V. Scripturæ. Libri Sacri.
Sacrificio carent Mahumetani. 30. b. 2.
Saiphus Rex Æthiopiæ prædicit adventum Mahumeti. 41. c. 2.
Salman Persa vixit quadringentos annos, & vidit Mahumetum, agnovitque esse Prophetam. 41. c. 1.
Satibus Magus vaticinatur de Mahumeto. 40. a. 1.
Eius monstruositas. ibid.
Scripturas Sacras corruptas fuisse falsò asserit Alcoranus. 7. c. 1.
Argumentis ex Sacris Scripturis deductis utuntur Moslemi contra nos, non ad hominem, sed quia eas veras credunt. 33. c. 1.

Digitized by Google

INDEX.

Quæ ſit legitima earum expoſitio. 32. c. 1.
Earum corruptelam quomodò probent Moſlemi. 7. c. 2. 12. a. 2.
Earum teſtimoniis abutuntur Mahumetani pro ſuo propheta. 5. a. 1.
Earum veritatem, & integritatem agnoſcunt, & fatentur Moſlemi. 11. a. 1. 19. c. 2. & deinceps.
Sacrarum Scripturarum integritas fusè probatur contra Mahumetanos à pag. 8. & deinceps. Et quomodò intelligenda ſit hujuſmodi integritas. 8. c. 1.
Seir mons apud Moſlemos typus Chriſtianæ religionis. 15. c. 1.
Sergius Monachus idem, ac Bahira. 43. c. 1.
Spiritum Sanctum à Chriſto promiſſum credunt Moſlemi, fuiſſe Mahumetum. 26. a. 2.
Stellæ Volantes. V. Flammæ volantes.
Synai Mons apud Moſlemos typus religionis Judaicæ. 15. c. 1.

T.

Teſtamenti novi vaticinia aſſerta pro Mahumeto. 26. a. 2.
Teſtamenti veteris vaticinia pro eodem. 15. c. 2.
Tobba Rex Arabiæ Felicis prædicit Mahumetum. 41. c. 1.

V.

Vaticinia ex Pentateucho, Euangelio, Pſalmis, aliiſque Sacris Libris perperam interpretata à Moſlemis pro Mahumeto. 32. a. 1.
Vaticinia ficta à Moſlemis in Sacris Literis pro ſuo Propheta Mahumeto. 28. a. 2.

Z.

Zarca Regina Jemanis præſtigiatrix vaticinatur de Mahumeto. 40. b. 1.

INDEX RERUM NOTABILIUM,

Quæ in secunda Prodromi parte continentur.

Primus numerus indicat paginam. Secundus columnam paginæ. Tres verò Characteres a. b. c. principium, medium, & finem columnæ.

A.

Aborae jumentum, quo Mahumetus vectus est à Mecca in Jerusalem. 17. c. 2. 19. c. 2.
Alcauther fons Paradisi. 20. a. 1.
Alchedrus, primò fuit Phinees, deindè Elias, postremò S. Georgius per metempsycosin. 79. a. 1.
Alcoranus miraculum Mahumeti omnium maximum, ac perpetuum. 69. b. 1. c. 1.
Mahumetani credunt, illum esse æternum, & increatum. 73. b. 2.
Judæorum de impostura illius Validi Meccanorum Doctoris. 30. c. 1.
Eâ convertibili in hominem, vel etiam in bestiam. 73. c. 2.
Obtenditur illius vanitas. 69. b. 1. & deinceps.
Anabes, v. Mahumetani.

B.

Bdrensis belli miraculum futile. 81. a. 1.

C.

Christus descendere fecit mensam è Cœlo. 6. c. 1.
Christum multa miracula vera fecisse affirmat Alcoranus, & Mahumetani. 5. c. 2.
Illius ad mirabilis conceptio, & Nativitas. 6. c. 2.

D.

Dæmones sunt Mahumetani ob lectionem Alcorani. 15. c. 1.
Dervisii, seu Sanctones Mahumetani, scelesti, ac nefarii. 81. c. 2.
Quidam eorum, qui dicuntur Nephes Ogli, finguntur nasci ex Virginibus sine opera viri. 78. c. 2.
Eorum opera præstigiosa mirabilia. 77. c. 2. & deinceps.
Eorundem magna hypocrisis. ibidem.
Diabolus, seu Eblis antea fuit Angelus; & est pater Geniorum. 15. c. 2.
Divinationes Ethnicorum. 64. a. 2.

E.

Elis, Vide Diabolus.
Elephantium miraculum ex Alcorano. 14. c. 1.

G.

Genii, seu Dæmones, quinam sint in sententia Moslemorum, & Hebræorum, eorumque origo, & proprietates. 15. c. 1.
Georgius Martyr celebris apud Mahumetanos. 79. a. 1.

I.

Judæi cognoscunt, Mahumetum esse prophetam ex frivolis argumentis. 49. a. 1.

L.

Lunæ fissæ miraculum factum à Mahumeto. 16. c. 1.

M.

Mahumetus evadit hostes suos auxilio telarum aranearum. 58. a. 1.
Lactatur cum Racana gigante. 44. c. 2.
Ignorat, quò fugerit camela sua. 38. b. 2.
Fatetur, se nescire futura etiam de se, & suis. 64. b. 1.
Adulterosus fugit à muliercula irata. 39. a. 1.
Affirmat, se tactum fuisse in dorso à Deo. 20. c. 1.
Nulla miracula se fecisse, nec se missum esse ad miracula facienda plerique restantur in Alcorano. 7. c. 2.
Illum prophetas omnes in miraculis faciendis superasse affirmant Scriptores Moslemi. 30. b. 1.
Quomodò cognitus fuerit à Judæis esse verus propheta. 49. a. 1.
Spuito suo convertit aquas amaras in dulces. 38. c. 1.
Illius odor fabulosus. 42. a. 2.
Transferur noctu in Cœlum. 17. b. 2.
Anathematizatur à Corasinis. 39. b. 2.
Illius miracula. V. Miracula.
Miraculorum illius veritatem quomodò probent Moslemi. 30. a. 2.
Vaticinia, ac prædictiones ab eo factæ. 46. & deinceps.
Traditur illi venenum à Judæa, ex quo periit. 38. b. 1.
Fallax fuit in suis vaticiniis. 28. c. 2.
Barbara illius sævities. 41. c. 1.
Mahumetanorum propitium mentiri, vel decipi in rerum suarum, & alienarum narrationibus. 56. c. 1.
Mahumetani, & Hebræi citant mendaciter in suis narrationibus testes de visu. 54. a. 1.
Mahumetanorum intestina odia, ac bella civilia. 29. c. 2.
Mahumetana Secta evidenter falsa. 74. c. 1.
Mensa è cœlo demissa ad preces Christi. 6. c. 1.
Miraculum quid sit, & tria ejus genera. 4. c. 2.
Miracula plurima Christum fecisse affirmat Alcoranus, & Mahumetani. 5. c. 2.
Miracula apud Judæos cessaverunt post Christi adventum. 74. c. 2.
In Christiana religione semper miracula fuere. 75. a. 1.
Miracula perseverantia, & continua in Christiana religione. Vide in Appendice.
Miracula requiruntur in testimonium veræ religionis. 3. c. 1.
Et etiam ad jam fundatæ conservationem necessaria, & utilia sunt. 74. a. 2.
Quomodò hæc vera esse probentur in Christiana religione. 60. a. 1.
Miracula apocrypha, vel ficta tribuunt Christo Mahumetani, quamvis vera, & certa non negent. 6. a. 1.
Miraculi falsi ex nimia credulitate vulgare commune est omnibus sectis. 59. a. 2.
Mahumeti miracula in ipso Alcorano sexaginta millia numerant Mahumetani. 14. a. 1.
Maximum Mahumeti miraculum est ipse Alcoranus. 69. b. 1.
Miracula Mahumeti ex Alcorano falsa, & imaginaria. 14. a. 1.
Recensentur, & trutinantur. 30. b. 1.
Quomodò ea probent Moslemi. 33. c. 2.
Miracula tributa Mahumeto à Moslemis circa elementa. 30. b. 2.
circa animantia bruta, homines, & dæmones. 31. c. 1. circa arbores, & ligna. 32. c. 2. circa aquam, cibos, & dactylos. 33. c. 1.
circa lapides. 34. b. 2. circa auxilium Angelorum. 34. c. 2.
circa vindictam sumptam à Deo ex hostibus ejus, & custodiam illius. 35. c. 1. circa efficiam precum ejus apud Deum. 36. c. 2.
Quomodo probent Moslemi veritatem miraculorum Mahumeti. 30. a. 2.
Miraculum nullum se fecisse, nec facere potuisse, aut debuisse testatur sæpissimè Mahumetus ipse in Alcorano ob rationes satis frivolas ab ipso allatas. 7. c. 1. 12. b. 2.
Miracula apud Mahumetanos nulla, nisi frivola, aut fabulosa. 76. a. 1.
Miracula Dervisiorum, seu Sanctonum Mahumetanorum falsa sunt, & præstigiosa. 77. c. 2. 81. a. 1.
Miracula Ethnicorum ficta, vel per artem dæmonis. 64. a. 2.
Mosicima pseudoprophetæ æmulus Mahumeti. 38. c. 1.
Moyses mittit exploratores in terram Canaan. 55. b. 1.

N.

Nagerensium Christianorum legatio ad Mahumetum. 42. a. 1.
Nephes Ogli finguntur nasci ex Virginibus. 78. c. 2.

O.

OG Rex Basan, & fabulæ portentosæ de illo. 55. b. 1.
Orationes Mahumetanorum, v. Preces.

Digitized by Google

INDEX

P.

Paradisi arbores, flumina, &c. 19. c. 1.
Paradisi puellæ. 20. c. 1.
Essidero monstra. 19. c. 1.
In eo reperiuntur asinus Christi, equus S. Georgii, canelus Mahumeti, canis septem dormientium, & aries Habelis. 79. a. 2.
Pharetra genita à Mahumeto ex aqua Paradisi. 20. a. 2.
Prædictiones factæ à Mahumeto. Vide Mahumetus. Vaticinia.
Preces à Deo constituæ Mahumetanis. 19. a. 2.
Prophetia quænam vera sit, & quæ fallax. 28. a. 1.
Quænam fuerit in Mahumeto. 28. a. 1. 22. c. 2. Vide Mahumetus.

R.

Religioni vetæ fundandæ, & conservandæ miracula utilia sunt, & necessaria. 3. & deinceps. 71. a. 2.
Romæ Urbis fabulosa, ac portentosa descriptio. 58. a. 1.

S.

Sanctones Mahumetani. Vide Dervisii.
Sedrus: arbor prodigiosa in cœlo. 19. c. 1.
Signum in Alcorano acciptur plerumque pro versiculo ipsius Alcorani, non pro ullo miraculo. 13. §. 1.
Sol regreditur ad jussum Mahumeti. 42. c. 2. 43. b. 2.

T.

Templum Jerosolymitanum vidisse se asserit Mahumetus, cum jam esset destructum. 20. c. 1.
Translatio nocturna Mahumeti in Cœlum. 17. b. 2.

V.

Valid Meccanorum doctissimus censet, Alcoranum esse fascinum, ac præstigium. 39. c. 1.
Vaticinium, Vide Prophetia. Divinatio.
Virgines, quæ dicuntur concipere sine opera viri. 78. c. 2.
Visio nocturna Mahumeti. Vide Translatio.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in tertia Prodromi parte continentur.

Primus numerus indicat paginam: Secundus columnam paginæ. Tres characteres a. b. c. principium, medium, ac finem columnæ.

A

Abrogata, & abrogantia in Alcorano. 7. a. 2.
Adoratio quomodò tribui possit creaturæ. 69. c. 2.
Alcoranus est æternus, & in essentia Dei. 89. b. 1.
Est corpus, quod potest converti in hominem, & in bestiam. 75. a. 2.
Nullum habet ordinem rerum, vel temporum, sed ferè omnia sunt in eo hysteron proteron. 7. c. 2.
Ejus inconstantia, & contradictiones. 7. b. 1.
Quidam doctores Moslemi tenent, fieri posse ab hominibus librum illi similem contra id, quod docet ipse Alcoranus. 75. b. 1.
Aly gener Mahumeti in summa veneratione apud Sciitas, scilicet Persas, contra Sonnitas Turcas, & Arabes. 81. a. 1.
Albaitæ præferunt eum Mahumeto, & tribuunt illi divinitatem. 83. a. 1.
Animarum transmigratio Pythagorica. 81. b. 2. quinam illam teneant. 74. c. 2.
Animarum examen post mortem. 90. c. 1.
Arius damnatus in Concilio Niceno, eo quòd negaret Christi divinitatem. 38. a. 2.
Ashcitarum Secta celebris inter Mahumetanos, & illorum mores, præsertim Constantinopoli. 85. c. 2.
Attributa Dei negant Motaczlitæ, asserunt Saphatitæ inter Mahumetanos. 74. c. 1. & 76. a. 2.

B

Batenitæ hæretici Mahumetanorum admittunt sensum mysticum in Alcorano, & Sonna. 84. b. 1.

C

Calamus fabulosus, quo Deus scribit decreta sua. 94. a. 2.
Chaliphæ, seu supremi Antistites Mahumetanorum habiti pro dis. 83. a. 2.
Confebantur habere omnem scientiam, nec posse errare. 83. c. 2.
Quanti fierent à Mahumetanis Sciaitis. 81. a. 2. & 82. c. 2.
Cuegitæ, seu Schismatici Mahumetani, quid sentirent de authoritate Chaliphatum, seu Emamorum, supremorum Religionis Antistitum. 84.
Christi divinitatem, & naturalem Dei filiationem negat Mahumetus, & Mahumetani. 32. c. 1. & 34. b. 2.
Argumenta Mahumeti, & Mahumetanorum contra Christi divinitatem. Ibidem.
Christi divinitas probatur contra eosdem authoritate sacratum Scripturarum. 49. c. 2. & aliis argumentis. 56. b. 2.
Item authoritate veterum Hebræorum. 58. b. Et ex gentilibus, & doctrina ipsorum Mahumetanorum. 59. b. 2.
Christum esse verum Deum, & Judicem futurum in fine sæculi, asserit etiam à multis antiquis Mahumetanis. 74. c. 2.
Idem tenet secta recens eorum, qui inter eos dicuntur Campestahy. 85. c. 2.
Christus in Alcorano vocatur Spiritus Dei, & Verbum Dei, & per consequens Deus. 61. b. 1.
Cur in Sacris literis frequentius humanitas Christi, quàm illius divinitas commemoretur. 43. b. 1.
Christi passio, & mors per crucem negatur ab Alcorano, & Mahumetanis. 63. c. 2.
Sed probatur testimoniis sacratum Scripturarum, veterum Hebræorum, & scriptorum Ethnicorum. 63. c. 2. & 67. a. 2.
Christi mors naturalis per aliquot horas controvertitur apud Doctores Mahumetanos. 64. a. 2.
Christus, juxta Mahumetanos, ereptus fuit à Deo è manibus Judæorum, & translatus vivus in cœlum. 63. b. 1. Judæi verò crucifixerunt alium, in quem Deus conjecerat figuram Christi: & variæ fabulæ circa hoc. 63. b. 1.
Christus rediturus in Mundum, ut sit universalis illius Rex, & victurus usque ad senium juxta Alcoranum. 66. a. 2.
Christus post mortem apparuit Matri suæ. 64. c. 2.
Christi miracula ad utilitatem hominum, non ad jactantiam, seu ostentationem. 42. c. 1.
Christus mutavit in porcos Judæos sibi convicia inferentes. 65. b. 1.
Christos duos fingunt Hebræi, alterum è tribu Juda gloriosum, alterum è tribu Joseph miserum. 68. c. 1.
Christianorum post mortem Christi fabulosa discordia, ac bellum circa illius divinitatem. 57. b. 1.
Christianos religionem suam mutasse volunt Mahumetani. 9. a. 2. & 11. c. 1. Contrarium demonstratur. 10. a. 1.
Christiana religio. Vide Religio
Concilium Nicenum agnoscitur à Mahumetanis. 37. b. 1.

D

Dahatitæ, secta Mahumetanorum volunt Alcoranum, & omnes sacros libros intelligendos esse literaliter, non mystice. 81. c. 1.
Deus, quid de eo credendum sit juxta fidem legitimam Mahumetanorum. 87. c. 1.
Deus est corporeus juxta Mogheititas. 83. c. 2.
Videtur oculis corporeis, & est author peccati juxta Sonnitas, seu Orthodoxos. 88. a. 1. c. 2. & 75. c. 2.
Sedet super Thronum materialem. 77. b. 1.
Quotannis defendit in terram tempore Veris. 77. c. 1.
Loquitur sermone à se creato. 75. c. 2.
Ejus attributa, operatio, locutio, &c. 74. c. 1. & 83. b. 2.
Est author boni tantùm, non mali. 74. a. 2.
Non videtur à beatis oculo corporeo. 74. a. 2.
Non potest esse author peccati. 74. c. 2.
Potest esse author peccati, sed nunquam erit. 74. c. 2.
Non est ubique per essentiam juxta Sonnitas. 93. a. 1.
Attributa ejus negant Kadritæ. 74. c. 1.
Attributa ejus distincta realiter ab essentia juxta Sonnitas, seu Orthodoxos. 89. b. 2.
Dei anima, seu particula ejus transmigravit in Adam, in Aly, & alios. 81. c. 2.
Ejus nomina אל & יהוה dicuntur tantùm de Deo vero. 54. c. 2.
Ejus personæ distinctæ ab attributis. 25. b. 2.
Divinitas tribuitur à Gatabitis Mahumeto, Aly, Phatemæ, & duobus filiis ejus, & hos omnes dicunt esse tem unam. 83. a. 1.
Divinitas Christi. Vide Christus.
Divinæ naturæ unio cum humana asseritur ab Halulitis, & aliis Mahumetanis. 76. c. 2.

E

Evangelium datum esse à Deo, credunt Mahumetani. 89. b. 1. & 44. b. 1.
Emam, seu Summus Pontifex Moslemorum; ejus authoritas, & alia ad eum spectantia. 77. c. 1. Vide Chalipha.

F

Fides quid sit, & an exigat opera. 80. a. 1.
Fidei Christianæ Catholicæ professio facienda ab Orientalibus. Vide Appendicem in fine hujus tertiæ partis.
Fideles morientes sine pœnitentia damnantur. 74. a. 2.

G

Gabriel erravit accipiens Mahumetum pro Aly, ad quem missus fuerat à Deo, ut constitueret eum prophetam. 81. a. 1.
Gehennam non fore æternâ pro fidelibus tenent Mahumetani. 92. a. 1.
Ejus æternitas controvertitur apud Moslemos. 75. c. 1.
Georgius Martyr in summa veneratione apud Mahumetanos, quamvis multa fabulentur de eo. 37. c. 2.

Digitized by Google

INDEX.

H

Hæreſes, & ſchiſmata reperiuntur, etiam in vera religione. 72. c. 1.
Homo. Quid ſentiant Doctores Moſlemi de ejus libero arbitrio, actibus, fidelitate, vel infidelitate, meritis, præmio, & pœna in futuro ſæculo. 74. & deinceps.
Hominem catere libero arbitrio, quinam teneant. 76. a. 1.
Hypoſtaſica divinæ, & humanæ naturæ unio. Vide Divinus.

I

Illuminati, ſecta Mahumetanorum, quæ in multis accedit ad veram religionem. 66. a. 2.
Imaginum Sacrarum cultus propugnatur contra Mahumetanos, & Iconomachos. 70. a. 2. 76. c. 2.
Incarnationis myſterium admittunt Halulitæ. 86. c. 4.
Inceſtuoſi, ſecta apud Mahumetanos. 92. a. 1.
Interceſſio Sanctorum apud Mahumetanos. 73. c. 2.
Judæorum ſectæ quot ſucrint. 91. c. 2.
Judicii dies quomodò credendus. 45. a. 2.
Quomodò illum Chriſtus ignoraverit.

L

Lex religionum diverſa, ſed ſubſtantia eadem. Vide Religio.
Lex divina an poſſit explicari, vel diſpenſari ab hominibus. 70. b. 1.
Libri ſacri traditi à Deo centum, & quatuor. 93. c. 2.

M

Magi, ſeu Magufei, quinam fuerint. 5. c. 1.
Magorum ſectæ quotnam fuerint. 73. c. 2.
Mahumetus extractavit, quæ ſancivetat circa religionem. 7. a. 1.
Mahumeti piſcina in Paradiſo. 91. c. 1.
Per errorem collatum fuit illi munus propheticum à Gabriele, qui debebat conſerre illud 79 Aly geneto ejus.
Mahumeranorum ſectæ quot, & quæ. 73. & deinceps. Hę ſunt ſine numero. 86. c. 2. Unam tantùm earum veram, quæ dicit ad ſalutem, aſſeruit Mahumetus. 73. c. 2. Quænam vera, & orthodoxa apud eos cenſeatur. 87. b. 1.
Mahumetanorum ſectæ recentiores. 85. & deinceps.
Mahumetanorum ſectæ plures, quàm Chriſtianorum. 72. c. 1.
Mercurius Triſmegiſtus ſuboluit myſterium Trinitatis. 29. b. 1.
Meſſias. Vide Chriſtus.
Metempſychoſis authores, & ſpecies. 84. c. 1. 86. c. 1.
Eas profeſſores apud Moſlemos.
Monket, & Nakir, Angeli examinatores animarum poſt mortem in ſepulchro. 90. c. 1.
Motaceliæ, & eorum variæ ſchoiæ, & opiniones. 74. c. 1.
Moyſen alloquutus eſt Deus ſine voce, & literis. 89. c. 1.

P

Paradiſus Adæ in ſeptimo cœlo, eſt idem cum Paradiſo Beatorum. 93. b. 2.
Paradiſi multi reperiuntur. 92. c. 2.
Pentateuchum datum à Deo ſatetur Alcoranus. 89. b. 1.
Perſæ habentur ſchiſmatici, & hæretici à Mahumetanis aliis. 85. a. 1.
Perſarum, & Turcarum odia mutua implacabilia cauſa religionis. 72. c. 2.
Perſonæ divinæ. Vide Deus.
Piſcina Mahumeti celebris in Paradiſo. 91. c. 1.
Pœnitentia neceſſaria eſt ad ſalutem æternam. 74. a. 2.
Pontifex Maximus Mahumetanorum. 77. c. 1. Vide Chalipha.
Pontifices ſuos quomodò adorent Chriſtiani. 69. c. 2.
Pontifici Maximo ſuo non obedientes, Schiſmatici dicuntur à Mahumetanis. 77. c. 1.
Prædeſtinatio tota à Deo, juxta Sonnitas. 78. c. 1. Idcò Deus eſſet iniquus, ſi puniret homines propter ea, ad quæ ipſe eos præſtinavit juxta Chaſphitas. Ibid.
Prædeſtinatio divina indueit neceſſitatem. 74. b. 2.
Probabiliſtatum ſchola apud Mahumetanos. 84. c. 2.

R

Religio vera penes quos fuerit. 5. a. 1. 73. b. 2.
Religio vera ſemper eadem quoad ſubſtantialia, & diverſa tantùm quoad ritus, juxta ſententiam Moſlemorum. 4. b. 2.
Religio vera non mutatur propter novas leges, ac ritus, neque propter manifeſtationem myſteriorum antè ignotorum; neque propter hæreſes, aut ſchiſmata aliquorum, neque propter corruptelam morum etiam inſignem. 10. a. 1. & 11. a. 1. & 12. c. 2. & 72. b. 1.
Religio vera exigit, ut certa fide credantur omnia à Deo revelata, etiamſi non ſint fundamentalia.
Religio Chriſtiana ſola vera, atque à Deo inſtituta. 3. & deinceps.
Etiam in ſententia Mahumetanorum, ſaltem uſque ad novam inſtitutam à Mahumeto. 3. & deinceps.
Eidem Mahumetanam ſucceſſiſſe conſendunt Moſlemi. 3. & deinceps.
Nunquam mutata, aut corrupta fuit univerſaliter. 14. a. 2.
Religiones falſæ quænam ſint. 73. b. 2.
Religio vera nunquam defecit, etiam juxta Alcoranum. 15. c. 1.
Religiones omnes approbat, & permiſcet Mahumetus. 5. c. 1.
Religionis Mahumetanæ, fideique communis profeſſio. 87. b. 1.

S

Sabæi, ſeu Sabaitæ quinam fuerint. 5. b. 1.
Sadducæi, ſeu Manichæi, & eorum dogma. 84. b. 2.
Sanctorum interceſſio probatur à Moſlemis. 92. a. 1.
Saphatitæ, & eorum opiniones, ac variæ ſectæ. 76. a. 2.
Scholaſticæ Mahumetanicæ fundamenta, Alcoranus, Traditio, Ratio, & Authoritas Doctorum. 84. c. 2.
Sciaitæ Schiſmatici Mahumetanorum oppoſiti Sonnitis orthodoxis: & hi ſunt Perſæ. 80. c. 2. & 85. a. 1.
Sectæ Mahumetanorum quot, & quæ. 73. b. 2. & 85. & deinceps.
Sepulchri tormentum. 90. c. 1.
Solis, & Lunæ cultores inter Mahumetanos. 86. c. 1.
Sonnitæ. Vide Sciaitæ.
Sotat pons, per quem tranſiturí ſunt omnes poſt mortem. 91. b. 1.
Statera ad ponderanda opera in die Judicii, fabuloſa. 90. c. 2.
Symbolum Nicenum allegatur à Doctoribus Moſlemis. 37. b. 1.

T

Tabula cuſtodita in cœlo, fabuloſa. 94. b. 2.
Tematius numerus myſticus. 28. c. 2.
Thionus Dei fabuloſus. 88. a. 1. & 92. b. 2.
Titianus crucifixus à Judæis pro Chriſto ob ſimilitudinem. 63. b. 1.
Trinitatis factoſanctæ myſterium propugnatur contra Mahumetanos. 16. a. 2. & deinceps.
Trinitatis nomine Alcoranus, & plerique Mahumetani intelligunt Deum, Chriſtum, & Mariam. 17. a. 1. Vel explicant illud juxta ſenſum hæreticorum Orientalium. 17. c. 1.
Quibus argumentis illud oppugnent Moſlemi. 18. a. 2.
Explicatur catholicè. 23. b. 2. & probatur authoritate Sacrarum Scripturarum. 19. a. 2. Authoritate Veterum Hebræorum. 26. c. 1. Principiis ipſorum Mahumetanorum.
Ex effatis Philoſophorum antiquorum, Zoroaſtri præſertim, & Triſmegiſti. 28. c. 2.
Rationibus etiam aſſeritur ejus poſſibilitas, & probabilitas. 25. a. 1.

INDEX
RERUM NOTABILIUM,

Quæ in quarta Prodromi parte continentur.

Primus numerus indicat paginam; Secundus columnam paginæ. Tres characteres a. b. c. principium, medium, & finem columnæ.

A

Adæi populi portentosæ staturæ. 92. a. 2. Vide Hud.
Abraham quomodo cognoverit verum Deum. 90. b. 2.
Disputat de Deo cum patre suo. 90. a. 2.
Disputat cum Nemrod de Deo. 84. a. 2.
Tentatur à Deo, & quomodò juxta Mahumetanos. 82. a. 2.
Ædificat cum Ismaele templum Meccanum. 82. c. 2.
Sacrificium illius de avibus fabulosè refertur. 83. c. 2.
Frangit idola genitis fœx. 107. a. 1.
Projicitur in fornacem, unde liberatur à Deo. 107. b. 1.
Fuit Mahumetanus. 87. c. 1.
Achroniſmi turpiſſimi in Alcorano, & ejus Expoſitoribus. 86. a. 1.
Adam creatur à Deo: adoratur ab Angelis: peccat comedendo pomum vetitum: ejicitur è Paradiſo: agit pœnitentiam: viſitat Templum Meccæ: gignit ex Heva plures abortivos, & aliæ fabulæ de eo. 79. c. 1. & deinceps.
Status ejus in Paradiſo. 106. c. 2.
Erat ſtatura ſublimis, ſicut palma. 91. b. 1.
Habebar in renibus, ac lumbis animas omnium hominum. 95. b. 2.
Adam, & Heva obtulerunt Diabolo primum filium, vocantes eum nomine illius, ſed ſtatim mortuus eſt. 95. b. 2.
Ægyptiorum opes omnes mutatæ ſunt in lapides per Moyſen. 96. c. 2.
Ælopus ſub nomine Locmani celebratur in Alcorano, ut ſapiens, ac Sanctus. 111. c. 1.
Agonizantes in morte quomodò adjuvent Moſlemi. 15. c. 2.
Alcoranus contradicit Pentateucho. 110. a. 2.
Multa illicita concedit. 70. a. 2.
Plura ejus mendacia, præſertim contra ſacras hiſtorias. 93. b. 1. & 97. a. 2. & 80. b. 1.
Fabulæ ejus, & commenta impia, ridicula, ac ſuperſtitioſa. 76. b. 2.
Multa continet injuſta, & contra legem naturæ. 7. b. 2.
Alex ludus damnatur ab Alcorano. 39. a. 1. 2.
Alexandri Magni hiſtoria fabuloſa. 104. c. 1.
Ancillarum uſus ad coitum, etiamſi non ſint uxores, conceditur ab Alcorano. 71. b. 1.
Angeli boni ſunt tortores peccatorum in Gehenna. 120. c. 2.
Angeli habent multas alas. 112. c. 2.
Angeli duo ebrii vino tentant pudicitiam fœminæ. 38. a. 1. & docent homines magiam; & ideò puniuntur à Deo. 82. a. 1.
Apoſtoli rationabiliter prohibent quoſdam cibos. 40. b. 2.
Arabes falsò aſſerit Alcoranus eſſe optimos omnium gentium. 88. a. 1.
Arca Noe juxta Alcoranum accepit plures, quàm octo. 97. a. 1.
Aries immolatus pro Iſaac, prius fuerat Habelis, & adductus fuit è Paradiſo à Gabriele. 116. b. 1.

B

Beati è feneſtris Paradiſi conſabulantur cum damnatis in Gehenna. 91. c. 1.
Bellum ſub ſpecie religionis ferè in toto Alcorano inculcat ſuis Mahumetus. 60. a. 1.
Bella prodigioſa conficta à Mahumetanis. 110. b. 1.
Bellæ reſuſcitandæ ſunt in die Judicii. 122. c. 1.

C

Celum, juxta Alcoranum, retinetur à Deo, ne cadat ſuper terram. 108. c. 1.
Cælo, & terræ creatio ab Alcorano perperam poſita. 117. c. 2. & 122. c. 1.
Cain, & Habel hiſtoria fabuloſa. 88 c. 2.
Cenſus facer Mahumetanorum. 19. b. 2.
Characteres ſuperſtitioſi in principio quarundam Surarum in Alcorano. 78. a. 1.
Chriſtus adhuc infans alloquitur Judæos. 103. c. 1.
Rediturus eſt in Mundum, & in eo regnaturus, & deindè moriturus ſenex. 87. c. 1.
Deſcendere ſecit menſam è cœlo. 89. c. 1.
Cur voluerit circumcidi. 40. b. 1.
Promiſit adventum Mahumeti. 120. b. 2.
Chriſtiana religio vera, Mahumetana falſa demonſtratur. 3. b. 1.
Chriſtianorum pietas in eleemoſynis, & aliis piis operibus, longiſſimè ſuperat falſam pietatem Mahumetanorum. 32. b. 2.
Ciborum quorundam prohibitio rationabiliter facta fuit ab Apoſtolis. 40. b. 2.
Ciborum mundorum, & immundorum diſcretio, ſtultè, & impiè retruſa à Mahumeto. 40. c. 1.
Circumciſio per Meſſiam tollenda erat. 39. b. 2.
Circumciſio Mahumetanorum noxia pudicitiæ. 39. c. 2.
Circumciſio puellarum apud Moſlemos. 39. c. 2.
Circumciſionis nulla fit mentio in Alcorano. 39. c. 1.
Cœlibatus. Vide Virginitas.
Conjugium jam contractum cum matribus in Ethniciſmo confirmat Mahumetus proſelytis ſuis. 75. b. 1.
Conjugia ſuorum cum Judæis, & Chriſtianis concedit Mahumetus. 72. b. 1.
Conjugalis copulæ uſum ſpurciſſimum concedit Mahumetus. 6. c. 1.
Contrapaſſus. Vide Talio.
Core inſolefcit in Moyſen propter immenſas divitias ſuas. 111. a. 1.

D

David. Subjecit ei Deus montes, & aves: docuitque eum artem loricas faciendi. 107. b. 2.
Reprehenſio facta illi à Nathan veritur ab Alcorano in fabulam. 116. c. 1.
Defunctos exequiis, & eleemoſynis honorant Moſlemi. 15. c. 2.
Deum ſæpè vanè, & impiè jurantem introducit Alcoranus. 113. a. 1.
Dormientium ſeptem Sanctorum Epheſi hiſtoria fabulis admixta. 103. a. 1.

E

Eleemoſynæ quibus ſint erogandæ. 20. c. 2.
Eleemoſyna Mahumetanorum, ejuſque ſpecies, & leges circa illam. 19. b. 2. & 31. a. 1.
Eleemoſynæ Mahumetanorum pleræque eoadæ, tanquam cenſus, aut tributum, vel decimæ, præſertim ad expenſas belli. 31. a. 1.
Eleemoſynæ eorundem ſpontaneæ ſunt ex rebus parvi momenti, & plerumque ex ſculentis, & poculentis: ſæpè etiam in rebus inutiles, ac vanas, ut in aleados canes, feles, volucres, &c.
Eleemoſynæ eorum compenſantur ab ipſis per furta, fraudes, & rapinas, præſertim advenarum. 32. b. 1.
Eleemoſynæ Ethnicorum Indorum multò plures ſunt, quàm Mahumetanorum. 32. c. 1.
Eleemoſyna, & pia opera Chriſtianorum longiſſimè ſuperant omnes eleemoſynas, & pia opera Moslemorum. 32. b. 2.
Eleemoſynæ, aliaque pia opera Romæ, præſertim Summorum Pontificum. 33. c. 1.
Eſalmiticæ, ſeu Mahumeticæ religionis præcepta. 8. c. 1.
Euangelica lex ſummæ perfectionis, & ſanctitatis. 7. b. 2.
Ezechielis viſio cap. 37. de mortuis ſuſcitatis, permiſcetur ab Alcorano, & ejus Expoſitoribus cum multis figmentis. 83. b. 1
Ezra introducitur ab Alcorano in ſcenam cum multis fabulis. 84. c. 2

F

Fatum aſſignatur ab Alcorano unicuique hominum. 102. a. 2.
Fidei abnegatio exterior, dummodò retineatur in corde, abſolvi-

Digitized by Google

INDEX

solvitur à peccato per Alcoranum . 71. c. 2.
Franciscanorum religiosorum fustentatio est magnum, & perpetuum miraculum Dei. 32. c. 2.

G

Gabrielis Archangeli equus Haitum . 106. b. 2.
Gamalielis dictum circa vetitatem Actis Apostolorum discutitur. Christianæ religionis in 69. c. 2. 101. c. 2.
Gehenna habet septem portas. Ingressuri sunt in eam omnes boni, & mali: sed boni liberabuntur. 105. c. 2.

H

HAbel, & Cain, & de his figmenta. 88. c. 2.
Harut, & Marut duo Angeli, qui docebant homines artem magicam, puniti à Deo propter tentatam fœminæ pudicitiam. 82. a. 1.
Heber Idem, ac Hud; fuit magnus propheta. 92. c. 2.
Hebræi possederunt terram Ægypti post demersum Pharaonem. 108. b. 1.
Hud mittitur legatus à Deo ad Aadzos. 92. c. 1.

I

JAcob vovit abstinentiam à carne, & lacte cameli, si convalusset à sciatica. 27. c. 2.
Idololatria non fuit ante diluvium. 92. c. 2.
Idololatriæ peccatum numquam dimittitur à Deo juxta Alcoranum. 73. c. 1.
Jejunium Mahumetanorum ridiculum, & absurdum. 34. c. 1.
Jejunium Christianorum, etiam si hodie aliquantò laxius, quàm in suis principiis, difficilius est jejunio Moslemorum. 31. b. 1.
Jethro, seu Scioaib, prædicat Madianitis. 93. c. 1.
Job, & historia ejus fabulosa. 117. b. 1.
Joseph filius Jacob: historia ejus depravatur, fabulisque commenditiis corrumpitur ab Alcorano. 98. b. 1.
Ismael laudatur, tanquam propheta. 103. b. 2.
Illum fuisse offerti in sacrificium, non autem Isaac docet Alcoranus. 116. b. 1.
Judæi puniti à Deo per Goliam, & Nabuchodonosor, quia occiderant Zachariam, & Joannem Baptistam filium ejus. 102. c. 1.
Judicii dies durabit mille annos. 121. b. 2. Quinquaginta mille annos. 121. c. 2.
Juramentum falsum temere, & sine plena advertentia prolatum, ab omni culpa excusat Mahumetus. 47. b. 2.
Improbantur, quæ circa juramenta statuit Alcoranus. 46. c. 1. & 46. b. 2.

L

LEgati missi à Deo ad varias gentes. 92. b. 1.
Leges multæ injustæ in Alcorano. Ibidem. 5. c. 2.
Lex nulla injusta, aut mala in Euangelio. Ibidem.
Locman vixit ætatem septem aquilarum. 92. c. 2. Vide Æsopus.
Lot prædicat Sodomæis. 93. b. 1.
Lotiones Mahumetanorum, earumque ritus. 19. b. 1.

M

MAgi Pharaonis credunt Moysi, & motiuntur martyres. 95. c. 2.
Mahumetum Deus promisit Moysi. 95. c. 1.
Mahumetus dæmonibus, & convertit eos. 118. a. 2. 107. c. 2.
Mahumetus prædicat Alcoranum coram populo.
Deceptus à Diabolo profert blasphemiam coram populo.
Fuit hostis Virginitatis, & celibatus. 107. c. 2.
Judicium ejus iniustum, ac perversum. 57. c. 1.
Nuptiæ cum incestæ cum Zenobia uxore Zeidi filii sui adoptivi cum scandalo totius populi. 88. b. 1.
Fuit pronus ad vindictam ab ipsa infantia. 51. a. 1.
Violat juramentum à se factum victus à libidine. 65. c. 2.
Cum vidit se victibus potentem, violentèr invexit religionem suam. 48. c. 1.
Ingeninm ejus versipelle, ac malignum. 62. b. 1.
Suspectus apud suos de furto. 88. c. 1.
Mahumetanæ sectæ præcepta, seu radices. 8. c. 1.
Mahumetana religio nulla est, quia nullum habet sacrificium, aut Sacerdotium. 41. a. 1. 42. b. 2.
Mahumetani prædicti in Pentateucho, & Euangelio. 119. a. 1.
Vini, & ebrietatis amicissimi contra legem suam. 38. c. 2.
Eorum obstinatio in suo errore unde proveniat. 124. a. 1.
Maria Virgo, & filius ejus soli immunes ab omni peccato etiam originali, juxta Mahumetanos. 86. b. 2.
Matiæ Virginis nativitas, & præsentatio in Templum incustodiam Zachariæ. 36. b. 2.
Ejusdem annunciatio ab Angelo, conceptio Christi, & partus cum multis figmentis. 105. a. 1.
Matiam Deiparam confundit Mahumetus cum Maria filia Amram, sorore Moysis. 85. c. 2.
Matrimonii impedimenta ab Alcorano posita. 74. a. 2.
Impedimentum ex factatione vanum, & irrationale. 75. a. 1.
Matrimonium Mahumetanorum contractum ad certum tempus in peregrinatione Meccana. 36. a. 1.
Meccæ Templum, & fabulæ de eo. 82. c. 2.
Meccæ facta loca visitanda à peregrinis. 23. b. 2.
Menia à Christo obtenta è cœlo. 89. c. 1.
Monasticæ vitæ usum abrogavit à suis Mahumetus. 57. c. 1.
Monogamia contra polygamiam variis argumentis asseritur. 54. c. 1.
Mortui. V. Defuncti.
Moysés falsò imputatus de morbo herniæ, defenditur à Deo. 112. a. 1.
Apparitio facta illi in rubo, mendaciis referta. 106. a. 1.
Illius cum Josue, & Phineés itinerario fabulosa. 103. c. 1.
Disceptatio ejus cum Pharaone, & Magis. 93. a. 2.
Mundos plures credidit Mahumetus, & cum eo credunt Mahumetani, & Hebræi. 76. b. 2.

N

NOc mittitur à Deo ad prædicandum genti suæ. 92. b. 1.
Falsò tribuit ei Alcoranus quartum filium, qui periit in diluvio. 97. c. 1.

O

ORatio, & requisita ad eam. 13. b. 2. 16. b. 2. 17. &c.
Orationes quinque præscriptæ Mahumetanis. 12. c. 2. Constituunt potius in actibus hypocriticis ad ostentationem, quàm ad veram pietatem. 29. a. 2. Magna eorum in ipsis attentio, præsertim exterior, minor est, quàm attentio Diabolamanum & aliorum infidelium, & in utrisque patet credi esse actum diaboli. 29. b. 2. Rursus harum orationum delumptus est ab Hebræis Ethnicorum. 30. c. 2.
Orationes Mahumetanorum pro diversis rebus, & personis, ut infirmis, itinerantibus, mortuis, pluvia, &c. 15. a. 1.
Orationi semper præmittenda purificatio corporea. 13. c. 1.
Oratio supererogationis Mahumetanorum. 14. c. 2.
Orationes Christianorum meliores, & plures, quàm orationes Moslemorum. 29. c. 2.

P

PAradisus Alcoranicus æquat cœlum, & terram. 88. b. 2.
Ejus felicitas tota consistit in arbotibus, fontibus, pomis, vestibus pretiosis; in comedendo, bibendo, in pueris, in puellis, lectulis, denique in Veneris oblectamentis, & spurcitiis. 78. c. 1. 115. b. 2. 119. 120. 122. 123. Et fetè per totum Alcoranum.
Peccatum etiam contra fidem excusat Alcoranus, si fiat ex timore, aut necessitate. 71. b. 2.
Peregrinatio Meccana, & ritus illius. 23. a. 1. Et quid in Mecca à peregrinis tractandum ex pecoribus. 36. a. 2. 26. a. 1.
Instituta à Mahumeto non tàm ad pietatem, quàm ad meretaturam, aliasque causas temporales. 36. c. 2.
Illius origo fabulosa, & suspectiones. 35. c. 2. 24. c. 2. 36. a. 1.
Peregrinationum Christianorum, & præsertim Romanæ, quanta sit pietas, & religio. 32. b. 1.
Penitium temerè prolatum ab omni culpa, & pœna absolvit, ac purgat Mahumetus. 47. b. 2.
Pharao extruxit turrim pertingentem usque ad cœlum, ut pugnaret contra Deum Moysis. 110. b. 2.
Dum submergeretur, credidit in Deum. 96. b. 2.
Asia uxor ejus fuit sancta, & martyr. 121. a. 1.
Polygamia à Mahumeto concessa multis argumentis improbatur. 52. c. 1. 52. 53. 54. 56.
Pontificum Romanorum profusissima liberalitas in elecmosynis, ac rejicitur. 33. c. 2.
Pontificum Ædibus, aliisque piis operibus, sacris Ædibus, aliisque piis operibus. 87. b. 2.
Prophetæ omnes fuerunt in Monte Synai cum Moyse, ubi prophetare missi illis Deus Mahumetum. 87. b. 2.

Puden-

Digitized by Google

INDEX

Pudenda quæ censeant Mahumetani in viris, & quæ in mulieribus. 13 a.1.
Purificationum Mahumetanorum ritus. 18.b.1.
Earundem vanitas, superstitio, & spurcitia. 9.c.2.27.a.1.28.c.2.

R

Regina Saba: Congressus ejus fabulosus cum Salomone. 109. a. 1.
Religio Christiana non refugit, ut Mahumetana, disputationes, cùm sit certa de veritate fidei suæ. 68.a.2.
Religio vera non dignoscitur à falsa ex una, vel altera tantùm nota, sed ab omnibus notis simul unitis. 5. b. 1.
Religio Christiana fundata, & propagata, non armis, aut potentia hominum, ut secta Mahumetana, sed virtute Dei, & sanctitate illam prædicantium. 62. c. 2.
Religio falsa aliquandò in quibusdam virtutibus moralibus apparet melior, quàm vera. 4.c. 2.
Repudium uxorum à Deo aliquandò toleratum, à Christo sublatum, & damnatum, à Mahumeto renovatum, Divinis, atq; humanis rationibus rejicitur, ac reprobatur. 49. 50. 51.
Repudium quoddam iniquissimum, & divinæ legi expressè contrarium, nempè pro tertia vice; sancit Alcoranus. 7.a.1.
Romadan mensis sacer pro jejunio Moslemorum. 21. a. 2.

S

Sabbathum electum ab Hebræis pro die Veneris contra voluntatem Dei. 102. a. 1.
Sabbathi violatores convertuntur à David in simias. 81. a. 1.
Sacrificium nullum, aut Sacerdotium apud Mahumetanos. 41.a.1.
Saleh propheta missus à Deo ad Themudæos, educit è petra camelam prodigiosam cum pullo. 92. c. 2.
Salomon habuit tres exercitus, hominum, dæmonum, & volucrum. 109.c.1.
Cognoscitur, & fugitur à Regina formicarum. ibid.
Colloquitur iratus cùm upupa. ibid.
Quid ei evenerit cum Regina Saba. ibid.
Privatur regno per fraudem cujusdam dæmonis, qui assumpta ejus figura interim sedet in ejus Throno: Sed tandem regnum recuperat. 116.c. 2.
Deus subjecit illi dæmones, qui illi in variis ministeriis inservirent. 107.b.2.
Mors illius portentosa. 107.b.2.
Dæmones conantur abscurare famam ejus post mortem. 82.a 1.
Sara audiens Angelos promittentes Isaac, agitur in furias. 119. c. 1.
Saul eligitur in Regem, admixtis multis fabulis. 84.a.1.
Confunditur ab Alcorano cum Gedeone. ibid.
Sodomiticum usum concedit Mahumetus inter conjugatos exemplo Hebræorum. 70.b.2. & suo, 6. a. 2.
Inter masculos levissimè punit, ac ferè pertransit, ac dissimulat. 71. a. 1.

T

Talionis lex ab Alcorano statuta, & à Christo rejecta, ex multis capitibus improbatur, & damnatur. 44. b. 1, 45. c. 1.
Talionis lex in Pentateucho lata explicatur. 44.c.2.
Terram ante cœlum creatam asserit Alcoranus. 79.a.1.
Terræ sunt septem, sicut cœli. 120.b.2
Tuba prima vice sonante in die Judicii morientur omnes homines, & Angeli. 117.a.2.
Fabulæ de ea. 106. b. 2.

V

Vaccæ rufæ immolatæ à Moyse fabulosa narratio. 81.c.1.
Vindictam privatam concedit, & approbat Alcoranus tanquam meritoriam apud Deum. 64. c. 2.
Vindicta privata est contra publicum bonum, & contra omnes leges divinas, & humanas. 64.65.66.
Vini prohibitio facta à Mahumeto, stulta, bestialis, & impia. 37. c. 2.
Causæ prohibendi vini à Mahumeto. ibid.
Mahumetus ipse vinum per aliquod tempus probavit. 38. b. 2.
Illius usus semper licitus per se ubique, & à sacris scripturis approbatus, & laudatus.
Ab eo abstinere ex motivo virtutis, laudabile. 39.a.1.
Virginitas à Mahumeto pro suis asseclis ablegata, laudata tamen ab eo in Christo, & Christianis. 57.c.1.58.c.1.
Non minuit multitudinem hominum ob defectum generationis, ut apparet in Christianis respectu Mahumetanorum. 59. a. 1.
Virtus moralis non est certum argumentum veræ religionis, & sæpè habet causas naturales. 3.c.1.
Vitulus adoratus ab Hebræis erat vivus, animatus à Samarita per pulverem pedum equi Gabrielis. 94.c.2.

ERRO.

Digitized by Google

ERRORUM CORRECTIONES

Prior numerus indicat paginam: posterior columnam. Character a. primam partem paginæ, seu columnæ: b. mediam: c. ultimam.

In vita Mahum. & in tract. de Alcor. Pag. 2. c. *lege* hebescant. p. 3. a. exorsus sum. pag. 23. 1. c. cœpit se convertere. pa. 38. 1. b. Mahumeto. In Prima P. Prodr. Pag. 7. 1. 2. ab Abuhoreira. pag. 26. 1. c. jam dum. pag. 27. c. & non fuit corporeus. pag. 34. 2. c. nihil prædictum. pag. 38. 1. c. & dimisit eam. pag. 39. 1. c. otibus. pag. 44. 1. a. cum nubes. In Secunda Par. Pag. 2. b. est averso. pag. 12. 1. c. primis. pa. 14. 2. a. & Æthiopiæ. pa. 16 1. a. interceos. p. 17. 2. c. ecce vox. pa. 18. 1. c. quorum singuli habebant. pag. 28. 2. b. cui tamen. pag. 47. 1. b. octoginta. ibid. c. nummorum. ibid. 2. a. Juro. ibid. b. Hegiræ. pag. 48. 1. c. traditionum. pa. 49. 1. c. objecerunt. p. 71. 2. c. inter ruticos. In Tertia P. pag. 25. 1. a. eò quòd sit Deus. pag. 33. 2. a. filiæ Dei. pag. 39. 1. a. invenimus. pa. 41. 1. a. adde. Et quomodò non alligavit Satanam pro seipso, antequàm alligaret illum pro gente sua? pag. 78. 1. a. adde opposita sententiæ. p. 88. 1. a. illum thronus. In Quarta P. Pag. 4. col. 2. a. accidit. pag. 12. 1. c. fieiatim. ibid. 2. b. ut lotium. p. 19. 2. a. explicit. p. 34. 1. a. Sed qui eleemosynam dederit pro ea; *vertendum erat:* Sed qui condonaverit eam. Vide in Refut. Alcor. ibid. redimi posse pecunia: *corrigendum est*, condonari posse ab adversario. p. 50. 1. a. dimisit. pa. 61. a. firmabit.

Errorum, qui in lingua Arabica exciderunt, Correctiones.

Lectorem obiter monemus, lineas, quibus litteræ inter se conjunguntur (spatia Typographi vocant) extremitates alicubi habere justo crassiores, quòd ideò monemus, ne quis suspicetur, ea crassitie exprimi litteram م, quæ in nostris characteribus ubique est aperta.

In vita Mahu. pag. 17. lege نزوله. ibid. بال. pag. 18. البقرة. pag. 19. خصلة. pag. 42. ديوان. In prima parte pag. 5. امنا. pag. 6. فاصل. ibid. حدثني. pag. 11. بمحمد. pag. 22. مصيحا. pag. 36. وهو اخر الانبياء. pag. 37. غرة. In 2 par. pag. 1. وجرى. pag. 4. V. ibid. توجه. البلغاء. pag. 8. ولو. pag. 9. كلم. pag. 10. هولاء. ولو ارسلنا الى. ibid. يعصمون. ibid. حشرنا. pag. 11. قال بينما انا. pag. 17. ابتنيتها. ibid. ترقى. Sic لرقيك. ibid. اذ اوتيت برجل شق لي. pag. 23. مبغليين. pag. 24. ولن تفعلوا. pag. 31. حتى راديت. ibid. لقص. pag. 36. اجابته. ibid. والعافية. pag. 48. العيسى. pag. 54. ونزى. ibid. لحجاج. ibidem العزى. pag. 57. كبار. ibid. واصحاب. pag. 60. كفروا فضرب الرقاب. ibid. تعملون. pag. 63. فعاقبوا. pag. 82. كلامهما. ibid. ننق. pag. 67. العلا وان. pag. 68. احكم. pag. 69. منافستهم. pag. 73. امضى. pag. 76. فاخذت. pag. 81. راتى. In 3. parte pag. 4. وشامتها. ibid. اهل الانجيل. pag. 12. وجعلنا في ذريتها. ibid. ولا عبده. pag. 17. وافترقت. pag. 18. مبدا. ibid. بكلام. pag. 25. باطله. pag. 29. بعلسم هو. pag. 31. شبي. pag. 36. الذي يخرج من ابيه روح مجيبة. ibid. والاحياء. pag. 37. حل. pag. 40. زاد. pag. 43. اعظم من سيده ولا للرسول ان يكون. pag. 44. اجرا على بعده. ibid. اعلموا. pag. 47. اعظم سمن ارسله. ibid. كنيسكم. ibid. واتبع كلامهم طايفة قالوا بقولهم. pag. 49. وان الله يكلل. pag. 51. جواز. pag. 77. الدجدات. وكتبهم. pag. 93. جوريا ومن اجل. In Profess. Fidei num. 15. البنية. num. 17. ذلك المسيح كله. In 4. parte pag. 8. النجمات. ibid. وبداية. ibid. يقزاورون. ibid. ما عمر. pag. 9. التوبة. pag. 26. هس. pag. 32. والربداء. adde للهجل. pag. 52. تعدلوا. pag. 59. الاخلاق. ibid. اتخننتموهم. ibid. تعملون. pag. 82. يثبت. بنصركم. pag. 109. كالذين انزا. pag. 116. فذبحه. pag. 120. ضرب. Reliqua minoris momenti, vel ex te ipso, vel ex Versione latina, Benigne Lector, corrigere poteris.

NOI

NOI REFFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOVA.

HAvendo veduto per la fede di reviſione, & approbatione del P. F. Antonio Leoni Inquiſitore nel libro intitolato: *Prodromus ad Refutationem Alcorani, compoſto da Lodovico Marraccio Chierico Regolare*, non vi eſſere cos' alcuna contro la Santa fede Cattolica, & parimente per atteſtato del Segretario noſtro niente contro Principi, ne buoni coſtumi, concedemo licenza, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gl' ordini in materia di ſtampe, e preſentando le ſolite copie alle publiche librarie di Venetia, e di Padova.

Dat. 24. *Marzo* 1692.

(Ferigo Marcello Proc. Reff.
(Aſcanio Giuſtinian II. K.r Reff.

Agoſtino Gadaldini Segret.

Adi 2. *Ottobre* 1697.
Regiſtrata nel Magiſtrato Eccell. degl' Eſſecutori contro la beſtemmia.

Antonio Canel Nodaro.

Digitized by Google

NOI REFORMATORI

DELLO STUDIO DI PADOVA.

PRODROMI

AD REFUTATIONEM

ALCORANI.

PARS SECUNDA,

In qua, nullis unquam veris miraculis Mahumetum, aut Mahumetanos, Sectam ſuam confirmaſſe; quemadmodum Chriſtus, & Chriſtiani Religionem ſuam confirmavere, probatur.

Digitized by Google

PROOEMIUM.

VIdimus jam, nullum in Sacris veteris, novique Teſtamenti Scripturis Mahumetanicam Sectam fundamentum habere; quamvis Mahumetus in Alcorano tàm frequenter earundem auctoritatem pro ſe jactet: & quidquid in illo docet, Prophetarum, & Apoſtolorum ſcitis, & oraculis conforme prorſus eſſe, ſimplicioribus, & ignaris perſuadere conetur. Teſtimonia etiam illa, quæ Moslemi Doctores ex aliis libris nobis ignotis, vel ex rancida majorum traditione, ad Prophetæ ſuo fidem, auctoritatemque conciliandam congerunt; vana, ficta, & nullius momenti eſſe manifeſtè demonſtravimus.

Sequitur nunc, ut alterum Moslemiticæ ſuperſtitionis fundamentum, quod in miraculorum auctoritate conſtituunt, tamquam nullius ſubſiſtentiæ, & mendaciis, ac fabulis, non veris miraculis ſubſtructum, convellamus, penitusque amoliamur; id quod in ſecundo hoc Tractatu, Deo favente, feliciter, ut ſpero, faciemus.

CAPUT PRIMUM.

Utrum ad certum veræ Religionis argumentum miracula neceſſariò requirantur: & quid propriè ſit miraculum in ſenſu à nobis requiſito.

NUlli dubitare fas eſt, quin potuerit Deus Optimus Maximus, abſque ullo miraculorum adminiculo, legem ſuam hominibus evulgare, veramque Religionem inter eos inſtituere, inſtitutamque conſervare. Poterat quippe eam vim, quam ad perſuadendum habent miracula, internorum afflatuum efficacia ſupplere, ac luce adeò clara intellectum illuſtrare, ut nullo modo poſſet de iis, quæ ſibi credenda, vel facienda proponerentur, dubitare. Nihilominus magis hominum utilitati congruum, ſupremæque providentiæ ſuæ convenlens eſſe judicavit, ſi unà cum probabilitate eorum, quæ proponebat, miraculorum etiam argumenta conjungeret, ut humanas mentes ad fidem verbis ſuis adhibendam, & ſecurè iis, quæ præcepiſſet, obtemperandum, efficacius attraheret. Hinc factum eſt, ut tàm legem Moſaicam, quàm Euangelicam plura miracula prævenerint, & ſubſecuta fuerint, quamdiù leges ipſæ perſeverarent, perſeveratura. Id Mahumetus ipſe in Alcorano ſæpiſſimè prædicat,

& Mahumetani ultrò confitentur. Quamobrem ſummæ omninò temeritatis, atque impietatis cenſuram merentur illi, qui miraculorum notam, ac proprium veluti ſignum, & characterem à vera Religione auferre moliuntur, ſupervacanea hæc, vel etiam falſa & ficta eſſe affirmantes: cùm ex Sacris Scripturis, atque ex ipſa experientia oppoſitum omninò teneatur.

Mahumetani hac in re multis ex noſtris Novatoribus ſapientiores, ac magis pii, in teſtimonium veræ Religionis hæc miracula exigi ingenuè fatentur. Celeberrimus inter eos Doctor ابن سينا *Ebno-Sina*, quem nos Avicennam vulgò appellamus, in 42. Metaphyſicæ, ſeu Theologiæ ſuæ effato, agens de Propheta illo, qui divinas leges mortalibus ſit promulgaturus, hæc habet: وافضل مولاة هو المستعد لمرتبة النبوة وهى التى في قوتها النفسانية خصايص ثلث ذكرناها وبجمع كلام الله تعالى وبرى ملايكته وقد تحولت على صورة براها وقد يبدا كيفية هذا وبينا ان الذي يوحي اليه تسع اسه الملايكة ويحدث في سمعه صوت يسمعه دون من قبل الله تعالى والملايكة فيجمع من غير ان يكون ذلك كلاما من الناس والحدوا ن الاذن وهذا الموحي اليه

Digitized by Google

... فواجب انّ ان يوجد نبيّ وواجب ان يكون انسانًا وواجب ان يكون له خصوصية ليست لسائر الناس حتى يستشعر الناس فيه امرًا لا يوجدنا لهم فيتميّز به عنهم فتكون له المعجزات التي لغيره بها. فهذا الانسان اذا وجد يجب ان يسن الناس في امورهم سننًا باذن الله تعالى وامره ويحيه وانزلته الروح القدس عليه ويكون الاصل الاول فيما منه تعريفهم ايّاهم ان لهم صانعًا واحدًا.

Excellentissimus verò borum (hominum) *est ille, qui præparatus est ad gradum prophetiæ: & hic est, qui in virtutibus animæ habet tres peculiaritates, quas commemoravimus: & audit sermonem Dei Altissimi; & videt Angelos ejus mutatos in formam visibilem. Jam verò declaravimus, quomodo hoc fiat: & ostendimus illum, cui fit Divina revelatio, audire cantus Angelorum voce sensibili provenientè à Deo, & Angelis: & audire hanc vocem, licet non sit sermo hominis, aut animalis terrestris. Et hic est ille, cui fit Divina revelatio.* Et paulò post. *Necesse est igitur, ut sit aliquis Prophetæ, & sit homo, & habeat speciales prærogativas, quas cæteri homines non habeant: itaut agnoscant homines, esse in eo id, quod in ipsis non reperitur, & per hoc distinguatur ab eis; & sint illi miracula, quæ recensuimus. Hic igitur homo, cùm repertus fuerit, æquum erit, ut tradat hominibus leges circa res eorum, per voluntatem, & imperium, & revelationem Dei, & per defensum Spiritus Sancti super eum ab eodem Deo. Et erit prima vadix in iis, qua statuet, ut faciat eos agnoscere, ipsos habere unum Creatorem.* Hactenus Ebno-Sina, cui consonat alius Doctor nomine *Ahmed filius Edris*, cum ita scribit contra Judæos. وبقول المجوز حقيقة المعجزات لا تختلف وهذا يجد في حق محمد بن عبدالله كما يجد في حق موسى وان كانت المعجزات لا تفيد النبوة بلزومهم ان لا يعتقدوا نبوة موسى ع.م. فان اولئك يلزمهم اعتقاد نبوة محمد. ولهذا قلنا انه جاء بالمعجزة لانه جاء بالقرآن في ابلغ الفصحاء بالبلغاء وسل من جميعهم ان يأتوا بمثله فاعجزهم.

Dicimus autem Judæis: Veritas miraculorum non habet differentiam: & hæc reperta est tàm in Mahumeto filio Abdallah, quàm in Moyse. Quòd si miracula non juvant ad probandam prophetiam (ideſt veritatem Religionis, quæ à Prophetâ affertur) *compelluntur Judæi non confiteri prophetiam Moysi, cui sit pax. Si autem juvant: coguntur confiteri prophetiam Mahumeti. Dicimus enim illum feciſſe miraculum, cùm attulit Alcoranum tempore virorum eloquentiſſimorum, & facundiſſimorum. Et cùm requiſiſſet ab illis omnibus, ut aliquid ſimile conſcriberent, non potuerunt.*

Fatentur itaque Sapientes Moslemi, ad conciliandam novæ Religioni fidem, exigi miracula, & hæc à Deo fieri vel per ſe immediatè, vel per Prophetam, quem mittit ad eam Religionem fundandam, ad hoc, ut homines credant, illamque ſequantur. Dictat enim illis ratio, lumenque naturæ, quemadmodum non admittitur Legatus, vel Miniſter Regis, niſi oſtendat literas Regias, ex quibus conſtet omnibus, ipſum à Principe ſuo miſſum ſuiſſe: ita ad hoc ut Prophetæ alicui, qui ſe à Deo miſſum fuiſſe teſtetur, credi poſſit; exigendum eſſe ab eo, tamquam teſtimoniales literas, oſtenſionem miraculorum, quæ nullus, niſi Deus, vel per virtutem Dei, facere poſſit. Quamobrem Chriſtus Dominus Joan cap. 5. ut Judæos ad ſibi credendum compelleret, dixit: *Opera, quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea: ipſa opera, quæ ego facio, teſtimonium perhibent de me, quia Pater miſit me.* Et cap. 10. *Loquor vobis, & non creditis: opera, quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonium perhibent de me.* Et paulò poſt: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: Si autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.* Hæc autem opera erant miracula, quæ faciebat. Et Marci cap. 16. oſtendit manifeſtè, miracula ad novam Religionem fundandam, atque hominibus perſuadendam requiri; verbis illis: *Signa autem eos, qui crediderint, hæc ſequentur: In nomine meo Dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: ſerpentes tollent, &c.* Sed ſupervacaneum eſt, rem tàm per ſe manifeſtam pluribus teſtimoniis probare, præſertim Mahumetanis, qui de ea minimè dubitant; ac propterea perſuadere nobis conantur, Prophetam ſuum Mahumetum plurima, & maxima miracula in teſtimonium veritatis Religionis illius, quam prædicebat, patraſſe. Quod utrùm verum ſit, non multò poſt videbimus. Sed priùs neceſſe eſt, ut quidnam miraculum ſit ſedulò diſcutiamus.

Miraculum igitur ex D. Thoma 1. p. q. 105. art. 6. 7. videtur poſſe definiri: *Quidquid fit extra ordinem conſuetum cauſarum ſecundarum nobis notarum.* Miraculum verò, ita generatim definitum, in tres præcipuè ſpecies dividi poteſt. Aliud enim eſt naturale, quia non excedit vires naturæ, licet eveniat perraras nobis ignotas. Aliud ſupernaturale, quod naturam omnem tàm humanam, quàm Angelicam excedit, & non niſi Deum habere poteſt auctorem. Aliud denique partim naturale, partim ſupernaturale, quatenus licet viribus naturæ humanæ, vel Angelicæ fieri poſſit quoad ſubſtantiam; quoad modumtamen, virtute tantummodò divina fieri poteſt. Ad primam ſpeciem pertinent quæcumque extra communem ordinem naturaliter eveniunt; cujuſmodi ſunt, faxis, vel ſanguine pluere, plures ſoles in Cœlo apparere; hominem bicipitem, vel cum capite ſerino naſci, & alia hujuſmodi, quæ monſtra potiùs, quàm miracula dici poſſunt. Ad ſecundam autem ſpeciem ſpectant, mortuos ſuſcitare, cæcos illuminare, aliquid novum creare, & alia ſimilia, quæ conſtat à Deo tantummodò, vel per virtutem ejus effici poſſe. Tertiæ ſpeciei ſunt, febres, alioſque morbos inſtantaneè, vel breviſſimo tempore curare: efficere, ut ſubitò pecuniæ, vel cibi alicui appareant; vel ut ſons repentè ſcateat, vel unum corpus in aliud ſubitò convertatur, & alia hujus generis. Hæc ſeilicet tàm Deum, quam Dæmonem, vel etiam hominem habere poſſunt auctorem, cum hoc tamen diſcrimine, quòd quando fiunt ope divina, verum ac realem ſortiuntur effectum: nec quoad modum, ullam habent virtutem, aut vim cauſæ naturalis; & ad finem tantummodò honeſtum, utilem, aut neceſſarium diriguntur. Cùm verò mali Dæmonis opera effectum-

Digitized by Google

efficiuntur: vel sunt tantummodò phantastica, & apparentia; neque ullum habent verum, ac realem effectum: vel fiunt per media mere naturalia, applicando nimirum activa passivis, vel transferendo invisibiliter aliquid de loco ad locum: vel alienas species ingerendo, itaut appareat alicui mortuus, qui verè est vivus: vel asinus, qui est homo: vel amplissimum palatium, quod est vile tugurium, aut nemus. Hæc verò semper ad finem pravum diriguntur, quem etiam plerumque sortiuntur. Talia erant illa, quæ olim per innium deorum simulacra Dæmones ostentabant: à variis morbis, seu ab aliquibus fortuniis homines liberando: beneficia quædam petentibus præstando, & alia hujusmodi efficiendo, quæ spiritualis saltem naturæ non superant facultatem. Hac ratione Pharaonis Magi virgas in colubros, aquas in sanguinem, pulverem in ranas convertebant, vel certè convertere videbantur. Idem de divinationibus, ac præsagiis rerum futurarum, vel occulturum, vel absentium sentiendum est. Hæc enim vel casu, vel per solas conjecturas, vel per scientiam ex malis Geniis acceptam fieri censendum est. Hujus etiam generis ea sunt, quæ Christus Dominus Matthæi cap. 24. à falsis Prophetis, Christisque mendacibus ostentanda esse prædixit illis verbis: *Surgent enim pseudochristi, & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna, & prodigia.* Et quæ S. Paulus præmonet, ab Antichristo patranda esse, dum scribit in Epistola 2. ad Thessal. cap. 2. *Cujus est adventus secundum operationem Satanæ in omni virtute, & signis, & prodigiis mendacibus.* Et quæ S. Joannes Apocal. cap. 13. testatur se vidisse fieri à duabus illis bestiis, quæ eumdem Antichristum, & seductorem aliquem alium insignem illius socium prænotabant: de quarum prima hæc habet: *Et dedit illi Draco* (nempe Diabolus) *virtutem suam, & potestatem magnam: & vidi unum de capitibus suis quasi occisum in mortem: & plaga mortis ejus curata est: & admiratæ est universa terra post bestiam.* De secunda verò ait: *Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat; & fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de Cælo descendere in terram in conspectu hominum. Et seduxit habitatores in terra propter signa, quæ data sunt illi facere.* Et paulò post: *Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ.* Neque verò mirum videri debet, si illud ipsum, quod divina virtute factum, miraculum verum censendum est: si Dæmonis opera fiat, licet ejusdem sit realitatis, miraculum verum dici non possit. Dæmon siquidem in operando, naturales sibi vires non excedit, quamvis hæ humanis sint longè superiores, neque agere potest, nisi per media naturalia. Deus verò hæc eadem, atque alia majora, vel per se, vel per servos suos operatur absque ullo medio naturali, & absque ullius artis adminiculo, sola voluntate, & imperio. Quòd si aliquando Viri Sancti ad miracula patranda aliquo medio, vel instrumento utantur, ut signo Crucis, aqua lustrali, Sacris Imaginibus, & aliis hujusmodi: hæc tamen nullam habent naturalem vim, aut proportionem ad illa opera producenda: sed Deus solus ad eorum positionem, imperio suo miracula producit. Quòd si quis objeciat, etiam Magos, Ariolos, & Præstigiatores multa admiranda effictere, utendo verbis, & rebus, in quibus nulla agnoscitur vis physica ad ea producenda: respondemus, esse nihilominus certum, hæc eadem à Dæmone per media naturaliter proportionata, sibique cognita, licet nobis ignota, produci; vel esse tantummodò figmenta, inania spectra, & ludibria ad hominer facilius decipiendos. Jam verò in veris miraculis à fallis dignoscendis, attendenda est causa efficiens, modus, media, finis, & res ipsa. Siquidem vera miracula cùm semper, & solùm sint à Deo, non nisi ab hominibus Deo gratis, vel saltem nonnisi in nomine, & virtute ejus, iisque mediis, quæ ipsemet præscripsit, vel probavit, fieri possunt. Præterea vera miracula nunquam ob pravum finem, exempli causa, ad confirmanda falsa dogmata, patrari possunt. Nam si hoc esset, Deus testimonio suo mendacia, erroresque comprobaret, quod est impossibile. Quamobrem si in aliqua Religione ad ejusdem confirmationem vera miracula fieri videamus; ex necessitate tenebimur credere, illam Religionem veram esse, & à Deo institutam.

Ex dictis, brevius, & ad capacitatem Mahumetanorum, in duas classes miracula dividi poterunt: in miracula quoad substantiam, & modum, & in miracula quoad modum tantùm. Quæ sunt primi generis, à Deo tantùm, vel per ejus virtutem fieri possunt: ut mortuos ad vitam revocare: cæcis visum restituere, &c. Hæc nunquam à Dæmone, nisi phantastice, & apparenter fieri possunt. Miracula secundi generis, quoad modum, nullo modo à Dæmone fieri possunt; licet quoad substantiam tantùm, illius vires non excedant. Jam verò, præmonuimus, quomodo dignoscendum sit, utrum hujusmodi miracula sint à Deo, an verò à Dæmone.

Porrò si quis circa hanc miraculorum materiam plenius instrui cupiat, legat commentaria Eminentissimi, ac Sapientissimi Cardinalis Laurentii Brancati de Laurea in tertium librum Sententiarum Joannis Duns Scoti, tom. 4. disp. 20. ubi doctissimè, ac perfectissimè illam pertractat.

His fundamentis præjactis, in quibus tàm Christianos, quàm etiam Moslemos convenire necesse est, sicut revera conveniunt: inpersest, ut & Christianæ Religionis, & Mahumeticæ Sectæ miracula disentiamus, & præfertim ea, quæ utriusque Religionis, seu Sectæ Fundatores, ad legem suam confirmandam edidere.

CAPUT SECUNDUM.

De miraculis, quæ Christus Dominus effecit in Euangelica lege publicanda, sinaque Religione instituenda.

NOnerit hìc nobis admodum laborandum, cùm adversarios ipsos valdè amicos habeamus: quippè etiam plusquam ab illis exigimus, nobis benignè concedunt. Fatentur ultrò, Christum Dominum plurima miracula virtute Divina, & per consequens non falsa, aut ficta, sed vera, & realia patrasse. Id verò inter religionis, fideique suæ certissima dogmata reponunt. Nimirum Alcoranus ita docet. Hujus testimonia cum suis glossis primùm; deinde aliorum Sapientium Moslemorum recensebimus:

Alcoranus igitur Sura tertia آل عمران, *de familia Amran*: cùm admirandam Christi ex Maria Virgine per Angelum Gabrielem internuncium conceptionem expositisset: eumdem Christum ita Judæos alloquentem inducit:

انى قد جئتكم بآية من ربكم انى اخلق لكم

Digitized by Google

من الطين كهيئة الطير فانفخ فيه فيكون طيرًا باذني الله وابرئ الاكمة والابرص واحيي الموتى باذني الله وانبئكم بما تأكلون وما تدخرون في بيوتكم ان في ذلك لآية لكم ان كنتم مومنين.

Ego jam veni ad vos, cum miraculo à Domino vestro: nam ego creabo vobis ex luto veluti figuram avis, & insufflabo in eam, & evadet avis per voluntatem Dei. Et sanabo cæcum à nativitate, & leprosum; & vivificabo mortuos per voluntatem Dei. Et divinabo vobis, quid manducetis, & quid recondatis in domibus vestris. Certè in hoc erit vobis miraculum, si estis credentes. Et Sura 5. المايدة *de Mensa*, versu 93. introducit Deum hæc ipsa confirmantem, & ita cum Christo, post raptum ejus in Cœlum, loquentem:

يا عيسى ابن مريم اذكر نعمتي عليك وعلى والدتك اذ ايدتك بروح القدس تكلم الناس في المهد وكهلاً واذ علمتك الكتاب والحكمة والتورية والانجيل واذ تخلق من الطين كهيئة الطير باذني فتنفخ فيها فيكون طيراً باذني وتبرئ الأكمة والابرص باذني واذ تخرج الموتى باذني واذ كففت بني اسرائيل عنك اذ جيتهم بالبينات فقال

الذين كفروا منهم ان هذا الا سحر مبين. *O Jesu fili Mariæ, recordare beneficiorum meorum ergà te, & ergà Genitricem tuam: cùm roboravi te Spiritu Sancto, ut alloquereris homines infantes incunabulis, & senex: & cùm docui te Scripturam, & Sapientiam, & Pentateuchum, & Evangelium: & cùm creasti ex luto quasi figuram volucris per concessionem meam; & insufflasti in eam, & evasit volucris per concessionem meam: & sanasti cæcum à nativitate, & leprosum per concessionem meam: & rejuscitasti mortuos per concessionem meam. Et cùm defendi te à filiis Israel, quando venisti ad eos cum miraculis evidentibus: & dixerunt infideles ex illis: Hæc non est nisi magia manifesta.* Paulo post refert in eadem Sura, celeberrimum inter Mahumetanos miraculum vienlæ, quam, petentibus Apostolis, Christus à Deo obtinuit, atque è Cœlo descendere fecit. In qua narratione, non dubito, Mahumetum ad ultimam Christi Cœnam, in qua Divinissimum Eucharistiæ Sacramentum instituit, alludere voluisse: ex iis, quæ à Christianis audiebat, neque intelligebat, chimeram quodammodo componens in hæc verba:

اذ قال الحواريون يا عيسى ابن مريم هل يستطيع ربك ان ينزل علينا مايدة من السماء قال اتقوا الله ان كنتم مومنين قالوا نريد ان ناكل منها وتطمئن قلوبنا ونعلم ان قد صدقتنا ونكون عليها من الشاهدين. قال عيسى ابن مريم اللهم ربنا انزل علينا مايدة من السماء تكون لنا عيدا لاولنا ولاخرنا وآية منك وارزقنا وانت خير الرازقين قال الله اني منزلها عليكم فمن يكفر بعد منكم فاني اعذبه عذابا لا اعذبه احداً من العالمين.

Cùm dixissent Apostoli: O Jesu fili Mariæ, num poterit Dominus tuus facere, ut descendat super nos Mensa de Cœlo? Respondit ille: Timete Deum, si estis fideles. Dixerunt Apostoli: Cupimus comedere ex ea, & quietem securam acquirere cordibus nostris, & cognoscere te esse veracem, & esse testes, & participes illius. Dixit Jesus filius Mariæ: O Deus Domine noster, descendere fac super nos Mensam de Cœlo, quæ sit nobis ad diem festum, primo nostrum, & novissimo nostrum, & signum à te: & tribue nobis alimentum: quippe tu Optimus es alentium. Respondit Deus: Equidem descendere faciam illam super vos: sed qui postèà infidelis, & ingratus fuerit ex vobis, puniam illum pœna tali, qua nullam unquam creaturam punierim. Incredibile dictu est, quàm multas ineptias in hujus loci explicatione Moslemi confingant. Fortasse in Alcorani refutatione eas referam. Unicam hîc Gelaleddini producam. Ita igitur ille:

فنزلت الملائكة بها من السماء عليها سبعة ارغفة وسبعة احوات فاكلوا منها حتى شبعوا. قاله ابن عباس. وفي حديث انزلت المايدة من السماء خبزا ولحما فامروا ان لا يخونوا ولا يدخروا لغد فعانوا

وادخروا ورفعوا فمسخوا قردة وخنازير. *Attulerunt igitur Angeli Mensam illam è Cœlo: erantque super eam septem placentæ, & septem pisces: comederuntque ex illis, donec saturati sunt. Refert hoc Ebn-Abbas. Et in quadam relatione sic dicitur: Descendit Mensa è Cœlo cum pane, & carne; & præceptum est illis, ne quid ex ea fraudarent; neque reponerent in crastinum. Sed reposuerunt, secumque asportaverunt: properèà mutati sunt in simias, & porcos.* Multa simil congerit, & voluti ægri somnium confingit, & confundit: nempe institutionem Eucharistiæ: miraculum septem panum, ac pilcium: & id quod evenit circa mannam in deserto. Ita confuseverunt Mahumetani Chronologi in narrationibus suis delirare.

In Sura 17. مريم *de Maria*, ver. 17. & seq. rursum admirabilem Christi conceptionem enarrat: & innuit miracula quædam, quæ in partu ejusdem evenisse affirmant Interpretes: nimirum, quòd fons *in* eodem loco subitò eruperit: quòd palma quædam amdiù arefacta, repentè revirnerit, simulque fructus maturos protulerit: & quòd Christum infans ad tuendum matris honorem, quem Judæi calumniosè contaminare conabantur, clarè locutus fuerit.

Constat igitur ex Alcorani, ejusque Interpretum testimonio, Christum multa ac vera miracula fecisse, quæ non nisi per divinam potentiam fieri poterant, ad legem religionemque suam confirmandam. Neque multum refert, quòd aliqua ex his apocrypha sint, nec ab Euangelistis narrentur, nec à Christianis recipiantur. Quæ enim certa, & vera referuntur, satis nobis sunt ad nostrum intentum. Reliquis verò utimur tantummodò, ut dicitur, ad hominem, contra adversarios, qui illa certa ac vera esse existimant.

Porrò miracula, quæ Christo tribuunt Mahumetani, plurima sunt: pleraque tamen fabulam, aut figmentum redolent. Hausêrunt illa, ut puto, ex apocryphis Hereticorum, ac Schismaticorum libris. Sed cùm ipsi pro veris, ac legitimis habeant, nihil nos prohibet, quin etiam ipsorum armis contra eos pugnemus. Hîc nonnulla, prout in Arabum celebriorum libris reperi, recenſebo.

Inſi-

Digitized by Google

Insignis Doctor ابو العباس احمد بن محمد الثعلبي: *Abul-Abbas Ahmed filius Mohammed Thelabiensis*, in expositione Suræ 3. آل عمران *De familia Amran*, hæc habet: قال وهب ومما اجتمع على عيسى من الموتى للوضي في اليوم الواحد خمسون الف. من الخلق منهم ابنه ومن لم يبق معي اليه عيسى وانما كان يداويهم بالدعا على شرط الايمان

Dixit Vaheb: ex iis ægrotis, qui convenerunt ad Jesum, in una die fuerunt quinquaginta millia. Illi, qui potuerunt, perrexerunt ad eum. Qui verò non potuerunt, ad hos ipse se transtulit. Curabat autem eos oratione, cum pacto, ut crederent. Idem Auctor affirmat ibidem, Christum quatuor mortuos fuscitasse: nempe Lazarum quatridiuanum, qui jam computruerat: filium Viduæ Naim: filiam Archisynagogi (licet per errorem vocet eam filiam Publicani) & Sem filium Noe, de quo ita scribit: وحيا عيسى بالعم الاعظم فخرج سالم من قبره وقد علي نصف راسه فقال قد قامت القيمة قال لا ولكني دعوت بالعم الاعظم قال وكانوا يعبدون في ذلك الزمان: كان سالم بن نوح قد عاش خمسمائة سنة ومن شاب. ثم قال له مت قال بشرط ان يعمدني الله من مكروب الموت.

Invocavit Jesus nomen Dei Maximum (intelligit, ut puto, nomen tetragrammaton יְהוָה per quod etiam Rabbinius Thalmud asserunt, Christum miracula patrasse). *Ille verò* (idest Sem) *surrexit è suo monumento: jamque medietas capitis ejus canitiem induerat: & dixit: An advenit jam dies Resurrectionis? cui respondit Jesus: Nequaquam: sed ego vocavi te in nomine Dei Maximo. Eo autem tempore homines non incanescebant: & quidem Sem filius Noe jam vixerat quingentos annos, & ipse incanuerat. Deinde dixit ei Jesus: Morere. Respondit Sem: Moriar: sed cum pacto, ut liberet me Deus ab angustiis mortis.* Quòd verò una die quinquaginta millia morborum precibus curaverit, confirmat Gelaleddinus, & alii eam eo.

Auctor apud Moslemos celebris الحدي *Alsaddius*, exponens hunc eundem locum, refert, Judæos concluſiſſe filios ſuos adoleſcentes in quadam domo, ne cum Jeſu ipſis coævo familiariùs verſarentur, quem falsò magum exiſtimabant, quia videbant ab eo miracula fieri. *Interim* (inquit Auctor) جاء عيسى بطلبهم قالوا ليسوا هاهنا قال فما في البيت قالوا خنازير قال فعيسى كذلك يكون فخصوا البيت فاذا هم خنازير

Venit Jesus quærens eos. Dixitque fuit illi: Non sunt hic. At ille: quisnam, inquit, est in hac domo? respondèrant ei: Porci. Tunc ait Jesus: Ita sit. Cùmque domum aperuissent, ecce illi apparuerunt porci.

Idem Auctor exponens verſum quinquageſimum ejuſdem Suræ, ſcribit: Chriſtum ad preces Matris convertiſſe aquam, quæ erat in ollis, in carnem: aquam verò, quæ erat in lagenis, in vinum. ut inopis cujuſdam neceſſitati ſubveniret: & præterea ad vitam revocaſſe adoleſcentem quemdam filium Regis extinctum. Alludit fortaſsè in primo miraculo, ad id, quod legimus factum in nuptiis Chanæ Galileæ Joan. 1.

Auctor nomine مصعب *Maſaab*, allegatus à Thelabienſi, hoc aliud refert miraculum: للحواريون انتدعوه رجلا انتبعوه فاذ جاءوا قالوا يا روح الله جعنا فيضرب الارض فيخرج لكل انسان رغيفان فاتوا عطشوا فضرب الارض فيخرج الماء فيشربون

Apoſtoli, qui erant duodecim viri, & ſequebantur eum, (nempe Jeſum); cùm eſurirent, dixerunt ei: O Spiritus Dei, eſurimus. Ille verò percuſſit terram, & exierunt inde ſingulis eorum duæ placentæ. Cùm verò ſitirent, percuſſit terram, & emanavit aqua, & biberunt.

Sed quidquid ſit de his miraculis, quę Mahumetani Chriſto tribuunt, & quorum pleraque commentitia cenſeri poſſunt: nos certiſſima, & veriſſima ex quatuor Euangeliſtis habemus, quæ ne Mahumetani quidem negant, vel negare poſſunt. Superſtium verò eſt hìc ea referre, cùm ſint univerſis notiſſima, vel ſaltem poſſint ab omnibus in ipſis Euangeliis legi.

CAPUT TERTIUM.

Utrum Mahumetus aliquod miraculum ad Sectam ſuam comprobandam effecerit.

COnſtat jamin ſententia tàm noſtra, quàm Mahumetanorum, Chriſtum Dominum plura, & vera patraſſe miracula ad legis ſuæ, & Religionis, quam fundabat, confirmationem: itaut à nullo dubitari poſſit, utramque veram eſſe, & à Deo traditam. Supereſt nunc, ut videamus, utrum Mahumetus miraculo aliquo vero Alcoranum, ac Sectam ſuam confirmaverit, itaut dubium eſſe non poſſit, verum illum fuiſſe Prophetam, & veræ, rectæque Religionis Fundatorem.

Communis noſtrorum ſententia eſt, quantum videre potui, nulla illum feciſſe miracula: cùm ipſe in Alcorano ſuo ingenuè fateatur, ſe nullum miraculum facere potuiſſe, neque ad ſigna, & prodigia patranda, ſed ad homines commonendos, & ad Religionem ſuam, ubi verba non prodeſſent, vi & armis ingerendam, ſe à Deo miſſum fuiſſe proteſtetur. Moſlemi nihilominus hoc negant: imò ex Alcorano ipſo non panca illi prodigioſa ac mira vendicare conantur. Controverſiam decidat Alcoranus ipſe, & huic liti tandem finem imponat.

Sura tertia de familia Amram, v. 182. Judæi cauſam afferentes, cur in Mahumetum credere recuſarent, dixerunt: ان الله عهد الينا الا نومن لرسول حتي يانينا بقربان تاكله النار *Pepigit Deus nobiſcum fœdus, ne crederemus ulli Legato, donec offerret coram nobis Sacrificium, quod ignis abſumeret.*

Fingitur autem hìc Deus dixiſſe Mahumeto: قل قد جاءكم رسل من قبلي بالبينات وبالذي قلتم فلم قتلتموهم ان كنتم صادقين. فان كذبوك فقد

Digitized by Google

فقد كُذِّب رسل من قبلك جاؤوا بالبينات والزبر والكتاب المنير *Responde eis: Jam venerunt ad vos Legati ante me cum demonstrationibus* (expliciat Glossa Gelalis بالمعجزات, *cum miraculis*) *& cum eo quod vos requiritis*, (nempe Sacrificio) *& quare occidistis eos, si estis veraces? Quòd si te mendacii insimulant: mendaces etiam appellati sunt Legati missi ante te, qui venerunt cum demonstrationibus* (ideſt miraculis) *& codicibus* (Gelal. كصحف ابراهيم *velut codice Abrahæ*), *& libro illuminante* (Gelal. هو التوراة والانجيل *hic liber eſt Pentateuchus, & Euangelium.*)

Hinc patet, Judæos exigere à Mahumeto miraculum aliquod in teſtimonium legis ſuæ, & ſpeciatim deſcenſum ignis è cœlo ſupra Sacrificium, quod Deo offerret. Quamvis falſiam ſit, hujuſmodi conditionem fuiſſe à Deo Judæis poſitamin Pentateucho, ne crederent ulli Legato, ſeu Prophetæ, niſi Sacrificium igne cœleſti abſumendum offerret. Et multò magis falſum eſt, quod addit idem Interpres: وعهد الي بذي *& pepigit hoc Deus cum filiis Iſrael, excipiendo Chriſtum, & Mahumetum*, ob eam ſcilicet cauſam, quia neuter tale Sacrificium erat oblaturus. Atqui illud Mahumeti gloriam turpiſſimè fœdat, quòd Miraculum aliquod Judæis poſtulantibus, nullum oſtendere potuerit; frigidiſſima ſeſe excuſatione communiens, quòd ſcilicet etiam ſi præcedentes Prophetæ prodigia patrauſſent, eos tamen tamquam fallos ac mendaces ipſi interfeciſſent. Quo apertè fatetur, ſeſe miracula nulla facere, quia inutilia prorſus, & otioſa forent. Quòd ſi propterea mendax haberetur, id patienter ipſi ſuſtinendum præcipitur; quòd iidem illi, qui tot ſignis inclarnerant, mendaces, & impoſtores proclamati fuiſſent.

Sura 6. *de Pecoribus* v. 7. Cùm poſtulaſſent Meccani à Mahumeto miraculum, per quod Deus demitteret illi è Cœlo librum, ipſis videntibus (quemadmodum ſcribit Alhaſan relatus à Jahia filio Salam): quia ſcilicet jactabat, ſibi occultè per Gabrielem Alcorani ſententias à Deo revelari; fingitur Deus ipſe ita Mahumeto blandiri: ولو نزلنا عليك كتابا في قرطاس فلمسوه بايديهم لقال الذين كفروا ان هذا الا سحر مبين. وقالوا لولا انزل عليه ملك ولو انزلنا ملكا لقضي الامر ثم لا ينظرون ولقد استهزي برسل من قبلك فحاق بالذين سخروا منهم ما كانوا به يستهزؤن *Etſi demitteremus ad te librum aliquem ſcriptum in charta, & tangerent etiam illum manibus ſuis: certè dicerent ii, qui nollent credere: Hoc non eſt, niſi præſtigium manifeſtum. Et dixerunt: ſi non deſcenderit ad eum Angelus, non credemus ei. Si Angelum ad te mitteremus, jam deciſum eſſet negotium* (ideſt, jam actum eſſet de illis): *nec ultrà expectarentur ad pœnitentiam. Et jam quidem irriſi fuerunt Prophetæ miſſi ante te: ſed irriſores juſtam pœnam ſubierunt irriſionis ſuæ.* Vides hìc etiam frivolas Impoſtoris cauſationes, cur miracula, quæ ab eo Meccani exigebant, non efficeret: quia ſcilicet etiam ſi librum è cœlo Deus ad eum demiſiſſet; eumque manibus ſuis contrectantes, non phantaſticum, ſed verum eſſe comprobaſſent: attamen præſtigium, & incantamentum proclamaſſent. Si verò Angelum, quod etiam petebant, è cœlo delabi feciſſet; actum de illis omnibus penitus foret; & pœnitentia eorum rejecta, omninò periiſſent. Poſtremo, ſi ex eo quòd ſigna ab illis requiſita non oſtendiſſet, tamquam nebulo, & impoſtor fuiſſet irriſus, ac repulſus: id ſibi æquo animo ferendum exemplo præccedentium Prophetarum: irriſores tamen non impunes abituros.

Eadem Sura verſ. 33. Cùm multi à Mahumeti diſcipulatu averterentur, eò quòd miraculum nullum ſpectandum exhiberet; inducit Deum hæc ſibi dicentem: وان كان كبر عليك اعراضهم فان استطعت ان تبتغي نفقا في الارض او سلما في السماء فتاتيهم باية ولو شاء الله لجمعهم على الهدى فلا تكونن من الجاهلين *Quòd ſi gravis tibi ac moleſta averſio eorum, ſi potes reperire foveam* (ad penetrandum) *in terram; aut ſcalam* (ad aſcendendum) *in cœlum, & ſic oſtendere eis miraculum: ſi voluerit Deus, ſanè congregabit eos ad rectam viam. Ne ergo ſis ex ignorantibus.* Explicat Gelaleddinus. عظم عليك اعراضهم عن الاسلام بحرصك عليهم فان استطعت ان تبتغي سربا في الارض او سلما معدا الى السماء فتاتيهم بآية بما اقترحوا فافعل العنى انك لا تستطيع ذلك فاصبر حتى يحكم الله فلا تكونن من الجاهلين بذلك: *Si gravis tibi fuerit averſio eorum à Religione, quam præcipuè eis cum omni tua ſedulitate, & induſtria: ſi potes tibi efficere foveam ad penetrandum in viſcera terræ, aut ſcalam ad aſcendendum in cœlum, & inde oſtendendum miraculum, quod poſtulant, fac ſanè. Senſus eſt: Certè tu hoc nequaquam poteris. Patienter igitur ſuſtine, donec judicet Deus; & ne ſis ex ignorantibus hoc.* Vides ut hìc etiam ſeſe à miraculis patrandis callidè eximat.

Ibidem verſu 35. Cùm Meccani proteſtarentur, ſe nolle in Mahumetum credere, niſi viderent aliquod ab eo miraculum fieri, dicentes more ſolito. لولا نزل عليه اية من ربه *Niſi demiſſum fuerit ſuper eum aliquod ſignum miraculoſum à Domino ſuo*; videlicet, nequaquam credemus illi (Cupiebant autem, ut ait Gelal. aliquod miraculum بالكاهنة والعصا والبادية *Sicut Camelam* prodigioſam Prophetæ Saleh; *& Virgam* Moyſi: *& Menſam* Chriſti): Fingitur Deus ita Mahumeto dixiſſe: قل ان الله قادر على ان ينزل اية ولكن اكثرهم لا يعلمون *Reſponde illis: Utiq; Deus poteſt demittere ſignum miraculoſum; ſed plerique eorum neſciunt*: ſcilicet, non Mahumeti, ſed Dei eſſe facere hæc miracula. Bellum ſanè, ac lepidum effugium.

Sura decima يونس *Jonas*: v. 20. idem ferè habetur: ibi enim ſic legimus: ويقولون لولا أنزل عليه آية من ربه فقل انما الغيب لله فانتظروا اني معكم من المنتظرين.

Et

Et dicunt Meccani: Non credemus ei, nisi descenderit super eum aliquod signum à Domino suo. Tu porrò responde eis: Certè Arcanum est Dei (ideſt, miracula pendent ex arcanis Dei judiciis.) *Vos ergo expectate, ego sanè vobiscum expectabo*: nimirum flagellum Dei ſuper vos (quemadmodum explicant Gelal. & Jahias): vel potiùs miraculum aliquod à Deo. Atqui interim miraculum nullum ipſe faciebat.

Sura 13. الرعد *Tonitru*: v. 8. eadem contra illum occinentibus Meccanis, nempe ſe eum ut impoſtorem ac nebulonem habituros, niſi ea, quæ prædicabat, miraculo aliquo confirmaret: fingitur Deus ſic eum alloqui: انما انت منذر ولكل قوم هاد: *Certè tu es Commonitor: & unicuique genti fuit Director.* Explicat Gelal. ولي على ايتان الايات: *Et non eſt partium tuarum facere miracula.* Eodem modo Jahias ولست ممن يأتيهم بآية في حيي: *Et non es talis, qui debeas facere pro eis miraculum ulla in re.* Quia ſcilicet unaquæque gens habuit proprium ac peculiarem Prophetam: & alia directa eſt per miracula, alia ſine miraculis per ſolam prædicationem. Atqui nulla gens ad novam Religionem à Deo vocata eſt per ſola verba, ſine miraculis; ut conſtat ex ſacris literis.

Ibidem v. 28. Infidelibus ab eo miracula requirentibus, fingit hæc ſibi à Deo revelari: قل ان الله يضل من يشاء ويهدي اليه من اناب: *Reſpondebis illis: Certè Deus errare facit quem vult; & dirigit ad ſe eum, qui pœnitens ſeſe ad ipſum converterit.* Quibus verbis manifeſtè oſtendit, ſupervacanea eſſe miracula ad inducendam fidem, vel ad retrahendum aliquem ab infidelitate: quia Deus dirigit ad fidem quem vult: & deviare facit ab ea quem vult pro libito ſuo. Miſera prorſus excuſatio!

Ibidem v. 31. legimus dixiſſe Meccanos: ولو ان قرانا سيرت به الجبال او قطعت به الارض او كلم به الموتى بل لله الامر جميعا افلم ييأس الذين امنوا ان لو يشاء الله لهدى الناس جميعا: *Quòd ſi eſſet aliquis Alcoranus, cujus virtute ambularent montes, aut ſciderentur terra, aut loqui fierent mortui* (ſubaudi, certè crederemus illi). *Sed hæc res pertinet omninò ad Deum. An ignorant ii, qui crediderunt, quòd ſi voluerit Deus, diriget ad fidem homines univerſos?* Addit Gelal. فلا يؤمن الا من شاء: *itaque non credet niſi is, quem ille voluerit.* Et addit, لما اراد الصحابة الهارها اقترحوا طمعا في ايمانهم الا الايمان من غير ايمان: *cùm vellent Socii Mahumeti oſtenſionem miraculi, quod petierant, ad corroborationem fidei ipſorum. Sed fides eſt ſine miraculis.* Ideſt, non ſunt miracula neceſſaria ad fidem. Exponit etiam idem Interpres, qua occaſione revelata fuerint prima verba Mahumeto, dicens: نزل لما قالوا له ان كنت نبيا فسير جبال مكة او اجعل لنا فيها انهارا او عيونا لنعرف ونزرع وابعث لنا ابآءنا الموتى نكلمهم: *Revelata ſunt hæc verba, quando dixerunt illi: Si tu es Propheta, transfer montes Meccæ, & educ nobis ibi flumina, & fontes, ut plantemus, & ſeramus: & reſuſcita nobis patres noſtros mortuos, ut alloquantur nos.* Idem ferè habet Jahia filius Salam, & Mohammed filius Abd-Allah filii Abu-Zamanin, qui allegant auctoritatem Cottadæ in hæc verba: ذكر لنا ان قريشا قالت النبي ان سرك ان نتبعك فسير لنا جبال تهامة وفرلنا في حرامنا حتى نتخذ قطائع نحترث فيها لي احيي فلانا وفلانا وفلانا اناس ماتوا في الجاهلية فانزل الله هذه الاية يقول لو فعل هذا بقرآن غير قرآنكم فعل بقرآنكم:

Accepimus Coraſinos dixiſſe Prophetæ Mahumeto (erant hi ipſius contribules): *Si placet tibi, ut ſequamur te, transfer nobis montes Meccæ, & dilata nobis ſpatia in locis noſtris ſacris, ut poſſimus ibi ſulcos facere, & arare ad ſerendum: vel reſuſcita nobis talem, & talem, & talem, homines jam mortuos in ſtatu idololatriæ. Demiſitque Deus hunc verſiculum, quaſi diceret: Siin aliquo alio Alcorano præter noſtrum feciſſet Deus hoc, faceret etiam in Alcorano noſtro.* Ita expedit ſe Veterator à faciendis miraculis, quæ Meccani cives, & Sectatores ejus exigebant: quia ſcilicet hæc miracula forent inutilia: fides quippe eſt donum Dei, qui ſine miraculis tribuit gratiam credendi cui voluerit. Quod ſi ita eſt, cur Mahumetani Doctores adeò laborant ac deſudant, ut Prophetam ſuum miracula patraſſe demonſtrent?

Ibidem v. 37. fingit hæc ſibi à Deo per Gabrielem enunciari: ولقد ارسلنا رسلا من قبلك وجعلنا لهم ازواجا وذرية وما كان لرسول ان يأتي بآية الا باذن الله: *Et jam quidem miſimus Legatos antequam mitteremus te: & dedimus illis uxores, & filios. Et non eſt Legati facere aliquod miraculum, niſi id concedat Deus.* Judæi namque (ut aſſerunt hic Gelal. & Jahias) exprobrabant Mahumeto, quòd eſſet nimis fœminis addictus, atque exceſſivum uxorum gregem aleret, ac miraculum nullum oſtenderet in legis, quam prædicabat, comprobationem: & ideò falsò aſſumere ſibi titulum Prophetæ. Ipſe verò purgat ſe quoad primam partem, præcedentium Prophetarum exemplo, qui plures habuerunt uxores, & liberos. Quoad ſecundam verò; miracula opus Dei eſſe affirmat, neque ea poſſe à Prophetis fieri, niſi volente Deo.

Sura 16. النحل *Apis*. v. 44. fingit hæc ſibi à Deo dici per Gabrielem وما ارسلنا من قبلك الا رجالا نوحي اليهم فسئلوا اهل الذكر ان كنتم لا تعلمون بالبينات والزبر وانزلنا اليك الذكر لتبين للناس ما نزل اليهم ولعلهم يتفكرون: *Et non miſimus ante te niſi homines, quibus revelabamus. Interrogate porrò familiam Commonitionis* (Gelal. العلماء بالتوراة والانجيل): *peritos in Pentatеucho, & Euangelio*) *ſi vos ignoratis* (Gel. فليعلموه: *ipſi enim ſciunt hoc*) *cum Demonſtrationibus, & Libris: Et demiſi-*

Digitized by Google

mus super te Commonitionem (Jahias, & Gelal. القرآن *Alcoranum*) *ut declarares hominibus id quod demissum est ad illos : & ut ipsi recogitent*. Jam superiùs vidimus, nomine المعجزات *Demonstrationum*, intelligi, juxta expositionem Gelalis, المعجزات *miracula*: quamvis hoc loco exponat, الجمع الواعظة *probationes claras*: quod est æquivalens: nulla enim probatio clarior dari potest, quàm miraculum. At verò الذكر, *Commonitionem*, vult esse Alcoranum. Quamobrem Prophetam suum ab aliis distinguit, quòd illi cum miraculis, & libris, hic verò tantùm cum libro Alcorani, sine miraculis missus fuerit.

Sura 17. الاسرى *Iter nocturnum*. v. 60. inducitur Deus ita cum Mahumeto loquens: وما منعنا ان نرسل بالايات الا ان كذب بها الاولون وآتينا ثمود الناقة مبصرة فظلموا بها وما نرسل بالايات الا تخويفاً.

Neque retinuit nos, ne mitteremus (te) *cum miraculis : nisi quia illa tamquam falsa negaverunt Primi. Nam dedimus Themudæis camelam aspectu mirabilem, & malè tractaverunt eam. Neque mittimus aliquem cum miraculis, nisi ad terrorem*: ideſt, ad terrendos infideles, ut credant; ut explicat Gelal. qui ita gloſſat totam hanc ſententiam: وما منعنا ان نرسلك بالايات التي اقترحوها اهل مكة الا ان كذب بها الاولون لما ارسلناها فاهلكناهم الى مولاه لكذبوا بها ولمحقوها الاهلاك وقد حكمنا بامهالهم لانعلم امرهم محمد.

Et non retinuit nos, ne mitteremus te cum miraculis, quæ petierunt Meccani, nisi quia tamquam falsa rejecerunt ea Priores, ad quos misimus ea : & propterea perdidimus illos. Quòd si misissemus ea ad hos, certè tamquam falsa negavissent ea; & propterea meruissent perditionem. Ideò decrevimus patienter tolerare eos, ut Mahumetus possit perficere negotium suum. Eadem habet Jahias filius Salam. Nescio quid clarius afferri possit ad probandum, Mahumetum nulla miracula feciſſe, cùm fingatur Deus ipſe aſſerere, ſe non facere miracula per illum, quantumvis Meccani ea poſtularent, quia nihil illis collatura erant, niſi perniciem & interitum ob eorum obſtinationem.

Sura 10. يونس: *Jonas*. v. 99. ut oſtendat, miracula inutilia eſſe ad ſuſcipiendam religionem; & propterea ſe ea non facere (in quo & ſibi, & ſuis Doctoribus contradicit, & plurimum favet noſtris Novatoribus) introducit Deum, ſeu Gabrielem, ita ſe alloquentem: ولو شاء ربك لآمن من في الارض كلهم جميعاً أفأنت تكره الناس حتى يكونوا مومنين وما كان لنفس ان تومن الا باذن الله ويجعل الرجس على الذين لا يعقلون: قل انظروا ماذا في السموات والارض وما تغني الايات والنذر على قوم لا يومنون.

Quòd si voluiſſet Dominus tuus, certè credidiſſent omnes, qui ſunt in terra univerſim. An ergo tu facies, ut homines inviti fidem ſuſcipiant? Non eſt ſanè in poteſtate hominis ut credat, niſi Deus id concedat. Et ponet abominationem ſuper eos, qui non intelligunt. Dic: Reſpicite id, quod eſt in cœlo, & in terra: nihil proderunt miracula & commonitores hominibus, qui non credunt. Itaque concludit hic Jahias: انما يومن من يريد الله ان يومن *Profectò ille credet, quem voluerit Deus, ut credat*: Nec proderunt quidquam miracula omnia ſive quæ in cœlo, ſive quæ in terra fieri poſſint, ad hoc ut quis credat, niſi Deus voluerit.

Sura 4. النساء *Mulieres*, v. 152. Petebant Judæi à Mahumeto, ut deſcenderet faceret librum de cœlo, quandoquidem de revelatione Alcorani, clam ſibi à Deo facta, ita gloriabatur. At ille ſtatim divinum oraculum de hac re ſibi factum, ita illis obtrudit: يسئلك اهل الكتاب ان تنزل عليهم كتاباً من السماء فقد سألوا موسى اكبر من ذلك فقالوا ارنا الله جهرة فاخذتهم الصاعقة بظلمهم ثم اتخذوا العجل من بعد ما جاءتهم البينات. *Poſtulabunt à te Scripturales* (1. Judæi) *ut deſcendere facias ſuper eos librum de cœlo. Jam porrò poſtulaverunt à Moyſe aliquid majus hoc, dicentes: Oſtende nobis Deum manifeſtè. Propterea invaſit eos, ac ſuſtulit flammæ cœleſtis, ob iniquitatem ipſorum. Deinde fabricaverunt Vitulum, poſtquam viderunt miracula manifeſta*. Sic enim interpretatur hic Gelal. البينات *Demonſtrationes*, nempè المعجزات, *miracula*. Hoc autem idem eſt, ac ſi diceret: Non mirum eſt, ſi hoc à te tàm impudenter petant Judæi, qui impudentiùs majora à Moyſe petiere. Verùm etiamſi id, quod poſtulant, præſtares: attamen nihil ad eos convertendos, vel ad meliorem frugem reducendos prodeſſet, cùm etiam poſt tot miracula Moyſis à ſe viſa, Deo rejecto, Vitulum aureum per ſummam impietatem adoraverint. Interim verò ſeſe his ratiunculis adeò frivolis eximit à miraculis patrandis.

Sura 6. الانعام *Pecora*, v. 105. ita ſcribit de Meccanis Idololatris: واقسموا بالله جهد ايمانهم لئن جاءتهم اية ليومنن بها قل انما الايات عند الله وما يشعركم انها اذا جاءت لا يومنون ونقلب افيدتهم وابصارهم كما لم يومنوا به اول مرة ونذرهم في طغيانهم يعمهون: ولو اننا نزلنا اليهم الملائكة وكلمهم الموتى وحشرنا عليهم كل شي قبلاً ما كانوا ليومنوا الا ان يشاء الله. *Et juraverunt Deo ſanctiſſimo juramento, quòd, ſi factum fuiſſet coram eis miraculum, certiſſimè credidiſſent in illud. Dic illis: Certè miracula ſunt apud Deum* (1. facit illa quando vult, ut exponit Gelal.), *& non ſcitis vos intelligere. Sanè cùm hæc facta fuerint, non credent: & invertemus corda eorum, & oculos eorum* (nempe à veritate, itaut non credant, ut exponit Gelal.) *juxta illud in quod non crediderunt prima vice. Et ſinemus eos in errore ſuo, ut commorentur in eo. Et quam-*

Digitized by Google

vis descendere faceremus Angelos ad eos, & alloquerentur eos mortui, & congregaremus ad eos omnem rem turmatim : non tamen crederent, nisi vellet Deus : sed plerique eorum ignorant. Notanda hìc obiter sunt ea verba, *juxta id, quod non crediderunt prima vice* : videtur enim supponi, priùs Mahumetum feciſſe aliquod miraculum, nec tamen Meccanos credidiſſe : quamobrem explicat Gelal. لي بما لنزل من الايات : *ideſt, in id quod demiſſum fuit ſignorum.*

Sed jam vidimus nomen آية *Signum*, accipi ſæpiùs non pro miraculo, ſed pro aliquo verſiculo Alcorani : quamobrem non poteſt ex Gelale convinci, Mahumetum anteà aliquod miraculum feciſſe. Jahias exponit : كما لم يؤمنوا قبل ان يجيهم العذاب : *quemadmodum non crediderunt, antequam ſuperveniret eis pœna*. Sed planum eſt hìc مرة اول *prima vice* ; idem eſſe ac الاولين *Primi*, ſeu *Priores*, juxta id, quod ſæpè dicitur in Alcorano. Quamobrem neque ex Alcorano, neque ex Interpretibus ejus haberi poteſt hìc, Mahumetum miraculum ullum feciſſe. Præterea verba illa : *Et quamvis deſcendere faceremus ad eos Angelos, & alloquerentur eos mortui* ; notat Alhaſam, & ex eo Jahias, revelata fuiſſe : حين قالوا ابعث لنا موتى نعلم أحق ما تقول ام باطل ولقولهم لولا انزل علينا الملائكة ولقولهم تاتي بالله والملائكة قبيلا يقول لن نفعلها هذا بهم حتى يروه عيانا ما كانوا ليومنوا الا ان شاء الله ———— : *quando dixerunt illi : Reſuſcita nobis mortuos, & ſiemus Moſlemi, ſive vera prædices, ſive falſa.. Et quando dixerunt : Niſi deſcendere faciat ad nos Angelos. Et quando dixerunt : Aut fac venire Deum, & Angelos turmatim. Dixit Deus : Si feceremus eum eis hoc, itaut vident illud oculatim, non tamen credent, niſi voluerit Deus.*

Et v. 120. pergit crambem recoquens : واذا جاءتهم اية قالوا لن نؤمن حتى نؤتى مثل ما اوتي رسل الله : *Et cùm venerit ad eos aliquod Signum, dicent : Nullo modo credemus, donec concedatur nobis id quod conceſſum fuit Legatis Dei. Deus optimè novit ubi collocare debeat legationem ſuam.* Quorum verborum hæc eſt ſententia : Cùm audirent Meccani legi ſibi aliquod ſignum, ſeu periodum Alcorani à Mahumeto, affirmabant, ſe nullo modo credituros, niſi efficeret eum eis id, quod factum fuerat ab aliis Prophetis, & Legatis Dei. Sed reſpondebat Mahumetus, Deum optimè noſſe quid per quemque Prophetam, ſeu Legatum operari deberet. Explicatio tamen Gelalis eſt hujuſmodi : Etiamſi viderent aliquod miraculum, dicerent : Nequaquam credemus, donec concedatur etiam nobis donum legationis, & revelationis. Sed Deus id nequaquam faceret, eò quòd ipſi eſſent his indigni.

Sura 17. الاسري Iter nocturnum v. 93. hæc habentur de iiſdem Meccanis : وقالوا لن نؤمن لك حتى تفجر لنا من الارض ينبوعا او تكون لك جنة من نخيل وعنب فتفجر الانهار خلالها تفجيرا او تسقط الساء كما زعمت علينا كسفا او تاتي بالله والملائكة قبيلا او يكون لك بيت من زخرف او ترقى في الساء ولن نؤمن لرقيك حتى تنزل علينا كتابا نقرؤه : قل سبحان ربي هل كنت الا بشرا رسولا : *Et dixerunt* (Meccani Mahumeto) : *Nullo modo credemus tibi, donec erumpere facias nobis è terra fontem : aut ſit tibi hortus conſitus palmis, & vitibus, in cujus medio emanare facias flumina largiter : aut cadere facias ſuper nos cælum in fruſta, ſicut tibi arrogaſti : aut facias nos videre Deum : & Angelos patenter : aut ſit tibi domus ex auro : aut admota ſcala aſcendas in cælum. Neque tamen ullo modo credemus te illùc aſcendiſſe, niſi deſcendere facias ſuper nos librum, quem legamus. Reſponde : Laus ſit Domino meo : numquid ego ſum niſi homo, Legatus?* En quàm breviter à tàm multis, tàmque ingentibus poſtulatis ſeſe expediat. Reſpondet nimirum, ſe non eſſe niſi hominem miſſum à Deo : nec poſſe niſi quæ hominis ſunt propria præſtare. Et nihilominus, ut apparet ex verbis Meccanorum, ipſe ſe jactaverat, poſſe vel omnia, vel aliqua ex his miraculis patrare.

Sura 7. الاعراف *Alaraph* : v. 194. introducit Deum hæc ſibi dicentem : وادا تاتيهم باية قالوا لولا اجتبيتها قل انما اتبع ما يوحي الي من ربي ———— : *Et niſi feceris coram eis ſignum* (vel niſi veneris ad eos cum ſigno) *dicent : niſi effeceris illud per tuam virtutem, non credemus. Reſponde : Ego ſanè ſequor id, quod inſpiratur mihi à Domino meo.* Explicat Gelal. وليس لي ان اتي من عند نفسي بشي : *Et non eſt in mea poteſtate, ut faciam ex mea virtute aliquid.* Hìc etiam miraculorum poteſtatem hactenus negatam ſibi fuiſſe demonſtrat. Quòd verò Meccani poſtulent à Mahumeto, ut faciat miracula per propriam virtutem, ea ratio eſt, quia Mahumetus excuſabat ſe à patrandis miraculis, quia hæc fieri non poterant, niſi per virtutem, & conceſſionem Dei.

Sura 21. الانبياء *Prophetæ* v. 5. loquens de iiſdem Meccanis hæc habet : بل قالوا اضغاث احلام بل افتريه بل هو شاعر فلياتنا باية كما ارسل الاولون ما امنت قبلهم من قرية اهلكناها افهم يومنون : *Atqui dixerunt nonnulli* : Alcoranus hìc *eſt congeries confuſa ſomniorum : imò mendaciter confinxit illum : imò ipſe eſt poeta. Faciat porrò coram nobis aliquod miraculum, ſicut fecerunt priores, qui miſſi ſunt. Non credidit ante eos ulla ex urbibus, quas deſtruximus : an ergo credent iſti?* Hæc poſtrema verba Deo tribuuntur, ac ſi diceret (inquit Jahias) : *Si gentes illæ, cùm mendacii infimularent Prophetas ſuos, & peterent ab eis miracula ; quamvis eadem miracula viderent ; non tamen crediderunt, ac propterea perdidit eas Deus : an credent iſti, ſi viderint miracula? nimirum, nequaquam credent, etiamſi viderint illa.* Hìc manifeſtam reddit rationem Mahumetus, cur miracula nulla faceret.

Sura 2. البقرة *Vacca* : v. 118. ita legimus : وقالوا الذين لا يعلمون لولا يكلمنا الله او تاتينا اية :

Digitized by Google

انه: كذلك قال الذين من قبلهم مثل قولهم تشابهت قلوبهم قد بينا الايات لقوم يوقنون انما ارسلناك بالحق بشيرا ونذيرا ولا تسأل عن اصحاب الجحيم. *Et dixerunt ii, qui nesciunt* (nempe Ethnici Arabes): *Nisi alloquutus fuerit nos Deus, aut venerit ad nos aliquod signum*, non credemus Mahumeto. *Ita loquebantur ii, qui fuerunt ante eos, sicut hi loquuntur. Similia facta sunt inter se corda eorum. Jam declaravimus signa* (vel manifestè ostendimus miracula) *iis, qui firmiter credebant: Nos sanè nisimus te cum veritate, annunciantem fausta, & infausta comminantem: & non reddes rationem pro sociis Inferni.* Putat Jahias, verbis illis: قد بينا الايات *jam declaravimus signa*, vel, *jam manifestavimus miracula*, innui miracula jam facta à Mahumeto: ita enim scribit محمد يعني الايات التي جاء بها قولون

قال محمد يعني الايات التي جاء بها قولون

الله عليه نحو انشقاق القمر وغير ذلك من اياته: *Dixit Mohammed* (est quidam expositor Alcorani) *Significantur hic miracula, quæ fecit Propheta Mahumetus; veluti fissionem Lunæ, & alia ejus miracula.* Sed fallitur hic Auctor: constat enim ex dictis, non esse hic sermonem de miraculis Mahumeti, sed de iis, quæ Prophetæ præcedentes effecerunt. Id verò magis confirmatur ex verbis Alcorani, quibus asseritur, hæc miracula facta fuisse, seu manifestata iis, qui firma fide credebant. At Mahumetus fæpiùs asserit, se non facere miracula, quia Meccani non credebant, neque erant crediturі. Hùc accedit, fcisſionem illam Lunæ, non modò non inclinasse Meccanos ad credendum in Mahumetum, sed potiùs eos magis alienasse ab illo: quippe qui fcisſionem illam præstigium magicum existimarent. Verùm de hujusmodi miraculo paulòpost differemus.

Sura 10. اهل *Tab*: v. 134. conquerentibus Meccanis, quòd Mahumetus miracula nulla faceret, ac propterea protestantibus, se nolle credere in eum: ita fingitur Deus respondere: أَوَلَمْ تأتهم بينة ما في الصحف الاولى: *An non venit ad eos demonstratio, id nimirum, quod est in voluminibus primis?* Explicant hæc verba Mohamed, & Jahia: يعني ايات ما في الصحف الاولى التوراة ولانجيل: *Significantur per hoc miracula, quæ sunt in voluminibus primi Pentateuchi, & Euangelii.* Acsi diceret: Non est quòd exigatis miracula à Mahumeto, cùm illa habeatis jam facta in Pentateucho, & Euangelio. Si illis non creditis, neque hujus miraculis credetis. Ex quo manifestum est, quando in Alcorano fit mentio de aliquibus miraculis præcedentibus, non intelligi de miraculis Mahumeti, sed de iis, quæ fecit Moyses, aliique Prophetæ præcedentes.

Sura 19. العنكبوت *Aranea*: v. 50. ad eandem querelam Meccanorum ita respondere jubetur Mahumetus: قل انما الايات عند الله وانما انا نذير مبين: *Responde: Miracula certè sunt in potestate Dei: ego verò non sum nisi Prædicator manifestus.* Postulabant illi miraculum aliquod (inquit Gelal.) كناقة صالح وعصى موسى ومائدة عيسى *quod effet simile Camelæ Salehi, & Virgæ Moysi, & Mensæ Jesu.* Atqui ex officina Mahumeti, non miracula, sed verba tantùm, & quisquiliæ efferebantur.

Sura 28. القصص *Narratio*: vers. 48. ita legimus: فلما جاءهم الحق من عندنا قالوا لولا اوتي مثل ما اوتي موسى أَوَلَمْ يكفروا بما اوتي موسى من قبل قالوا سحران تظاهرا انا بكل كافرون: *Cùmque venisset ad eos à nobis Veritas* (ideſt Mahumetus cum Alcorano, gloſſat Gelal.) *dixerunt: Non credemus illi, nisi fecerit miracula, qualia fecit Moyses. An non negaverunt id, quod concessum fuit facere Moysi antèa? Dixerunt: Duo præstigia apparuerunt*, vel, *sese invicem adjuverunt* (alii legunt ساحران, *duo præstigiatores*) *nos totum abnegamus.* Hæc ultima verba dicuntur à Meccanis, qui juxta gloſſam Gelalis, per duo præstigia intelligebant Pentateuchum, & Alcoranum: per duos verò Præstigiatores, Moysem, & Mahumetum.

Placuit tot testimonia ex Alcorano ipso congerere, ut evidentiùs appareret, nullum unquam à Mahumeto miraculum factum fuisse: rationes enim in illis adductæ id absolutè convincunt. Hæ autem sunt: Prima, quia fides est liberum donum Dei, neque miracula quidquam conducunt ad id, quod dependet à libera ac liberali voluntate Dei. Secunda, quia jampridem Prophetæ, qui præcesserant, & præsertim Moyses, & Christus, satis multa miracula fecerant, quæ Meccanis, cæterisque infidelibus ad credendum sufficere debebant. Tertia, quia si aliquod signum ipsi fecissent, id non solùm absque ulla prorsus utilitate, sed cum magna etiam ipsorum pernicie fuisset; quod præteritarum gentium exemplis identidem probat. Quarta, quia ipse missus fuerat à Deo, non ut miracula faceret, sed tantùm ut esset بشير ونذير, ideſt, ut exponunt Interpretes, *ut annunciaret fidelibus Paradisi felicitatem; infidelibus verò Gehennæ supplicia comminaretur.* Postremò, quia potestas miraculorum est tantùm penes Deum: & ab eo conceditur, non omnibus Prophetis, sed tantùm quibus ipsi allibuerit. Hæ omnes rationes, quamvis per se frivolæ nullius que momenti, abundè tamen probant, Mahumetum nullum unquam miraculum fecisse. Quòd si revera aliquod fecisset; cùm toties Meccani protestarentur, se nunquam in eum credituros, nisi signum aliquod fieri ab ipso viderent: respondisset certè, se jam plura, vel aliqua admiranda coram eis patrasse, quæ sufficere possent illis ad credendum. At nihil tale unquam legimus illum respondisse.

Et nihilominus proferunt Doctores Moslemi ex eodem Alcorano non pauca, quæ oppositum videntur ostendere.

Primò enim Sura 2. البقرة *Vacca*, v. 98. ita fingitur Deus alloqui Mahumetum: ولقد انزلنا اليك ايات بينات وما يكفر بها الا الفاسقون. *Et jam quidem demisimus ad te signa manifesta: & non negabunt ea, nisi prævaricantes.* Ubi ita notat Gelaledin. رد لقول بن صوريا للعني ما جئتنا بشي: *Respondetur his verbis ad illud quod dicebat Ebno-Suria Mahumeto: Non venisti ad nos cum re ulla*: ideſt, nullum nobis miraculum ostendisti. Erat autem Ebno-Suria Magister Judæorum.

Secundò. Sura 37. الصافات *Ordinatrices*, v. 12. fingit

Digitized by Google

Impostor, hæc sibi dici à Gabriele, vel à Deo, de suis concivibus Meccanis: بل عجبت ويسخرون واذا ذكروا لا يذكرون: واذا رأوا اية يستسخرون ويقولوا ان هذا الا سحر مبين: *Atqui tu admiraris, & ipsi irridentur: & cùm admonentur, non corrigunturs & cùm viderint aliquod signum, illudent, & dicent: Hoc non est, nisi præstigium manifestum.* Accipit hîc Gelal. *signum*, pro miraculo; كاشقاق القمر, *qualis fuit scissio Lunæ*, inquit ille.

Tertio. Sura 54. القمر *Luna*, v. 1. ita legimus اقتربت الساعة وانشق القمر وان يروا اية يعرضوا ويقولوا سحر مستمر: *Appropinquavit Hora, & scissa est Luna: si viderint aliquod signum, vertiverfabuntur, ac dicent: Incantatio valida.* Hic innuitur miraculum quoddam factum à Mahumeto in Luna, de quo infrà fusiùs differemus.

Quartò. Sura 3. آل عمران *Familia Amran*, v. 11. Ita fingitur Deus alloqui Mahumetanos: قد كان لكم اية في فئتين التقتا فئة تقاتل في سبيل الله واخرى كافرة يرونهم مثليهم راي العين والله يؤيد بنصره من يشاء ان في ذلك لعبرة لاولي الابصار: *Jam fuit vobis signum in duobus exercitibus, qui occurrerunt sibi. Unus pugnabat pro Religione Dei: alter autem erat infidelis. Videbant eos duplo majores numero, quàm essent ipsi, visione oculi. Deus autem corroborat auxilio suo quem vult. Certè in hoc fuit res admiranda præditis visu.* De hoc miraculo frequens fit mentio in Alcorano, & in libris Mahumetanorum: & nos de eo infrà loquemur.

Quintò. Sura 48. الفتح *Aperitio*, seu *Victoria* v. 30. refertur somnium, seu visio quædam Mahumeti, quæ facto verificata fuit; his verbis: لقد صدق الله رسوله الرويا بالحق لتدخلن المسجد الحرام ان شاء الله امنين محلقين رؤسكم ومقصرين لا تخافون فعلم ما لم تعلموا فجعل من دون ذلك فتحا قريبا. *Jam quidem Deus verificavit Legato suo visionem cum veritate. Certè ingrediemini in Templum Meccanum, & volente Deo, securi, abrasis capitibus, & accisis comis. Non timebitis: novit quippe Deus, quod vos nescitis: & concedet præter hæc, victoriam propinquam.*

Sunt & alia non pauca in Alcorano vaticinia, & miracula facta, vel ficta à Mahumeto, seu Mahumetanis, de quibus suo loco dicendum erit. Respondeamus nunc ad ea, quæ jam suprà recensuimus.

Ad primum igitur locum, ubi dicitur Mahumeto, *Et jam quidem misimus ad te signa manifesta:* respondetur Gelaleddino, nullo modo per hæc verba convinci, Mahumetum miraculum aliquod fecisse: nam, ut jam notavimus, vox Arabica اية *Ajaton*, ideſt Signum, est ambigua; & in Alcorano, & apud Mahumetanos plerumque accipitur pro aliquo versiculo ipsius Alcorani. Et in capite uniuscujusque Suræ ponitur numerus versuum ejus sub nomine ايات *signorum*. Legitimus igitur prædictorum verborum sensus est non de veris miraculis; quæ, ut vidimus, semper ab eo fruſtrà Arabes expetivere, sed de verſiculis Alcorani.

Ad secundum locum eodem modo respondetur: irridebant enim Meccani Mahumetum, non quia miraculum ullum faceret; sed quia recitabat illis, vel ostendebat scriptum in papyro versum aliquem Alcorani, afferens, illum sibi à Deo revelatum fuisse, & præsertim quando in illo proponebatur resurrectio mortuorum. Quamobrem immediatè subdunt Meccani; ءاذا متنا وكنا ترابا وعظاما انا لمبعوثون او ابآؤنا الاولون: *An verò postquam mortui fuerimus, & in pulverem atque ossa redacti, suscitandi sumus nos, & patres nostri priores?* Sunt autem frequentissimæ in Alcorano hujusce modi de mortuorum resurrectione periodi; quam Meccani, non secus ac olim Athenienses, irridebant, & præstigium existimabant. Id ita esse confirmant Mohammed, & Jahia, duo celebres Alcorani expositores, qui hæc eadem verba, واذا رأوا اية: *Et cùm viderint aliquod signum*, glossant واذا تليت عليهم اية: *Et cùm legeris illis aliquem Alcorani verſiculum.* Eodem modo tàm duo isti interpretes, quàm Gelaleddinus exponunt v. quartum Suræ sextæ الانعام وما تاتيهم باية من ايات ربهم الا كانوا عنها معرضين: *Neque afferes eis signum aliquod ex signis Domini ipsorum, nisi longè recedant ab eo.* Gelal. باية من ايات ربهم اي ايات القران. *Signum aliquod ex signis Domini ipsorum: id est verſiculum è verſiculis Alcorani.* Mohammed, & Jahias: من باية *Signum aliquod è Signis Domini ipsorum: ايات ربهم يعني القران significat Alcoranum*; ideſt ſigna, seu verſus Alcorani. Quare miror, prædictos duos Interpretes exponentes verba superiùs relata Suræ secundæ, vers. decimo octavo: *Jam manifestavimus signa iis, qui firmiter credunt*, velle per ea indicari miracula facta à Mahumeto, veluti scissionem Lunæ. Neque refert, quòd dicatur اذا *cùm viderint*: non autem اذا سمعوا *cùm audierint*; cùm fermo sit de periodis Alcorani. Nam in Arabico idiomate verbum رأى *Vidit* non secus ac in Hebraico ראה, appliecatur tàm visui, quàm auditui. Neque de hoc ullum est dubium inter utriusque linguæ peritos.

Ad tertium locum, nempe: *Appropinquavit hora, & scissa est Luna: & si viderint aliquod signum, longè recedent, ac dicent: Præstigium valìdum...*: eodem prorsus modo respondetur. Nam sensus horum verborum est: Appropinquavit dies Judicii (qui etiam in Evangelio Joan. c. 5. *Hora* appellatur) in quo scindetur Luna. Et si Meccani audierint Mahumetum aliquid hujusmodi legere ex Suris Alcorani, in quo frequentissima est de Judicii die commemoratio, ſtatim dicent: hoc est præstigium valìdum: seu, ut alii vertunt, perpetuum, & perseverans: quia scilicet semper eamdem cantilenam canebat. Id verò de miraculis dicere non poterant, quia hæc assiduè ab eo exigebant, numquam verò obtinebant.

Sed videamus, utrum ex Alcorano miraculum aliquod erui possit, quod reverà Mahumetus patraverit.

CAPUT QUARTUM.

Discutiuntur Mahumeti miracula ex Alcorano à Moslemis producta.

INcredibile dictu est, quàm vehementer se torqueant, ac distorqueant Doctores Moslemi in expiscandis Mahumeti miraculis ex Alcorano, quamvis toties, ut vidimus, se non ad miracula facienda, sed tantùm ad prædicandum missum fuisse affirmaverit. Videlicet, dum Prophetæ suo miracula violenter adstruunt: vel illum, vel se ipsos mendacii manifesti condemnant.

Auctor inter Mahumetanosinsignis Abu-Mohammed Mostapha Gennabiensis, affirmat, in Alcoranо contineri facta à Mahumeto الف اية sexaginta millia signa, seu miracula. Hic Thrasо fortasse singula Alcorani verba pro miraculis enumeravit. Nam illius periodi, quas Doctores Moslemi signa appellant, quia ea tamquam miracula admirantur, duo, vel tria millia, ut puto, non excedunt.

Aliquantò modestiùs sensit Ahmed filius Abdal-Halim, dum enumeratis Pseudoprophetæ sui miraculis, subdit: وهذا غير الايات والبراهين المستفادة بالقران فان تلك قد تجرتها طوائف من المسلمين ذكروا من اوليها وصفاتها ما هو معروف في غير هذا الموضع حتى بلغوا ان ما في القران من الايات يزيد على عشرات الالوف من الايات. *Et hæc, præter signa, & argumenta demonstrativa accepta ex Alcorano: nam ista jam collecta sunt à diversis nationibus Moslemorum, qui eorum species, & qualitates commemoraverunt; quæ fusiùs scribentur in alio loco: itaut planum fecerint, miracula, quæ sunt in Alcorano, aliquot millium decades excedere.* Verùm hoc quoque Thrasonicè: Sed hic idem Auctor in illis recensendis, satis parcum se ostendit: credo, quia eorum penuria laborabat. Quotcumque verò, & quæcumque illa sint, ex hoc ipso nebulone videamus.

Primum miraculum desumitur ex Sura 105. الفيل *Elephantes*: in qua inducitur Deus ita loqui cum Mahumeto: الم تركيف فعل ربك باصحاب الفيل: الم يجعل كيدهم في تضليل: وارسل عليهم طيرا ابابيل: ترميهم بحجارة من سجيل: فجعلهم كعصف مأكول. *An non audisti, quomodo se gesserit Dominus tuus cum ductoribus Elephantium? An non convertit astum eorum in errorem? & misit contra eos aves turmatim volantes, quæ jaciebant contra eos lapides ex argilla cocta: & reddidit eos velut herbam depastam?* Obscurè indicatur his verbis historia quædam seu fabula, quam refert hic Gelaleddinus in hunc modum: ابرهة ملك اليمن وحبشة بنا بصنعا كنيسة ليصرف اليها الحاج من مكة فاتى رجل من كنانة فلطخ قبالتها اعتقادا بها فغضب ابرهة ليهدمن الكعبة فجاء مكة بجيشه على افيال مقدمها محمود فحين توجهوا لهدم الكعبة ارسل الله عليهم ما قصه في قوله كل واحد منهم رمى بحصا فيه امثه ومن اكبر من العدسة واصغر من الحمصة بخرق البيضة الرجل والفيل ويعمل في الجثة كالحصبة بالرجل. الارض وكان هذا عام مولد النبي محمد. *Abraha Rex Arabiæ felicis, Æthiopiæ, ædificavit in Sanaa Ecclesiam, ut diverteret ad eam concursum peregrinorum à Delubro Meccano. Vir autem quidam ex Canana, exonerato ventre, stercore inquinavit anteriorem partem ejusdem Ecclesiæ in contemptum ejus. Quamobrem juravit Abraha se demoliturum Delubrum Meccanum: venitque Meccam cum exercitu super Elephantes,* (inter quos qui Regem vehebat, Mahmud vocabatur.) *Cùmque tenderent ad destruendum Delubrum, misit Deus super eos volucres, quæ, ut dicitur in Alcorano, lapillis illos percussere. Unusquisque autem eorum percussus est lapillo, in quo scriptum erat nomen ipsius: & hic erat major lente, & minor cicere: & comburebat galeas, & viros, & Elephantes, & postea decidebat in terram. Accidit autem hoc eo anno, quo natus est Mahumetus.* Addit Ismael filius Aly. *Cùm Abraha Elephantem, cui insidebat, Meccam versus impelleret, ille se in terram projiciens obdormiebat. Cùm verò in aliam partem adigeret, statim surgebat, celeriterque incedebat.* Illas autem volucres, scribit, venisse è regione Maris, fuisseque innumerabiles, ac similes hirundinibus: & unamquamque gestasse tres lapides, in roſtro scilicet, & in duobus pedibus. Cùmque plerique occisi fuissent, Deum misisse torrentem, qui cadavera asportavit in mare: Abraham verò percussum fugisse, & defluentibus membris, in Sanaa interiisse.

Fabulam hanc esse, vel id totum ex malorum Dæmonum opera contigisse, non est dubitandum. Primum persuadet id, quod de camelo illo Regis, de volucribus, de lapillis nomine percussorum signatis, & aliis hujusmodi nugis refertur. Solemne autem est Scriptoribus Arabibus, hujusmodi portenta confingere. Secundum autem persuadetur, quia, ut fatetur etiam Ahmed filius Abdolhalim in sua apologia: كان جبرايل البيت مشركين بعدون الاوثان ودين النصارى خير من دينهم. *Erant cultores Delubri Meccani Idololatræ adorantes simulacra: Religio verò Christianorum melior erat religione eorum:* Quia scilicet tunc Religio Christiana erat vera, etiam in sententia Mahumetanorum. Impium ergo est credere, Deum tàm insigni miraculo sо propugnatorem ostendisse idololatriæ; & superstitionis Meccanæ contra religionem Christianam, ac veram, quam Abraha Rex Christianus tuebatur; pugnasset enim quodammodo Deus contra seipsum, Dicendum est igitur, si verum sit id, quod narrant hic Moslemi; mali Dæmonis opera ad superstitioni suæ fidem conciliandam contigisse. Neque verò tunc primùm hujusmodi ludibriis mortales decipere Dæmones tentavere. Sexcenta sunt diabolicæ hujus fraudis exempla à Scriptoribus tàm Græcis, quàm Latinis relata, quæ omnia conficta fuisse, impossibile prorsus videtur. Unicum producere hic mihi satis erit, quod superiùs descripto simillimum est: & à Ciceronе lib. I. de Divinatione his verbis narratur, *Objiciuntur etiam sæpè formæ, quæ reapse nullæ sunt, speciem autem offerunt: quod contigisse Brennо dicitur, ejusque Gallicis copiis, cùm Fano Apollinis Delphici nefarium bellum intulisset. Tunc enim*

Digitized by Google

enim ferunt ex Oraculo hoc fatam esse Pythiam: Ego providebo rem istam, & albæ Virgines. Ex quo factum, ut & viderentur virgines ferre arma contra; & nive Gallorum obruerentur exercitus. Addit Valer. Maximus l. 1. c. 2. *Brennus Gallorum Dux Delphis Apollinis Templum ingressus, Dei voluntate in se manus vertit.* An non simillimum est hoc factum illi, quod contigit in ductoribus Elephantium, eorumque Rege Abraha.

Verùm, sit hæc historia; sit fabula; sit præstigium: quid attinet ad Mahumetum, ejusque miracula? Quia (inquit Auctor) contigit eo anno, quo natus est Mahumetus. Ridiculum caput! Quasi verò quicquid miri contigit anno, quo Mahumetus natus est, debeat illius miraculum censeri. At enim (instat Ahmed) Templum illud Meccanum Deus tutari voluit, non propter idola, quæ in eo colebantur, sed quia ædificatum fuerat ab Abraham, & Mahumetus cultum in eo divinum, simulacris effractis, restituturus erat. Sed hoc est divinare. Neque credi potest Deum, qui Hierosolymitanum Templum idololatriæ labe fœdatum, à Chaldæis destrui sivit; licet à Davide, & Salomone constructum fuisset, & posteà instauratum, à Christo invisendum foret: Meccanum Delubrum, quamvis ab Abraham extructum (licet hoc falsum sit) & à Mahumeto purgandum, tanto miraculo servare voluisse, cùm esset idololatriæ, & impietatis Asylum; præsertim cum tàm insigni clade eorum, qui veram Religionem profitebantur; & injuriam Ecclesiæ Deo dicatæ factam, vindicare conabantur. Jam igitur effluxit, & evanuit primum Mahumeti miraculum ex Alcorano petitum.

Secundum ex Alcorano miraculum desumitur ex Sura 72. الجن *Genii*, in qua ita legimus v. 1. Mahumetum loquentem: اوحي الي انه استمع نفر من الجن فقالوا انا سمعنا قرانا عجبا يهدي الي الرشد فامنا به ولن نشرك بربنا احدا: *Revelatum fuit mihi, catum quemdam Geniorum, cùm attentè audisset* lectionem Alcorani, *dixisse*: *Nos quidem audivimus lectionem mirabilem Libri, qui dirigit ad rectam institutionem. Credidimus igitur in eum: & posthac nullum deum colemus præter Dominum nostrum.* Deinde v. 8. ita loquuntur iidem Genii: وانا لمسنا السماء فوجدناها ملئت حرسا شديدا وشهبا وانا كنا نقعد منها مقاعد للسمع فمن يستمع الان يجد له شهابا رصدا. *Et nos quid tentavimus propius accedere ad cælum: sed invenimus illud undique munitum custodia terribili, & flammis fcintillantibus, & nos sanè anteà sedebamus in parte ejus in sedibus ad audiendum: nunc verò qui tentaverit accedere ad audiendum, inveniet ibi flammas appositas ad custodiam.* Duplex hic habemus miraculum. Primum est, conversio Geniorum ad cultum unius Dei ab idololatria ob auditam lectionem Alcorani. Secundum, depulsio eorumdem Geniorum post adventum Mahumeti, per jactum flammarum, ab orbibus Cœlestibus, in quibus assidebant ad divinas revelationes per Angelorum ministerium delatas, furtivis auribus captandas. De hoc secundo satis diximus in prima parte. De primo autem nunc pauca dicenda.

Sciendum est autem tàm Hebræos, quàm Arabes ex Hebræorum disciplina, certò credere, esse quoddà genus creaturarum intellectualium, medium inter Angelos, & homines, quibus nonnulla cum hominibus, nonnulla verò cum Angelis communia sunt: جن seu جنة hos Arabes appellant; quæ vox latinæ *Genii*, sono prorsus respondet. Nos Dæmones, seu Spiritus familiares communiter vocamus. De his ita Buxtorphius in suo Lexico Caldaico in radice שדד, ex Thalmud in Bereshith Rabba, sect. 36. *Sex proprietates dicuntur de Dæmonibus. In tribus similes sunt Angelis: & in tribus assimilantur hominibus. Habent alas sicut Angeli: & volant ab una extremitate Mundi ad alteram sicut Angeli: & sciunt futura sicut Angeli. Edunt, & bibunt sicut homines: gignunt, & multiplicantur sicut homines; & moriuntur sicut homines.* Præterea, non fine summa impietate & amentia tradunt Hebræi, hujusmodi Dæmones, seu Genios ab Adam genitos fuisse eorum annorum spatio, quo ob peccatum suum vixit in anathemate, & veluti exeommunicatus à Deo, nimirum per centum, ac triginta annos. Ita habemus in Thalmud: *Dixit R. Jeremias filius Eleazari: Omnibus istis annis, quibus fuit Adam in anathemate, genuit Spiritus, & Dæmones, & spectra nocturna.* Ubi addit R. Salomon; Spiritus istos, seu Dæmones generatos fuisse ex fluxu seminis nocturni eo toto tempore, quo Adam excommunicatus, & ab uxore separatus fuit. Alii tamen videntur sentire, etiam ante Adam plures ex his Dæmonibus fuisse. Nam in Bereshith Rabba sect. 20. & 24. legimus: *Dixit R. Simon: Omnibus centum, ac triginta annis, quibus separata fuit Heva ab Adam; spiritus masculi concubuerunt cum ea, & ipsa pariebat illorum opera. Et spiritus fœminæ succubuerunt Adamo, & pariebant ex illo.* Nihil vel magis obscœnum, vel magis impium poterat excogitari.

Arabes tamen volunt, Genios non ab Adam, & Heva: sed ab ابليس *Eblis*, vel *Diabolo*, genitos fuisse. Hinc Gelaleddinus in expositione Suræ 18. الكهف *Spelunca*: الجن قبيل من الملايكة وابليس ابو الجن فله ذرية ذكرت معه وللملايكة لا ذرية لهم. *Genii dicuntur esse species Angelorum. Eblis autem est pater Geniorum, & habet sobolem, quæ est masculini generis, sicut ille. Angeli autem non habent sobolem.* Volunt autem, *Eblis*, seu *Diabolum*, fuisse Angelum; sed à Deo damnatum, eo quòd Adamum adorare noluerit. Nihilominus Abulhosein Ahmed filius Phares filii Zachariæ, ex communi Sapientium Moslemorum assensu, supponit alios etiam Genios fuisse immediatè creatos à Deo unà cum Diabolo: ita enim scribit: وان الله تعالى لما كون ظهر الارض بما فوقه من خلقها الجن قبل ادم وجعلهم من مارج من نار وابليس فيهم فنهاهم الله ان يسفكوا دم المهايم وظهروا المعصية فسفكوا وعدا بعضهم على بعض فلما رأهم ابليس لا يغلبون من ذلك سأل الله ان يرفعه الي السماء فصار مع الملايكة يعبد الله اعبد عبادة وارسل الله الي الجن وهم حزب ابليس فهبطوا فطردتهم الي البحور وقتلوا من شاء الله منهم وجعل ابليس على سماء الدنيا حارسا فوقع في صدره كبر. *& quidem Deus excelsus fecit habitare super terram, postquam illam cressset, Genios prius quam Adam crea-*

Digitized by Google

creavitque eos ex purissimo igne, & Eblis in eos. Et prohibuit illis Deus, ne effunderent sanguinem bestiarum, neve essent sibi inobedientes. Sed effuderunt illum: & exercuerunt inter seipsos injuriam, & hostilitatem. Cùm autem vidisset Eblis eos ab hoc non desistere, rogavit Deum, ut sublevaret se in cœlum: fuitque ibi cum Angelis, & studiosissimo cultu Deum venerabatur. Misit autem Deus contra Genios, qui fuerant socii Eblis, gentem quamdam, quæ detrusit eos in mare: & occidit ex eis quotquot voluit Deus. Posuitque Deus Eblis super cælum lunæ cubodem. Sed incidit in pectus ejus superbia.

Placuit hæc ex Hebræis, ac Mahumetanis referre, ut intelligat Lector, quo fundamento finxerit Mahumetus, Genios, seu Dæmones, audita Alcorani sui lectione, ab idololatria ad unius Dei cultum, & ad festam suam conversos fuisse: quia scilicet hi non secus ac homines, libero pollent arbitrio ad benè, vel malè operandum; ad peccandum, & ad pœnitendum, ac resipiscendum. Verùm cum ex Sacris literis tàm veteris, quàm novi Testamenti nihil de hujusmodi Geniis habeamus, manifestè patet, hæc omnia figmenta esse, & mendacia. Nullibi enim reperimus in Sacris Scripturis, aliam præter Angelos, & homines, intellectualem creaturam à Deo conditam fuisse. Certum etiam est, ex Angelis quosdam beatos esse, cœloque addictos: quosdam è cœlo dejectos, & æternis cruciatibus in Gehenna damnatos; qui communiter Dæmones, Satanæ, vel Diaboli appellantur: licet revera caput, seu Princeps eorum vulgò Diabolus, & Satanas per antonomasiam nuncupetur. Tàm autem ex Angelis bonis, quàm ex malis plures in terris, aliisque elementis commorantur. Ex his, malos eos esse credimus, qui homines obsident, vel domos, aliave loca infestant, & multimodis ludibriis miseros mortales vexant, & decipiunt. Hos omnes Sacræ literæ iisdem nominibus indiscriminatim, *Satanæ, Dæmonis, Diaboli, Spiritus immundi, Spiritus nequam, Angeli mali*, vel aliis hujusmodi consueverunt appellare. Veteres Ethnici, ut dixi, *Genios* vocavere, nomine Arabico consimili. Neque Hebræi, neque Arabes possunt ullam legitimam hujusmodi Geniorum, quales ipsi fingunt, originem ostendere, nisi eam ex cerebro suo velint cruere.

Tertium Mahumetica Alcorano miraculum, apud Moslemos celeberrimum, & apud Christianos etiam non ignotum, est quòd Lunam in duas partes dividerit.

Causam dederunt commento verba Suræ 54. القمر اقتربت الساعة وانشق القمر وان يروا آية ; *Luna*; يعرضوا ويقولوين سحر مستمر : *Appropinquavit hora, & scissa est Luna: & si viderint signum aliquod, longè recedent, ac dicent: Transitorium perseverans.* Hæc de re audiendus est Ahmed filius Abdalhalim in Apologia, cujus verba Arabica, quia prolixiora sunt, hic latinè fideliter exhibeo. Sic igitur ille: *Et jam quidem mentio facta est de scissione Lunæ: & manifestè ostensum est factam fuisse à Deo, & relatam in Alcorano propter duo magna mysteria, quorum primum fuit ad ostendendam illius prophetiam. Cùm enim petiissent Infideles ab eo miraculum: ostendit illis scissionem Lunæ. Alterum verò, quia fuit indicium propinquæ scissionis Firmamenti, quæ quidem erit signum ostensivum dississionis calorum, quam prædixerunt Prophetæ. Et propterea dixit Altissimus: Appropinquavit Hora, & scissa est Luna: & si viderint aliquod signum, longè recedent, & dicent: Transitorium perseverans. Et mentionem fecit appropinquationis Horæ, & scissionis Lunæ. Et posuit signum in scissione Lunæ, non autem Solis, & reliquarum Stellarum; quia illa est terræ propinquior, quàm Sol, & Stellæ; & quia hæc est corpus rotundum, in quo apparet scissio cuicumque eam viderit, apparentia, quæ non perseverant. Et jam viderunt eam homines, & testes fuerunt illius. Mahumetus verò legebat hanc Suram in conventibus præcipuis, ut audirent homines id, quod continebat de signis prophetiæ, & argumentis illius: & difficultatem circa id, quod erat in ea. Omnes verò homines confitebantur hoc, neque negabant: & constat, scissionem Lunæ notam fuisse apud homines universaliter. Et in Sahih Moslemi habetur, quòd Omar filius Alchottab interrogavit Abu-Vacked Laitiensem de eo, quod legebat Mahumetus in Festo solemnis Sacrificii, & in Festo solutionis jejunii. Ille verò respondit, eum in utroque legere consuevisse Suram 50 Q. Per Alcoranum gloriosum: & Suram 54. Appropinquavit Hora, & scissa est Luna. Et necessariò apparet ex consequitione consuetudinis, quòd si Luna scissa non fuisset; celeres fuissent fideles in hoc negando, magis quàm infideles hostes ejus, & impii. Constat etiam illum fuisse solertissimum omnium mortalium, ut verax haberetur à populo, & haberet illum sectatorem. Quòd si non fuisset scissa Luna, certè id non asseruisset, nec legisset omnibus hominibus demonstrando hoc, & prædicando tanquam miraculum suum. Et in Sahibein ex relatione Anas filii Malec habetur, quòd Meccani petierunt à Prophetâ Mahumeto, ut ostenderet ipsis miraculum: ostenditque illis scissionem Lunæ duabus vicibus. Et ex eodem habetur, quòd Meccani postulaverunt à Legato Dei, ut ostenderet eis aliquod signum, & scissa est Luna in duas partes. Refert hoc Termandinus. Et in Sahibein ex relatione Ebno-Masaud habetur: scissa est Luna tempore Legati Dei in duas partes: & dixit Legatus Dei: Testes estote. Ex relatione item Ebno-Masaud habetur: Vidi, inquit, Lunam scissam in duas partes in Mecca, antequam egrederetur ex ea Legatus Dei. Una pars illius constitit supra Montem AbuKis, & altera pars super Alfaunada. Dixeruntque infideles Corasini Meccanis: Hic homo fascinavit vos. Dixit Ebn-Abu-Kabfciat: Expectate viatores; nam si hi viderint juxta id, quod vos vidistis; hic homo est verax. Si autem non viderint sicut vos vidistis; hic sanè est Magus. Interrogati sunt igitur viatores, qui ex omni parte advenerant: & hi responderunt: Vidimus. Refert hoc Albocharius, & Moslem. Refert præterea idem Albocharius, dixisse Ebn-Abbas: Divisa est Luna, & hoc accidit tempore Prophetæ Mahumeti: & divisa est in duas partes: una pars ultra montem, & altera citra montem. Dixitque Mahumetus: O Deus estote testis. De Gioaiber filio Motaham habetur, quod dixerit: Divisa est Luna, dum nos essemus in Mecca, itaut apparuerint de eadem partes separatæ, quarum una visebatur super unum montem, & altera super alium. Dixeruntque homines: Dementavit nos Mahumetus. Respondit autem quidam: Si dementavit vos, certè non dementavit homines universos. Refert hoc Termandinus.*

Verùm hujusmodi miraculum magnum est Mahumetanorum figmentum. Cùm enim, ut superiùs vidimus, toties Meccani signum aliquod à Mahumeto in legis suæ testimonium efflagitarent; si vel hoc, vel aliud ex iis, quæ illi Moslemi affingunt, effecisset; potuisset semper illa iis objecere; nec fuisset, quòd perpetuò responderet, se ad miracula patranda missum non fuisse, sed tantummodo ad prædicandum, hominesque commonendos: miracula ad Deum spectare: nihil infidelibus prodesse: fidem non à miraculis, sed à Dei voluntate dependere; & alia hujusmodi,

quæ

quæ illum non solùm nulla antèà signa fecisse, sed nec posteà facturum esse manifestè demonstrant. Aliàs sibi ipse adversatus fuisset. Si enim miracula nulla faciebat, quia non erant profutura: quare hic fecit, ubi etiam ex Alcorani testimonio patet, nihil profuisse?

Præterea ex ipsis Alcorani verbis dignoscitur, nullum hic miraculum significari. Ita enim habent: *Appropinquavit Hora, & scissa est Luna: & si viderint signum aliquod, longè recedent, ac dicent, Præstigium perpetuum: & mendacii insimulaverunt* (Mahumetum) *& secuti sunt libidines suas.* Omnes, quos vidi, Interpretes conveniunt, hoc loco الساعة *Horam*, supremi Judicii diem significare: *Scissionem verò Lunæ*, ejusdem diei signum fore, communis est Moslemorum sententia: idque inter alios asserit Gelaledd. in expositione Suræ 47. القمر *Bellum.* v. 17. dicens: من علاماتها بعث النبي محمد وانشقاق القمر والدخان: *Inter signa illius* (nempe diei Judicii) *sunt missio Prophetæ Mahumeti, & scissio Lunæ, & Fumus.* Cùm igitur dicit, *scissa est*, propheticum stylum affectat, utens tempore præterito pro futuro, ut alibi non rarò in Alcorano. Ridiculum verò est asserere, adventum Mahumeti, vel scissionem Lunæ ab eo factam, vel nescio quem fumum, qui Mahumeti tempore apparuit, supremæ Mundi diei indicia fuisse, cùm tanto intervallo hæc ab illa distiterint. Legitimus ergo Alcoranicorum verborum sensus est: Propè est Dies Judicii, & scissio Lunæ, quod erit præambulum illius signum. Cum verò Meccani audierint hæc sibi prædicari, non secus ac præstigia accipient, & terga vertentes, Mahumetum mendacem proclamabunt, & in infidelitate sua perseverabunt. Nec obstat, quod dicatur, *si viderint aliquod signum*: nam in idiomate tàm Hebraico, quàm Arabico, *videre* sæpissimè accipitur pro *audire*: ut norunt omnes utriusque linguæ periti, & crebris Alcorani exemplis confirmatur, ut jam iis superiùs vidimus. *Signi* verò nomine Alcoranicas periodos plerumque designari, Mahumetani ipsi fatentur. Notandum verò, non dici, *cùm vident, vel cùm vidissent*: sed, *si videant*, vel, *si viderint*, conditionatè. Propositio verò conditionata, juxta Dialecticos, nihil ponit in esse. Neque momenti ullius esse debent testimonia eorum, qui asserunt, se vidisse Lunam scissam à Mahumeto: nam, ut alibi vidimus, solemnissimum est Arabibus, & Hebræis hujusmodi testimonia confingere. Postremò ipsos Arabes doctiores agnovisse, non agi hic de miraculo aliquo Mahumeti, sed de scissione Lunæ, quæ fiet paulò ante diem Judicii, testantur duo inter Arabes celeberrimi Interpretes, Beidavius, & Zamchascerius: quorum primi hæc sunt verba: روي ان الكفار طالبوا رسول الله ايةً فانشق القمر وقيل معناه سينشق يوم القيمة: *Fertur, infideles postulasse à Legato Dei aliquod signum: & propterea Lunam scissam fuisse. Sed alii dicunt, sensum hujus loci esse, quòd Luna scindenda sit in die Resurrectionis.* Secundi verò: ومن بعض الناس ان معناه بانشقاق يوم القيمة: *Et juxta aliquos, sensus hic est: scindetur* (Luna) *in die Resurrectionis.* Porrò si tot telles illud miraculum habuissent, non esset cur ea verba Alcorani inter sapientes Moslemos hæc diversitas sententiarum, neque ab ullo fuisset in dubium revocatum.

Cæterùm, etiam si certo certius foret, Mahumetum Lunam bipartitam, vel quadripartitam Meccanis visendam ostendisse: non tamen verum miraculum patrasse evinceretur. Nihil solemnius Sagis, ac Veneficis, quàm hujusmodi præstigia in Luna ostentare. Unde Virgilius ecl 4.

Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam.

Ubi, *carmina*, juxta omnes Interpretes, excantationes significant. Et Ludovicus de la Cerda Vir eruditissimus, hæc verba exponens: *E cœlitis*, inquit, *astris, Luna veteribus ita credebatur subdita esse Veneficarum cantionibus, ut quoties his liberet, ea è cœlo, vel invita deduceretur.*

Ex dictis patet responsio ad argumentum Adversarii. Nam quando Mahumetus Alcorani verba populo legebat; vel illud tantùm intendebat, ut hominibus persuaderet, Lunam scindendam esse prope diem Judicii: vel volebat, ut crederent, ipsum revera illam in duas partes discidisse. Si primum: nihil ad Mahumeti miraculum pertinebat. Si secundum: meritò credebant Meccani, illud fuisse præstigium; cùm hujusmodi signa à Magis ac Veneficis in Luna frequenter fieri non ignorarent.

Quartum ex Alcorano miraculum obscurè innuitur in Sura 17. الاسري *Iter nocturnum*: v. 1. ubi dicitur: سبحان الذي اسري بعبده ليلاً من المسجد الحرام الي المسجد الاقصي الذي باركنا حوله لنريه من اياتنا: *Laus illi, qui transtulit servum suum nocturno ab Oratorio Meccæ ad Oratorium remotissimum, cui undequaque benediximus, ut ostenderemus ei signa nostra.* Quæ verba exponentes Interpretes Moslemi, omnes conveniunt, alludere ad visionem quandam ab ipso Mahumeto relatam in libro السنة *Sonnæ*, quam ita describunt Jahias filius Salam, & Mohammed filius Abdallah, cum quibus cæteri Expositores conveniunt: ان رسول الله ص بينما عند البيت ان اوتيت شق الصدر فاخرج القلب ففعل بماء زمزم ثم اميد مكانه: *Cùm ipse Legatus Dei Mahumetus juxta Templum Meccanum, ecce venit ad me* (inquit ipse) *quidam, qui scidit pectus meum sub jugulum, & extraxit cor meum, lavitque illud aqua putei Zamzam: deinde restituit illud in locum suum. Deinde adductum est ad me jumentum album, quod vocatur Alborac, majus asino, & minus mulo, quod quasi sabat auriculas, & ponebat passus ad terminationem aspectus sui: & super illud impositus, cepi iter versus Templum Hierosolymitanum. Et ecce vox clamantis à dextris mee: O Mahumete, subsiste paulisper, oro te: O Mahumete, subsiste paulisper oro te: O Mahumete, subsiste paulisper oro te: Sed ego pertexi,*

rexi, nec attendi quis esset. Eandem vocem audivit à sinistra parte viæ: neque de illa quidquam curavit. Cùm ad Templum Hierosolymitanum pervenisset, alligavit jumentum ad anulos, ad quos Prophetæ illud alligabant. Deinde ingressus in Templum oravit in eo, bis se incurvando. Posteà inde egresso, obtulit ei Gabriel vas vini, & vas lactis: ille verò vas lactis accepit. Laudavit de hoc illum Gabriel, qui exposuit ei; vocem illam, quam à dextris audierat in via, fuisse invitationem ad Judaismum, quam si attendisset, certè judaizasset gens ejus. Vocem verò, quam audierat à sinistris viæ, fuisse invitationem ad Religionem Christianam: quam si attendisset, certè Christianismum gens ejus suscepisset. Deinde narrat, se vidisse mulierem speciosissimam, ornatam omni monilium, & munditiarum genere, quæ elatis manibus, ter rogavit eum, ut paulisper subsisteret: se verò nec aliquid respondisse, nec eam penitùs curasse. Hanc autem, dixit ei Gabriel, fuisse Mundum, cui traditus fuisset, si ejus verba, vel aspectum curasset. Pergit deinde Mahumetus referens visionem, seu delirium suum: ثم اتينا بالعراج فاذا احسن ما خلق الله فقعدنا فيه فعرج بنا حتي انتهينا الي سماء الدنيا وعليها ملك يقال له اسمعيل جنده سبعون الف ملك جند كل ملك سبعون الف ملك. فاستفتح جبرايل فقيل من هذا قال جبرايل قيل ومن معك قال محمد قيل أوقد بعث اليه قال نعم: قالوا مرحبًا به ونعم المجي جاء ففتح لنا فاتيت على ادم فقلت يا جبرايل من هذا قال هذا ابوك ادم فرحب بي ودعا لي بخير: قال واذا الارواح تعرض عليه فاذا مر به روح مومن قال روح طيب وريح طيب: واذا مر به روح كافر قال روح خبيث وريح خبيث:

Deinde pervenimus ascendendo ad locum omnium pulcherrimum, ibique consedimus: deinde ascendimus ad cœlum Lunæ, cui præsidebat Angelus, nomine Asmail, qui habebat exercitum septuaginta millium Angelorum, quorum singuli habebant item exercitum septuaginta millium Angelorum, quorum singuli habebant item exercitum septuaginta millium Angelorum. Pulsavit igitur Gabriel januam: responsumque est; Quis est hic? Dixit, Ego sum Gabriel. Dictum est illi: Et quis est tecum? Respondit: Mahumetus. Dictum fuit illi: Jam ne factus est Apostolus? Respondit: Utique, dixerunt illi: Faustè feliciterque advenerit. Aperta est ergo nobis janua, & obvium habui Adam, & dixi: O Gabriel, quis est hic? Respondit: Hic est pater tuus Adam. Tunc ille salutavit me, & fausta mihi apprecatus est. Et ecce Animæ sese obtulerunt illi: cùmque transiret juxta eum anima fidelis, dicebat: Spiritus bonus, & halitus bonus. Cùm verò transiret juxta eum anima infidelis, dicebat: Spiritus malus, & halitus malus. Deinde refert, se vidisse quosdam olfacientes carnes putridas; carnes verò recentes ac bonas nauseantes, quos intellexit à Gabriele esse adulteros, ac fornicarios. Tum vidit alios ore laxo & aperto; alios verò, qui in eorum ora aperta lapides igneos ab obscœnis partibus egestos conjiciebant: & intellexit, hos esse eos, qui orphanorum, ac pupillorum facultates usurpabant. Deinde vidit alios seipsos unguibus dilacerantes, vocesque tamquam mugitus emittentes: quos intellexit esse obtrectatores, detractores, ac diflamatores. Vidit etiam mulieres quasdam speciosas, per ubera suspensas, quas serpentes, ac scorpiones mordebant: intellexitque, has esse eas, quæ occidebant filios suos. Vidit deinde has easdem mulieres cum aliis, qui ex variis partibus advenicbant, duci in Gehennam ad Pharaonem: ad quem cum pervenissent, extensæ sunt ante ignem, ut illius calore ardentissimo torquerentur. Postremò vidit quosdam viros enormiter ventricosos, qui, cùm vellent surgere, cadebant in terga, & in ventres: hi verò accusati apud Pharaonem, illius jussu pedibus truncati sunt: intellexitque, hos esse usurarios. Prosequitur deinde iter suum in Cœlum, consuetis nugis: ad singulos enim cœlos eadem est cantio, quæ fuit ad cœlum Lunæ, nempe: فاستفتح جبرايل فقيل من هذا: فقال جبرايل: قيل ومن معك: فقال محمد: قيل أوقد بعث: قال نعم: قالوا مرحبًا ونعم المجي جاء ففتح لنا:

Pulsavit Gabriel januam: dictumque fuit illi. Quis est qui pulsat? At ille respondit: Gabriel. Dictum fuit illi: Et quis est tecum? Respondit; Mahumetus. Dictum fuit illi. An jam missus fuit ad munus propheticum exercendum? Respondit illi: Jam missus fuit. Dixerunt qui erant intus: Faustè feliciterque advenerit. Et tunc aperuerunt januam, ut uterque ingrederetur. In secundo ergo cœlo invenerunt ابني الخالة يحيي وعيسي *duos filios materteræ, Joannem, & Jesum* (hoc ex errore Mahumetanorum, qui putant, Matrem Jesu, & Matrem Joannis Baptistæ fuisse sorores): qui salutaverunt Mahumetum, & fausta illi apprecati sunt. In tertio cœlo invenerunt Joseph, cui eximia pulchritudo collata fuerat: qui eodem modo Mahumetum salutavit, cum fausta apprecatione. In quarto cœlo invenerunt ادريس *Edris* (idest Henoc) qui eadem obsequia Mahumeto exhibuit. In quinto cœlo invenerunt Aaron, qui hoc habebat singulare, quòd: لحيته شطران شطر ابيض وشطر اسود: *dimidium barbæ ejus erat candidissimum: dimidium verò nigerrimum*. Hic eodem modo, quo cæteri superiores, Mahumetum excepit. In sexto cœlo invenerunt Moysem, qui erat coloris impensè rufi: & cùm de more eum salutasset, & ut fratrem agnovisset, dixit: تزعم بنوا اسرايل اني اكرم الخلق على الله: وهذا اكرم على الله مني:

Existimabant filii Israel me honoratissimum omnium creaturarum esse apud Deum: sed hic (innuens Mahumetum) *est honoratior me apud Deum*. In septimo cœlo invenerunt Abraham innixum Domui, quæ dicitur المعمور *Visitata*: quia scilicet, يدخله كل يوم سبعون الف ملك ولا يعودون اليه الي ان تقوم الساعة *ingrediuntur ad eam visitandam quotidie septuaginta millia Angelorum: nec revertentur ad eam usque ad diem Resurrectionis*. Salutavit igitur eum Mahumetus, & ipse resalutavit eum fausta apprecando. Erat porrò prope Abraham gens Mahumetana (quæ scilicet illius legem erat amplexura): hujus

Digitized by Google

jus pars vestibus albis, pars verò cinerei coloris erat induta, sed simul erant commixti. Intellexitque, hos esse illos, qui miscuerunt opera bona cum malis; sed totum fuit in bonum: & locum illum fore habitationem suam, & gentis suæ. Pergit Mahumetus.

ثم انتهينا الي الصدرة المنتهي فاذا في احمن ما خلق الله واذا الورقة من ورقها لو غطيت بها هذه الامة لغطتهم ثم انفجر من تحتها الملحميل ثم انفجر من الملحميل نهران نهر الرحمة ونهر الكوثر فاغتسلت من الرحمة فغفر لي ما تقدم من ذنبي وما تاخر ثم اطعمت الكوثر فسالت حتي انفجرتني في الجنة فاذا طايرا كالبخت قال ونظرت الي جارية فقلت لمن انت يا جارية قالت لزيد بن حارثة قال ثم

Deinde pervenimus ad arborem Sedrum, ultra quam transire nemini licet. Erat autem pulcherrimi omnium rerum, quas creavit Deus: & unum ejus folium, si subilla esset hæc gens, (id est, gens tota Arabum) certè cooperiret eam totam. Sub ea verò emanabat fons Salsabil, ex quo duo fluvii egrediebantur, nempe Airahmat, & Accauther. Ego verò lavi me in Airahmat, & dimissa sunt mihi peccata mea tàm præterita, quàm futura (seu, tàm præcedentia, quàm subsequentia). Deinde ingressus sum fluvium Accauther, & per eum navigio vectus perveni in Paradisum, in quo erant aves adinstar camelorum Persicorum. Vidi autem ibi puellam, cui dixi: Cuinam destinata es tu, ò puella? Respondit: Zaido filio Harethæ. Deinde vidi ignem Gehennæ: & ecce agasoni, penas, à Domino meo infligendas, esse sanè vehemen-

نظرت الي النار فاذا ان عذاب ربي لشديد لا تقوم له الحجارة ولا الحديد: قال ثم رجعت الي الصدرة المنتهي فغشيها من امر الله ما غشي ووقع علي كل ورقة ملك ولهذا الله يايده: وفرض علي في كل يوم وليلة خمسين صلاة فرجعت الي موسي فقال بما فرض عليك ربك قلت فرض علي في كل يوم وليلة خمسين صلاة فقال ارجع الي ربك فاسله التخفيف فان امتك لا تطيق ذلك فاني قد بلوت بني اسرايل وخبرتهم فرجعت الي ربي فقلت اي ربي حط عني فاني فاني امتي لا تطيق ذلك فحط عني خمسا قال فرجعت الي موسي فقال ما فرض عليك ربك قلت حط عني خمسا فقال ارجع الي ربك فاسله التخفيف فان امتك لا تطيق ذلك قال فرجعت الي ربي فحط عني خمسا قال فلم ازل ما بين ربي وبين موسي حتي قال يا محمد انه لا تبديل لقولي الذي مضي في خمس صلوات في كل يوم وليلة لكل صلاة منهن عشر فتلك خمسون صلاة: قال فرجعت الي موسي فاخبرته فقال ارجع الي ربك فاسله التخفيف فقلت قد راجعته حتي استحييت منه

tes; non resistit illis lapis, neque ferrum. De'nle regressus sum ad arborem Sedri, ultra quam non est progredi: & cooperuit illam ex præcepto Dei id, quod cooperuit (innumera scilicet multitudo avium, & Angelorum) & super singulas illius frondes defecndit unus Angelus: & sustentavit eam Dius manibus suis. Et ipse constituit mihi quinquagenas preces in singulos dies. Cùm autem revertissem ad Moysem, dixit mihi: Quid constituit tibi Dominus tuus? Ego verò: Quinquagenas mihi preces per singulos dies ac noctes mihi constituit. Dixit Moyses: Redi ad Dominum tuum, & ora eum pro imminutione earum: non enim poterit hoc gens tua. Et quidem ego jam feci experimentum hujus rei in filiis Israel. Igitur reversus sum ad Dominum meum, & dixi: Ab Domine mi, diminue Orationes genti meæ, quia non potent perfolvere eas. Imminuit autem mihi quinque: & cùm ad Moysen redissem, dixit mihi: Quid constituit tibi Dominus tuus? Respondi: Imminuit mihi quinque preces. Ille verò: Redi, inquit, ad Dominum tuum, & precare, ut adhuc imminuat: non enim poterit hoc gens tua. Reversus sum igitur ad Dominum meum, qui alias quinque preces imminuit. Neque cessavi ire, & redire ad Moysē ad Deum, donec dixit mihi Deus: O Mahumete, nolo amplius immutare quod decrevi; non enim mutabilia sunt verba Dei: quinque tibi preces per singulos dies ac noctes præscribuntur; ita ut unaquæque æquivalet decem; & ita sint in totum quinquaginta preces. Reversus igitur sum ad Moysen, & narravi ei hoc. Ille verò dixit mihi: Revertere ad Dominum tuum, & ora eum, ut hunc etiam numerum imminuat. Ego verò respondi: Jam toties ad eum reversus sum, ut pudeat me, iterum ad eum redire.

Commonendum hìc censeo Lectorem, non omnia, quæ habentur in libro Sonnæ, quem Mahumetani æquè ac Alcoranum recipiunt ac venerantur, circa hanc Mahumeti visionem ab his Auctoribus referri, sed tantùm modestiora. Sunt enim alia plurima monstrosa, & portentosa, quæ ab aliis Scriptoribus referuntur. Ricardus, vel, ut alii vocant, Ricoldus ex Ordine Prædicatorum in confutatione Alcorani cap. 14. scribit, se in Auctore Mahumetano legisse: *cùm vellet Mahumetus conscendere jumentum Alborac, illud fugam tentasse. Cùm autem Mahumetus diceret ei: sta firmiter: Mahumetus est qui vult te ascendere: respondisse jumentum: Numquid pro eo missum fuit? Respondisseque Gabrielem: Utique. Tunc jumentum dixisse: Non permittam eum ascendere, nisi priùs rogaverit Deum pro me. Mahumetum verò pro jumento Deum rogasse, & sic facilè illud conscendisse.* P. Philippus Guadagnolus suprà laudatus, in Apologia Arabica, tract. 2. de Alcorano, cap. 2. sect. 2. addit ex libro Hagar, ان محمد وعد المراق عبد الفردوس: *Mahumetum promisisse jumento Alborac gloriam Paradisi.* Et quidem Mahumetani ita credunt, Alborac, quemadmodum etiam arietem Abrahæ, & camelum Mahumeti esse in Paradiso, sicut nos credimus Judam esse in Gehenna. Addit idem Guadagnolus ibidem cap. 3. sect. 2. loquens de flumine Alcauther, & de aliis, vidit Mahumetus in Paradiso, ex libro Sonnæ: منهن الكوثر طولها وعرضها مسيرة الي يوم وعلمها عذبة وكلمات فيها للحوض كم هي نجوم في السماء والصبية والغلمان الذين بعده وهم في

Digitized by Google

في الفردوس عند ماكلهم وشربهم والجواري الحسان حسنهن غاية ما يكون: لونها واحدة منهن في المعالم اى الهوآء لبلا لتنير العالم كله كانها مصابح الشمس و لن يرتى في البصر لتحوله ملحه حلوا وملاحة مياهه حلوا عذبا

Fons Alcanther patet in longitudine, ac latitudine, quantum est iter septuaginta millium dierum, ejusque aquæ dulces sunt. Sunt autem ibi calices ad bibendum tot numero, quot sunt sidera in cælo: & puellæ, & pueri ministrantes in Paradiso ad manducandum, & bibendum: & adolescentulæ pulcherrimæ, quantum cogitari possit; ex quibus si una appareret in cælo, vel in aere nocturno tempore, illuminaret Mundum universum, non secus, ac si esset Sol lucentissimus: &, si ejuserit in mare, certè mutaret salsedinem ejus in mel, & amarorem aquarum ejus in dulcedinem, ac fuavitatem. Prosequitur Ricardus ex Auctore Mahumetano, referens verbis Mahumeti, id quod ipsemet viderat in septimo cœlo: *Vidi, inquit, populum Angelorum: prolixitas unius cujusque multò millies Mundo major erat: quorum quisque habebat septingenta millia capitum, & in quolibet capite septingenta millia ora, & in quolibet ore septingenta millia linguarum laudantium... Deum septingentis millibus idiomatibus. Et aspexi unum Angelum sientem, & quæsivi causam fletus illius: & respondit, se peccatum esse: ego autem oravi pro eo. Sicque Gabriel commendavit me alteri Angelo, & ille alii, & sic deinceps, quousque fleti coram Deo, & tribunali ejus: & tetigit me Deus manu sua inter humeros usque adeò, ut medullam spinæ dorsi mei frigiditas manus ejus pertranfiret.* Ita Ricardus, qui cæterit, quæ suprà dicta sunt, enarratis, concludit: *Visionis autem hujus plus est quod dimisimus, quàm quod enarravimus.* Etita prorsus est.

Hanc suam visionem stattim Mahumetus Meccanis, veluti tuba canens, propalavit: utque sibi crederent, quemadmodum scribit Auctor libri *de signis directionis*, asseruit, se eadem nocte dum regrederetur, reperisse mercatores Corasinos, qui camelum amissum quærebant; & bibisse ex aqua vasis eorum, residuumque illius effudisse: prædixitque, eosdem Mercatores craftino die sub Solis ortum affuturos, præeunte illos camelo rufo duobus saccis onerato. Verùm cùm illis non satis esset hæc signa, interrogaverunt eum, quandoquidem ad Templum Hierosolymitanum translatum se fuisse jactabat, quot essent illius porticus, quot candelabra, & quot adyta. Tunc verò Gabriel appendit figuram illius Templi ante faciem ejus; quamobrem ille ad omnia adamussim respondit. Neque tamen propterea fidem ullam Meccani illi adhibuere.

Concedimus sanè hujusmodi miracula Mahumeto, quæ quilibet mentis compos, delirantis hominis figmenta esse cognoscat. Verùm quam fidem hoc miraculum merebatur, cujus Mahumetus unus testis fuit? Quid etiam proderat illud deinde in vulgus flatim deblaterare, & tanta levitate in aures Meccanorum obtrudere? Quot porrò in eo mendacia deprenduntur! Dicitur hic, illum è Paradiso regressum, inveniisse in itinere procul à Mecca mercatores Corasinos, & deinde Meccam venisse: quod certè non potuit, nisi mane contingere. At Ebn-Abbas Auctor propè divinæ auctoritatis affirmat, se audisse ex ore ipsius Mahumeti, ipsum eadem nocte è Paradiso regressum concubuisse stattim cum Chadige. Ita refert Auctor libri *de signis directionis*: ان رسول الله لما اسري به دخل الجنة واكل من فاكهة الجنة وشرب من ماء الجنة فنزل من ليلته فوقع على خديجة فحملت بفاطمة فكان حمل فاطمة من ماء الجنة ورواه ايضا ابن عباس من النبي ص.

Legatus Dei postquam translatus fuit nocte, ingressus in Paradisum, comedit de fructibus Paradisi, & bibit de aqua illius: & descendit stattim eadem nocte, & concubuit cum Chadige, quæ concepit Phatemam: fuitque conceptus Phatema ex aqua Paradisi. Refert hoc etiam Ebn-Abbas auditum à Propheta Mahumeto. Potus scilicet, & cibus Paradisi adeò importunam libidinem in Mahumeto excitaverat. Deinde affirmat Mahumetus, se vidisse in Templo Hierosolymitano porticus, adyta, & candelabra, & anulos, ad quos Prophetæ alligabant Alborac, vel jumenta sua. At Templum Hierosolymitanum sexcentis ferè annis antèa destructum fuerat, neque de eo lapis super lapidem remanserat: Quòd si revera illud viderat eadem nocte, cur non poterat illius porticus, & adyta, & candelabra Meccanis recensere, absque eo, quòd Gabriel typum illius oculis ejus exhiberet? At enim non omnia attentè consideraverat. Esto; præcipua saltem poterat exponere, excusando se, si non singula ac minutiora attentiùs inspexisset. Neque tamen si omnia adamussim exposuisset, fatis fuisset ad illius veracitatem in visione probandam: poterat enim hæc omnia ex aliorum relatione didicisse. Multò minorem fidem facit, quòd Mahumetus in itinere invenerit mercatores Corasinos, quærentes camelum amissum, & quòd biberit aquam ex eorum vase, & residuum aquæ effuderit; & quòd craftina die iidem Mercatores adventuri essent, præcedente camelo rufo duobus saccis onerato. Hæc enim omnia ipse naturaliter sciebat, vel poterat scire. Mirum verò, quòd cùm in eadem Sura decima septima vers. 96. dixerint Corasini, ac cæteri Meccani Mahumeto: لن نومن لك حتى ترقي في السماء *Nunquam credemus tibi, donec per scalam ascendas in Cœlum:* ille non responderit: Jam in cœlum, imò in septem cœlos ascendi; & quod mirabilius est, sine scala: & manifestas hujus rei probationes dedi vobis in adventu mercatorum vestrorum, & in exacta expositione rerum, quæ erant in Templo Hierosolymitano: quid ultrà vultis me scalis admotis in cœlum ascendere? Verùm illius responsio nulla alia fuit, quàm; سبحان ربي هل كنت الا بشرا رسولا *Laus Domino meo: nunquid ego sum nisi homo missus ad vos?* Per quod ingenuè confessus est, se utpote hominem, non posse miracula illa, quæ Meccani petebant, efficere. Jam nimirum (quippe qui non esset omninò insanus) sensserat, hanc suam visionem nimis frigidam, & ineptam esse ad faciendam mendaciis suis fidem. Denique etiamsi aliquam hujusmodi visionem, seu somnium Mahumeto concederemus, esset ne stattim miraculi loco suscipiendum, præsertim tot figmentis ac deliriis permixtum? Ne ipsi quidem Mahumetani ignorant, Dæmones frequenter hujusmodi spectris homi-

Digitized by Google

homines ludificare; nec aliquid solidi ad veritatis probationem in illis contineri.

Quintum ex Alcorano miraculum innuitur in Sura 3. آل عمران *Familia Amran*, v. 11. his verbis:

قد كان لكم اية في فيئتين التقا فية تقاتل في سبيل الله واخرى كافرة يرونهم مثليهم راي العين والله يوييد بنصره من يشاء ان في ذلك لعبرة لاولي الابصار

Jam fuit vobis miraculum in duobus exercitibus, qui occurrerunt sibi: Unus exercitus pugnabat pro religione Dei: & alter erat ethnicus. Videbant eos (nempe ethnici videbant fideles) *duplo majores se visione oculi. Deus verò corroborat auxilio suo quem vult. Certè in hoc fuit res admirabilis iis, qui præditi sunt oculis.*

Et v. 122. ولقد نصركم الله ببدر وانتم اذلة ان تقول للمومنين الن يكفيكم ان يمدكم ربكم بثلثة الاف من الملايكة منزلين بلى ان تصبروا وتتقوا وياتوكم من فورهم هذا يمددكم ربكم بخمسة الاف من الملايكة مسومين : *Et jam quidem adjuvit vos Deus in Beder, & vos eratis inferiores. Cùm diceres Fidelibus: An non sufficiet ad augendos vos Dominus vester tribus millibus Angelorum demissorum? Utique sufficiet. Si toleraveritis, ac pii fueritis, & veneritis ad vos hostes repentè: augebit vos Dominus vester quinque millibus Angelorum signatorum.* Et in Sura octava الانفال *Manubiæ*. v. 9. ربكم ان تستغيثون فاستجاب لكم اني ممدكم بالف من الملايكة مردفين : *Cùm opem postularetis à Domino vestro, respondit vobis: Certè ego augebo vos mille Angelis à tergo sequentibus.*

Conveniunt omnes Alcorani Expositores, agi in prædictis locis de Bello Bedrensi, quod respectu belli alterius item Bedrensis, dictum fuit غزوة بدر الكبري *bellum Bedrense majus*. Hujus autem historiam hoc ferè modo referunt Auctor libri *de signis Directionis*, Ahmed filius Abdolhalim, cæterique Chronologi Mahumetanorum. Anno secundo Hegiræ, seu transmigrationis in Medinam, audivit Mahumetus adventare Abu-Sofian filium Harbi cum quadraginta equitibus Corasinis mercatoribus redeuntibus è Syria: & egressus est cum equitibus supra trecentos: plerique verò sociorum ejus erant pedites: ducebatque secum octoginta camelos (alii scribunt octoginta equos). Ubi autem audivit Abu-Sofian, Mahumetum cum exercitu Medina egressum fuisse, duxit impedimenta super litus maris, misitque ad cives Meccanos, ut peteret ab eis auxilium. Illi autem mille circiter misites cum ducentis equis ad eum direxere; cum quibus egressæ sunt aliquot fœminæ, quæ pulsantes tympana, magna cum impudentia in Mahumetanos fœmmata jaciebant. Cùm verò pervenisset Mahumetus in Beder (erat hic locus inter Meccam, & Medinam, ita dictus à puteo ejusdem nominis ibi sito) consilium habuit cum suis, utrum hostibus esset occurrendum. Cùmque illi id approbassent, obvium se obtulit eis juxta Beder. Commisso certamine, misit Deus primò mille Angelos, deinde ter mille, & demum quinquies mille, qui Mahumetanos pugnantes adjuvarent. Porrò Mahumetani apparebant hostibus duplo majores, quàm essent: hostes contra Mahumetanis longè paniciores, quàm essent, videbantur. Postremò Mahumetus pugillum pulveris, seu lapillorum accipiens, conjecit in hostes, dicens: Deformentur facies eorum. Nullusque fuit ex illis, cujus oculos pulvis conjectus non oppleret. Occisi sunt autem ex hostibus septuaginta circiter viri, ac totidem capti. Quatuordecim verò tantùm ex Mahumetani sunt interfecti sunt.

Ismael filius Aly scribit, Mahumetum à principio exhausisse puteos omnes præter unum, ex quo sui bibere possent: præterea construxisse sibi domunculam ligneam, in qua cum Abubacar se tueretur. Fuerunt autem (eodem Auctore) qui intra nubem equorum strepitum audiere, & quemdam clamantem حيزوم اقدم *Curre ò Haizum*. Erant scilicet Angeli, & Gabriel Dux eorum super equum suum, qui Haizum appellabatur. Aliud prodigium refert Sahal filius Honeiph à se visum in hoc prælio, nimirum: si quis Mahumetanus evaginato gladio vellet infidelem aliquem occidere, videbat caput illius amputari, antequam ipse gladio illud attingeret. Apparebant etiam capita volantia per aerem, absque eo quod videretur ullus, qui ea truncasset. Præterea, teste Ebn-Abbas, Angeli in hoc prælio habebant cydaras albas cum tæniis in humeros dependentibus. Notat autem prædictus Auctor, in nullo prælio Angelos pugnasse, nisi in hoc: in cæteris verò tantummodo ad augendum numerum interfuisse. Addit Auctor libri *De Signis Directionis*, lapillos illos à Mahumeto conjectos, omnium hostium oculos replevisse: Mahumetanos autem una cum Angelis eosdem capere, & occidere cœpisse: invenerant enim omnes pronos super facies suas, perquirentes unde accerserent Medicum, seu Chirurgum, qui ab eorum oculis lapillos extraheret. Demum Auctor est Ebn-Abbas, cuidam ex hostibus ictu scuticæ ab Angelo nasum attritum, faciemque discissam fuisse.

Audisti Lector miraculum Mahumeti, adeò in Alcorano, & in libris Mahumetanorum decantatum: in quo sanè dici potest illud Horatianum:

Parturient Montes, nascetur ridiculus mus.

Post tot prodigia, cujusmodi fuerunt, ut Mahumetani plures, quàm essent, hostibus apparerent: ut hostes verò minores, quàm essent, Mahumetanis: ut primò mille Angeli, deinde tria millia, postremò quinque millia sub Duce Gabriele è cœlo mitterentur pugnaturi pro Mahumetanis: ut Mahumetus jactu pulveris, seu lapillorum omnes hostes ita excæcaret, ut proni in terram corruerent, & tamquam aviculæ sub retibus capi possent, & occidi: ut Gabriel tanto impetu equum suum Haizum in illos incitaret: ut capita eorum recisa ab Angelis, per auras volitarent: post tantum, inquam, cœlestium, ac terrestrium armorum apparatum; septuaginta hostes ex circiter mille, interfecti sunt; totidemque capti: ex Mahumetanis verò, qui erant ferè quadringenti, quatuordecim periere. Hoc verò miraculum censendum est? Unus Angelus una nocte, uno impetu, centum octoginta quinque millia Assyriorum in exercitu Sennacherib, Ezechia orante, peremit. Hic orante Mahumeto, & hostium suorum oculos excæcante, quinque, imò novem Angelorum millia, & quidem à trecentis, ac decem, & septem Mahumetanis adjuta, vix septuaginta ex mille adversariis interficere potuerunt. Penè dixerim pro hostibus stetisse victoriam, licet tàm iniquo marte pro illis certatum fuerit, dum novem millia Angelorum, & plusquam trecenti validissimi bellatores, cum mi-

nus

Digitized by Google

mus mille Meccanis ex improviso, & per insidias invasis, & quod pejus est, pulvere exæcatis, deceterant. Possem hic plura prælia referre, in quibus Christiani pauciſſimi cum innumeris Mahumetanis pugnantes, plerisque ex hostibus interfectis, cum nulla vel exigua suorum clade, non sine manifesta divinæ opis assistentia victores evasere. Anno Christi 1340. quemadmodum ex probatiſſimis Auctoribus refert P. Odoricus Rinaldus in suis Annalibus ad hunc annum: Alboacenus Rex Marrocchii in Africa, adortus est Alfonsum Regem Castellæ, & cæteros Hispaniæ Christianos. Ducebat secum Alboacenus sexaginta millia equitum, & sexcenta millia peditum, præter milites, quos Juseph Rex Bæticæ, seu Granatæ, addiderat. Cum Alfonso verò erant tantummodo quatuordecim millia equitum, & viginti quatuor millia peditum. Christiani in summo se discrimine consicientes, solemnibus supplicationibus, precibus, & lachrymis res suas Christo commendabant. Commissum est prælium: Mahumetanorum ducenta millia periere: inter quos duo Alboaceni Regis filii fuere. Tot spolia capta sunt, ut vilissimi pretii merces venderentur. Captivorum autem numerus vix potuit recenseri. Quid verò de Christianis? Vix credi potest: non nisi viginti ex illis cecidere. Hoc verè miraculum dicendum est. Neque procul à miraculo esse videtur illud, quod nuper contigit in obsidione Viennæ Austriæ, ubi trecenta millia Turcarum Mahumetanorum à nostris longè numero minoribus, tamquam vilissimæ pecudes, partim occisa, partim in fugam versa sunt, innumeris ex iisdem spoliis relatis. Primum illud fortasse Mahumetani negabunt. Hunc secundum negent, si possunt, cùm universi mortales testes illius fuerint; & Mahumetani ipsi adhuc eladem suam deplorent, non sine timore majoris mali. Verùm non est quod ad miracula recurramus. Darius Rex Persarum cum trecentis millibus (alii volunt sexcenta millia fuisse) partim equitum, partim peditum, Alexandro Macedonum Regi, quem Arabes ذى قرنين idest *Bicornem* appellant, occurrit. Erant cum Alexandro equitum quinque millia, peditum verò triginta duo millia. Commissum est prælium: uno certamine cæsa sunt ex Persis centum millia peditum, equitum decem millia. In exercitu Macedonico quingenti, & quatuor saucii (de quibus non est habita ratio in prælio Bedrensi, cùm probabile sit, plures utrimque vulneratos fuisse) centum quinquaginta equites, & triginta duo pedites occisi sunt. Si rectè computum ineas utriusque exercitus, & victoriæ, & cladis utrinque acceptæ, fateberis, victoriam illam Mahumeticam cum hac Macedonica collatam, esse prorsus victoriam stramineam. Et tamen nullis hic Angeli, nullæ alicujus Prophetæ preces, nulla oculorum per pulveris jactum excæcatio. Manibus tantùm, ac ferro pugnatum est inter homines infideles. Quis verò hoc dixerit miraculum fuisse? Multò minus erit illud belli Bedrensis.

CAPUT QUINTUM.

Miracula Mahumeti ex Alcorano, quæ spectant ad Prophetiam.

Reliqua ex Alcorano producta à Moslemis miracula, ad vaticinia, seu divinationem spectant. De his ita loquitur Ahmed filius Abdollhalim in Apologia, pag. mihi 355. (omitto Arabica ejus verba referre, & satis esse puto ea fideliter interpretari.) *Ita consequenter per distincta tempora scriptæ sunt de eo variæ species miraculorum, & prædictionum, quas non est possibile enumerare: & continent pulchritudinem scientiæ, & potestatis circa multimodas enunciationes de rebus occultis futuris distincte, non aliter ac si vidisset eas oculis suis: nec evenit aliquid eorum, nisi quomodo ipse prædixerat. Hoc autem nunquam evenit, nisi in eo qui sit Propheta. Torrò Arioli, & Astrologi, & hujusmodi homines sæpè mentiuntur, licet aliquando veraces reperiantur, nec enunciant futura distincte. Porrò inter eos, qui principatu, & bonitate præditi sunt, præcipui manifestè prænunciant pauca ex his: itant non perveniant ad decimam partem eorum, quæ Mahumetus prænunciavit. Neque prænunciant ea distincte, sicut ille fecit; & juxta species potentiæ, & facultatis supra naturalem consuetudinem.* In quibus verbis tria omninò falsa sunt. Primum, quòd بيان من الاخبار خبر الاكثر لخبر به *non evenerit ex iis, quæ prædixit Mahumetus, aliquid, nisi comodo, quo ipse prædixit.* Secundum, quòd ea, quæ præcipui Prophetæ prædixerunt, & evenere لا يبلغ عشر معشارما لخبر به النبى *non pervenerint ad decimam partem eorum, quæ Mahumetus prænunciavit.* Tertium, quòd iidem Prophetæ ea, quæ prænunciant, لا يخبرون بها مفصلة كخبره على انواع من القدرة والتصرف الخارق للعادة *non prænunciant distincte sicut Mahumetus, neque secundum species potentiæ, & facultatis excedentis naturalem consuetudinem*, vel, *morem consuetum*. Multa enim prædixit Mahumetus, ut videbimus, quæ minimè, vel diversimodè evenere. Et multi ex veris Prophetis plura prædixere, & magis distincte, quàm Mahumetus. Et postremò quia repugnat, veram prophetiam non excedere modum naturalem, vel consuetum: vel vaticinia Mahumeti excessisse modum vaticiniorum reliquorum Propheta rum: omnia enim vera vaticinia in modo æqualia sunt, & omnia supra naturam. Potest sanè unum vaticinium diei majus altero quoad objectum, seu rem, quæ prædicitur: sed quis sit adeò demens, qui velit Mahumetum graviora, ac majora prædixisse, quàm Christum, vel Isaiam, aut alios Prophetas?

Verùm videamus, quænam sint hæc Mahumeti vaticinia, quæ Ahmed, & Mahumetani contendunt esse in Alcorano: nam de aliis videbimus posteà.

Primum proferunt ex Sura 30. الروم *Romani*, v. 1. غلبت الروم فى ادنى الارض وهم بعد غلبهم سيغلبون فى بضع سنين: لله الامر من قبل ومن بعد: *Victi sunt Romani in terra propinqua, & ipsi postquam victi sunt, vincent intra paucos annos: Dei est hoc negotium antea, & post.* Subdit Ahmed: وغلبت الروم فارس *Et vicerunt Romani Persas*: nempe post paucos annos. Pronunciat hîc tamquam ex tripode Zamchaserius: وهذه الاية من الايات البينة امينا

Digitized by Google

الشاهدة على صحة النبوة وان القرآن من عند الله لانها انباء من علم الغيب الذي لا يعلمه الا الله:

Hic autem versus est ex illis, qui clarè, & evidenter probant veritatem prophetiæ Mahumeti, & Alcoranum traditum fuisse à Deo, cùm prædicantur hic occulta, quæ nullus alius scire poterat, nisi Deus.

Verùm respondeo, nihil hic esse, quod probet, vel Mahumetum fuisse Prophetam, vel Alcoranum datum fuisse à Deo. Nullus enim est, vel ignarissimus, qui si audiat potentissimum aliquem Regem ab alio imbecilliori victum fuisse, vel cladem aliquam accepisse, non possit rationabiliter dicere: Hic Rex, qui nunc cladem accepit, brevi sese vindicabit, eumque vincet, à quo modò victus fuit. Id enim, si non semper, ut plurimum tamen consuevit evenire. Deinde notandum est, licet communior lectio in Alcorano sit, غُلِبَتِ الرُّوم في أدنى الأرض وهم من بعد غلبهم سيغلبون: *Victi sunt Romani in terra propinqua, & ipsi postquam victi sunt, vincent:* alios tamen, juxta Zamchascerium legere, غُلِبَتِ الرُّوم وهم من بعد غلبهم سيغلبون. *Vicerunt Romani, & ipsi postquam vicerunt, vincentur.* Præterea non constat inter Expositores, quinam fuerint illi, à quibus victi sunt, vel quos vicerunt Romani, neque quo in loco, vel quo tempore evenerit hæc victoria. Gelal. enim vult fuisse باقرب ارض الروم الى فارس بالجزيرة *in terra Romanorum vicinissima Persis in Algezira*, seu Mesopotamia; ubi utrorumque exercitus conflixere. Zamchascerius autem scribit, Romanos non cum Persis, sed cùm Arabibus in loco Arabiæ Romanorum ditioni proximo conflixisse: والارض ارض العرب لان الارض المعمورة عند العرب ارضهم وللعني غلبوا في ادنى ارض العرب منهم وهي اطراف الشام: *Et nomine terræ (inquit) intelligitur terra Arabiæ; nam terra habitata apud Arabes, est terra ipsorum. Sensus igitur est: Victi sunt in terra Arabum proxima ipsis Romanis.* Ebn-Abbas censet hoc bellum contigisse في الاردن وفلسطين: *prope fluvium Jordanis in Palæstina.* Denique Mahumetus non præscripsit certum tempus, quo Romani victuri essent eos, à quibus victi fuerant; sed dixit بضع سنين: *intra spatium decem annorum.* Porrò بضع, est spatium, vel numerus continens tria usque ad novem, vel decem. Itaque sciri non potest, quando, & utrum verificata fuerit hæc prædictio. Et nihilominus Ahmed, ut suprà vidimus, asseruit, vaticinia Mahumeti illud excellentiæ habuisse supra vaticinia cæterorum Prophetarum, quòd fuerunt مفصلة, *distincta*, & sine ambiguitate. Zamchascerius scribit, seu potiùs divinat, hanc Romanorum victoriam fuisse post septem annos in' prælio الحديبية *Hadibiæ*. At hoc contigit anno sexto Hegiræ non inter Persas, & Romanos, sed inter Mahumetanos, & Corasinos; neque in loco Persis, aut Romanis vicino; sed in Hadibia, quæ, ut scribit Mohammed Abu-Giapher Autor Mahumetanus, من موضع قريب مكة; *est locus prope Meccam.* Alii volunt, ut refert idem Zamchascerius, hanc fuisse النصر يوم بدر *Victoriam belli Bedrensis.* At hæc contigit anno secundo Hegiræ; nec aliquid pertinuit bellum, seu victoria illa ad Romanos; sed solùm ad Mahumetanos, & Meccanos Corasinos. Vides igitur ex quot pedibus claudicet hoc Mahumeti vaticinium.

Secundum adducitur ex Sura 24. النور *Lux*, v. 53. his verbis: وعد الله الذين امنوا منكم وعملوا الصالحات ليستخلفنهم في الارض كما استخلف الذين من قبلهم وليمكنن لهم دينهم الذي ارتضى لهم وليبدلنهم من بعد خوفهم امنا. *Promisit Deus iis, qui crediderint ex vobis, & fecerint bona, certissimè facturum se illos successores in terra, sicut succedere fecit eos, qui fuerunt ante ipsos: & omnino se stabiliturum ipsis religionem ipsorum, in qua sibi complacuerunt: & certissimè commutaturum se illis timorem ipsorum in securitatem.* Et evenit, inquit Ahmed, sicut prædixit: nam استخلف المؤمنين في الارض ومكن لهم دينهم في مشارق الارض ومغاربها: *successores fecit Deus Fideles* (nempe Mahumetanos) *in terra: & stabilivit illis religionem ipsorum in orientalibus, & occidentalibus partibus terræ.* Quamvis autem استخلف significet, facere, vel relinquere successorem, seu vicarium quocumque modo: hic tamen, juxta communem Interpretum sensum, significat constituere successorem in Regno, seu Imperio: itaut prædixerit hic Mahumetus, Imperium Mahumetanorum, & dilatationem religionis eorum per universum orbem. Ita sentit adversarius.

Sed Alcorani Interpretes non ita fimbrias dilatant sicut Ahmed. Gelaleddinus exponit: ليستخلفهم بدل الكفار كما استخلف الذين من قبلهم من بني اسرايل *successores fe facturum esse illos infidelibus, sicut succedere fecit eos, qui fuerunt ante illos, nempe Israelitas, gigantibus,* ideft in Imperio, & poffeffione gigantum, qui erant in Terra Chanaan. Jahias: كما استخلف الذين من قبلهم من الانبياء والمؤمنين: *ficut fuccedere fecit eos, qui fuerunt antea, nempe Prophetas, & Fideles.* Zamchascerius: وعدهم الله ان ينصر الاسلام على الكفر ويورثهم الارض ويجعل منها خلفاء كما فعل بني اسرايل حين ورثهم مصر والعام بعد الجبابرة. *Promisit eis Deus, se adjuturum religionem Eslamiticam, itaut præveleat infidelitati: & constituturum se eos successores, & hæredes in terra, sicut fecit cum filiis Israel, quos succedere fecit in poffeffione Ægypti, & Syriæ, loco gigantium,* seu hominum poten-

Digitized by Google

potentium, ac superborum. Quidquid verò prædixerit Mahumetus de Imperio, & religione, seu superstitione suorum Assecarum, potuit ex probabili conjectura præsagire: vel loqui per modum suos hortandi, bonaque spe erigendi. Nec dubium est, quin omnes novæ sectæ inventores, hujusmodi fausiis auguriis affectas suos alliciant; cujus rei non pauca reperiuntur exempla. Quòd verò Mahumeto vaticinium suum feliciter successerit; aliis etiam evenit: idque vel ope Dæmonis, Deo ex justis suis judiciis permittente: vel casu; atque etiam ex diversis circumstantiis temporum, locorum, hominum, &c. quæ omnia quia Dæmon optimè prævidebat, vel conjiciebat, potuit per Mahumetum, vel per alium quemlibet illi similem, prædicere. Denique si Alcorani verba rectè perpendantur, omnia in illis dubia, atque ambigua, & ex quibus nihil certi retrahere possis, reperientur. Promittit Mahumetus suis, eos, qui crediderint, & fecerint recta, futuros successores in terra, quemadmodum successores facti sunt iis, qui fuerunt ante eos; & Deum firmaturum religionem eorum, in qua sibi complacuerunt: eorumque timorem in securitatem commutaturum. Primùm hæc promissio fit tantùm iis, qui crediderint, & recta operati fuerint, itaut sit conditionalis; cùmque pauci reperiantur, qui ritè credant, & rectè operentur; hæc promissio vel evanescet, vel ad paucos admodum pertinebit. Deinde promittitur illis, futuros esse successores in terra, nec tamen in quo, vel quibus, vel in qua terra successuri sint, exprimitur: sed tantùm dicitur, ipsos successuros, quemadmodum successerunt illi, qui fuerunt ante eos. Qui autem fuerint ante eos, non exprimit Alcoranus, sed Interpretes asserunt fuisse Israelitas, vel Prophetas, & fideles, qui successerunt Ægyptiis, & Chananæis in possessione terræ eorum. Sed falsùm est, Israelitas Ægyptiis in eorum Regno successisse. Successerunt sanè Chananæis, sed tandem ex eorum terra ejecti sunt: & nunc miserè per orbem vagantur. Si ita Mahumetanis eventurum est, facilè Mahumeti vaticinio assentiemur. Ea verò, quæ circa religionem, & securitatem promittuntur: facilè potest quivis, qui novam sectam instituat, asseclis suis promittere.

Tertium vaticinium ejusdem farinæ, desumitur ex Sura 48. الفتح *Victoria* v. 31. هو الذي ارسل رسوله بالهدي ودين الحق ليظهره على الدين كله وكفي بالله شهيدا : *Ipse est* (idest Deus) *qui misit Legatum suum cum rectâ lege, & religione verâ; ut apparere faciat illam supra omnes religiones. Et sufficit Deus testis hujus rei.* Et factum est sicut prædixit, & promisit, inquit Ahmed. Sed facilè respondetur, non solùm Dæmonem potuisse præscire, sed etiam Mahumetum ipsum sibi ferè certò polliceri ea, quæ hic prædicuntur. Talem quippe legem evulgabat, talemque sectam prædicabat, quam ob suam laxitatem & libertatem facilè omnes amplecterentur; addita præsertim larva quadam veritatis, & pietatis ex iis, quæ de Judaica, & Christiana religione admiscebat: neque necessarium erat ad hoc, Dei testimonium. Et nihilominus negamus fidenter, Mahumetanicam superstitionem supra Christianam Religionem hactenus evectam fuisse, non solùm in sanctitate, probitate, miraculis, doctrina, cæterisque virtutibus: verùm ne in numero quidem eam profitentium. Vix enim invenitur locus Mahumetanorum, ubi plurimi Christiani non sint: cùm tamen *in* nulla ferè Christianorum provincia Mahumetanus aliquis, nisi captivus, aut peregrinus reperiatur. Præterea Christiana religio per totum terrarum orbem diffusa est, novique orbis magnam portionem obtinet. Id verò de Mahumetanica Secta dici non potest. Sed non est ponenda excellentia religionis, atque illius veritas in numero sectatorum: alioquin Idololatrarum superstitio, cùm Romanum vigebat Imperium, religione vera, quam Judæi profitebantur, & fortasse etiam Mahumetanica, quæ nunc est, superior fuisset. Quare hæc tertia Alcorani prophetia, inter Mahumeti mendacia computanda est.

Quartum vaticinium producitur ex Sura 17. الاسرى *Iter nocturnum*: v. 91. قل لئن اجتمعت الانس والجن على ان يأتوا بمثل هذا القران لا يأتون بمثله ولو كان بعضهم لبعض ظهيرا . *Dic: Si simul convenirent homines & Dæmones, ut componerent Alcoranum similem huicsnunquam similem componere possent, etiamsi alii eorum alios adjuvarent.* Subdit Ahmed وكان كما لصير *Et fuit sicut prædixit.*

Respondemus: hoc etiam vaticinium inter Mahumeti mendacia impudentiora computandum. Satis est, Alcoranum à capite ad calcem attentiùs legere, ut manifestissima prædictionis hujus falsitas agnoscatur. Sed de hoc alibi fusiùs agendum est.

Quintum, ex Sura 2. البقرة *Vacca*, v. 22. وان كنتم في ريب مما نزلنا على عبدنا فاتوا بسورة من مثله الي قوله فان لم تفعلوا وان تفعلوا فاتقوا النار *Quòd si ejus in dubitatione de eo, quod demisimus super servum nostrum* (nempe de Alcorano): *facite unam suram similem illi. Usque ad ea verba: Quod si non feceritis, nec unquam facietis; timete porrò Ignem, &c.* Finguntur hæc dici Meccanis à Deo, ut probetur, Alcoranum ab eodem Deo traditum fuisse Mahumeto, cùm ne unam quidem Suram illi similem Meccani facere potuerint.

Sed respondemus eodem modo, quo ad quartum vaticinium respondimus. Quòd verò Meccani fecerint, vel non fecerint aliquid Alcorano simile, incertum est: & nihil refert ad probandum Alcoranum esse à Deo.

Sextum ex Sura 3. آل عمران *Familia Amran*, v. 53. ubi introducitur Deus ita loqui cum Christo. يا عيسى اني جاعل الذين اتبعوك فوق الذين كفروا الي يوم القيمة *O Jesu, certè ego ponam eos, qui secuti fuerint te, supra eos, qui non crediderint in te, usque ad diem Resurrectionis. Et hoc verum fuit:* inquit Ahmed.

Fatemur etiam nos, hoc verissimum esse: nimirum, Judæos, & cæteros, qui in Christum crediderunt, superiores fuisse, & esse Judæis, & aliis, qui in illum credere noluerunt. Sed Mahumetus prædicit ut futurum, id quod multo jam antè tempore factum erat, & universo orbi notissimum.

Septimum profert Ahmed ex Alcorano vaticinium, (sed Suræ non memini: prima tamen verba sunt in Sura 54. القمر

Digitized by Google

54. القمر *Luna.* v. 46.) وانزل الذين ظاهروهم من اهل الكتاب من صياصيهم وقذف في قلوبهم الرعب فريقا تقتلون وتاسرون فريقا واورثكم ارضهم وديارهم واموالهم وارضا لم تطئوها وكان الله على كل شيء قديرا. *Et proinde dixit Mecceanis: Profligabitur congregatio, & terga vertent infideles. Et iterùm dixit: Si autem pugnaverint contra vos infideles, certè terga vertent, neque invenient patronum neque adjutorem. Et evenit sicut prædixerat.*

Respondeo; facilè potuisse hæc Mahumetum prædicere, cùm videret se Meccanis, viribus longè superiorem. Quis verò belli Dux suis victoriam non pollicetur, si eum hostibus manum conserturus sit, ut eorum animos augeat, atque excitet virtutem? At Mahumeti verba non videntur solos Meccanos respicere, sed universim ad omnes suorum affectorum hostes referri. Quis verò nesciat, sæpissimè Mahumetanos contra alios diversæ religionis pugnantes, in fugam versos cæsosque fuisse?

Octavum ex Sura 5. المائدة *Mensa:* v. 15. ومن الذين قالوا انا نصارى اخذنا ميثاقهم فنسوا حظا مما ذكروا به فاغرينا بينهم العداوة والبغضاء الى يوم القيمة . *Et ab illis, qui dicunt, se esse Christianos, accepimus pactum eorum. Sed obliti sunt partem illius, de quo commonefacti fuerant: propterea excitavimus inter eos inimicitiam, & odium usque ad diem Resurrectionis.* Subdit Ahmed de more: *Et ita evenit.*

Benè est, quòd Mahumetus fateatur his verbis, Christianam Religionem à Deo approbatam fuisse: hoc enim significat, quòd pactum eorum acceptaverit, eosque de eo, quod facere deberent, commonuerit. Quòd verò addat, eosdem oblitos fuisse partis eorum, de quibus commoniti fuerant, ideſt, quæ illis præscripta fuerant ad observandum: ac propterea Deum posuisse inter eos inimicitiam, & odium perseveraturum usque ad diem Resurrectionis; ridiculum prorsus est vaticinium. Nam vel sermo est de odio & inimicitia inter Christianos propter Regnum temporale: vel propter Religionem. Quoad primum, quis ignorat, inter diversos Principes, etiam ejusdem religionis, perpetua ferè bella esse ac dissidia? Hoc non solùm inter Christianos, sed etiam inter Israelitas evenit, quando plures Reges habuerunt. An verò Mahumetani ab his inimicitiis, & odiis inter se immunes fuerunt, non solùm quando plures Caliphas, seu Imperatores habuerunt, sed etiam quando sub uno tantùm Principe fuerunt, ut patet ex eorumdem historiis. Et hoc etiam tempore nonne inter Turcas, & Persas perpetuæ vigent inimicitiæ, atque odia prorsus implacabilia? Infrà videbimus, Mahumetum prædixisse, futuras etiam inter affectas suos has inimicitias, & hæc odia usque ad diem Resurrectionis. Quoad secundum verò, non possunt Mahumetani nobis objicere odia, & inimicitias propter schismata in religione, cùm ipsi graviori circa hoc morbo laborent; fatentur enim ipsimet, plura in Secta sua schismata, atque hæreses fuisse, quàm in Christiana religione. Quòd odia hæc, & inimicitiæ usque ad diem Resurrectionis inter Christianos perseveratura sint, probabile quidem est, cùm juxta S. Pauli effatum, *oporteat hæreses esse*: & Christus pronunciaverit: *Necesse est, ut veniant scandala.* Sed Deus hoc novit, non Mahumetus.

Nonum, ex Sura eadem: vers. 70. وقالت اليهود يد الله مغلولة غلت ايديهم ولعنوا بما قالوا بل يداه مبسوطتان ينفق كيف يشاء وليزيدن كثيرا منهم ما انزل اليك من ربك لطغيانا وكفرا والقينا بينهم العداوة والبغضاء الى يوم القيمة كلما اوقدوا نارا للحرب اطفاها الله ويسعون في الارض فسادا والله لا يحب المفسدين: وكان كما اخبر: *Et dixerunt Judæi: Manus Domini est alligata. Alligentur manus eorum, & maledicti sint ob id, quod dixerunt. Imò manus Domini sunt extensæ: largitur sicut vult. Et quidem augebit in multis illorum id, quod tibi revelatum est à Domino tuo, impietatem, & perfidiam. Nos autem conjecimus inter eos inimicitiam, & odium usque in diem Resurrectionis. Quotiescumque accenderint ignem ad bellum, extinguet illum Deus.* Subdit Ahmed: *Et evenit sicut prædixit.* Huic vaticinio addi potest, tamquam ejusdem straminis

Decimum ex Sura 3. آل عمران *Familia Amran:* v. 110. لن يضروكم الا اذى وان يقاتلوكم يولوكم الادبار ثم لا ينصرون ضربت عليهم الذلة اينما ثقفوا الا بحبل من الله وحبل من الناس وباؤا بغضب من الله وضربت عليهم المسكنة ذلك بانهم كانوا يكفرون بايات الله ويقتلون الانبياء بغير حق ذلك بما عصوا وكانوا يعتدون: وكان كما اخبر: *Nequaquam nocebunt vobis* (Judæi) *nisi leviter: & si pugnaverint contra vos, terga vertent vobis, neque deinde adjuvabuntur. Confecta fuit super eos vilitas, ubicumque fuerint, nisi ubi fœderati fuerint cum Deo, vel hominibus. Et reportaverunt iram à Deo: & confecta est super eos inopia, quia nolucrunt credere in signa Dei, & occiderunt Prophetas injustè: & quia rebelles fuerunt, & transgressores. Et evenit, quod prædixit*; inquit Ahmed.

Respondeo; neutrum vaticinium, vel prophetiam dici posse, cùm res ipsa tàm Mahumeti ætate, quàm hoc nostro ævo, hæc omnia de Judæis ostendat: miseros scilicet, viles, & abjectos esse, sine viribus, sine animi magnitudine, & qui facilè ab omnibus vinci possint, etiam si simul coirent (quod tamen non audent) ad aliis prælium inferendum. Hoc illis proprium, perpetuumque fuit, ex quo Christum Jesum à se rejecerunt.

Hoc fatetur non semel ipse Mahumetus in Alcorano: hoc Prophetæ omnes, & Christus Dominus, ejusque Apostoli de illis prædixerunt. Quamobrem importunum omninò est hoc Mahumeti vaticinium, in quo tamen duo falsa apparent. Primum, quòd Judæi tanta paupertate & inopia, quantam Mahumetus prædicat, laborent; cùm ubique ferè terrarum plurimi eorum sint opulentissimi, quippe qui usuris, & fraudibus suis, Christianorum, atque etiam Mahumetanorum pecunias exhauriant. Alterum, quòd inter Judæos tàm acria sint odia & inimicitiæ, inquibus usque ad diem Resurrectionis sint permansuri. Imò nulla fortassè gens est, quæ magis sit inter se concors & unita, quàm Judæi. Saltem magnam inter

Digitized by Google

se unionem extrinsecus ostendunt: esto sint inter eos aliqua odia, & dissidia, à quibus nulla gens immunis censetur.

Undecimum ex Sura 2. البقر *Vacca*. v. 93. ubi sic loquitur per modum irrisionis cum Judæis, qui asserebant se in futuro sæculo habituros palatium seperatum à cæteris hominibus: ان كانت لكم الدار الاخرة عند الله خالصة من دون الناس فتمنوا الموت ان كنتم صادقين ولن يتمنوه ابدًا بما قدمت ايديهم والله عليم بالظالمين ولتجدنهم احرص من الناس على حياة ومن الذين اشركوا. وقال قل يايها الذين هادوا ان زعمتم انكم اولياء لله من دون الناس فتمنوا الموت ان كنتم صادقين: فاخبر عن اليهود انهم لن يتمنوا الموت ابدًا وكان له اخبر فلا تتمنوا اليهود الموت ابدًا وهذا دليل من وجهين من جهة اخباره فانه لا يكون ابدًا ومن جهة صرف الله لدواعي اليهود على تمني الموت مع ان ذلك مقدور لهم وهذا من اعجب الامور الخارقة للعادة وهم مع حرصهم على تكذيبه لم تنبعث دواعيهم لاظهار تكذيبه باظهار تمني الموت

Si est vobis palatium in futuro sæculo apud Deum peculiare præter cæteros homines: optate mortem, si estis veraces. Sed nequaquam desiderabunt eam unquam, ob peccata, quæ antea perpetraverunt. Deus autem novit qui sint iniqui. Et quidem invenies eos avidiores vivendi, quàm cæteros homines, & quàm ipsos Idololatras. Et dixit Deus Mahumeto (Sura 62. الجمعة *Conventus*. v. 7.) *Die: O Judæi, si putatis vos esse amicos Dei solos inter homines, exoptate mortem, si estis veraces. Prænunciavit itaque Judæis, quòd nunquam mortem essent optaturi: fuitque sicut prædixit: & propterea Judæi nunquam mortem desiderant. Hoc autem potest dupliciter intelligi: primò per modum absolutæ enunciationis, quòd hoc nunquam futurum sit: secundò per modum dispositionis Divinæ, eo quòd Deus avocet Judæos à concupiscendæ morte, quamvis hoc effet illis possibile: & hoc est maximum miraculum, & supra consuetum rerum ordinem. Ipsi autem, licet maximè studeant Mahumetum mendacem ostendere, nunquam tamen eò pervenerunt conatus, ac studia eorum, ut probarent eum mendacem, ostendendo, se mortem desiderare.*

Respondemus, hoc Mahumeti vaticinium esse valdè frivolum, ac ridiculum: non enim ostendi, aut probari potest hæc tanta mortis timiditas in Judæis, præcæteris hominibus: & Mahumetani fortassè magis timent mortem, quàm Judæi. Sed ut concedamus Mahumeto, hos mortem præ cæteris mortalibus horrere; quid hìc opus erat vaticinio, ubi res ipsa patebat. Ut verò hoc Mahumeti oraculum verum probari posset, necesse effet interrogare omnes Judæos totius orbis, utrum sit, vel fuerit unquam aliquis eorum, qui mortem non timuerit, vel etiam illam desideraverit. Certè in pluribus historiis legimus, non paucos Judæos, etiam post hoc Mahumeti vaticinium, non solùm mortem etiam atrocem non horruisse, sed illi constanti animo, vultuque occurrisse. Nec dubito, plures eorum, vel ex spe, quamvis falsa, felicioris vitæ; vel saltem ex tædio calamitatum, quas patiuntur, mortem multoties desiderare.

Duodecimum ex Sura 74. المدثر *Coopertus*. v. 11. ذرني ومن خلقت وحيدًا وجعلت له مالًا ممدودًا الى قوله ساصليه سقر وما ادراك ما سقر لا يبقي ولا يذر: وقال عن ابي لهب عمه تبت يدا ابي لهب وتب ما اغني عنه ماله وما كسب سيصلي نارًا ذات لهب: وكان كما اخبر به مات الوليد كافرًا ومات ابو لهب كافرًا.

Relinque me, & illum, quem creavi unicum, & dedi illi facultates copiosas. Usque adeo verba: Compellam illum ad pœnam Tartari. Et quid faciet te comprehendere quid sit Tartarus? Nihil relinquit, nihilque residuum facit (loquitur contra Alvalid filium Almogairæ hoftem suum.) *Et dixit de Abulaheb patruo suo* (Sura 111. ابو لهب *Abu-labeb*. v. 1.): *Perierunt manus Abulaheb: & periit ipse. Non profuerunt illi opes ejus, & id, quod acquisivit. Mox conjicietur comburendus in ignem flammantem. Et factum est sicut prædixit. Mortuus est Alvalid infidelis: & mortuus est Abulaheb infidelis.*

Respondeo, hujusmodi Mahumeti in Alvalidum, & Abulahebum convicia, ac maledicta nihil propheticum continere. Quilibet enim, quamvis Propheta non sit, potest rationabiliter homini scæleroso, valdèque pravo, præsertim infideli, Gehennam comminari, ac prædicere. Adde, nullum potuisse certò scire, utrum hi duo abiesint in Gehennam, an verò in mortis articulo Deus illos illuminaverit, ac resipuerint, saltem ex eo, quòd pessimum omnium mortalium Mahumetum oderant, & exterminare cupiebant.

Decimum tertium ex Sura 48. الفتح *Victoriam*. وعدكم الله مغانم كثيرة تاخذونها فعجل لكم هذه وكف ايدي الناس عنكم وليكون اية للمومنين: وقال لقد تحدثن المسجد الحرام ان شاء الله امنين محلقين رؤسكم ومقصرين لا تخافون فعلم ما لم تعلموا فجعل من دون ذلك فتحًا قريبًا: وقال قل للمخلفين من الاعراب ستدعون الي قوم اولي بأس عديد تقاتلونهم او يسلمون فان تطيعوا يوتكم الله اجرا حسنًا وان تتولوا كما توليتم من قبل يعذبكم عذابًا اليمًا: وهذا كله وقع كما اخبر فعجلت لهم الغنايم الكثيرة ودخلوا المسجد الحرام امنين ودعيت الاعراب الي قتال الروم والفرس يقاتلونهم او يسلمون فلا بد من القتال او الاسلام ليس هناك هدنة بلا قتال كما كان قبل نزول الاية.

Promisit vobis Deus prædas multas, quas capturi estis: & festinatò concessit has vobis, & cohibuit à vobis manus hominum: & ut sit signum fidelibus. Dixit etiam: Certè ingrediemini Templum Meccanum, si Deus voluerit, securi abrasi capita, & attonsi comas: non timebitis. Novit Deus id, quod vos nescitis. Et præter hoc, concessit vobis victoriam propinquam.

Dixit

Digitized by Google

Dixit etiam: Dic Arabibus, qui resides fuerunt: Vocabimini ad gentem bellicosissimam: pugnabitis contra eos, aut amplectentur vestram religionem. Quòd si obedieritis, dabit vobis Deus mercedem pulchram; si verò tergiversati fueritis, sicut fecistis anteà; puniet vos pœna vehementi. Hoc autem totum (subdit Ahmed) *evenit, sicut prædixerat: nam pervenerunt ad eos prædæ multæ, & ingressi sunt in Templum Meccanum securi: & vocati sunt Arabes ad præliandum contra Romanos, & Persas, pugnaveruntque contra eos, vel facti sunt Moslemi. Et necessarium erat, vel ut bellum sustinerent, vel ut Moslemi fierent: nam non erat hìc tributum sine bello* (idest per solutionem tributi non effugiebant bellum, nisi Mahumetani fierent) *sicut erat antequam revelaretur versiculus Alcorani, aliter disponens.*

Respondeo, hujusmodi prædictiones fieri potuisse per probabiles conjecturas. Videbat enim Mahumetus, se viribus superiorem, suosque commilitones valdè strenuos, & prædarum aviditate per se incitatos ad bellum: hostes verò imbecillos, ac timidos. Poterat etiam hæc polliceri ad militum animos roborandos, ut in his occasionibus ab exercituum Ducibus fieri consuevit. Quod attinet ad prædictionem illam (quam Mahumetus asseruit sibi in somnio factam fuisse) Meccanos cum suis asseclis concordiam inituros, itaut ipse cum illis securus, & raso capite, attonsisque comis, in Meccam, Meccanumque Fanum ingredi posset: & prætereà proximam esse de Meccanis ipsis, vel aliis hostibus victoriam: potuit somnium illud naturaliter evenire: nam quæ valdè optamus, ea per somnium sæpè obtinere videmur: nec rarò fit, ut hæc ipsa posteà succedant. Hùc accedit, non rarò contingere, ut Dæmones ea per somnium suggerant, quæ certò, vel probabiliter eventura esse præcognoscunt, ut sic faciliùs homines decipiant. Postremò, quod attinet ad prædictionem de bello suorum contra gentem bellicosissimam; videtur quædam increpatio, & comminatio majoris belli, & pœnæ infligendæ à Deo, ad excitandos Arabes resides, atque ignavos (de his enim hìc est sermo, non de Arabibus in universum), dum bellum, quod tunc instabat, detrectabant. Id verò magis persuadetur, quia non constat inter Expositores, quænam fuerit gens illa adeò bellicosa, ad quam oppugnandam posteà Arabes vocati fuerint. Gelalis verba id ostendunt: قيل هم بنوا حنيفة اصحاب اليمامة وقيل فارس والروم: *Aliqui dicunt, eos fuisse Honeiphenses, dominos Jemamæ: alii Persas, & Romanos.* Zamchascerius etiam scribit: يعني حنيفة قوم مسيلمة واهل الردة الذين حاربهم ابوبكر الصديق وقيل هم فارس والروم: عن قتادة انهم ثقيف وهوازن كان ذلك في ايام رسول الله: *Significantur Honeiphenses, qui sequebantur Mosailmam Pseudoprophetam: & Apostatæ, contra quos pugnavit Abu-bacar Justus. Alii dicunt, significari Persas, & Romanos. Cottada censuit, hos fuisse Thakiphenses, & Havazenos. Evenit hoc adhuc vivente Mahumeto.* De illa ipsa victoria, quam prædixit, est idem inter Expositores dissidium. Gelal. هو فتح خيبر: *Hæc fuit victoria Chaiberensis.* Zamchascerius. وقيل رأي رسول الله ص فتح مكة في منامه ورويا الانبياء وحي فتاخر ذلك الي السنة القابلة فجعل فتح خيبر علامة وعنوانا لفتح مكة:

Et dicitur Mahumetus vidisse victoriam Meccæ in somno suo per revelationem propheticam. Hæc porrò dilata est usque ad annum sequentem: & posuit victoriam Chaiberensem in signum, & indicium victoriæ Meccanæ. Sed paulò superiùs scripserat: وقيل فتح الحديبية: *Et dicitur hæc fuisse victoria Hadibiensis.* Astutè Mahumetus, neque gentes illas, neque victoriam determinavit: moraliter tamen certus (sic enim animo destinaverat, & vires suppetebant) se gentes multas aggressurum, & victorias, saltem aliquas, relaturum.

Decimum quartum profertur ex Sura 110. النصر *Auxilium.* v. 1. ubi fingitur Deus dicere Mahumeto. اذا جاء نصر الله والفتح ورأيت الناس يدخلون في دين الله افواجا: فدخل الناس في دين الله افواجا بعد الفتح فما مات ص وفي بلاد العرب كلها ليس موضع لم يدخله الاسلام.

Cùm venerit auxilium Dei, & victoria, videbis homines ingredientes in religionem Dei turmatim. Subdit Ahmed: *Et ingressi sunt homines in religionem Dei turmatim post victoriam Meccanam: & necdum mortuus erat Mahumetus, cùm nullus locus reperiretur in tota Arabia, in quem non ingressa fuisset religio Eslamitica.*

Hæc etiam per probabiles conjecturas, absque ullo prophetico lumine prædici potuere. Eo enim ipso, quòd Mahumetus Arabes, & præsertim Meccanos superasset, ferè certum erat, eosdem vel vi, vel fraude, vel metu, vel promissis in Mahumeticam superstitionem pertrahendos. Victoria autem minimè erat dubia; nam & Medinenses omnes, aliique ex Arabibus conterminis erant Mahumeto adjuncti; & Meccani non pauci illi adhærebant. Quòd verò, adhuc vivente Mahumeto, illius superstitio omnia Arabiæ loca pervaserit, nullo modo credendum, vel concedendum est: cùm ex ipsis Arabum historiis aliter habeatur.

Decimum quintum ex Sura 69. الحشر *Congregatio.* v. 11. وقال تعالي عن المنافقين: ألم تر الي الذين نافقوا يقولون لاخوانهم الذين كفروا من اهل الكتاب لئن أخرجتم لنخرجن معكم ولا نطيع فيكم احدا ابدا وإن قوتلتم لننصرنكم والله يشهد انهم لكاذبون لئن أخرجوا لا يخرجون معهم ولئن قوتلوا لا ينصرونهم: وكذلك كان.

Et dixit Altissimus de impiis (Mahumetanis): *Non ne vidisti eos, qui sunt impii, dum dicerent fratribus suis infidelibus ex familia Libri* (idest Judæis, & Christianis): *Si ejecti fueritis* (Medina), *nos certè egrediemur vobiscum; neque obediemus vobiscum ulli unquam. Si verò oppugnati fueritis, certè adjuvabimus vos. At Deus testis est, illos esse mendaces: & si hi ejecti fuerint, illos non esse egressuros cum eis: & si hi oppugnati fuerint, illos non esse adjuturos eos. Et ita evenit,* (inquit Ahmed).

Digitized by Google

Sed poterant hæc sine ullo prophetiæ spiritu à Mahumeto prævideri, ac prænunciari: erant quippe homines illi, (sive Judæi, sive Christiani) perfidi ac scelesti, & ex timore tantùm Mahumeto adhæserant, cùm alioqui intestino illum odio prosequerentur. Neque tamen certum est, hoc evenisse, saltem quoad omnes, ut sàm fidenter Ahmed pronunciat.

Ex his tàm putidis, ac stramineis Alcorani vaticiniis, putant Moslemi, se satis probare, Mahumetum verum fuisse Prophetam. Alia etiam, quæ habent tantùm ex traditione, in medium adducunt, & quidem plurima, sed ejusdem farinæ, de quibus postèa dicemus.

Verùm ne Mahumetanos penitùs stultos, vel mendaces faciamus: etiam si concederemus, quædam ex his non potuisse à Mahumeto naturaliter, seu per proprias conjecturas cognosci; non tamen sequeretur, illum verum fuisse Prophetam. Omnes enim conveniunt, etiam à Magis, Mathematicis, Ariolis, aliisque hominibus, etiam pessimis, posse Dæmonum instinctu multa, præsertim per somnia, prænosci, ac prædici, quæ naturaliter ab hominibus sciri non possunt. Hujus rei innumera propè exempla præsertim ex libris Ciceronis de Divinatione (quos nemo à Christianis confictos fuisse, nisi stultissimus dicet), in medium proferre possem. Concedo etiam aliquid amplius: posse nimirum etiam in scelestissimis hominibus aliquando veræ prophetiæ donum reperiri: ut constat in Balaam ex Pentateucho, & Caipha ex Evangelio. Quin & nonnulli contendunt, dari in quibuldam naturaliter futurarum rerum prænotionem, vel prædictionem; quemadmodum etiam virtutem morbos aliquos curandi, nullo adhibito medicamento: cui tàm opinioni ego me nullo modo subscriberem. Tantùm addo, invenire quandoque in Poetis Ethnicis quædam quasi vaticinia Alcoranicis inculentiora. Nam Homerus Græcorum Poetarum Princeps, qui ut communiter asseritur, centum, ac sexaginta annis ante Romam conditam vixit, libro vigesimo Iliadis, introducit Neptunum ita de Æneæ loquentem:

μήστωρα δ' οἱ ἐπ' ἀλλοις
Ὄφρα μὴ ἄσπετος γένηται ἔ ἄρατος Ἴλιονος
Δαρδάνῳ οὖν Κρονίδης ἐκ πάντων φίλατο παίδων.
Ἤδη γὰρ Πριάμου γενεὴν ἐχθαίρει Κρονίων.
Νῦν δ' ἀῦ Αἰνείαν βίη Τρώεσσιν ἀνάξει,
Καὶ παῖδων παίδων τῶν μετόπισθ' ἀγοντα.

fatale autem est ei evitare mortem:
Ut ne sine semine genus, & prorsus extinctum
pereat
Dardani, quem Juppiter præ omnibus dilexit
filiis.
Jam enim Priami generationem odit Juppiter;
Nunc autem porrò Æneæ virtus Trojanis im-
perabit,
Et filii filiorum, & qui deinde nascentur.

Prædicit hic Homerus, Æneam, & posteros ejus regnaturos esse super Trojanos, sicut revera evenit. At hoc quomodo potuerit Homerus scire, qui tanto tempore ante Romam conditam, & antequam de Æneæ, & posterorum ejus Regno fama vulgaretur, mortuus est, certò dici non potest. Nam, ut aliquid fortè de Æneæ in Italiam adventu, & de collocata ibi ab eo sede audierit: non tamen ulla erat ratio, cur Æneam potiùs, & ejus posteros, quàm Antenorem, aut alios ex Trojanis, qui profugi varias terras antè occupaverant, atque in iis regnabant, Trojanis imperaturos esse prænunciaret.

Virgilius etiam Latinorum Poetarum Princeps, Ecloga sexta, licet nihil sciret de tempore adventus Christi, & ne de illo quidem cogitaret, affirmavit tamen, jam illud adesse, & Cumeæ Sybillæ de eodem oracula mox adimplenda, ita præcinens:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Jam redit & Virgo, redeunt Saturnia Regna,
Jam nova progenies Cœlo demittitur alto.

Et alia prosequitur, quæ ad Christi adventum, quem jam adesse pronunciat, pertinere manifestissimum est.

Illud etiam mirandum, quod Seneca insignis item inter Latinos Poeta, plusquam mille annis antequam eveniret, prædixit novum orbem detegendum esse ultra Oceanum: cùm tamen plerique affirmarent, antipodas fabulam esse. Ita ille in Medea, actu secundo in fine:

Venient annis
Sæcula seris, quibus Oceanus
Vincula rerum laxet, & ingens
Pateat tellus, Tiphysque novos
Detegat orbes, nec sit terris ultima Thule.

Neque tamen has ego prophetias veras esse crediderim: nimirum vel casu, vel per aliquas conjecturas fieri potuere.

Sed instat, ut vidimus, adversarius, Ariolos, Magos, alioïque Divinatores, licet aliquando vera prænuncient, sæpè tamen falli, vel mentiri; neque res ita distinctè, sicut Prophetas, prædicere.

Respondemus, ita prorsus esse: hujusmodi enim homines rarò veritatem vaticiniis suis attingunt, & sæpè mendaces inveniuntur. Nihil tamen repugnat, quin eorum aliquis semper vera prædicat: potest enim Dæmon ea tantùm illi suggerere, quæ certò novit eventura. Et sic non obstat, quin ea omnia, quæ in Alcorano prædicuntur, naturali lumine ex antecedentibus, & consequentibus potuerint Dæmones tamquam certa prænoscere, velex revelatione bonorum Angelorum, Deo ita dilponente, addiscere: id enim non solùm Mahumetani, ut suprà vidimus, sed Christiani etiam Doctores admittunt. Inter quos Julius Cæsar Bulengerus lib. 2. de ratione divinationis, cap. 2. ita scribit: *Respondeo, Dæmones interdum per Sanctos Angelos, Deo arbitrante, futura didicisse, que hominibus aperuerint.* Idem docet Cornelius Jansenius in comment. lib 1. Regum cap. 23. & novissimè docuit Eminentissimus Cardinalis, antèa Sacri Palatii Apostolici Magister, Raymundus Capisuccus, vir, præter antiquissimam inter Romanos nobilitatem, omni etiam scientiarum genere ornatissimus, in suo eruditissimo opere Controversiarum Theologicarum selectarum, contr. 9. §. 2.

Deinde respondemus: etiam si concederemus, Mahumetum ex conjecturis, vel ex Dæmonum suggestione, vel casu, ac temerè aliqua divinasse; in multis tamen mendacem manifestè deprehendi; & ea ipsa, quæ prædicit, valdè perplexa esse, & ambigua. Id apertè videmus in vaticiniis jam ex Alcorano allatis. Sed præter hæc, alia etiam sunt in Alcorano, quæ ipsum manifesti mendacii convincunt.

Primò enim Sura 5. المائدة *Mensa* v. 37. fingitur ita loqui Gabriel, vel Deus cum Mahumeto: يايها الرسول ابلغ ما انزل اليك من ربك وان لم تفعل فما بلغت رسالته والله يعصمك من الناس. *O Le-*

Digitized by Google

O Legate, prædica id, quod revelatum fuit tibi à Domino tuo: & si hoc non feceris, non prædicasti id, quod tibi commissum fuit ab eo: & Deus servabit te immunem ab hominibus. Prima verba (in quibus est insulsa tautologia, nempe: *Si non prædicaveris, non prædicabis*, vel *non prædicasti*) ita explicantur à Zamchascerio: ان لم تبلغ منها الذي عني ولن كلمة واحدة فلن كمن ركب الامر المبيع الذي منعك كتمان كلها. *Si non prædicaveris etiam minimum quid ex iis, quæ tibi commissa sunt, licet sit unicum verbum; certè erit ac si tu rem nefariam fecisses; nempe ac si universa reticuisses, & abscondisses.* Frigida explicatio, seu potiùs excusatio. Sed peto à Zamchascerio, an Mahumetus omnia sibi à Deo commissa prædicaverit? Negare id non poterit: alioquin rem illum nefariam admisisse fateatur necesse erit. Debuit igitur Deus immunem illum ab hominibus servare, quemadmodum promiserat: alioquin, vel Deus desnit promissioni suæ; vel Mahumetus est mendax, qui hujusmodi promissionem Deo affinxit. At in bello Ohodensi malè discissa fuit ei facies, & excussus unus, vel, ut alii scribunt, duo dentes; & graviter etiam læsus est ictu lapidis in incurvatura brachii. Prætereà à filiabus Lobeidi Judæi, undecim nodis per veneficium ita alligatus, ut immobilis diù hærere coactus fuerit. Non itaque servatus fuit immunis ab hominibus. Sensit difficultatem Zamchascerius, ad quam ita respondet: فان قلت اين ضمان العصمة وقد شج في وجهه وكسرت رباعيته: قلت المراد انه بعصمه من القتل وقيه ان عليه ان يحتمل كل ما دون النفس في ذات الله فما اشد تكليف الانبياء عليهم السلام. وقيل نزلت بعد يوم أحد والناس الكفار. وتدليل قوله ان الله لا يهدي القوم الكافرين هو معناه انه لا يمكنهم مما يريدون انزاله بك من الهلاك: وعن ابن كثير ان رسول الله بصوص حتي نزلت فاخرج نفسه من قبة ادم فقال انصرفوا يا ايها الناس فقد عصمني الله من الناس لمتم على مي: اي على دين *Quòd si dicas; quomodo servata est illi promissio immunitatis ab hominibus, cùm profciſſa fuerit facies ejus, & confracti fuerint dentes ejus inter molares, & dualer? Respondeo: Sensus est, quòd Deus immunem servaturus esset eum ab occisione: & nihilominus statutum erat in essentia Dei; ut omnia perferret, præter mortem; & ea, quæ difficiliora, & magis molesta pertulerunt Prophetæ. Alii verò dicunt, hoc promissum fuisse Mahumeto post bellum Ohodense, & contra homines infideles. Et hoc significant verba Alcorani: Deus non diriget gentes infideles: sensus est: nihil erit eis possibile eorum, quæ moliuntur contra te, ut perdant te. Et refert Anas, Legatum Dei adhibuisse sibi custodiam, donec revelata sunt ei prædicta verba: & tunc extulit caput ex tentorio, & dixit: Regredimini, ò homines: jam enim immunem me fecit Deus ab hominibus. Nihil estis: ideſt, estis absque Religione, &c.* Sed nimis coarctasset promissionem suam Deus, si per eam intendisset Mahumetum defendere tantummodo, ne occideretur ab infidelibus: & hoc gratis, & absque ullo fundamento fingit Zamchascerius. Verba autem illa Alcorani: *Deus non diriget gentes infideles*, non sunt ad rem: verbum enim هدى *dirigere*, sumitur semper in Alcorano in bonam partem, ut scilicet significet, dirigere ad bonum. Porrò quòd infortunium Mahumeti in bello Ohodensi evenerit ante hanc promissionem, nullo modo probari potest: tùm quia hoc bellum commissum fuit anno tertio Hegiræ, postquam illo Alcoranum jam vulgaverat, ac prædicaverat: tùm quia ante hanc promissionem semper sese custodiverat, ut ex Anaso refert Adversarius. Sed ut omnia Zamchascerio concedamus: certè Deus non servavit Mahumetum immunem ab infidiis fœminæ infidelis (quippe Judæa) quæ illum veneno in ovillo harmo abscondito sustulit è vivis: illo enim hausto, statim cœpit ægrotare, & identidem vi morbi recrudescente, brevi infeliciter occubit. Atque ita Deus neque ab occisione, neque ab infidelibus immunem illum servavit.

Dçinde Sura 48. الفتح *Victoria*: v. 32. illa legimus: محمد رسول الله والذين معه اشداء على الكفار رحماء بينهم تريهم ركعا سجدا يبتغون فضلا من الله ورضوانا سيماهم في وجوههم من اثر السجود: ذلك مثلهم في التورية ومثلهم في الانجيل كزرع اخرج شطأه فازره فاستغلظ فاستوى على سوقه يعجب الزراع: *Mahumetus Legatus Dei, & qui sunt cum eo, terribiles contra infideles, misericordes inter se. Videbis eos sæpè se incurvantes, & adorantes, exquirentes beneficentiam à Deo, & beneplacitum. Signa eorum in vultibus eorum ex veligio adorationis. Hæc est similitudo eorum* (ideſt vaticinium de illis) *in Pentateucho. At verò similitudo eorum in Evangelio: sicut semen, quod educit culmum suum, tum corroborat eum; tum crassescit: tum resistet supra truncum suum: voluptatem afferet seminatori.* Prædicit hìc Mahumetus, affectas suos futuros inter se benignos, molles, ac misericordes: asperos verò, truces & crudeles contra homines alienæ religionis. Verissimum hoc fuit quoad secundam partem: sed ad hoc prædicendum non erat opus spiritu prophetico, cùm Mahumetani omnes, & præsertim Arabes, & Turcæ, utpote è Scytharum genere, naturæ sint bestialis, ac ferocis, & ab omni prorsus humanitate erga exteros alieni. Quoad primam verò partem, nullum unquam mendacium impudentius à Mahumeto prolatum est. Fatebuntur hoc, qui Mahumetanorum, & præsertim primorum Arabum, de quibus hìc præcipuè agitur, historias perlegerunt. Primi enim illi Mahumeti affectæ, non secus, asperoces bellux, adeò immaniter, ac truculenter inter se decertaverunt, ac deseverunt, ut tùm barbaræ dissensionis, & crudelitatis exemplum non facilè in alia gente reperiatur. Nam statim Mahumeto defuncto, nondum cadavere illius sepulto, cùm Aly, & cæteri è Mahumeti familia in eo tumulando occupati essent, tumultus magni inter Moslemos Duces excitati sunt, unoquoque rerum summam affectante. Ex quo Abubucar occasionem arripuit imperium sibi vindicandi, cujus Aly ex Mahumeti testamento legitimus erat successor. Mox acerrimis odiis inter Mos-

Digitized by Google

lemos exortis, plura civilia bella commissa sunt, in quibus Aly occidit Othmanem: Mauvia trucidavit Alym: Alhasan filius Aly interfecit Mauviam: cognatus quidam Mauviæ necavit Alhasan: ponebatque caput ejus in mensa dum comederet. Erant hi omnes Principes Mahumetanorum. Et sic deinceps alii Mahumeti successores mutuò inter se furore exarsere, ob solam regnandi libidinem: & hodie quoque Mahumetanorum Tyranni, ubi primùm inaugurati sunt, fratres omnes immaniter è medio tollunt, vel perpetuo carcere occludunt. En quàm mites, quàm molles, quàm misericordes Mahumeti assectæ, præsertim illi modestiores, inter se fuerint. Sed non mirum, Mahumetum in hoc falsum prophetam fuisse, qui tàm impudenter Sectatorum suorum notas, ac prædictiones in Pentateucho, & Euangelio reperiri affirmavit, cùm ne vestigium quidem earum in illis exsitat.

Omitto alia, quæ possem hìc adducere. Unum addo, non posse nos certò scire, an prædictiones, quæ ex Alcorano depromuntur, fuerint à Mahumeto, an verò ab Abubacro, vel ab Othmane, qui Alcoranum confarcinavere, in illo descripturæ, cùm jam evenissent ea, quæ ab his prædicebantur: cujusmodi sunt Poetarum vaticinia, quibus res jam factæ, ut futuræ prædicuntur.

CAPUT SEXTUM.

Miracula, quæ à Moslemis extra Alcoranum, per traditionem accepta tribuuntur Mahumeto.

QUamvis Mahumetus, ut vidimus, toties asserat in Alcorano, se nulla fecisse miracula, cùm non ad hæc facienda, sed ad homines commonendos, isque veram Religionem prædicandam missus fuisset: Mahumetani tamen Prophetæ suo obstinatè oppedentes, contendunt, illum & multa, & magna miracula patrasse; imò miraculorum gloriam Prophetis omnibus præripuisse. Auctor inter Moslemos laudatus, ابن احمد الجابلي *Abu-Ahmed Genabiensis*, mille à Mahumeto miracula, & juxta alios, tria millia patrata fuisse affirmat. Albakarius part. 7. الانوار *Splendorum*, scribit de eo adhuc puero: وكان كل يوم تظهر له ايات ومعجزات *& quotidie manifestabantur illi miracula, & prodigia*. Auctor لاعلام الهدي *de signis directionis*, hæc habet ولي عددنا جميع معجزاته واعلامه التي ذكرها المحدثون في كتبهم لطال الكتاب فان نبينا ع م اكثر الانبياء اعلاما وقد ذكر بعض المصنفين ان اعلامه ع م تبلغ الفا *Si recensemus omnia miracula, & signa ejus, de quibus mentionem fecerunt Historici in libris suis, certè excresceret tomus. Nam Prophetæ nostri fautæ memoriæ reliquos Prophetas in multitudine miraculorum superavit. Et quidam Auctores asserunt, miracula ejus ad numerum millenarium pervenisse.* Ismael Ebn-Aly in vita Mahumeti ita scribit: وله صلى الله عليه وسلم من المعجزات الظاهرة والمواهين الباهرة ما هي اكثر من ان تحصا والله اعلم *. Et prophetæ Mahumeti miracula manifesta, & argumenta clara & aperta, plura sunt, quàm quæ possint dinumerari. Et Deus hoc melius novit.* Ahmed Ebn-Edris idem confirmat his verbis: اوتي ما لم يؤته احد من الانبياء المتكاثرة الى ثلاثة الاف ايـــة واكثر ولي لم يؤتي الا القران وحده لكفي به فضلا مفيضا على ساير ما اوتي الانبياء لانه المعجزة الباقية دون ساير المعجزات *Datum est illi, ut faceret tot miracula, quot nulli alii datum est, itaut excreverint ad tria millia, & amplius. Et nisi fecisset aliud ullum miraculum, nisi Alcoranum, satis esset ad hoc, ut superaret cætera miracula Prophetarum: hoc enim est miraculum permanens, ac perseverans, quod nullis aliis miraculis convenit.*

Verùm quidquid hæc sit, ac nugentur Sapientes Moslemi, Christus Dominus ex eorumdem testimonio, longè Mahumeto in hoc excellentior fuit, qui unica die quinquaginta millia miracula (ut ipsi asserunt) patravit. Nihilominus libet hìc seriem texere illorum, quæ ipsi Pseudoprophetæ suo affingunt; primò ex Apologia Ahmed filii Abdalhalimi pag. mihi 382. Ubi eadem miracula in classes, seu species quasdam partitur. In quarum prima, cùm ea reposuisset, quæ ad res cœlestes attinent, de quibus jam suprà dictum est, collocat etiam:

Primò الجود كلمتصفاه صلى الله عليه وسلام ولمتصحابه وطاعة الصحاب له ونزول المطر ودعائه *: Miracula, quæ pertinent ad aerem: cujusmodi sunt, aquas ex eo deducere: illum turbidum serenare: nubibus imperare, & pluvias precibus obtinere.* Singula, quæ ad hanc primam speciem spectant, summatim, sed sincerè recensebo.

Primò: cùm Medinenses ob pluviæ defectum, sterilitatem magnam experirentur, rogaverunt Mahumetum, ut necessitati suæ subveniret. Elevavit ille manus, precatusque est Deum, ut opem ferret: & necdum manus deposuerat, cùm cœlum anteà serenum, nubibus repentè contenebratum est, pluviamque adeò copiosam effudit, ut هلكت الاموال وانقطعت السبل *; perirent facultates, & abrumperentur viæ.* Quamobrem Medinenses iterum rogaverunt illum, ut vim imbrium cohiberet, ne omnes prorsus perirent. Cœpit igitur Mahumetus manibus innuere erga varias partes Cœli: & ita quamcumque innuebat, statim serenabatur: atque ita pluvia cessavit.

Secundò. الحندق *Foveæ*, quod commissum fuit anno quinto Hegiræ, obtinuit suis precibus, seu imprecationibus Eurum ventum tàm vehementem contra hostes, ut inversæ fuerint pronæ in ora ollæ eorum, & eversa tentoria eorum; quæ cùm in aerem elevarentur, ipsos quoque elevabant, Aliqui addunt, hunc ventum, magnam secumgrandium lapidum copiam advexisse, quibus ingens hostium strages facta est.

In his duobus, atque aliis, quæ Mahumeto attribuuntur, miraculis, duo nobis inquirenda sunt. Primum, an ita omnes naturæ creatæ vires excedant, ut nonnisi à solo Deo fieri potuerint. Secun-

Digitized by Google

cundum, an reverà facta fuerint, & non potiùs ficta, & mendaciis confuta in medium producantur. Et quidem quod spectat ad utrumque, quod hic recenseatur miraculum; nulli dubium esse potest, quin opera Dæmonum possint pluviæ, venti, ac tempestates excitari: id enim quotidiana docet experientia. Quin & saxis aliquando in Albano monte pluisse, refert Titus Livius Dec. 1. quod non ex vero miraculo, sed vel ex causis naturalibus, vel ex Dæmonum ludibrio contigisse credendum est. Quòd verò utrumque hoc miraculum confictum sit, inde convincitur, quia non solùm incredibile, sed etiam ridiculum est, quòd Deus per Mahumetum eam pluviam Medinensibus immiserit, quæ vel æquè, vel plusquam præterita siccitas, & sterilitas, illis noceret. Deinde ea, quæ in bello Foveæ contigisse narrantur, adeò diversimodè ab Auctoribus referuntur, ut magnam mendacii suspicionem injiciant. Et quidem duo præcipui Auctores, nempe Ahmed, & Ismael, ne verbum quidem de lapidibus habent. Georgius verò Almacinus in historia Saracenica, quam ex Abu-Giapher Mahumetanorum doctissimo descripsit, ne venti quidem illius mentionem facit. Nec te moveat, Lector, quòd Anas filius Malec introducatur ab Auctore tamquam testis de visu primi miraculi: Hodaipha verò secundi: itaut alter juret, dicens: والله لم ينزل عن مفيض الي رابت للطرح ينتحدر مني العبرات. *Per Deum juro, antequam Mahumetus è suggestu, in quo erat, descenderet, me vidisse pluviam defluentem super barbam ejus:* Alter verò item cum juramento asserat, وقع وكنت اسمع الحص في الترسه. *Et ego audiebam fragorem lapidum cadentium super clypeos.* Solemne enim est Scriptoribus Mahumetanis ad figmenta, & fabulas suas comprobandas, hujusmodi testes visuales, eorumque juramenta, ac verba confingere, ut alibi etiam notavi, & infrà magis ex proposito demonstrabo.

Transit Ahmed ad secundum Mahumeticorum miraculorum speciem, dicens والنوع الثاني تصرف في الحيوان الانس الجن والبهايم: *Secunda species est eorum, quæ fecit circa animantia, nimirum homines, Genios, & bestias.* Hæc item summatim referam.

Primò. Camelus quidam occurrens Mahumeto, procubuit in terram, cœpitque uberim flere. At ille manu caput ejus molliter attrectavit: camelus verò quievit. Cùm autem vidissent puerum custodem cameli, dixit ei: Hic camelus conquestus est mecum de te, quòd fame, ac labore ipsum affligas. Commonuitque eum, ut meliùs tractaret illum.

Secundò. Camelus alius erat adeò ferox, ut omnes impeteret, quamobrem intra septum detinebatur. Cùm verò Mahumetum ad se venientem vidisset, demisso rictu ad terram, genua flexit ante eum: at ille capistro alligatum, mitem domino reddidit: & conversus ad adstantes, dixit gloriabundus: انه ليعبر مني بين الحملة والارض الا يعلم اني رسول الله الا عاص الجن والانس. *Certè nulla res est inter cœlum, & terram, quæ non cognoscat me esse Legatum Dei, præter Genios, & homines Deo rebelles.*

Tertiò. Quædam mulier attulit illi filium suum dæmoniacum: ille verò ter expuit in os ejus, præcipiens Dæmoni, ut abiret, quia ipse erat Legatus Dei. Deinde dixit mulieri: Benè se habet filius tuus, nec ultrà redibit ad eum quidquam eorum, quæ patiebatur. Intra paucos dies obtulit ei eadem fœmina utrem lactis, & ovem, asserens filium suum benè se habere: ille verò munus ejus suscepit.

Quartò. Vir quidam nomine Gaureth, videns Mahumetum gladio accinctum, obsecravit, ut sibi eum traderet considerandum. Sed aliquamdiù cum contemplatus, propius accedens, dixit: O Mahumete, quis me prohibet, ne te occidam? statimque contremuit manus ejus, itaut gladius illi excideret. Mahumetus verò gladio suo recepto, dixit: O Gaureth, quis servat te à me, quin te interficiam? at ille respondit: Nullus.

Quintò. Venit quidam ad Mahumetum afferens secum nidum, in quo erat pullus, quem parentes ejus sequebantur, & refederunt super manum viri illius. Conversus autem Mahumetus ad adstantes, dixit: Magis misericors est Dominus vester vobiscum, quàm aves istæ cum pullo suo. Quid hic est miraculi, vel miri, aut novi?

Sextò. Camelus alius malè clitellatus, conquestus est cum illo, quòd dominus suus abusus esset ipso per multos annos ad arandum: & postquam maciem tus, & scabiosus factus esset, jamque consenuisset, vellet ipsum macta re. Advocavit igitur dominum cameli, eumque de hac erga illum inhumanitate acriter redarguit. Postea emit ab eo ipsum camelum, liberumque dimisit per sylvas abire, multoque tempore superv xit. Idem ferè contigit ei cum alio camelo. Notandum verò, Mahumetum tantùm has camelorum querimonias audiisse, nullumque alium testem fuisse.

Septimò. Ad illius imperium duæ arbores longè inter se distitæ, radicitùs evulsæ, sese invicem conjunxerunt. Sed hoc miraculum inferius erat in alia specie collocandum.

Octavò. Sanavit puerum maniacum à septem annis, expuendo in os ejus, & præcipiendo dæmoni, ut ab eo discederet, quia ipse esset legatus Dei. Post paucos dies venit mater pueri, & asseruit, nihil illi adhuc consueti mali rediisse: & obtulit ei duos arietes, & vasculum lactis acidi: sed Mahumetus arietem unum restituit. Existimavit, ut puto, se nimis caro vendidisse miraculum suum, si etiam alium arietem accepisset.

Nonò. Alium puerum à Dæmone obsessum liberavit tangendo pectus ejus. Ejecit autem puer post tactum, ex ore quoddam veluti gossypium nigrum.

Decimò. Quidam ingressus in sylvam, abstulit inde nidum, in quo erant ova: secutaque est eum avis, quæ ova pepererat, volitans supra caput Mahumeti, & sociorum ejus. Ille verò prohibuit, ne lædaret eam, & justit restitui nidum in locum suum. Hoccine est miraculum?

Undecimò. Libertus Mahumeti, nomine Saphina, habuit in quadam sylva obvium leonem, cujus aspectu deterritus, dixit ei: O leo, ego sum libertus Mahumeti Legati Dei. Ille verò demissa cervice cœpit attrectare gladium ejus: nec destitit incitare eum, & quasi manuducere, donec posuit eum extra sylvam in via: & tunc leni rugitu, quasi valè dicens, dimisit eum.

Duodecimò. Habebat Mahumetus domi animal quod-

Digitized by Google

quoddam ferum, quod, eo absente, ferocius evadebat, & insolescebat. Cùm autem sentiebat eum regredi, donumque intrare, mansuescebat, & quiescebat. Vah mirçculum stramineum.

Decimotertiò. Camelus quidam venit ad Mahumetum, & adoravit eum. Cùm autem vidissent hoc socii, vocaverunt & ipsi adorare eum: at ille dixit eis: Si præciperem alicui, ut adoraret alium, certè præcepissem mulieri, ut adoraret maritum suum.

Decimoquartò. Arripuerat lupus ovem: pastor verò eum insecutus eripuit ovem ex ore illius. Lupus verò dixit pastori: Non ne times, ut Deus puniat te, dum eripis à me victum, quem ipse præbuit mihi? Tunc pastor obstupuit, quòd lupus humana voce loqueretur. Dixit ei lupus: Vis ne referam tibi rem admirabiliorem? Mahumetus in Medina enarrat hominibus historias rerum præteritarum. Venit autem pastor Medinam, & narravit hoc Mahumeto coram omni populo: ille verò dixit: صدق والذي نفس محمد بيده لا تقوم الساعة حتي يكلم السباع الانس ويكلم الرجل عذبة سوطه وسوال نعله وجهه فخذه ما احدث اهله بعده:

Vera locutus est: & juro per eum, in cujus manu est anima Mahumeti, quòd non veniet dies supremi Judicii, donec feræ alloquantur homines; & alloquatur virum lorum ferulæ suæ, & corrigia calcei sui; & annunciet ei femur ipsius, quid novi fecerit familia ejus post discessum ejus.

Decimoquintò. Equus quidam cespitabat, angustoque passu incedebat. Ulus est eo quadam die Mahumetus: neque ultrà cespitavit: ampliúsque passibus posteà incessit.

Decimosextò. Aly ophthalmia laborabat; expuit Mahumetus in oculos ejus; nec deinceps impedimentum ullum, aut dolorem sensit in oculis.

Decimoseptimò. Asem filius Omar filii Cottadæ, in bello Bedrensi ictus fuit in radice oculi, itaut efflueret oculus super genam ejus. Oravit pro eo Mahumetus, & attrectavit pupillam ejus manu: vel, ut alii scribunt, reposuit eam in sedem suam. Nec deinde agnoscebatur, uter oculorum læsus fuisset: imò hic erat melior altero. Vide quæ paulò post dicam de hoc miraculo.

Decimooctavò. Abdallah filius Otheich cadens, crus soufregerat: cùmque illud vitta colligasset, venit ad Mahumetum, narravitque illi casum suum. Ille verò justit eum pedem extendere: manuque sua pedem attrectavit: quo facto, nullum amplius sensit dolorem. Sanavit item eius percussum Salmæ filii Alacuh, ter in illud insufflando: & licet remanserit in eo cicatrix, omnis tamen dolor cessavit.

Decimononò. Vir quidam læsus oculis oravit Mahumetum, ut eos sanaret. Ille præcepit, ut sese lavaret studiosissimè: & recitaret quasdam precatiunculas, Deum obsecrans, ut sanaret se per Prophetam suum Mahumetum. Quod cùm feciſſet, perfectè sanatus est.

In hac secunda classe miraculorum, quædam inania sunt, nihilque miraculi redoleut: quædam ridicula, & miraculi nomine indigna. Tria tamen vera miracula videntur. Primum est, restitutio visus illi, cujus oculus super genam ejus effluxerat. Secundum, illuminatio ejus, qui oculorum visu carebat. Tertium efractí cruris instantanea curatio.

Sed nihil horum, si rectè perpendatur, naturæ creatæ vires transcendit. Nam quod ad primum attinet, quandiù oculus cum radice sua conjunctus manet, quamvis extra sedem suam super genam aliquantulum effluxerit; posse iterum in pristinum statum facultatis visivæ naturaliter restitui, assorunt Jatrophysicorum doctissimi: & saltem Dæmonis opera id fieri posse etiam brevissimo tempore, negandum non est. Certè Franciscus Guicciardinus celebris Historicus lib. 6. hist. Italicæ in fine, refert, Julio Atestino ab Hippolyto ejusdem fratre oculos erutos fuisse: ipsum verò Julium statim illos in suis sedibus repolusse, Deo sese commendando; ac deinde iisdem egregiè usum fuisse, acutissimèque vidisse. Quod quidem Remigius Historiæ adnotator, miraculo tribuit. Sed Guicciardinus lib. 7. scribit, id evenisse ob celerem, ac studiosam curam Medicorum. Non credo tamen, Julii oculos prorsus à fede sua abscissos, separatosque fuisse.

Quod spectat ad secundum, notandum est, hominem illum non fuisse, neque dici انحي: quæ vox propriè *cæcum* significat: sed ضرير, qua homo, quocumque modo læsus oculis, vel alia corporis parte significatur. Potuit igitur iste ita oculis læsus fuisse, ut naturaliter curari posset, saltem à Dæmone: quo pacto à Vespasiano Imperatore Ethnico cæcum quendam curatum fuisse refert Suetonius.

Tertium etiam vires naturæ saltem Angelicæ minimè superat. Potest enim Dæmon crus effractum præsentaneis remediis ita celeriter consolidare (sicut potest homo aliquo tempore insumpto intervallo), ut nullum in eo fracturæ vestigium appareat. Hinc patet responsio ad cætera hujus generis miracula: omnia enim potuerunt naturaliter, saltem ope Dæmonis fieri. Præstat tamen omnia, tamquam ficta, negare auctoritate ipsius Alcorani, in quo, ut vidimus, Mahumetus se à miraculis faciendis semper excusat. Quòd si aliquod hujusmodi feciſſet, nunquam certè reticuisset; cùm toties miserum illud, macrumque miraculum victoriæ Bedreusis obtrudat, in quo tamen ipse, si Alcorani verba attendamus, nullam partem habuit.

Transit Ahmed ad tertiam Prophetæ sui miraculorum speciem, quæ versatur على الاشجار والخشبة: *circa arbores, & ligna:* quorum

Primum fuit. Cùm Mahumetus in Meschita Medinensi concionabatur, palmæ aridæ trunco humeris adhærebat. Ubi verò cathedra constructa, ex ea cœpit concionari; audita est ex trunco illo vox tamquam camelæ orbatæ pullo suo. Statim Mahumetus è cathedra prosiliens, accessit; & posuit manum super truncum: ille verò quievit, & tacuit. Alii scribunt, Mahumetum amplexum fuisse, & admovisse pectori suo truncum: illum verò in modum pueruli querulas voces emittentem, paulatim quievisse, ac siluisse.

Secundum. Discesſit quondam Mahumetus à suis, ut secederet in aliquem locum occultum ad exonerandum ventrem. Giaber verò secutus est eum cum vase aquæ, qua posset obscœna abluere. Sed cùm locum non inveniret, in quo se posset occulere, accessit ad unam arborem, & apprehenso ramo ejus, dixit ei: Sequere me; & illa sequuta est eum. Deinde cùm paululum processisset, accessit ad aliam arborem, & apprehenso ramo ejus, dixit ei: sequere me: & illa sequuta est eum; donec conjuncta eum

prima

Digitized by Google

prima arbore, fecit cum illa tegumentum Mahumeto, ut à nullo visus, corpus posset exonerare. Deinde unaquæque arbor reversa est ad locum suum. Nimirum, tantæ molis erat Mahumetum ventris onus deponere.

Tertium. Homo quidam Amerinus rogavit eum, ut ostenderet sibi sigillum prophetiæ, quod inter scapulas habebat, asserens se esse optimum omnium mortalium. Cui Mahumetus respondit: Vis ne ostendam tibi miraculum? Utique, inquit ille. Vocavit igitur Mahumetus unam palmam longinquam ad se: & illa venit ad eum cum fragore, constitutque ante eum. Ille verò jussit eam reverti. Rogabat hic, ut ostenderet ipsi sigillum prophetiæ in scapulis: ille verò ostendit ei palmam ambulantem: Ritum tene Lector, si potes.

Quartum. Ad trahendum quemdam Arabem ad sectam suam, præcepit ramo cujusdam palmæ, ut descenderet ad se: cùmq; hic descendisset, & stetisset ante eum; rursum præcipit ei, ut ad locum suum reverteretur: & obedivit: & credidit Arabs. At hoc est contra id, quod toties in Alcorano repetit; miracula nihil ad conversionem Arabum profutura, & ideò se ea non facere.

Quintum. Convertit iterum alium Arabem simili miraculo: Jussit enim venire ad se palmam sitam in ripa torrentis; & hæc venit, & stans ante eum, ter testificata est, ipsum esse prophetam, & servum Dei; nec esse alium Deum nisi unum. Deinde ad imperium ejus secans terram cum fragore, rediit ad locum suum.

Sextum. Dixit Mohan filius Abdalrahman, se audivisse à patre suo, quod interrogasset Masruc, quisnam fuisset testis, Genios audisse Mahumetum legentem nocte quadam Alcoranum, & conversos fuisse ad sectam ejus, quemadmodum ipsemet asserit in Alcorano: & quod respondisset Masruc, se audivisse ab Abubac; arborem quandam, quæ cum Geniis interfuerat, hoc testificatam fuisse.

Septimum. Cùm Mecca egressus fuisset; nulla arbor, & nullus mons fuit, quin illum obvium salutaret, ac diceret: Pax super te, ò Legate Dei.

Octavum. Sedebat die quadam tristis, ac plorans, quia probè sustibus à Meccanis pulsatus fuerat. Gabriel, ut eum consolaretur, apparuit ei, ac præcepit, ut arborem quamdam remotam ad se advocaret. Id ille cum fecisset, venit arbor, & stetit ante illum. Tunc dixit illi Gabriel: præcipe ei, ut redeat ad locum suum. Præcepit ille, & arbor obedivit. Tunc dixit Mahumetus: Hoc sufficit mihi. Malum erat in capite; & Gabriel reduviam curabat.

Hujus tertiæ speciei miracula sunt ejusmodi, ut quilibet, nisi prorsus intellectu sensuque careat, facilè possit intelligere, vel Mahumetanorum esse figmenta, vel Dæmonum ludibria. Et nihilominus ea est Arabum Scriptorum impudentia, ut allegent, potiùs fingant Auctores, qui testentur, se dum hæc herent, præsentes fuisse, optimèque vidisse. Hinc saltem colligere possumus, quanta fides illis habenda sit, dum ea etiam de Prophetæ suo referunt, quæ aliquam miraculi speciem habere videntur.

De quarta specie, ita Ahmed: والنوع الرابع الماء والطعام والتمار الذي كان بكثر ببركته فوق العادة وهذا باب واسع نذكر منه ما يحصر

Quarta species pertinet ad aquam, & cibum, & dactylos, quas res multiplicabat benedictione sua supra consuetum morem. Hoc porrò caput multa continet: sed nos pauca commemorabimus. Hæc ego etiam summatim referam.

Primò. Cyathum aquæ, quæ ad duos homines potandos vix satis esse potuisset, ita multiplicavit, ut ferè octoginta homines potuerint aqua illa sese abluere, ac purificari. Hoc ferè idem contigit aliis vicibis. Aliquando enim ponens digitos super aliquod vas vacuum, vel cum modica aqua, vel immergens manum in illud; erumpebant fontes è digitis ejus, itaut quondam periculum fuerit, ne ob copiam aquæ cameli mergerentur. Aliquando obmurmurabat quædam verba, quæ adstantes non intelligebant, & ita aquas multiplicabat. Aliquando fontes, qui jam penè exarserant, erumpere faciebat in magnam copiam. Aliquando puteos siccos, spuendo in illis, vel lapillos, quibusdam verbis mussitatis, projiciendo, aquis implebat. Horum verò miraculorum usque ad septemdecim refert Ahmed, producens semper testes de visu.

Quod attinet ad multiplicationem ciborum. Primò multiplicavit panes hordei quatuor modiorum, & carnem unius oviculæ, spuendo tàm in ollam, quàm in panes, ut satis fuerint ad saturandos mille homines: & nihilominus neque olla, neque panes diminuti sunt. Idem ferè contigit alia vice.

Secundò. Aliquot crustula panis butyro condita, verba quædam super ea mussitando, ita multiplicavit, ut plusquam octaginta homines ex iis saturati fuerint, & nihilominus reliquiæ copiosæ superfuerunt.

Tertiò. Dactylorum non majorem quantitatem, quam quantam capere posset pellis unius ovis, in tàm magnam copiam excrescere fecit, ut mille quadringenti homines iis saturarentur. Alia etiam vice ita paucos dactylos multiplicavit, ut totus populus non solùm satiatus fuerit, sed etiam peras viatorias illis impleverit. Quo facto, dixit Mahumetus: Testificor, quòd non est alius Deus præter Deum, & quòd ego sum Legatus Dei. Alii diversimodè hoc referunt.

Quartò. Mulier quædam præbebat Mahumeto butyrum ex utre suo; nec cessavit unquam uter fundere butyrum, etiam pro muliere, & filiis ejus, donec illa expressit eum. Dixitque Mahumetus mulieri: Nisi utrem expressisses, numquam cessasset butyrum subministrare.

Quintò. Dedit cuidam, qui à se cibum petebat, tantum hordei, quantum afinus portare potest; nec cessavit homo comedere ex eo unà cum familia sua, donec mensuravit illud. Dixitque Mahumetus: Si non mensurasset illud, nunquam defecisset.

Sextò. Pulmentum, quod paucis paratum fuerat, ita adauxit, ut plusquam trecentis hominibus satis fuerit: & postquam omnes satiati sunt, sublatis mensis, plus fuit illud quod remansit, quàm quod appositum fuerat.

Septimò. Ex uno lactis eratere satiavit magnam hominum turbam: & deinde ipse bibit quod superfuerat.

Octavò. Ex hepate unius ovis satiavit centum triginta homines: & duæ patinæ superfuerunt.

Quod spectat ad dactylorum multiplicationem, multa affert Ahmed, & alii miracula, quæ quia sunt omnia ejusdem furfuris, hic non recenseo, uno tantùm contentus, quòd specialem Lectoris attentio-

Digitized by Google

tionem mereri videtur. Ipsis Auctoris verbis, fideliter ex Arabico translatis, referam.

Narravit Emam Ahmed Tarmadiensis, & alii historiam, quæ habet Auctorem Abu-Horeiram. Dixit Ahmed: narrasse sibi Jonam, qui audierat à Hamad filio Zaidi, cui narraverat Mogiahr, qui audierat ab Abul-Alia, qui dixerat se audisse ab ipso Abu-Horeira, ita narrante: Accessi ad Prophetam Mahumetum cum aliquot dactylis, & dixi: Imperiare mihi super his benedictionem Dei. Ille verò dispositis eos in manibus suis: deinde precatus est, & posteà dixit mihi: Tone eos in pera tua: & cùm tibi opus fuerit, immitte in eam manum tuam, & cave, ne removeas eam à te. Et extraxi ex ea tot & tot onera dactylorum, dum essem in prælio: & comedebamus, & ipsa subministrabat nobis cibos: neque unquam removebam eam à meis lumbis. Cùm autem occisus fuisset Othman, abscissa fuit à femore meo, & cecidit. Mohammad filius Sairin dixit, se audisse ab Abu-Horeira ita referri: Dum esset Mahumetus cum exercitu in prælio, defecerunt ei victualia. Dixitque mihi: O Abu-Horeira, est ne aliquid apud te? Respondi: Habeo aliquot dactylos in pera mea. Affer, inquit, eos ad me. Cùmque hoc fecissem, jussit me afferre etiam stratum coriaceum; quod cùm attulissem, expandit illud: immisitque manu in peram meam, extraxit inde dactylos viginti, & unum. Deinde dixit: In nomine Dei. Capitque eorsim ponere singulos dactylos, eadem verba repetendo, donec omnes disposuit: iterumque eadem verba protulit. Deinde collegit eos, & dixit: Voca talem, & socios ejus: qui vocati comederunt, & saturati sunt, & discesserunt. Deinde dixit: Voca talem, & socios ejus: qui item vocati comederunt, & saturati discesserunt: & nihilominus dactyli superfuerunt. Tunc justit me sedere, & comedere: & uterque comedimus, & tamen dactyli superfuerunt; quos acceptos, immisit in peram meam, & dixit mihi: O Abu-Horeira, cùm volueris dactylos, immitte manum tuam in peram, & accipe: & ne occludas eam; & submiuistrabit tibi dactylos ad sufficientiam. Quotiescumque ergo voluissem dactylos, immittebam manum in peram: & extraxi ex ea quinquaginta saccos dactylorum, quot quinquaginta jumenta portare possent. Habebam autem peram alligatam post tergum meum: exciditque mihi sub imperio Othman, & amisi eam. Eodem ferè modo refert hoc factum Jezid filius Abu-Mansur, qui acceperat ab ipso Abu-Horeira; nisi quod addit, totum exercitum ex illis dactylis comedisse, & saturatum fuisse: ipsum verò Abu-Horeiram comedisse, & cibasse alios ex dactylis peræ, quandiù vixit Mahumetus, & Abubacar, & Omar, & Othman: occiso verò Othmane, venisse in domum suam, & peram periisse.

Non est otium, neque operæ pretium singula hujus quartæ speciei miracula ad trutinam expendere. Satis fit dixisse; omnia figmenta esse, idque præsertim patet ex hac pera portentosa Abu-Horeiræ, cujus fabula tàm diversimodè ipsemet fingitur narrasse. Atqui si pera illa erat tàm fœcunda, ut non solùm integro exercitui posset alimenta præbere, sed etiam per quadraginta annorum spatium sub Mahumeto, & tribus subsequentibus Chaliphis, domino suo, & aliis cibum suppeditaverit: satis erat si ifti in exercitu suo Abu-Horeiram cum pera haberent: alia enim omnis ciborum supellex erat supervacanea. Quis verò credat, Mahumetum tàm malè exercitibus suis prospexisse, eosdemque ad tantam penuriam toties redactos fuisse (quemadmodum in superiùs relatis exemplis affirmat Auctor) ut nonnisi pauci dactyli, vel aliquot panis frustula, vel unus tantùm aquæ scyphus in illis reperiretur? Verùm, ut omnia tanquam verissima Mahumetanis concederemus: non tamen tamquam vera miracula probari possent. Norunt omnes (& ut puto etiam Mahumetani) malorum Geniorum opera, & aquas, & poma, & cibos posse saltem apparenter multiplicari, & lautissimas mensas repentè exhiberi. Id illis facillimum est, qui possunt hæc eadem hinc inde sublata, & fortasse à se confecta, vel confecta, in ictu penè oculi quocumque voluerint deferre: quomodo in Alcorano fingitur nescio quis Genius, Throno Balkisiæ ex Æthiopia ad Salomonem in ictu oculi detulisse. Et ut Alcorani deliramenta omittamus; innumera propè suppetunt in historiis hujusmodi præstigiorum exempla: quin & quotidie ea evenire experimento didicimus. Quod si dicant Mahumetani, etiam Christum, & Elideum, & aliquos sanctos viros, hujusmodi miracula fecisse: jam respondi, & suo loco ostendam clariùs, hæc vera fuisse miracula, & ut vera Mahumetani ipsi fatentur; non autem ea, quæ præstigiatores, & Magi operantur, & quæ operatus est Mahumetus; quamvis utraque similia appareant. Id manifestè patet in iis, quæ fecerunt Moyses, & Magi Pharaonis: tàm enim hic, quam illi virgas verterunt in colubros, & aquas in sanguinem, & pulverem in ranas: sed ille verè, & per solam Dei virtutem: hi autem apparenter, vel ope Dæmonum per media naturalia.

Quinta Miraculorum Mahumeticorum species est, قاتيرلى الاحجار وتصرفه فيها وتصريفها للسنة:

Signa quæ effecit in lapidibus; & potestas quam habuit in illis; & subjectio quam erga eum ostenderunt. Hæc ego de more summatim referam.

Primò. Cùm esset Mahumetus supra montem Ohod unà cum Abubacro, Omare, & Othmane; commotus est, & contremuit mons sub eis. Ille verò percutiens eum pede, dixit: Quiesce: non enim habes super te, nisi Prophetam, Justum, & duos Martyres. (Abubakar cognominabatur Justus: Omar verò, & Othman occisi fuerunt in bello: & ideò martyres dicuntur).

Secundò. Giaber filius Samaræ dixit, se audivisse Mahumetum dicentem: Antequam concederetur mihi munus propheticum, nullum cognoscebam lapidem in Mecca, qui salutaret me: nunc autem cognosco illum. O ridiculum caput!

Tertiò. Dixit Aly: Fui cum Mahumeto in Mecca: cùmque egressi ea fuissemus, nullum habuit obvium lapidem, vel montem, qui non diceret ei: Salve, ò Propheta Dei.

Quartò. Cùm conjecissent pugillum pulveris in exercitum hostium, oculi omnium illorum pulvere impleti sunt; & terga vertentes fugerunt. De hoc miraculo jam satis suprà dictum est. Duo alia similia refert, vel potiùs unum atque idem repetit.

Ne in his quisquiliis discutiendis tempus teram, transeo ad sextam miraculorum speciem, de qua ita Ahmed: والنوع السادس من ايات تاييد الله للسنة بملائكته: *sexta species miraculorum ejus est, quòd Deus illi opem tulerit per angelos suos.*

Primò. Refert id, quod habetur in Alcorano, Deum

Deum nunc per mille, nunc per tria millia, nunc verò per quinque millia Angelorum in prælio Bedrenſi, vel, ut alii volunt, in tribus diverſis prælijs, Mahumetanos adjuviſſe: quos tamen Angelos nullus vidit, niſi Mahumetus. Vide quæ jam ſuprà de hoc miraculo dicta ſunt.

Secundò. Saad filius Abu-Vaccas dixit, ſe vidiſſe in prælio Ohodenſi à dextris, & à ſiniſtris Mahumeti duos viros indutos veſtibus albis, qui acerrimè pugnabant ad defenſionem illius; nec unquam antè viderat, nec poſtèa vidit eos: & opinatus eſt illos fuiſſe Gabrielem, & Michaelem.

Tertiò. Poſt bellum Foveæ, cùm arma Mahumetus depoſuiſſet, apparuit ei Gabriel, quaſſans caput, ut pulverem excuteret, quem contraxerat pugnando contra hoſtes. Et Anas dixit, ſe vidiſſe pulverem, quem cæteri Angeli, qui pugnaverant cum Gabriele, excutiebant à capitibus ſuis. Quidam verò alii dixerunt, ſe vidiſſe eumdem Gabrielem in forma Dahiæ Celebienſis, habentem cydarim in capite, cujus tæniæ defluebant inter ſcapulas ejus. Dixitque Mahumetus, Deum miſiſſe illum contra Coraiditas hoſtes ſuos, ut ſecum pugnaret, & arcet eorum terræmotu coneuteret.

Dixit Mahumetus Ebn-Abbaſo, ſe in bello Bedrenſi vidiſſe Gabrielem, retinere per caput equum ſuum, ſuper quem erant arma bellica.

Narravit idem Aiſæ uxori ſuæ, apparuiſſe ſibi, prælianti contra hoſtes, Angelum montium è nube, ſeque ſalutaſſe, ac dixiſſe: Præcipe mihi id quod tibi placet: nam ſi vis, ſepeliam hoſtes tuos ſub monte Ahſebain. Se verò id recuſaſſe, quia ſperabat ab illis infidelibus orituros eſſe fideles, qui colerent unum Deum.

Quamvis fieri potuerit, ut aliquando Satanas transfiguranſe in Angelum lueis, hujuſmodi larvis Mahumetum deceperit, quemadmodum plures alios decepit: omnia tamen figmenta cenſenda ſunt, præſertim cùm nullus alius teſtis eorum fuerit, quàm ipſemet Mahumetus. Sed quidquid ſit, nullum hic verum miraculum probari poteſt, nam quòd ſpiritus, vel malus, vel bonus, alicui appareat, nullum eſt miraculum illius cui apparet: cùm etiam peccatoribus Dæmones, vel Angeli ſæpè apparuerint.

Septima ſpecies habetur في كفاية اللبه له اعداء وعصمته له من الناس وهذا فيه اية لنبوته من وجوه.

in eo, quòd Deus ultus ſit pro eo de hoſtibus ejus; & immunem eum ſervaverit ab hominum nocumento: in quo eſt ſignum, illum fuiſſe prophetam ex multis capitibus. Ita Ahmed, qui enumerans hujuſmodi capita: primò ponit verificata fuiſſe promiſſiones factas illi à Deo in Alcorano, quòd ſcilicet eum defenderet ab adverſariis, imò ab omnibus hominibus; eoſque, qui ipſi injuriam, vel noxam inferrent, ſeverè puniret. Hoc autem evenit modis naturæ conſuetudinem excedentibus. Fuitque inter eos præcipuus, quòd, non obſtante multitudine adverſariorum, eorumque potentia, & prævalentia, quales erant Meccani, eorumque Principes, cùm ipſe eſſet ſolus, oppoſuit ſe tamen illis, iiſque reſtitit, contemnendo religionem, deos, & ſacra eorum, novamque religionem prædicando; quod certè fine manifeſto miraculo fieri non potuit, præſertim cùm ipſe tandem victor, & illi victi remanſerint. Deinde loquens de illis, quos ob illatas Mahumeto injurias, vel noxas, Deus punivit, refert tamquam miracula, exempla ſequentia.

Primò. Abugehel illi inſenſiſſimus, tentans eum aggredi, ut occideret: nec pedes, nec manus movere potuit: aſſeruitque deinde, vidiſſe inter ſe, & Mahumetum veluti foveam ignis. Dixit autem Mahumetus: Profectò ſi ad me acceſſiſſet, laceraſſet eum Angeli membratim.

Secundò. Dum Saraca filius Malec equo inſidens inſequeretur Mahumetum fugientem in Medinam, equus ejus immerſus eſt in cœno uſque ad ventrem. Cùm verò Saracam facti pœniteret, orante pro eo Mahumeto, liber evaſit, & regreſſus eſt.

Tertiò. Dum Mahumetus ſub arbore dormiret, ſuſpenſo ad ramum ejus gladio; venit quidam ejus hoſtis, qui arrepto, & evaginato gladio, dixit illi: Quis te à me eripiet? Reſpondit: Deus. Atille gladio in vagina repoſito, abiit, nec ultrà curavit eum Mahumetus.

Quartò. Quidam ſedit juxta Mahumetum: ille autem exiſtimans id eſſe contra ſibi debitam reverentiam, dixit ei: Eſto ita ſemper. Et luxata ſunt membra ejus, nec deſiit ſedentariam vitam agere, uſque ad mortem.

Quintò. Chriſtianus quidam crediderat in Mahumetum, & ipſe pro ſcriptore ſuo eo utebatur. Deinde rediit ad Chriſtianam fidem, & dicebat: Mahumetus nihil intelligit, niſi quod ſcribitur illi. Id audiens Mahumetus, oravit Deum, ut eum puniret. Cùmque mortuus eſſet, & ſepultus, ſequenti die terra ejecit eum. Chriſtiani verò exiſtimantes, hoc eveniſſe ob aliquod Mahumeti præſtigium, iterùm profundiùs ſepelierunt eum: ſed ſequenti die iterùm terra ejecit eum. Cùmque adhuc profundiùs ſepultus fuiſſet, tertiò tamen à terra ejectus eſt. Quamobrem Chriſtiani ita illum exhumatum reliquerunt.

Sextò. Dum die quadam Primates Meccanorum in loco, qui Petra dicebatur, eſſent congregati, cœperunt inter ſe contra Mahumetum multa verbis agitare. Interèà advenit ille, & tranſiens juxta eos, perrexit ad inviſendum Templum. Cùmque illud de more ſepties circuiret, multa in eum, dum juxta ipſos tranſibat, ſcommata jaciebant. Ille verò muſſitavit contra eos neſcio quæ verba, quibus auditis, adeò mites facti ſunt, ut humaniſſimis eum verbis alloquerentur, & eum eo gratularentur. Poſtera die, dum Meccani in eundem locum convenirent, transivit juxta eos: at illi à ſententia heſterna mutati, uno impetu inſiliérunt in eum: cùmque cœpiſſent lapides colligere, ut eum occiderent, interpoſuit ſeſe Abubacar, & ad ejus preces, & lacrymas, ſiverunt eum abire.

Septimò. Quinque illius præcipui hoſtes, qui erant ei ſupra cæteros infenſi ac moleſti, miſerrimè periere. Nam eum Gabriel, videnteMahumeto, digito innuiſſet erga venam medianam brachii Validi, qui erat primus ex illis: hic poſteà ictus fuit ſagitta in eadem vena. Cùmque idem Gabriel eodem modo innuiſſet in oculum ſecundi, qui vocabatur Aſuadus: hic cæcus deinde factus eſt, infixa ſpina in oculis ejus. Tertiò item, qui eodem nomine vocabatur, ortæ ſunt quædam puſtulæ in capite (nam Gabriel erga illum innuerat) ex quibus mortuus eſt. Quartus verò, nomine Hareth, innuente Gabriele erga ventrem ejus, tàm immani hydropiſi correptus fuit, ut egrederetur ſtercus ex ore ejus: & mortuus eſt.

Digitized by Google

est. Quintus nomine Alas, innuente Gabriele erga pedes ejus; cùm aliquando iter ageret, procubuit cum asino, cui infidebat, & infixa est spina in pede, vel, ut alii scribunt, in capito ejus, & ex hoc interiit.

Octavò. Alii quinque, qui de Mahumeto coram Principe Jemanis, seu Arabiæ Felicis, oblocuti fuerant, diversis à Deo pœnis infligtis, interiere. Sed Mohammed filius Isaac paulò aliter refert pœnam infligtam illis quinque prioribus.

Nonò. Cùm Otaiba repudiasset filiam Mahumeti, gravissimèque eum læsisset: is mala imprecatus est ei à Deo. Cùmque Otaiba constitissset noctu cum sociis in quodam loco Syriæ, venit leo, aliisque relictis, occidit eum, comminuitque caput ejus.

Decimò. Cùm die quadam pronus oraret ante Fanum Meccæ, quidam illius adversarii conjecerunt secundinas quarumdam ovium, quæ mactatæ fuerant, super humeros ejus, atque in profusos risus erupere. Interim ille stetit immotus. Cùm verò surrexisset, elata voce ter maledixit eis: & omnes hi in bello Bedrensi occisi sunt, & per pedes tracti, in puteum conjecti sunt.

Concludit Ahmed, omnes mortales nunquam cessasse videre, & audire vindictam Dei contra eos, qui maledicta, & convicia proferunt contra Mahumetum, & religionem ejus, per varia genera suppliciorum. Sed duo tantùm hujus rei profert exempla. Primum: cùm Mahumetani obsiderent in Syria arcem quandam Christianorum, Christiani semper validè restitere, donec ceperunt maledicere Mahumeto: tunc enim Mahumetani arcem expugnavere. *Porrò* (inquit Auctor) *hoc est valdè in promptu, sicut sæpe experti sunt Mahumetani, ut verum probaretur id, quod Deus promisit in Alcorano.* Alterum: cùm Cosroes Rex Persarum scidisset epistolam Mahumeti, scidit Deus funditùs Regnum Cosroarum: quemadmodum è converso, cùm Imperator Heraclius, & Almacucus Rex Ægypti suscepissent honorificè literas illius, stabile permansit illis Regnum ipsorum.

Circa septimam hanc miraculorum speciem, quorum primum est, Mahumetum, cùm solus esset, Meccanorum Principibus potentissimis resistere potuisse, Deos, eorum religionem, ac Sacra vilipendendo, novamque sectam invehendo: pronuncio absolutè, nullum in hoc esse miraculum: cùm sæpè sæpiùs in sectarum impiissimarum Auctoribus hoc idem contigisse, & legerimus, & viderimus. Neque Mahumetani exemplis carent in secta sua, ut Mosailmæ, & aliorum, qui contra Mahumetum, ejusque Alcoranum insurrexere. Neque tamen dici potest, aut Mahumetum, aut horum aliquem, solos fuisse adversus multos: tàm enim illi, quàm istis in ipsis initiis non pauci nebulones, & aliqui etiam potentes adhæsere. Quòd si etiam aliquid solii effecerunt, id fuit, quia à principio contemnebantur: neque ullus sibi persuadebat, eos perniciem tàm magnam humanis rebus esse allaturos. Porrò ex rebus gestis Mahumeti, quas Arabes ipsi referunt, constat, illum nunquam palam Corasinos, aut alios Primates Meccanos contra se provocasse, nisi cùm sese aliquot tam popularium, quàm potentium viribus sustultum vidit.

Cætera verò, quæ hìc referuntur miracula, ad confusetas Mahumetanorum fabulas referenda sunt. Et quamvis aliquid horum factum fuisse concederemus, nihil tamen esset, quod vel casu, vel opera Dæmonum fieri non potuisset. Similia, vel etiam majora hujus farinæ miracula in Historiis Ethnicorum leguntur de iis, qui ob contemptos Deos, vel ob eorum Sacra neglecta, in varias calamitates, atque etiam in mortem ipsam incidere. Et quotidie videmus, Magos, ac Sagas iis, qui se contemnunt, vel in aliqua re sibi nocent, maxima damna inferre, id Deo ex justis suis judiciis permittente.

Promissiones illas, quas in Alcorano fingitur Deus facere Mahumeto, de servando ipso immuni ab hominibus, & tuendo contra hostes suos, vidimus jam supra vanissimas esse.

Quòd afferat Auctor, nullam gentem reperiri, quæ exempla hujusmodi vindictæ osoribus Mahuti, ejusque sectæ, à Deo inflictæ non viderit, vel audierit; gratis prorsus asserit, & non sine aperto mendacio. Nos enim hujusmodi exempla nec vidimus unquam, neque audivimus, & ne quidem fominiavimus: & tamen Mahumetum, ejusque superstitionem odimus, execramur, & detestamur. Neque casus ille de Arce in Syria expugnata quidquam convincit. Non enim convicia in Mahumetum, sed peccata Christianorum, vel aliud justum Dei judicium Mahumetanis victorium de arce illa permisere. Alioqui nunquam, & nusquam Mahumetanos Christiani vincere possent, cùm semper Mahumetum, atque ejus sectam conviciis ac maledictis incessant.

Postremò, id quod de Cosroe, Heraclio, & Almacuco refertur, vel est fabula, vel mera Auctoris opinio. Nec est quod in hoc ad Mahumeti epistolas honorificè, vel contumeliosè exceptas recurramus; neque ullo modo credendum est, Heraclium Imperatorem Christianum tàm potentem, ac tàm religiosum, unius, nescio cujus, præsonis Arabis impias literas honorasse, & ne quidem excipere dignatum esse. Quòd verò Cosroæ Regnum convulsum fuerit, Heraclii verò, & Almacuci Imperium creverit, aliis causis tribuendum est. Quamvis in eo, quod ad Heraclium spectat, Adversarius sibi contradicit. Inferius enim inter Mahumeti vaticinia ponit, prædictionem ejus de excisione Imperii Heraclii, ut videbimus.

Octava species fuit في اجابة دعوته واجابة الدعا
منة ما يكون اجبته معتادة لكثير من عباد الله
كالاغناء والعافية ونحو ذلك ومنه ما يكون الدعى
به من خوارق العادات كتكثير الطعام والشراب

&c. *in exauditione precum ejus. Hæc autem exauditio vel est consueta multis aliis servis Dei, quæ obtinentur divitiæ, vel sanitas, vel alia hujusmodi: vel est supra consuetudinem, quemadmodum multiplicare cibum, & potum, &c.* Horum miraculorum multa affert exempla.

Primò, Mahumetus ipse dixit, se tria à Deo postulasse: primum, ne in totum deslrueret gentem suam (nempe Arabes). Secundum, ne permitteret alios imperare genti suæ, vel gentem suam illis indigere. Tertium, ne permitteret inter suos bella civilia. Dixitque, se in duobus primis exauditum fuisse: tertium autem sibi negatum; imò revelatum sibi, non cessaturas esse inter eos bella civilia, usque ad diem Resurrectionis.

Secundò. Obtinuit precibus suis cuidam, qui vocabatur Anas filius Malec, adeò ingentes divitias, ut omnium Mahumetanorum opulentissimus evaderet. Hortum etiam illi impetravit, seu nemus palma-

Digitized by Google

marum, quæ bis in anno fructus afferebant, & efflabatur ab eodem horto halitus, quasi odor muſci.

Tertiò. Impetravit precibus ſuis, ut mater Abu-Horeiræ, quæ erat Ethnica, & Mahumetum maximè oderat, fieret Mahumetana: ut tàm ipſa, quàm filius ejus, ab omnibus ſuis aſſeelis amarentur.

Quartò. Cùm benedixiſſet quinque drachmis auri, quas habebat Abdarrahman filius Auph, adeò opes hujus excreverunt per mercaturam, ut ſolæ fœminæ, quas captivas acquiſivit, æſtimatæ fuerint pretio trecentorum viginti millium nummorum aureorum; & uxoribus Mahumeti quadringenta nummorum aureorum millia legaverit.

Quintò. Obtinuit precibus ſuis, ut Omar Mahumetanus fieret, & per eum corroboraret ſectam ſuam: nam ſub ejus imperio dilatata eſt ſecta Mahumeti per Orientem, & Occidentem: & expugnata eſt Syria, Meſopotamia, & Ægyptus: & relata eſt victoria de exercitibus Coſroæ, & Cæſaris.

Sextò. Seceſſerat Mahumetus ad exonerandum ventrem: porrò Ebn-Abbas clam ſecutus eum, appoſuit illi vas aquæ, qua obſcœnas partes poſſet abluere. Cùm verò reſciſſet Mahumetus Ebn-Abbaſum hæc in ſe urbanitate uſum fuiſſe, amplexatus eſt eum, & precatus eſt Deum, ut infunderet illi omnimodam ſcientiam tàm circa religionem, quàm jus civile. Tantaque in eo fuit utriuſque juris ſcientia, ut vulgò البحر *Mare* vocaretur: nempe *ſcientiæ*.

Septimò. Dum Geber iter faceret, camelus, cui inſidebat, lentè, languidèque incedebat. Affecutus eum Mahumetus, fuſte percuſſit camelum, oravitque pro eo: ille verò cœpit currere velociùs, quàm unquam antèà. Deinde interrogavit Geberum, quomodo ſe haberet camelus: ille verò reſpondit: Optimè: jam venit ſuper illum benedictio tua. Cui Mahumetus dixit: Vendes igitur illum mihi.

Octavò. Oravit quondam pro Saado, ut rectè jaceret ſagittas; & obtineret quidquid à Deo petiiſſet. Numquam verò Saadus jaculatus eſt, quin ſcopum attingeret; nec unquam precatus eſt, quin exaudiretur.

Nonò. Ægrotabat Aly, gravique dolore cruciabatur. Inviſit eum Mahumetus, juſſitque ſurgere: Surrexit ille, nec amplius ſenſit eum dolorem.

Decimò. Induit quondam tunica nova fœminam quamdam, quæ Ommochaleda vocabatur, orans Deum, ut tunica illa diù duraret. فتقبت حتى تبلى *& bona, & integra perſeveravit tunica, donec attrita eſt.* Ita fit in omnibus veſtibus citra ullum miraculum.

Undecimò. Attrectavit aliquando manu ſua caput, & barbam Amrui, dicens: O Deus, fac illum pulchrum, & conſerva pulchritudinem ejus. Amrus verò perſeveravit pulcher, nec in barba ejus capilli cani, niſi pauci, apparuere, quamvis eſſet octogenarius.

Duodecimò. Cùm palparet ſæpè manu timores in hominibus, vel pecoribus, illi evaneſcebant.

Decimotertiò. Attrectavit manu caput Abu-Sophianis, & benedixit ei. Porrò pars anterior capitis, quam tetigerat, remanſit nigra: reliquum autem capitis incanuit.

Decimoquartò. Homo quidam comedens cum Mahumeto, utebatur manu ſiniſtra. Admonitus ab eo, ut dextera uteretur, reſpondit, ſe non poſſe. Cui Mahumetus: Non potes, inquit? Non impedit te, niſi ſuperbia. Neque potuit ultrà admovere ſiniſtram ori ſuo. Quam, oro, ſuperbiam poterat hic habere in utendo manu ſiniſtra? Porrò erat ne hoc tàm magnum piaculum, ut eſſet tàm gravi pœna puniendum?

Decimoquintò. Prædixit cuidam, occidendum eum eſſe in bello: & ita evenit.

Ex adhuc narratis miraculis, inter quæ pleraque frivola, & ridicula ſunt, nullum eſt, quod naturaliter, vel falſtem ope Dæmonis fieri non potuerit: omnia tamen ficta, vel poſt factum prolata (quoad ea, quæ ad prædictionem ſpectant) eenſenda ſunt, ſi Alcorano, & Mahumeto ipſi credere volumus, qui ſemper proteſtatus eſt, ſe miracula nulla facere, cùm ad prædicandum tantùm, non ad miracula faciendа miſſus eſſet.

Hùc accedit, quædam hic apertè falſa deprehendi: ut, Mahumetum obtinuiſſe à Deo, ne gens ſua, nempe Arabes, ſub imperium, vel indigentiam alicujus caderent, & ut verbis ipſius utar: ان لا يسلط عليهم عدوا من غيرهم فيجتاحهم: *ne Deus imperare faceret ſuper eos hoſtem, qui non eſſet ex ipſis, itaut eos ad indigentiam redigeret*, vel, *itaut eo indigerent*. Jam enim videmus Arabes ſub imperio Scytharum, ſeu Turcarum, qui eos ad ſummam calamitatem redegere. Sed quando Auctor finxit vaticinium, non potuit hoc prævidere: adhuc enim Arabes imperabant. Quòd verò præviderit, futura eſſe inter ſuos diſſidia, & bella civilia uſque ad diem Reſurrectionis, idem prædixerat ſuprà de Chriſtianis, ac Judæis: itaque vel falſa eſt hæc prædictio de Arabibus ſuis; vel nihil habet ſpeciale, ut ipſe vult nobis perſuadere, illa de Chriſtianis, ac Judæis. Sed quid magni eſt, hæc divinare, ac prædicere, cùm nulla ſit gens, in qua & bella, & diſſidia futura non ſint uſque ad diem reſurrectionis?

Hactenus propoſui miracula Mahumeti, quæ Ahmed filius Abdhalhalim in Apologia per claſſes recenſuit. Referam nunc alia, quæ alii Auctores in medium adducunt: & primò quæ Auctor libri اعلام الهدى *de ſignis directionis*, in Vita Mahumeti enumerat præter jam narrata. Id autem faciam ſummatim, præciſis ſuperfluis verborum parergis, & narrationis ſubſtantiâ retenta.

Primò. Die quadam petierunt Coraſini à Mahumeto miraculum in teſtimonium veritatis religionis, quam prædicabat; promittentes, ſi id feciſſet, ſe ſtatim in eum creditуros. Ille, audito priùs quod poſtulabant, dixit cuidam arbori longinquæ: O arbor, ſi credis in Deum, & in diem Judicii, & cognoſcis me eſſe legatum Dei, avellere cum radicibus tuis, & veni hùc ante me. Tunc illa avulſa cum radicibus ſuis, venit cum ſibilo, & ſtrepitu vehementi, & ſtetit ante eum. Cùmque regreſſa fuiſſet ad locum ſuum; poſtulantibus Coraſinis, juſſit ut rediret ad ſe medietas ejus, altera medietate remanente; & ita factum eſt. Deinde, iiſdem urgentibus, præcepit illi medietati, ut rediret ad alteram medietatem, & conjungeret ſe cum ea. Et illa ſtatim rediit, & conjuncta eſt cum ſua medietate. Sed Coraſini, totum tribuentes arti magicæ, renuerunt credere in eum. Sapiebant Coraſini.

Secundò. Mulgens manibus ſuis ovem macie confectam, tantam lactis copiam ex illa expreſſit,

ut magna turba hominum ex eo fatiata fuerit. Iterúmque mox eam mulgens, vas amplum lacte implevit ad alios totidem exfaturandos.

Tertiò. Cùm Meccani Mahumetum Mecca fugientem insequerentur, Deus ita eorum oculos excæcavit, ut nulla fugæ ejus vestigia possent agnoscere. Cùmque is in spelunca confugisset; Deus misit araneas, quæ tegumento telarum suarum os spelunca operuere. Quamobrem illi de eo inveniendo desperantes, regressi sunt. Præterea misit Deus duas columbas silvestres, quæ steterunt in ore spelunca. Deinde venerunt alii Meccani armati fustibus, & gladiis; & cùm vidissent columbas illas in ore spelunca, putaverunt nullum intus latere: quamobrem & illi regressi sunt. Mahumetus autem benedixit columbis illis, & destinavit illis mercedem suam. At illæ avolantes, ad Templum Meccanum descenderunt. Alii addunt, Deum misisse Angelum, ut Mahumetum in spelunca tueretur.

Nota hic obiter, Lector, superfluas fuisse aranearum telas, si Deus ita Meccanos excæcaverat, & custodem Angelum illi apposuerat: Columbas verò in ore spelunca stantes, potiùs signasse intus aliquem latere, cùm ipsæ ingredi non auderent: præsertim cùm, visis Meccanis, inde avolaverint, cùm potiùs in spelunca se condere debuissent. Præterea solæ aranearum telæ satis erant ad ostendendum, nullum esse in spelunca, nec ullum opus erat columbis.

Quartò. Mulier quædam Judæa, sciens Mahumetam harmis ovinis maximè delectari, obtulit ei hujusmodi harmum veneno infectum. Ille convocatis Sociis, prior ex eo comedit, deinde aliis dedit comedendum. Postquam verò ille comederat, harmus locutus est ei, dixitque, se esse veneno infectum. Cæteri periere; ille verò aliquandiù vixit, sed vim veneni identidem experiebatur: & brevi ex eo mortuus est. Melior propheta fuit harmus ovis, quàm Mahumetus, sed tamen inurbanum se ostendit, quia non præmonuit eum antequam comederet. Verùm quia Mahumetus erat nimis gulosus, non potuit expectare, dum harmus eum præmoneret. Vocabatur fœmina illa Zaineba filia Hareth: & interrogata cur id feciſſet, respondit: Dixi intra me: Si hic est Angelus, non nocebit ei venenum: si autem Propheta: Deus revelabit illi. Sed cognovit neque esse Angelum, neque Prophetam, sed magnum nebulonem.

Quintò. Capreola quædam silvestris inciderat in retia. Transeuntem Mahumetum rogavit, ut dimitteret se, quò ire posset ad lactandum pullum suum. Dixit autem ei Mahumetus: Quomodo vis, ut dimittam te cum damno illius, qui est dominus retium. Promisit illa, se quantociùs redituram. Adveniente interim domino retium, Mahumetus interfecit pro capreola, & ille dimisit eam. In hujus miraculi memoriam Sacellum ibidem ædificatum fuit. Hoc miraculum inter Æsopicas fabulas meretur recenseri: & taberna pro Sacello in ejus memoriam ponenda.

Sextò. Cùm expuisset in puteum, in quo erat aqua salsa, & amara, statim erupit in aquas dulces. Cùm autem audisset hoc Mosailma Pseudopropheta æmulus Mahumeti, expuit & ipse in puteum quemdam: sed aqua illa evasit salsa, & amara velut lotium asininum: & ita perseverat usque ad præsentem diem. Merum figmentum: nam supponitur, Mosailmam, ut Mahumeti factum æmularetur, expuisse in puteum aquæ salsæ, & amaræ. Quomodo ergo cùm in eum spuisset, salsa, & amara evadere potuit? nisi fortè, quia Mahumetus sputo suo aquam amaram in dulcem converterat, ipse voluit dulcem in amaram mutare: quod certè miraculum fuisset non dissimile à Mahumetico.

Septimò. Cùm posuisset manum super caput excelleratum cujusdam pueri, sanatum est, & renati sunt capilli ejus adæquatè compositi. Hoc etiam æmulatorius Mosailma, attrectavit manu sua caput alterius pueri; & statim ceciderunt capilli ejus, & calvus factus est. Figmentum priori non dissimile: cur enim volebat Mosailma æmulari factum Mahumeti, si puer, quem tangebat, caput sanum habebat, & integrum?

Octavò. Quidam rogaverunt eum, ut imprimeret notam ovibus eorum, per quam ab aliis distinguerentur. Ille verò impressit digitum suum in radice auricularum ovium; & factæ sunt candidissimæ, & perseverat usque ad hanc diem species earum. Nimis rudes erant hi homines, qui ovibus suis aliquam notam imprimere non nossent, quod omnes pastores norunt.

Nonò. Anfugerat camela Mahumeti, & quæsita non inveniebatur: quamobrem nonnulli eum irridentes dicebant: Mahumetus prophetat nobis de iis, quæ sunt in cœlo, & ignorat ubi sit camela sua. Id audiens ille, ne populus suus scandalum pateretur, monstravit illis ubi esset camela: & ibi invenerunt eam. At si noverat ubi esset, cur anteà curaverat, ut tàm studiosè quæreretur, neque poterat inveniri.

Decimò. Quidam hydropisi laborabat. Rogavit Mahumetum, ut sanaret ipsum. Ille accepit pugillum terræ, & expuit in eam: justitque dilui in aqua, & præberi hydropico potandam: & cùm potasset eam, liber evasit à morbo suo. Potuit hoc Dæmonis arte evenire: vel figmentum existimandum est, ac mendacium; quemadmodum mendacium est, quod scribit Auctor in hoc loco; nempe noluisse Mahumetum accipere dona illius, quem ab hydropisi sanaverat, dicendo, se non accipere dona لا يقبل هدايا المشركين *Ethnicorum*, qualis erat ille, & tamen ab Ebn-Abbaso accepit servum; ab Almacuco Rege Ægypti duas ancillas, & equum, & mulam, & asinum; à Rege Alailæ item mulam; & à Cæsare vestem; cùm hi omnes pro Ethnicis ab eo haberentur. Itaque vel Mahumetus, vel Auctor est mendax.

Undecimò. Dum Mahumetus oraret, Abugehel hostis ejus, arrepto saxo, accessit clam, ut contereret caput ejus: sed statim regressus est pallidus, ac perterritus: manusque ejus ita exaruerant, ut saxum exciderit in terram. Et interrogatus à Corafinis respondit, apparuisse inter se & Mahumetum camelum, cui nunquam similem viderat, & voluisse ipsum devorare. Fabula est: sed facilè per præstigium fieri potuit.

Duodecimò. Idem Abugebel, cùm urgeretur à Mahumeto ad debitum solvendum nescio cui homini peregrino; affirmavit, se vidisse supra caput ejus draconem, qui minabatur ipsum devorare, si Mahumeto non obtemperasset. Et hæc fabula, vel præstigium.

Decimotertiò. Fœmina quædam nomine Algura filia Harbi prosapia fuerat à Mahumeto in quadam Sura, seu potiùs Satyra Alcorani; quamobrem venit irata ad eum, dum sederet unà cum Abubacro. Mahumetus timens iram fœminæ, legit quædam verba

Digitized by Google

verba Alcorani, & reddidit se illi invisibilem, atque ita mulier reversa est in domum suam. Valdè meticulosus erat Mahumetus, qui licet esset cum Abubacro viro fortissimo, adeò timuit iram unius fœminæ, ut tàm studiosè caverit, ne ab ea videretur: & tamen inter ejus miracula ponitur, quòd solus omnibus Meccanis intrepidè restiterit. Idem penè evenit illi cum Abugehelo, & nonnullis aliis, qui in ejus cædem conspiraverant. Nam quoties accedebant, ut eum occiderent, vocem quidem ejus audiebant, sed ipsum nunquam videre potuerunt: invisibilem se quippe reddiderat. Consuetum est Præstigiatoribus, se ita invisibiles reddere: quemadmodum de Apollonio Tyanæo, & aliis legimus.

Decimoquartò. Cùm Mahumetus noctu iter ageret super camelam suam per quamdam vallem plenam arboribus, somno oppressus cœpit dormitare: cùmque camela in arborem quamdam sedri incidisset, divisa est arbor in duas partes, & camela per medium earum transivit: atque ita divisa remansit usque ad hanc diem; & vocatur سدرة المنتهى *Sedrus Prophetæ*. Mirum est, quòd camela Mahumeti in unam tantùm arborem inciderit, ubi plurimæ, ac confertæ reperiebantur; & quòd vel ad dexteram vel ad sinistram illius deflectere non potuerit. Quòd verò ad hoc miraculum probandum adducatur, post tot annos, arbor illa divisa, valdè ridiculum est. Innumeræ visuntur arbores ita divisæ ab ævo immemorabili, per quas tamen nullus Propheta cum camela transivit.

Decimoquintò. Erat quidam nomine Valid, senex longævus, & eruditissimus, ac doctissimus inter Meccanos, cui cæteri eruditi recitabant opera sua; & ea sola probabantur ab omnibus, quæ ipse probasset. Deridebat hic Mahumetum, & ejus Alcoranum: nihilominus rogavit eum aliquando, ut sibi aliquid ex eo legeret. Ille verò legit ei ea verba: بسم الله الرحمن الرحيم . *In nomine Misericordis, Misericordiosi*. Cùm autem audisset Valid nomen *Misericordis*, quod Arabicè est الرحمان : Alrahman, in profusos risus erupit, putans Mahumetum habere ut Deum, quemdam hominem Jemanitem, qui vocabatur Alrahman. Sed cùm Mahumetus mentem suam apperuisset: Valid rogavit eum, ut aliquid aliud legeret sibi ex Alcorano. Legit igitur illi ea verba: فان اعرضوا فقل انذرتكم صاعقة مثل صاعقة عاد وثمود . *Quòd si tergiversati fuerint, dic: Comminatus sum vobis flammam fulgurantem, similem illi, quæ invasit Adæos, & Themudæos*. Cùm autem hoc audisset Valid, horripilavit pellis ejus, & steterunt capilli capitis ejus, & barbæ ejus, & surgens discessit. Interrogatus deinde, quid audisset ex Alcorano: an versus? Non, inquit. An solutam orationem? Nequaquam, inquit: quia soluta oratio est sermo unitus, & simul connexus: sed id, quod audivi, est sermo dispersus, & sine ulla compagine, aut nexu, neque una pars habet similitudinem cum alia, & tamen habet aliquam venustatem. Dixerunt ei: Est ne ariolatio? Nequaquam, inquit. Quid ergo, malum, est? Respondit Valid: Sinite me, ut recogitem. Postera die interrogatus quid esset: Respondit من سحر قلبه لحد بقلوب الناس ; *Hæc est magia, nam captivat corda hominum*.

Erant Arabes Meccani rudes, & idiotæ, sicut cæteri Arabes, ut patet ex testimonio ipsius Alcorani, in quo non semel vocantur الاميون *Idiotæ*. Quamobrem nescio unde eruperit iste Valid Archimandrita Eruditorum: qui quàm doctus esset patet ex eo, quòd audiens ea verba: *In nomine Dei Misericordis*; putavit hominem Jemanensem, qui *Misericordis* vocabatur, haberi à Mahumeto pro Deo. Nam quis inter nos, etiam ignarissimus, audiens aliquem dicentem: *In nomine Dei Benedicti*, putaret, hominem quempiam, qui Benedictus diceretur, haberi à quoquam pro Deo? Sapnit porrò Valid, cùm pronunciavit, Alcoranum esse sermonem dissutum, malèque compaginatum: multòque magis, quando affirmavit esse Magiam.

Decimosextò. Corasini communi consilio Mahumetum anathematizavere; & Decretum anathematis in Templi Meccani tholo suspenderunt. Sed Deus misit vermiculum, qui corrosit in Decreto quicquid erat iniqui, & tyrannici; reliquitque intactum nomen Dei tantummodo. Revelavit id Gabriel Mahumeto; & hic manifestavit Abu-talebo patruo suo; qui surgens perrexit ad Corasinos, significavitque eis id, quod à nepote audierat. Illi verò inspexerunt Decretum, & viderunt in eo omnia corrosa, & abolita præter hæc verba باسمك اللهم *In nomine tuo, ô Deus*. Sed hanc esse fabulam probat, quòd Corasini Deos suos اللات والعزى *Ellatam, & Elozam* adorabant: quare non nomen الله, ideſt *Deus*; quem, illis contradicentibus, Mahumetus prædicabat; sed nomina Deorum suorum debuissent Decreto præfigere. Deinde Ahmed filius Abdalhalimi refert hoc miraculum opposita ratione, affirmans versum corrosisse omnia nomina Dei, quæ erant in Decreto, & cætera omnia reliquisse: & ita dixit Abutalebus Corasinis, se audisse à nepote suo Mahumeto: ان ابي اخبرني وهو يكذبني ان الله عز وجل نزى من هذه الصحيفة التي في ايديكم وبقي كل اسم هو له فيها وترك فيها غدركم: *Certè filius meus* (1. nepos) *quem nunquam mendacem reperi, prædixit mihi, Deum potentem & gloriosum, immunem esse ab hoc vestro Decreto: ac propterea delevisse omnia nomina sua, quæ erant in illo, solùmque reliquisse ea, quæ pertinent ad perfidiam vestram*. Cui ergo ex his credamus? nulli.

Decimoseptimò. Convenerunt Corasini in Curiam, decreturi quid contra Mahumetum esset agendum. Interfuit cum eis etiam Diabolus in forma senis cujusdam magnæ auctoritatis: & ex ejus consilio elegerunt quindecim viros, qui Mahumetum domi occiderent. Id Deus illi revelavit: cùmque viri clam domum ejus essent ingressuri, Mahumetus posuit Alym generum suum in stratu suo, & vestes suas cum eo commutavit, clanculumque domo aufugit. Cùmque juxta eos transiret, recitavit nescio quæ verba Alcorani; & deinde accipiens pugillum pulveris, sparsit super eos, statimque in soporem versi sunt. Mahumetus verò, duce Gabriele, arri-

Digitized by Google

puit iter Medinam versus. Viri porrò illi domum Mahumeti ingressi, videntes se illusos esse, cùm Alym tantummodo in lecto Mahumeti, vestibus ejus indutum, repersisset, vehementer indignati sunt, & ipsum Alym probè pulsavere, ac vulneravere. Quis non agnoscit hìc figmentum? Erat scilicet Diabolo tantum otium à rebus suis, qui Corasinorum negotia curaret? Sed esto. Si Mahumetus obmurmuratis aliquot versiculis Alcorani, potuit se hostibus suis invisibilem reddere, eosque pulvere jacto in soporem vertere: quid opus erat, Alym in strato suo ponere, & vestibus suis induere, miserumque generum injuriis, verberibus, & vulneribus exponere? Numquam audivi ludicrum hoc jucundius.

Decimooctavò. Cùm homo quidam Medinensis, nomine Abdallah, rejecisset Mahumetum profugum ab hospitio suo, Deus punivit illum, & universam cognationem ejus, immittendo formicas exiguas, quæ demolitæ sunt domos eorum, itaut coacti sint apud alios hospitium quærere. Potuit hoc naturaliter, vel virtute Dæmonis evenire: nam in historiis legimus, & ego ipse vidi, non solùm domos, sed oppida à formicis, non quidem demolita, sed habitatoribus evacuata fuisse, itaut paulatim corruerent.

Decimononò. Camela Mahumeti, cùm ipse invitaretur à Salemitis, quæ erat familia Medinensium; genua flexit ante Oratorium eorumdem Salemitarum, ubi ipse erat mansurus. Nullum est hìc miraculum: Cameli enim genuflectunt, ubi onera deponunt, atque ita refertur, camelam Mahumeti genua flexisse, ubicumque is consistere volebat: nisi fortè hoc arte Dæmonis contigerit.

Vigesimò. Cùm Alabbas adhuc Ethnicus captus à Mahumetanis in bello Bedrensi, negaret esse apud se pecunias, quibus se posset redimere; dixit ei Mahumetus: Ubinam sunt pecuniæ illæ, quas deposuisti in Mecca apud matrem Phadeli, cùm nullus esset vobiscum: & mandasti, si mortuus fuisses in itinere, quod tunc suscipiebas, ut hæ pecuniæ trade-rentur duobus filiis Phadeli? Non mirum est, Mahumetum hæc divinasse: fortasse enim mater Phadeli (ut mos est fœminarum) id quod interse, & Allabasum transactum erat, jam per totam viciniam deblateraverat. Cæterùm, per Dæmonum suggestionem, multa etiam occultissima facillimè divinantur.

Vigesimoprimò. Dathur Princeps Arabum nactus est Mahumetum sub arbore quadam jacentem: cùmque gladium elevasset, ut eum occideret, vidit (ut ipse postea asseruit) virum quemdam albis vestibus indutum, statura procerum, qui percussit eum in dorso, itaut caderet retrorsum: erat autem hic Gabriel. Quamobrem pœnitentia ductus, factus est Mahumetanus. Vel vir ille procerus fuit aliquis malus Genius, vel nullus fuit.

Vigesimosecundò. In bello Obodensi vulneravit quemdam nomine Obaiam, quem jam anteà præ-dixerat, se esse occisurum. Itaque ex hoc vulnere paulòpost mugiens tamquam taurus, interiit. Nullum hìc est miraculum. Plures aliis minantur mortem, quam deinde illis inferunt.

Vigesimotertiò. Cùm Mahumetus graviter vulneratus fuisset in facie in bello Obodensi, regressus ad suos, excipiebat manu sanguinem è vultu fluentem, & in aerem jaciebat, nec quicquam illius redibat in terram. Tres autem, qui percusserant, ac vulneraverant eum, miserè perierunt. Nihil est hìc, quod miraculi nomen mereatur: cùm potuerit sanguis ille arte Dæmonis per aerem diffundi, & evanescere: & hi tres ex alia causa, vel etiam opera Dæmonum perire. Verùm ad quid jactatio illa sanguinis in auras?

quia (inquit Abubacar) لئى مقط منه على الارض *si quid ex eo in terram cecidisset, لنزل العذاب flatim descendisset pœna à Deo.* Sed hoc est temerè divinare. Neque probabile est, eo ipso tempore, quo Mahumeti facies discissa fuit, nihil sanguinis in terram cecidisse, quemadmodum ceciderunt duo, vel quatuor dentes, qui illi discussi fuerunt; nec tamen descendit pœna ulla à Deo.

Vigesimoquartò. Erat quidam inter affectus Mahumeti, nomine Cozman, qui & egenos eleemosynis sublevabat, & pro religione strenuè pugnabat; & nihilominus prædixit Mahumetus, hunc esse Gehennæ destinatum. Cùm autem in bello pugnaret, vulneratus est, & domum regressus, ex dolore vulneris seipsum sagitta interemit. Et antequam moreretur, confessus est, se non pugnasse, nisi propter existimationem gentis suæ. Audiens hoc Mahume-

tus dixit اشهد اني رسول الله *: Testificor, me certè esse Legatum Dei.* Non dubito hoc esse Moslemi alicujus otiosi inventum. Si tamen verum fuisset, respondendum esset, Mahumetum, cùm expertus fuisset Cozman illum in pugnando eervicosum, ac refractarium, & in eo quod boni faciebat, vanum, fuisque jactatorem; facilè potuisse illi comminari Gehennam. Cæterùm, pugnare pro existimatione gentis suæ, non est peccatum, quod mereatur Gehennam, ne in sententia quidam ipsorum Moslemorum, qui

peccata inter الكبائر والصغائر *magna, & parva*, seu levia, & gravia ex lumine naturæ discernere noverunt. Neque seipsum ad aliquod grave malum fugiendum interimere, peccatum, quod Gahennam mereatur, apud Mahumetanos esse censetur. Major certè fuit vanitas Mahumeti, cùm tàm jactanter testificatus est, se esse Legatum Dei, quàm Cozmanis, quando pugnavit pro existimatione gentis suæ. Cæterùm, cùm prædestinatio sit unum ex arcanis Dei, videbimus infrà ex auctoritate Albocharii, Mahumetum hujusmodi arcana penitùs ignorasse.

Vigesimoquintò. Promiserat Deo quidam Moslemus nomine Asem, se nunquam tacturum ullum infidelem, neque pasturum, se tangi abillo. Cùm autem occisus fuisset ab Hadilensibus infidelibus, & hi vellent caput ejus abscindere, ut venderent Salmæ filiæ Saad, quæ voverat, si habere potuisset caput ejus, se bibituram in cranio ejus: misit Deus examen apum, quæ constituerunt inter cadaver Asemi, & Hadilenses, itaut hi non possent ad illud accedere. Deinde misit Deus torrentem, qui abstulit & avexit ab eis idem cadaver. Hìc nullum Mahumeti miraculum video: fabulam tamen alicujus nebulonis agnosco: nam si Deus ad servandam promissionem Asemi miserat examen apum, ne infideles possent eum attingere: quid necesse fuit mittere torrentem, qui cadaver ejus auferret? Satis porrò erat auferre illud statim torrente, sine illa apum immissione.

Vigesimosextò. Judæus quidam Mahumetum exceperat (qui venerat ad eum nescio quid fœnori petiturus) fatis benignè. Sed hìc, cum aliis Judæis locis suis, decrevit illum occidere. Revelavit id Gabriel

Digitized by Google

briel Mahumeto, qui simulans, se ventris exonerandi necessitate urgeri, illicò surrexit, & aufugit in Medinam. Significavit hoc totum cæteris Judæis Abdallah filius Suriæ, qui erat inter eos doctissimus; simulque prædixit, venturum quamprimùm nuncium Mahumeti, qui juberet Judæos omnes emigrare ex Arabia: id quod mox factum est. Potest hoc totum concedi, præter revelationem illam Gabrielis. Mahumetus enim non ex revelatione Gabrielis, sed ex eo quod persenserat de fraude illorum Judæorum, sub excusatione ventris exonerandi, aufugit in Medinam. Poterat sanè honestiorem aliquam aliam causam prætendere discessus sui: sed, ut puto, jam vulgatum erat, nullum gravius, aut frequentius negotium esse Mahumeto, quàm ventris superfluum onus deponere; satis quippe lautè epulabatur. Neque verò probabile est, Mahumetum tàm divitem & opulentum, opus habuisse petere aliquid fœnori à Judæo.

Vigesimoseptimò. Cùm Moslemi ad commodè oppugnandos hostes foveam effoderent (quamobrem illud appellatum fuit غزوة الخندق *bellum Foveæ*) inciderunt in quosdam lapides, seu terram solidiorem, quam ægrè poterant liginibus dimovere. Admonitus de hoc Mahumetus postulavit vas aquæ, & quibusdam verbis submurmuratis, expuit in illud: deinde effudit vas super terram illam, quæ statim mollis evasit, itaut facillimè dimoveretur. Cùm verò Mahumetus ipse effodiens terram, ligone ter percussisset, ad singulas vices fulgetrum sub ictu corruscavit: dixitque, primum fulgetrum indicasse, se fore victorem Arabiæ Felicis: secundum, Syriæ, & Occidentis: tertium, Orientis. Primum ficti potuit opera Dæmonis. Secundum etiam vel ex Dæmonis suggestione, vel casu potuit evenire. Notum est, quantam hujusmodi auguriis etiam veteres Ethnici fidem præstarent. Sed tamen de Mahumeto hæc verificata non sunt.

Vigesimooctavò. Arinenses quidam occiderant pastores, & abduxerant camelos Mahumeti, qui curavit eos capi, & adduci ad se; & adductis præcidit manus, ac pedes, candentique ferro oculos excæcavit, reliquitque eos in hoc supplicio, donec morerentur. Sed Geber filius Abdallah scribit, Mahumetum illis maledixisse, precatumque fuisse Deum, ut eos excæcaret; & statim excæcatos fuisse. Primum (quod refertur ex Alvacadio) puto verissimum fuisse. Quod verò addit Geber, est figmentum ad cohonestandam barbariem ac sævitiam Prophetæ sui. Ita Mahumetani, vel ipsa Mahumeti atrociora facta in miracula commutant. & tu Lector *crimine ab uno disce omnes*.

Vigesimonono. Aliasir Judæus bacillo adunco proscidit vultum Abdallah filii Anis. Expuit Mahumetus in vulnus ejus, nec læsionem sensit ex eo usque ad mortem. Valdè pituitosus homo erat Mahumetus, qui tàm frequenter ad miracula patranda sputo utebatur: sed fine ejus sputo poterat Abdallah etiam arte chirurgiæ facilè sanari.

Trigesimò. Prædixit mortem trium è suis, antequam nuncius de illa adveniret. Multa eximere possunt à miraculo hanc prædictionem, si tamen vera fuit; quod non credo.

Trigesimoprimò. Scioaib filius Othman, ulturus mortem patris, & patrui sui, quos occiderat Alygener Mahumeti in bello; tentavit occidere ipsum Mahumetum, quem viderat armis spoliatum: sed cùm eum esset aggressurus, sensit obscurari & obtenebrari sensus suos: nec potuit efficere quod decreverat: ex quo intellexit, illum divinitùs custodiri. Hoc refert Mohammed filius Isaac ex ore ipsius Scioaib. Sed Acrama narrat alio modo ex ore ejusdem Scioaib. (Abii, inquit, ut peterem Mahumetum à parte dextra; & ecce vidi ibi Abbasum patruum ejus, indutum lorica alba, simili argento. Quamobrem accessi, ut peterem eum à parte sinistra: sed vidi ibi Abu-Sophianum, qui item erat patruus ejus. Quamobrem appetii eum à tergo, neque aliud supererat, nisi ut eum gladio pereuterem; cùm extulit sese flamma ignis inter me & illum: quare timens ne combureret me, retrogrado passu recessi. Conversus autem Mahumetus dixit mihi: O Scioaibe, Scioaibe, adesdum hùc ad me. O Deus, abige ab eo Satanam. Tunc ego elevavi oculos meos ad illum, & sensi excitari in me amorem in illum.) Verissimum est proverbium illud tritum: Facilius deprehenditur mendax, quàm claudus. Ex ore ejusdem Scioaibi, & ipsiusmet verbis, tàm diversimodè factum idem refertur, ut duo prorsus diversa esse videantur. Deinde non potest intelligi, quomodo Scioaibus primò Mahumeti latus dexterum, postèà sinistrum, & postremò tergum appetierit, si non erat aliquis molossus, qui aprum, vel taurum invaderet. Porrò impossibile est, quocumque modo accesserit, vel à dextris, vel à sinistris, non fuisse à Mahumeto prævisum, & tamquam hostem, & Ethnicum ipsi notissimum, vel occisum, vel repulsum. Sed esto fraudulenter accesserit. Ubi vidit ad dexteram Mahumeti repentè tamquam fungum erumpere Alabbasum armatum, quomodo non est tanto prodigio conterritus? vel saltem quando vidit Abu-Sophianum à sinistris subitò apparere, quomodo tunc saltem non se proripuit? Quòd si hi duo non subitò apparuere, sed anteà erant ibidem, quomodo tàm orbus fuit, ut eos non videret? Illud etiam libet scitari: per quamnam partem à dextera Mahumeti ad sinistram pertranserit. Si à parte anteriori: Mahumeti oculis se exponebat. Si à tergo: non erat quòd sinistram adiret, cùm à tergo posset tutiùs illum appetere, quemadmodum postèà tentavit. Nullo modo intelligi potest, qua ratione ista cohæreant, si vel Mahumetus non erat stipes, aut frutex, vel Scioaibus invisibilis.

Trigesimosecundò. Conquestus est quidam apud Mahumetum, quòd cùm legeret Alcoranum, Dæmon interponeret se inter ipsum, & lectionem ejus. Respondit ei Mahumetus: (Dæmon iste vocatur خنزب *Hotrob*: cùm ergo venerit ad te, confuge ad Deum, & expue ter à sinistris tuis.) Hoc ille fecit, & aufugit Dæmon. Si hoc evenit (quod non credo) fuit Dæmonis ludificamentum, non tamen novum; nam alibi novimus, Dæmonas ad homines decipiendos, joculariter inter se pugnare, ac diffidia fingere, Spiritus boni ac mali personam assumendo, non secus ac si rem comicam agerent. Illa certè trina sputitio à sinistris magnam redolet superstitionem.

Trigesimotertiò. Duo homines Temimenses, quorum unus vocabatur Amer, alter verò Arbad, conjuraverant inter se de Mahumeto occidendo. Cùmque id illis non successisset, juravit Amer, se devastaturum totam illam regionem, in qua erat Mahumetus, ipso hoc audiente, & Deum precante, ut se contra eos adjuvaret. Cùm verò illi dixissent, Amer per viam pestè interiit, Arbad verò

Digitized by Google

à fulgure incensus est cum camelis suis. Oravit autem Mahumetus Deum, ut pro his duobus, duos sibi equites Arabes concederet: & quod petierat obtinuit. Nihil est, quod naturaliter fieri non potuerit, saltem opera Dæmonis, qui sine dubio Mahumeti partes pro viribus adjuvabat. Sed nihil eredo.

Trigesimoquarto. Prædixit euidam, cujus nomen erat Zeidus, ipsum moriturum esse ex calore Medinæ (est genus morbi) vel ex febri. Cùm autem hic pervenisset in regionem Naged, mortuus est ibi ex calore Medinæ. Non arduum est, ex quibusdam signis, non solùm Dæmonibus, sed etiam hominibus, alicujus morbum, seu mortem propinquam cognoscere. Debuit tamen talis ac tantus Propheta morbum illum determinare, non autem ponere sub disjunctione.

Trigesimoquintò. Venerunt ad Mahumetum Legati Nagerani, qui erant Christiani, inter quos erat Episcopus eorum nomine Abu-Haretha. Cùmque de Christiana religione multa eum eo disseruissent, confessi sunt, ut in craftinum simul convenirent; & Christiani cum Episcopo seorsim, Mahumetus verò cum suis seorsim imprecarentur sibi mutuò maledictionem Dei, ad discernendam veritatem utriusque religionis. Cùm autem simul convenissent, vidit Abu-Haretha Mahumetum suos præcedentem, & procumbentem in genua, & dixit: (Per Deum, genuflexit sicut genuflectebant Prophetæ, cùm anathema in aliquem ferre volebant,) Expavit igitur, nec ausus est Mahumeto maledictionem Dei imprecari, affirmans, se vidisse virum quemdam properantem ad anathema contra se ferendum: & le timere, ne si ipse maledicta in Mahumetum conjecisset, ille homo contra se maledicta rejiceret; sicut reverà evenisset: neque Christiani illi cœlestem ultionem evasissent. Itaque pacem inter se inierunt, cum pacto, ut Nagerani darent Mahumeto bis mille vestes duplices. Deinde dixit Mahumetus Episcopo Abu-Harethæ, sibi visum fuisse, illum semissomnem imponere præposterè ephippia eamelæ suæ. Cùm ergo rediisset Abu-Haretha, manè surrexit è lecto, ut sterneret camelam suam, posuitque super eam ephippia præposterè. Cùmque hoc animadvertisset, dixit: (Testificor Mahumetum esse Legatum Dei.) Quid ad has nugas respondeas? Satis sit risus pro responsione.

Trigesimosextò. Refert Alamas dixisse Alym: (Misit me Mahumetus judicem ad Jemanenses: & ego dixi: O legate Dei, mittis me juvenem, ut sim Judex eorum: ego verò nescio quid sit judicium. Tunc percussit manu sua pectus meum, & ait: O Deus, dirige cor ejus, & confirma linguam ejus. Et juro per Deum, in eujus manu est anima mea, me nunquam dubitasse in judicio inter duos ferendo.) Non erat opus magna scientia ad judicia inter rusticas illas gentes exercenda. Cæterùm quòd Aly in judicando inter duos nunquam dubitaverit, potuit non tàm ex scientia, quàm ex ignorantia provenire. Nulli fidentiùs litem decidunt, quàm qui sunt ignarissimi. Bartolus interrogatus de sero, respondebat de mane; quia scilicet, utpote doctissimus, in ferenda sententia minimè præceps erat, quia dubitabat.

Trigesimoseptimò. Mahumetus in extremo vitæ constitutus, prædixit Phatemæ filiæ suæ, ipsam non longè victurum post eum, sed brevi patrem suum assequuturam: id quod verè evenit. Potuit hoc ex conjecturis, vel ex casus naturalibus divinare: vel casu evenit, sicut ipse casu fortasse prædixerat.

Trigesimooctavò. Ommosalma posuit manum suam super pectus illius, die qua mortuus est, & contraxit manus odorem musci, quem nullis lotionibus potuit unquam auferre. Monstra referunt quidam Auctores de hoc odore Mahumeti. Fundamentum dedit fabulæ (quam Arabes ipsi prudentiores fatentur) quòd perpetuò odoribus, & unguentis se perfunderet, ad evitandum pravum halitum rusticorum illorum, inter quos versabatur. Quòd si tàm suavem in se ipso odorem habebat, non erat cur tam frequenter extraneis se odoribus perliniret, ut in ejus Vita legimus eum fecisse.

Trigefimonono. Desponsaverat sibi Mahumetus fœminam quamdam de gente Marræ: dixitque ei pater Sponsæ, filiam suam esse leprosam, nec tamen erat talis. Cùmque pater rediisset domum suam, invenit eam verè leprosam. Mirum, quòd tantus Propheta non præviderit, puellam illam non esse leprosam. Magis verò mirum, quòd homo ille noluerit tradere filiam suam Mahumeto, qui jam summo Principatu potiebatur, eratque erga fœminas tàm benignus, & clemens. Mirissimum denique, ut ita dicam, quòd hic homo rem assereret Prophetæ suo, in qua poterat ab eo facillimè mendacii deprehendi, & severissimè puniri, cùm lepra sit malum extrinsecum, & cnilibet patens.

Hactenus retuli ea miracula, quæ in Auctore libri *De Signis Directionis* reperiuntur. Nunc ea referam, quæ Ismael filius Aly, vulgò هبنقـــــلا *Sciabinsciah* scribit in vita Mahumeti, præter ea, quæ suprà commemorata sunt. Inter hæc

Primum est (& quia maximum, Arabicis Auctoris ipsius verbis hic ponam)

ومنها رجوع الشمس له حين كان راسه في حجر علي وهو يوحي اليه فلم يصل علي العصر حتي غربت الشمس فقال اللهم انه كان في طاعتك وطاعة رسولك فاردد عليه الشمس: قالت اسما فرايتها طلعت بعدما غربت ووقعت على الجبل.

Et ex his miraculis unum fuit regressus Solis pro eo, cùm teneret caput suum in sinu Aly excipiens Divinas revelationes: neque Aly persolvisset orationem pomeridianam, jamque Sol ad Occasum pervenisset. Et ait: O Deus, hic fuit in obedientia tua, & in obsequio Legati tui. Fac igitur, ut Sol regrediatur in gratiam ejus. (ut scilicet possit persolvere preces pomeridianas). *Et dixit Asma* (hæc erat uxor Mahumeti): *Ego vidi oriri Solem postquam occubuerat, & stare supra montes.* Grande sanè miraculum, quod olim à Josue patratum, universum orbem inastuporem adduxit. Sed grande etiam mendacium, quod Mahumetani ipsi prudentiores cognoverunt, & confessi sunt. Audi Ahmedum filium Abdolhalimi, qui Mahumeti miracula omnia, ut suprà vidimus, expisceatus est

وكذلك ما نقل طائفة من اهل العلم ان الشمس ردت لما نامت عليها بكون النبي من دام في حجره وجعل بعضهم هذا من المعجزات وليس هذا الحديث في شيء من كتب العلماء التي يعتمدون على

Digitized by Google

على ما فيها من المنقولات لا الصحاح ولا المسانيد ولا التفسير ولا المغازي ولا السير ولا غير ذلك بل بين اهل العلم بالحديث ان هذا كذب وليس له اسناد واحد صحيح . *Et similiter id quod scripserunt quidam ex Professoribus scientiæ, quòd Sol regressus fuerit, cùm utrique* (nempe Mahumeto & Aly) *præteriisset tempus orationis pomeridianæ, eo quòd hic soporatus fuisset in sinu ejusdem Aly. Et nonnulli ex illis posuerunt hoc inter miracula ejus. Sed non est hæc historia in ullo Auctorum Moslemorum, quibus innituntur qui hoc scripserunt: neque adducuntur pro eo voces historiæ, neque allegationes, neque expositiones, neque aliquid, quod inveniatur in præliis, & Vita Mahumeti, aut alibi: imò inter peritos in historiis hoc habetur pro mendacio, neque habet ullam auctoritatem, aut veritatem.* Nihil mihi superest contra hoc figmentum dicendum, cùm tàm validè Adversarius ipse pugnet pro me. Et tamen (vide Mahumetanorum impudentiam) præter auctoritatem *professorum scientiæ*, produeitur in testem veritatis mulierecula, quæ asserat, se hoc miraculum vidisse. Sed non omninò hæc mentita est: nam & ego vidi, & quotidie video oriri Solem postquam occubuit, & stare supra montes.

Secundo. Prædixerat Mahumetus Corasinis die, qua regressus fuit è cœlo, mercatores eorum adventuros esse feria quarta ante occasum Solis. Sed cùm Sol esset prope occasum, nec mercatores advenirent, (bellum sanè prophetam) Oravit Deum, ut prolongaret diem per unam horam: cohibitusque est Sol, ne occumberet, donec advenirent mercatores. Figmentum, & mendacium magnum, non dissimile præterito: cujus tamen Ismael nullam in testem mulierculam adduxit.

Tertiò. Transibat quadam diem per locum, in quo Proceres Corasinorum consederant, de nece illius decreturi. Cùmque ille transiret, clausserunt oculos suos, ne illum viderent, neque ullus ei assurrexit. Mahumetus verò pugillum pulveris acceptum conjecit in eos dicens: شاهت الوجوة *Deformentur facies.* Nec fuit ullus ex eis, ad quem pulvis ille pervenit, quin occisus fuerit in bello Bedrensi. Si Proceres illi convenerant, ut Mahumeti necem decernerent, mirum est, quòd illum in manibus habentes, & quidem solum, oculos clauserint, ne eum viderent. Oportuisset verò, Ismaelem exhibere nobis catalogum eorum, qui pulvere conspersi sunt, & eorum, qui in bello Bedrensi sunt occisi, ut facti veritatem rescire possemus.

Quartò. Expressit lac copiosum ex capella, quam nunquam consenderat hircus. Utrum hoc naturaliter possit evenire, dubium mihi est. Certum tamen habeo, Dæmonis ope fieri potuisse.

Quintò. Ex alia capella tantam lactis copiam manibus expressit, ut totus exercitus sitim, quam experiebatur, bibendo extinxerit. Figmentum superiori non dissimile.

Sextò. Oravit pro Aly, ut Deus immunem redderet eum à calore, & frigore. Et Deus exaudivit eum. Fortasse hoc evenit, postquam Aly mortuus est: tunc enim non amplius calorem, aut frigus corpus ejus sensit.

Septimò. Attrectando manu pedem saucium cujusdam ex sociis suis, statim sanavit illum. Potuit hoc fieri arte Dæmonis, seu per præstigium.

Octavò. Benedixit camelo Giaberi, qui lentiùs cæteris incedebat: & deinde cæteros omnes præcedebat. Fortasse Giaber valentiùs illum fuste pulsabat. Sed de hoc vide suprà.

Nonò. Oravit pro Anaso, ut concederentur illi opes, & proles, & vita diuturna. Is genuit centum, ac viginti liberos: vixit centum circiter annos: & habuit palmetum, quod bis in anno fructus ferebat. Meræ næniæ, & augæ.

Decimò. Benedixit Abdalrahmano filio Auph, & ita opulentus evasit, ut post mortem ejus, in mensurandis illius pecuniis, manus hominum delassarentur. De hoc figmento iam suprà satis dictum.

Undecimò. Plantavit Mahumetus cuidam, qui Salman vocabatur, palmas, quæ radicatæ sunt, & fructum attulerunt illo eodem anno, una exceptâ, quam plantaverat alius. Evellitque eam Mahumetus, & iterum plantavit eam, & attulit eidem Salmani fructum eodem ipso anno: واعطاه مثل بيضة الدجاجة من ذهب بعد ان ادارها على راسه فوزن لواحد منها اربعين اوقية وبقي مثلها: *Et dedit ei velut ovum gallinæ ex auro, postquam in gyrum duxit illud super linguam suam: & appendit ex eo quadraginta uncias auri amico suo: & totidem uncias ipsi remansere.* Videtur Mahumetus dedisse Salmani hujusmodi ovum aureum, quod ipse lingua sua ambierat, fortassè ad rotundum, vel aureum efficiendum. Salman verò dedit amico, cui debitor erat, ex eodem ovo quadraginta uncias; & tamen ovum sicut fuerat remansit. Quicquid sit, inter aniles fabellas reponendum: præsertim cùm nullus illius Auctor asseratur.

Duodecimò. Medicus quidam Arabs obtulit se Mahumeto, ut curaret illum tamquam insanum. At Mahumetus statim eorum illo arborem palmæ vocavit ad se, quæ ibi sita erat. At illa incurvavit se, deinde elevavit; & veniens ad eum, stetit ante illum, & testificata est, ipsum esse Legatum Dei. Postea, illo præcipiente, reversa est ad locum suum. Non est otium ad singulas hujusmodi nugas trutinandas; quamobrem ubi nihil peculiari nota dignum occurrerit, nihil ulterius addam.

Decimotertiò. Præcepit Anaso, ut pergeret ad quasdam palmas, juxta quas erat situs cippus ex lapidibus, & diceret eis: Præcipit vobis Legatus Dei, ut mutuò copulemini, ramosque simul conseratis, ut protegatis eum, dum ventrem exonerat. Fecit Anasus quod jussus fuerat: & juro per Deum, inquit, quòd visus sum mihi videre eas subsilire, & currere cum radicibus, & terra illis cohærente, & eonseri invicem, ac si esset una palma: & visus sum etiam mihi videre cippum illum lapidum subsilire, & currere cum omnibus lapidibus suis uno post alium, donec conjunctus est cum palmis: & extulit se unus super alium, donec esseerunt veluti parietem. Cùm autem Mahumetus onus ventris deposuisset, præcepit Anaso, ut juberet palmas, & cippos regredi in locum suum: & reverlæ sunt.

Decimoquartò. Obdormierat Mahumetus: & venit arbor scindens terram, consistitque juxta eum. Cùm autem evigilasset, dixit cuidam, qui viderat arbo-

Digitized by Google

arborem venientem: Hæc arbor petiit facultatem à Domino suo, ut veniret ad salutandum me: & Dominus concessit ei.

Decimoquintò. Dum concionem haberet ad populum, innitebatur trunco arido cujusdam palmæ. Cùm autem primùm concionatus est è cathedra, truncus ille erupit in gemitus, audientibus omnibus, velut gemitus camelæ. Neque cessavit gemere, & conqueri, donec descendens Mahumetus è cathedra amplexatus est eum, & consolansillum, dedit ei optionem, utrum mallet ab eo plantari in hoc Mundo, & revirescere, ac fructificare: an verò fieri una ex palmis Paradisi. Cùmque appotuisset aurem, ut responsum audiret, sensit illum acuisse odorem suum. Operæ pretium fuit figmentum hoc jam suprà allatum, hic repetere, propter tàm bellam, & lepidam appendiculam. Sed mirum, quòd cùm Mahumetus aurem trunco admovisset, ut audiret quid responderet: ille odorem efflaverit ad nares.

Dicimosextò. Cantavit lapillus positus in manu ejus: & cùm potuisset eum in manu Abubacri, item cantavit, & idem fecit in manu Omaris, & in manu Othmanis. Cantavit item cibus, ad quem ipse Javitaverat Iocios suos. Incantatio hæc fortè fuit, non cantus.

Decimoseptimò. Duo cameli admissarii, in quibus capiendis dominus eorum delassatus fuerat, venerunt ad Mahumetum, & genua flexerunt ante eum: at ille capistrum illis immisit, & reddidit domino suo. Fuerat Mahumetus camelarius, & facilè norat, quomodo hoc animalium genus posset mansuefieri.

Decimooctavò. Die, qua Meccam expugnavit, ingressus Templum ejus, nutu digiti sui cadere fecit omnia simulacra, & imagines ejus: & si innuisset in faciem, sponte cadebant in terga; si in tergum, in faciem ruebant. Hanc esse fabulam testatur Ismael filius Aly, qui scripsit, : تم امر بتلك الصور فطمست

Deinde præcepit, ut aboleretur omnes illæ figuræ, & abolitæ sunt. Itaque non sponte ad nutum digiti illius excidebrunt. Idem habetur in Vita Mahumeti, nempe *illum jussisse removeri è Templo omnia simulacra, & imagines aboleri*. Vide quomodo confingant miracula Mahumeti etiam contra veritatem à se contestatam.

Decimononò. Sauvad filius Careb sensit per tres noctes venire ad se quemdam ignotum, qui pede percutiens eum, excitabat à somno, dicens ei, jam adveniße Mahumetum. Hoc, quamvis verum esset, nullum est miraculum Mahumeti, quemadmodum nullum fuisset miraculum asini, si dixisset Suvado, adveniße alium asinum.

Vigesimò. Quidam Arbs attulit secum Crocodilum, dixitque Mahumeto: Si crocodilus hic testificatus fuerit, te esse Prophetam, ego credam in te. Dixit autem Mahumetus: O crocodile, quisnam ego sum? At ille respondit: Tu es Mahumetus Legatus Dei. Credidit itaque ille Arabs. Ex hoc homine, & aliis Arabibus, qui visis Mahumeti miraculis, erediderunt, arguitur magni mendacii Mahumetus, qui tàm facilè in Alcorano dixit, se non fuere miracula, quia si fecisset, fuissent inania, neque illis visis, Arabes erediidissent. Quòd si Mahumetus non fuit mendax, dicendum est omninò, hæc omnia miracula, fabulas esse, ac mendacia. Gratulandum tamen est Mahumeto, quòd tàm multas bestias, & tàm paucos homines habeat testes suæ Prophetiæ.

Vigesimoprimò. Pereutiens pede terram, eduxit aquam copiosam, qua Omar siti penè enectus, refocillatus est.

Vigesimosecundò. Confractus fuerat ensis cujusdam militis Mahumetani in prælio Bedrensi. Dedit illi Mahumetus baculum ligneum, præcipiens, ut agitaret eum: quod cùm ille fecisset, baculus conversus est in gladium. Spectrum potuit esse hoc, aut præstigium oculorum.

Vigesimotertiò. Erat Mahumetus staturæ quadratæ, seu justæ: & nihilominus incedens eum hominibus longæ staturæ, longescebat cum illis. Mirum, quòd non etiam eum pumilionibus incedens, pumilio evaderet. Porrò si hoc verum esset, debuisset fexcenties in die eresceree, & decrescere.

Vigesimoquartò. Prædixit Sauhano, quòd unum ex membris ejus præeessurum esset eum in Paradisum. Et cæsa fuit manus ejus in prælio. Sed certè hæc non ivit in Paradisum.

Vigesimoquintò. Zeido filio Bedri abscissa fuerat manus dextera: venitque eum ea ad Mahumetum flens: & ille reposuit eam in loco cubiti, unde fuerat abscissa, & expuit super eam: & incarnata est, & conjuncta, sicut fuerat anteà. Non constat, manum illam fuisse penitus à brachio separatam, in quo casu potuit arte humana per aliquod temporis spatium: opera verò Dæmonis brevissimo tempore, eum brachio uniri. Utrum verò membrum separatum, & statim comparti suæ applicitum, possit naturaliter eum ea vitaliter uniri, mihi dubium est. Certum tamen habeo, hoc esse figmentum: quamobrem nec Abdallah filius Abdholhalim, neque alii Auctores, qui miracula Mahumeti, vel minuscule, recensuere, hujus, quod præcipunum, & maximum videtur, mentionem ullam fecerunt. Et juxta regulam sæpè traditam ab ipso Ahmed, illa sola debent Mahumeti miracula vera censeri, in quibus omnes, vel plerique, referendis conveniunt. Potuit tamen hìc etiam aliquid apparenter Dæmonis opera fieri: quemadmodum non semel cadavera mortuorum eadem opera, tamquam viva, & animata deambulare visa sunt. Hactenus miracula Mahumeti, quæ ab aliis Auctoribus prætermissa, in Ismaele filio Aly adnotavi. Nunc, ne quid in fraudem veritatis occultasse videar, alia, quæ in aliis Auctoribus reperi, recensebo.

Primum refert Abu-Emama allegatus à Thelabiensi in expositione Suræ de Mensa v. 73. cujus substantia est. Erat quidam vir nomine Raecana gigantea penè staturæ, & robustissimus viribus, eratque cognatus Mahumeti, sed Ethnicus. Cùm autem die quadam iuvenisset Mahumetum solum, provocavit eum ad luctandum secum, spondens, si ile vicisset, daturum illi decem oves, (erat enim pastor): invocaret ipse Deum suum: invocaturum se Deos suos. Commissa est igitur inter utrumque luctatio. Arripuitque Mahumetus Raecanam, & dejecit in terram, seditque supra pectus ejus. Consessus est Raecana, se victum non ab eo, sed à Deo, quem colebat. Iterum ergo provocavit eum ad luctam, promittens, si victus fuisset, decem alias oves. Colluctati sunt igitur secundò, & tertiò, semperque Raecana victus est: quamobrem obtulit Mahumeto triginta oves, qui eas noluit accipere; sed invitavit eum ad spectam suam. Recusavit Raecana hoc facere, nisi videret miraculum aliquod ab eo fieri. Erat autem inde non procul arbor quædam, cui dixit Mahumetus: Veni hùc, ita jubente Deo. Arbor verò scissa est in duas partes; & una pars ejus eum ramis, & radici-

Digitized by Google

radicibus venit, constitutique inter Mahumetum, & Raccanam. Tunc, ita postulante Raccana, præcepit illi dimidiæ arbori, ut rediret ad aliam compartem: & reversa est. Cùm autem exigeret à Raccana, ut promissis servatis, fieret Moslemus, respondit ille: Satis mihi est vidisse hoc magnum prodigium ex te: sed vereor, ne, si fiam Moslemus, fœminæ, ac pueri Medinenses dictitent, me timore commotum, sectam tuam amplexum fuisse. Primum nullum est miraculum: est potiùs dedecus tanti Prophetæ, quòd ita plebeium in morem cum pastore ovium luctatus fuerit. Secundum inter fabulas vel præstigia recensendum, cum aliis suprà recensitis ejusdem farinæ.

Secundum refert Alsaddius allegatus ab eodem Thelabiensi ad v. 64. Suræ prædictæ, in hæc verba. Hic versus Alcorani revelatus fuit contra hominem quemdam Christianum Medinensem, qui cùm audisset præconem Moslemum clamantem: Testificor Mahumetum esse Legatum Dei: dixit: Comburatur Impostor. Cùm autem ingressus fuisset famulus ejus nocturno tempore cum igne, ipso cum familia dormiente, elapsa est scintilla ignis per domum, & succendit eam, ipsumque, & familiam ejus combussit.

Hic Alcorani versus, quem Auctor asserit pronunciatum contra hominem Christianum, Calebius vult prolatum fuisse contra Judæos. Alii, ut asserit idem Thalebiensis, contra Medinenses idololatras. Jam igitur labascit fides Alsaddii. Quòd si vel homo ille, vel alius Christianus incendium illud passus est, id casu fuit, qui frequenter solet evenire.

Tertium refert Albakarius parte 7. libri الانوار id est *Splendorum*; & est hujusmodi: Cùm Chadige vellet mittere Mahumetum (tunc famulum suum, deinde maritum) in Syriam, ad negotia sua curanda, jussit tradi illi camelum ferocissimum, cui nullus audebat insidere, ut super eum iter perageret. Cùm autem audisset camelus vocem Mahumeti, procubuit ad pedes ejus, cœpitque eos demisso rictu exosculari: & locutus est clarè sermone Arabico dicens: Quis est me felicior, cujus dorsum attrectavit manu sua Dominus Primorum, & Novissimorum? Ubi hoc viderunt puellæ, quæ erant in obsequio Cadiges, dixerunt: Hoc non est, nisi magnum præstigium, quod orphanus iste composuit. Respondit Cadige: Mediusfidius non est præstigium, sed miraculum manifestum.

Sapiebant puellæ Cadiges: sed earum Domina exulcerata Mahumeti amore, jam cœperat insanire. Prænoneo tamen Lectorem, posse tuta conscientia quidquid ab Albakario refertur, pro fabula haberi. Nam & Mahumetani ipsi Sapientiores, ut aliàs ostendi, illum potiùs pro Mythologo, quàm pro Historiographo agnoscunt. At cur, inquies, testimonia ejus refers? ut rideas.

Quartum refertur ibidem ab eodem Auctore in hanc sententiam (nam verborum lacinias resecabo). In valle quadam Syriæ apparuit quidam draco ingentis magnitudinis, aperto ore sibilans, & ab oculis ignis scintillas evibrans. Cùm autem Mahumeto occurrisset, conterrita est camela illius. At Mahumetus eam increpitans dixit, Væ tibi: quomodo times, cùm habeas sessorem sigillum Prophetarum, & Principem legatorum Dei? Deinde conversus ad draconem dixit ei: Regredere unde tibi placet, & ne occurras ulli ex viatoribus; ego enim sum Mahumetus, cui sit benedictio Dei, & pax: aliquin accusabo te apud Deum cœli. Respondit ei draco: Salve ò Mahumete: salvus sis ò Ahmede. Dixit Mahumetus: Salvi sint etiam illi, qui sequuntur rectam religionem, & Deo obediunt. Dixit draco: O domine mi, ego non sum draco terrenus: sed sum unus ex Regibus Geniorum, qui vocor Alham filius Alhim: & amplexus sum fidem per manum patris tui Abrahæ. Rogavique eum, ut esset meus intercessor: at ille respondit: Munus intercedendi reservatur Mahumeto, qui nascetur ex progenie mea. Et prædixit mihi, me conventurum esse tecum in hoc loco: & jamdiù est, quòd hìc expecto. Et olim sui præsens ea nocte, qua Christus filius Mariæ assumptus est in cœlum: & ipse præcepit Apostolis, ut sequerentur te, & legem tuam. Nunc ergo ne obliviscaris promere interecedere domine mi. Respondit ei Mahumetus: Promitto tibi, me hoc facturum: sed tu interim revertere per viam, quam volueris, & ne occurses ultrà ulli ex viatoribus. Reversusque est draco per viam unde advenerat.

Simile commentum invenies, Lector, apud Ludovicum Ariostum lib. 43. aliquantò tamen verosimilius, ac modestius.

Quintum refertur ab Ahmedo patre Hoseini filio Phareli, filii Zachariæ, his verbis: [Dicitur, hominem quemdam donasse Mahumeto clypeum, in quo erat figura Aquilæ: posuitque Mahumetus manum suam super clypeum, & Deus evanescere fecit figuram illam.]

Poterat sine miraculo figura illa facilè aboleri. Sed nimis scrupulosus fuit Mahumetus in hoc. Cæterùm idem Auctor mox subdit, illum habuisse vexillum quoddam, quod vocabatur العقاب *Aquila*: puto quia erat in eo Aquilæ figura depicta.

Sextum refert Albocharius in trigesima parte Traditionum Mahumeticarum, his verbis: [Narravit nobis Aly, cui id narraverat Sophein, qui hoc audierat ab Alzochario, qui idem audierat ab Alarage, qui dixit: Narravit mihi Abu-Horeira dicens: Fui die quadam cum Mahumeto, qui dixit: Si quis expanderit pallium suum, donec ego absolvam sermones meos, & deinde contraxerit illud: nihil unquam obliviscetur ex iis, quæ audierit à me. Expandi igitur ego pallium meum; & testor Deum, qui misit illum cum veritate, me nihil oblitum fuisse eorum, quæ audivi ab eo.]

Non erat opus tàm prolixa testium genealogia ad has nugas confirmandas.

Septimum refert Albakarius part. 7. lib. *Splendorum*: cujus hæc est substantia. Descenderat Mahumetus cum mercatoribus in vallem quamdam, eo quòd ibi essent aquarum scaturigines: sed tunc, ne vestigium quidem aquæ reperiere. At Mahumetus immersis manibus in arenam, convertit obtutum suum ad aquam, (at ne vestigium quidem aquæ ibi erat) mussitans nescio quid. Statimque erupit aqua ex medio digitorum ejus, & affluxit in flumina, itaut mercatorum farcinæ penè submergerentur.

Nihil mediocre habet Fabulator iste. Quid, oro, opus erat hìc cum periculo submersionis farcinarum & jumentorum, flumina effiere?

Octavum refertur ab eodem in hunc modum: Cùm Mahumetus aliquot dactylos comedisset, humectavit nucleos saliva sua (at jam humectaverat manducando): deinde infodit eos in arena; & horæ unius spatio nuclei illi creverunt in palmas onustas dactylis, ex qui-

Digitized by Google

quibus Alabbas oneravit camelam suam, & universa gens ad faturitatem comedit. Abugehel autem id præstigio tribuit, & arti magicæ.

Sapuit Abugehel, si res ita fuit: sed non fuisse, pro certo habeo.

Nonum refertur ab eodem his summatim verbis: pervenerat Mahumetus cum mercatoribus ad torrentem quemdam, qui ob improvisam imbrium copiam itu exercevit, ut non possent mercatores sperare, ne per mensem quidem se inde discessuros. Interim Mahumetus obdormiscens, commonitus est ab Angelo in somnis, ut mane juberet populum, se ad iter parare. Tu verò (inquit) stans supra oram torrentis, ubi videris aves albas supra volantes, sequere earum cursum, dicens: In nomine Dei, & cum Deo: & præcipe cæteris, ut idem dicant. Qui enim hoc fecerit, incolumis transibit, & evadet torrentem. Qui autem secus, submergetur. Ita fecit Mahumetus: & qui ei paruerunt, incolumes transierunt: cæteri verò, qui parere noluerunt, submersi sunt cum omnibus rebus suis.

Jam prænotui lectorem, ne fidem præstet huic Nebuloni, qui saltem ex hoc mendacii hic convincitur, quòd Aly Abulhafan Ebnalhosein, vulgato nomine Almasahudius, summæ auctoritatis apud Mahumetanos, cùm narravisset id, quod fecerat Mahumetus circa restitutionem Lapidis nigri in Delubro Meccano (vide id, quod de hoc scripsi in Vita Mahumeti) quod magni miraculi loco habitum fuit: statim subdit: فكان ذلك اوّل ما ظهر من فعله وفضايله واحكامه : *Et hoc fuit primum, quod apparuit de operibus ejus, & excellentiis ejus, & judiciis ejus.* Porrò hoc miraculum lapidis nigri evenit, juxta omnes Auctores Mahumetanos, multo tempore post profectionem ejus in Syriam. Igitur quæcumque admiranda antèà facta, ab aliis, & præsertim ab Albakario hîc narrantur, fabulæ sunt, & mendacia.

Hæc sunt miracula, quæ à Mahumetanis Prophetæ suo attribuuntur, vel potiùs affinguntur, quot scilicet in eorumdem libris potui reperire. His accensent alia plurima ejusdem, quæ ad prophetiam propriè spectant, & hæc præter ea, quæ ex Alcorano superiùs præmisimus.

CAPUT SEPTIMUM.

Miracula Mahumeti ad prophetiam spectantia.

DE his igitur ita scribit Ahmed filius Abdolhalimi in sua Apologia, pag. mihi 359. [Porrò ea, quæ Mahumetus prædixit, seu manifestavit occulta, præterita, præsentia, & futura in rebus claris, & illustribus, non reperiuntur apud ullum ex Prophetis præcedentibus; quod ostendit excellentiam ejus super illos. Sunt in Alcorano hujusmodi prædictiones plurimæ, de quibus jam diximus. Aliæ verò sunt in relationibus veridicis de iis, quæ prædixit eventura, & evenerunt sicut prædixerat. Et in libro Alfahihein referuntur hæc verba Hodaiphæ: Quamdiù stetit inter nos Mahumetus, nihil omisit eorum, quæ eventura erant usque ad diem Judicii, quin prænunciaret illud. Quidam verò recordantur eorum: quidam verò obliti sunt. Jam sciverunt ea socii mei. Et licet quædam sint, quorum oblitus sum: si quis tamen ea mihi suggereret, fanè recognoscerem]. Et in Sahiho Moslemi fertur dixisse Amrius pater Zeidi, & filius Achtabi: *Persolvit nobis cum Mahumetus preces matutinas: deinde ascendit in suggestum, & concionatus est nobis usque ad preces meridianas. His nobiscum persolutis, iterum ascendit in cathedram, & concionem habuit usque ad preces pomeridianas: quas cùm absolvisset, iterum concionatus est è cathedra usque ad occasum Solis, & annunciavit nobis præterita, præsentia, & futura: & memoria retinuimus ea, quæ annunciavit nobis.*

Videntur mihi Mahumetani induisse Prophetam suum personam Calchantis Thestoridis, de quo Homerus lib. primo Iliados:

Κάλχας Θεστορίδης οἰωνοπόλων ὄχ' ἄριστος,
Ὃς ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα.
Calchas Thestorides excellentissimus Augur,
Omnia qui norat, præsentia, facta, futura.

Memineris tamen, Lector, id quod suprà prænonui: Auctores Mahumetanos inducere personas, quæ asserant, se rebus Mahumeti præsentes fuisse, easque vidisse, & audisse: quæ tamen prorsus fictæ sunt, nec unquam fortasse fuere in rerum natura. Id apertissimè constat in exemplis propè innumeris. Quamobrem ne te moveant dicta Hodaiphæ, vel Amrui, neque aliorum, qui testes de visu à Mahumetanis producuntur.

Illud etiam te, Lector, prænonitum volo, vaticinia, quæ de Mahumeto proferuntur, pertingere solùm ad ea, quæ jam evenerant, quando Auctores hujusmodi vaticinia referebant; nec aliquid eorum attingere, quæ deinde secuta sunt. Hoc autem manifestissimum argumentum est, ea ab iisdem Auctoribus fuisse conficta: quemadmodum consueverunt Poetæ res jam factas, tamquam futuras prædicere, vel aliquos inducere illis anteriores, eadem vaticinantes.

Referam autem hìc summatim hæc Mahumeti vaticinia: ad quæ omnia confutanda satis erunt ea, quæ suprà, dum prædictiones ex Alcorano erutas discussimus, dicta sunt.

Primum igitur refertur ex Sahiho Albocharii: Prædixit Odajo filio Chatemi: Si diù vixeris, videbis homines advectos camelis venientes ex Alhaira, ut visitent Templum Meccanum: Etaperies thesauros Cosroe filii Hormisdæ: Et homines videbis proferentes manum suam plenam auro, aut argento, quærentes qui illud accipiant, & non invenient. Et asserait Odajus se vidisse duo prima. Tertium autem evenit sub imperio Omar filii Abdalaziz.

Tertium Odajus non vidit; sed Auctor asserit evenisse sub imperio Omaris, post centum scilicet circiter annos. Verùm in vita Omaris, scripta ab Abu-Giaapher, insigni inter Moslemos Historiographo, nihil legimus de hac tàm prodigiosa auri, & argenti copia, itaut homines pecunias sponte oblatas accipere recusarent. Imò, statim ac mortuus est Omar, populus cucurrit ad domum ejus secretiorem, quam clave obseratam tenebat, sperans se ibi pecunias, & utensilia inventurum (inquit Abu-Giaapher) ففتحوه فلم يجدوا فيه الاّ دلقًا كان يلبسه وخملًا معلقًا كان يتعلّق به اذا تعب من الصلاة : *Et aperientes eam, non invenerunt in eo, nisi pennlam, qua induebatur, & funem pendentem, ad quam se suspensum tenebat, cùm defatigatus erat ex oratione*, nempe ex Alcorani

rani recitatione, Argumentum evidentis falsitatis tertii vaticinii. Quomodo enim homines aurum, & argentum sponte oblatum recularent, si tàm avidè in conclave Principis defuncti irrupere, ut pecunias in eo repositas deprædarentur? & quomodo Princeps ipse tanta paupertate laborabat?

Secundum refertur à Gebero filio Saharæ in Sehiho Moslemi: ubi Napheus filius Otabæ testatur, se audivisse Mahumetum dicentem suis, ipsos expugnaturos Arabiam, Persidem, regiones Romanorum, & regionem adjacentem Tigri.

Mirum, quòd Mahumetus tàm parcus, obscurus, & ambiguus fuerit in prædictionibus, quæ asserunt ex Alcorano, quæ plerumque circa quisquilias versantur: in iis verò, quæ suis ore tenus prædixit (quæ sanè res maxima, & gravissimas continent) tàm clarus fuerit, & apertus. Sed illa prædicebat ipse per conjecturas divinando: quia nondum evenerant: hæc autem non reperiuntur scripta ab Auctoribus, nisi postquam facta fuerunt. Hæc regula postumus reliqua, quæ sequuntur vaticinia, mensurare, ut certò sciamus, illa non esse Mahumeti, præsertim cùm ipse affirmet in Alcorano, ut vidimus, se nescire quid de se, aut de suis esset futurum: sed narrationes rerum, quas viderant jam secutas, Mahumeto verò tamquam vaticinia mendaciter adseriptas. Potuit tamen, ut alibi monui, hæc eadem Mahumetus, vel per conjecturas, vel ex suggestu mali Dæmonis prædicere.

Tertium refert Albocharius verbis Auph filii Malec qui dixit, se audivisse Mahumetum dicentem: Ante diem extremum erit mors mea, & expugnatio Jerosolymæ: deinde erit pestilentia similis contagioni ovium: deinde copia maxima divitiarum, ex qua fiet, ut si cui dentur centum denarii, dedignetur accipere: deinde erit seditio, quæ omnes Arabum domos pervadet. Deinde erunt induciæ inter vos, & Arabes nigros: sed hi perfidè agentes venient ad vos octoginta vexillis, sub quorum quolibet erunt duodecim millia militum. Fuit igitur expugnata Jerosolyma post mortem Mahumeti sub Imperio Omaris. Deinde exorta est pestis magna in Syria sub eodem Omare. Deinde abundavit pecunia in Principatu Othmanis, itaut cuipiam darentur centum denarii, & is cum ira rejiceret eos: & adeò crevit pecunia, ut commutaretur bos pro equo. Deinde accidit seditio universalis, quæ nullam Arabum domum reliquit immunem, cùm occisus fuisset Othman.

Quòd ante diem Judicii hæc omnia eventura esse prædixerit Mahumetus, non est spiritui prophetico tribuendum: cùm ego etiam prædicere possim, ante diem Judicii eventura esse multa, quæ licet non mihi certa sint, probabiliter tamen credo: ut, evertendum esse Imperium Turcarum: Jerosolymam in manus Christianorum redituram: futuras pestilentias, fames, bella civilia, & alia hujusmodi. Sed respondebunt Moslemi, hæc à Mahumeto hic prædicta, ante sæculum exactum contigisse. Respondeo primò, quædam casu facta fuisse, & quæ probabiliter poterant antea divinari. Quædam verò vel non evenisse, vel evenisse quidem, sed non eo modo, quo Mahumetus prædixerat. Nam quòd sub Othmanis Imperio tanta fuerit divitiarum copia, ut si cui centum denarii sponte oblati fuissent, eos indignabundus rejiceret; minimè verum esse potest, cùm Othman semel mutuò acceperit à publico ærario pro suis indigentiis centum millia drachmarum, idest 5000. numerum aureorum, quæ etiam restituit, contestata sibi propter hoc lite: & iterum coactus sit aliam modicam summam accipere ex eodem ærario, cum fidejussione restituendi. Cùmque nonnulli vellent eum impedire, dixit: لعمري لتأخذن حاجتنا: *Jura per vitam meam, me accipere id, quod spectat ad necessitatem meam.* Quomodo ergo consistere potest cum hoc, quòd sub eo tanta fuerit auri, argentique copia. Quòd verò spectat ad ultimam partem prædictionis: silet Auctor; neque ego de ea in Arabum Historiis aliquid invenio. Porrò probabile non est, Arabes nigros, quicumque tandem illi sint, tàm magnum exercitum congregare potuisse, qui ad decies ferè centena millia militum perveniret.

Quartum ex Sahiho Albocharii; ubi Abu-Horeira affirmavit Mahumetum dixisse suis: Non advenient dies Judicii, donec pugnetis contra Turcas (quorum descripsit qualitates): neque advenient dies Judicii, donec pugnetis contra gentem, quæ habet calceamenta facta ex pilis. Porrò omnes has gentes bello appetierunt Moslemi (inquit Auctor).

Satis callidè Mahumetus concedit vaticiniis suis complendis spatium usque ad diem Judicii; ne mendax possit ab aliquo deprehendi. Porrò, quòd Moslemi contra Turcas pugnaverint, seu potiùs quòd Turcæ pugnaverint contra Moslemos, certissimum est; sive prædixerit Mahumetus, sive non. Sed quòd Moslemi Arabes (nam de his sermo est) devicti sint à Turcis, & in miseram servitutem redacti: hoc Mahumetus non prævidit, neque prædixit. Neque Albocharius poterat de hoc vaticinium illi affingere, quia nondum videtur Arabes Turcarum jugo subjectos, tanquam mancipia ab illis haberi. Porrò de alia gente, quæ calceamenta facta ex pilis habebat, cùm multæ sint gentes hujus generis, nihil certi potest affirmari: neque Albocharius eam propriis notis nobis describit, indicans solùm fuisse Orientalem.

Quintum ex Sahiho Albocharii: ubi refertur, Mahumetum prædixisse de Alhasan nepote suo: ipsum habiturum esse Imperium, & pacificaturum inter se duos magnos exercitus Moslemorum. Idque asserit Auctor evenisse anno Degiræ quadragesimo, cùm Alhasan pacificavit exercitus Aly & Mauviæ, qui inter se de Imperio contendebant.

Fuit sanè Alhasan Imperator per sex circiter menses: nullius tamen pacis inter duos illos exercitus sequester fuit: imò perpetuæ fuerunt inter Aly, & Mauviam inimicitiæ, & cædes; itaut in Sophein per centum ac viginti dies inter eos pugnatum sit, & unica nocte utrimque septuaginta millia fint interfecta. Deinde verò facti sunt sequestres pacis ex parte Mauviæ Amruus filius Alasai, ex parte verò Aly Abu-Musa Asciaransis. Sed fuit hæc pax ficta, & proditoria: nec unquam cessavere Aly, & Mauvia inter se pugnare, donec diviso inter ipsos Imperio, post paucos dies occisus fuit Aly. Hæc omnia, & alia referuntur ab Abu-Giaapher Tabarita.

Sextum ex Alsahihein; ubi refertur ab Abu-Horeira, dixisse Mahumetum: Non veniet dies Judicii, donec egrediatur ignis ex Arabia Petrea, quo resplendeant colla camelorum in Bosra. Et jam (inquit Auctor) apparuit hujusmodi ignis per annos supra sexcentos quinquaginta; viderunteque eum homines; & viderunt colla camelorum ex lucentia in Bosra: & comburebat lapides, & non coquebat carnes.

Pluribus in locis hujusmodi ignes visuntur, præsertim nocturno tempore; quos simpliciores homines, & ignarum vulgus sæpè tribuunt miraculo alicujus San-

Digitized by Google

Sancti, vel operationi Dæmonis. Nec dubium est, ignem illum in Arabia Petrea multis sæculis ante Mahumetum visum fuisse. Quòd verò hic lapides comburat, & non coquat carnes (si verum est) naturalibus causis tribuendum est: nam miraculo Mahumeti, vel alicujus Sancti adscribere, ridiculum esset.

Septimam ex eodem: ubi Abu-Said, & Asma asserunt, Mahumetum prædixisse Omari filio Bafer: Occidet te exercitus iniquus. Ibidem refertur ab Abu-Horeira hæc Mahumeti prædictio: Peribit Cosroes: & non erit Cosroes post eum. Et peribit Cæsar; & non erit Cæsar post eum; & utriusque thesauros deprædabuntur Moslemi.

Quidquid sit de reliquis hîc prædictis, certum est, Cæsarem illum, de quo fingitur vaticinium, (quem Auctores volunt fuisse Heraclium), habuisse Cæsares alios post se: & Deo ita disponente, nunquam Cæsares defuere usque ad hanc diem, cùm Ernestus Leopoldus Cæsar felicissimè imperat; & quidem magno cum malo Mahumetanorum; itaut jam metuant ab eo ultimum exterminium sumn.

Ridiculum verò est effugium الشافعي *Sciaphajensis*, qui putat, verba Mahumeti verificari per hoc, quòd Cæsar, seu Romanorum Imperator amiserit Syriam, vel quasdam alias regiones in Oriente. Non enim desinit aliquis esse Rex; ex eo quòd aliquam regni sui partem amittat: & Mahumetus, absolutè prædixisse fertur: يهلك كسرى ثم لا يكون كسرى بعده وقيصر ليهلكن ولا يكون قيصر بعده: *Peribit Cosroes, & non erit alius Cosroes post eum: & certissimè peribit Cæsar, & non erit ullus Cæsar post eum.* Ita habetur in libro العجيجين, quem Ahmed facit incorruptæ veritatis, & ideò vocatur Alsahihein, idest, *Duo Veraces*. Porrò cùm accipiatur hic *Cosroes* sicut *Cæsar*, non pro nomine hominis, sed pro titulo dignitatis; constat, nec Cosroen quidem ita periisse, ut nullus deinde fuerit Rex Persidis post eum. Nam primò successit ei Isdegerdes, (hunc quidam vocant Adeser) juxta Adversarium: sed ante Idegerdem regnaverat *Siroe* filius Cosroæ. Porrò Saraceni sub Omare Persidè occupata, possederunt eam per spatium 297. annorum: posteà transiit ad Turcas, qui eam tenuerunt per 203. annos: deinde Tartari, Turcis expulsis, in ea regnavere usque quo incœpit regnum Sophiorum, quod usque ad hoc tempus perseverat. Itaque non ita periit Cosroes, nempe Rex Perfarum, ut dici verè possit, non fuisse alios Reges post eum; cùm hodie etiam sint Reges Persidis fortasse potentiores quàm Cosroes. Et quamvis Arabicam superstitionem profiteantur, sicut etiam Turcæ; longissimè tamen distant ab religione, quam Arabes, & Turcæ profitentur, itaut ab his hæretici, & propè Ethnici existimentur, & tamquam hostes insensissimi habeantur.

Octavum ex libro السنن *Statutorum*: ubi Sophiena asserit, se audisse Mahumetum dicentem: تكون خلافة النبوة ثلثين سنة ثم تصير ملكاً: *Erit successio prophetiæ per triginta annos: deinde fiet Regnum.* Fuit autem hoc (inquit Auctor) anno trigesimo post mortem ejus. Ingrediuntur porrò in hanc numerum annorum Abubakar, & Omar, & Othman, & Aly.

Falsum prorsus est hoc vaticinium, si ipsis stamus Mahumetanis. Nam cùm velint, Mahumetum fuisse خاتم النبيين *Sigillum Prophetarum*; non potuit successio prophetiæ dari post eum per triginta annos. Sed fortasse خلافة النبوة *Successio prophetiæ*, intelligitur imperium eorum, qui successerunt Mahumeto cum titulo الخلفاء *Chaliphorum*. At hi perseverarunt per multas annorum centurias, neque ullus ex eis assumpsit titulum Regis.

Nonum ex Alsahihein; ubi ex relatione Giaberi filii Somræ dixit Mahumetus: Non desinet Secta mea esse gloriosa & excellens usque ad duodecim Chaliphas (seu Imperatores) omnes Corasinos: post hoc autem erit الهرج: idest, *cædes*, seu, *bellum civile*. Et jam (inquit Auctor) contigit hujusmodi bellum, & cædes post eos. Nam post Valid filium Jezid, contigit bellum civile, & seditio magna.

Valid non fuit filius, sed frater Jezid, & filius Abdolmalee. Hoc tamen parvi refert. Mirum verò est, quòd Mahumetus prædixerit, sectam suam fore عزيزا, idest, *Excellentem*, *validam*, & *gloriosam*, usque ad Valid, & posteà futuras in ea seditiones, ac bella civilia: cùm ferè semper anteà fuerint inter Principes Moslemos dissidia, ac prælia intestina funestissima, ut legenti Arabum historias manifestum fiet. Imò post Valid per longum tempus res Saracenicæ tranquilliores fuerunt, quàm anteà.

Decimum ex eodem Auctore: ubi dicitur, Ebn-Abbas somniasse, positas fuisse sibi in manu duas armillas aureas, quas ipse abrupit tamquam exosas, & conflavit eas in ensem rimosum, & obtusum. Dixitque Mahumetus, eas significare duos Pseudoprophetas, qui egressuri erant post mortem ejus.

Et scripsit Abdallah, unum ex his fuisse العنسي *Alabasium*, qui etiam dictus fuit الاسود, *Alasuad*, idest *Niger*, & occisus fuit in Jeman: alterum verò مسيلمة *Moseilmam*. Simile huic est illud, quod in Sahiho Moslemi refertur ex dicto Abu-Horeiræ: nempe Mahumetum dixisse: Ante diem Judicii venturos esse triginta pseudoprophetas, asserentes, se à Deo missos fuisse.

Hoc facilè fuit Mahumeto divinare; nam non solùm duo, vel triginta, sed sexcenti pseudoprophetæ venturi erant post mortem ejus, antequam suprema Mundi dies adveniret.

Undecimum refert Moyses filius Acabæ in lib. de Bellis: Omeir filium Vaheb clam, nulloque teste, convenisse cum Sephuan filio Omajæ, de Mahumeto occidendo. Cùm autem venisset Omeir ad Mahumetum, ille manifestavit ei conspirationem factam cum Sephuan, de se occidendo.

Nunquam conspirationes ita occultè fiunt, ut plerumque ab aliquo non reseiantur. Potuit saltem familiaris Dæmon hoc Mahumeto revelare.

Duodecimum ex Alsahihein; ubi refertur, Mahumetum in prælio Tabucensi prædixisse, sequenti nocte futurum ventum validissimum, itaut nullus foret, qui stare posset contra impetum ejus.

Ex

Ex multis fignis prævideri poſſunt venti, vel pluviæ: neque ad hoc requiritur ſpiritus prophetiæ.

Decimumtertium ex Sahiho Albocharii: ubi in ultima expeditione, quæ mortem ejus præceſſit, cùm Mahumetus præfeciſſet exercitui Zaidum, dixit: Si occiſus fuerit Zaidus, ſubſtituatur illi Giaapher: ſi autem Giaapher occidatur, ſuccedat illi Abdallah filius Ravahæ. Occiſus autem fuit Zaidus, & ſubſtitutus eſt illi Giaapher. Occiſo autem Giaapher, ſucceſſit Abdallah.

Nullum hìc agnoſco vaticinium: præſertim cùm occiſus fuerit etiam Abdallah, nullumque illi affignaverit ſubſtituendum, quia ſcilicet hoc minimè prævidit.

Omitto alia plura vaticiniorum Mahumeticorum figmenta, eò quòd hactenus relatis ſimillima ſint, & iiſdem argumentis poſſint manifeſtæ vanitatis convinci. Satis mihi erit, hìc ea ſubjicere, quibus Mahumetus verum ſe Prophetam fuiſſe, Judæis ſapientioribus comprobavit. Inter quæ

Primum eſt, quod refertur ab Ahmed filio Mohammed, Thalebienſi, cognomento Alaſtad, in expoſitione Suræ quintæ *de Menſa* v. 45. in hæc verba. (Dixit Ebno-Suria (erat hic Magiſter Judæorum): Divina nobis, ò Mahumete, tria, de quibus te interrogabo. Reſpondit Mahumetus: Quænam hæc ſunt? Dixit ille: Annuncia mihi quæ pertinent ad ſomnum tuum. Reſpondit Mahumetus: Oculi mei dormiunt, & cor meum vigilat. Vera dixiſti, inquit ille. Sed dic mihi: Quæ cauſa ſit, cur aliquando filius ſit ſimilis patri, & aliquando ſimilis matri? Reſpondit Mahumetus: Uter eorum ſuperior fuerit, & ſemen ejus præceſſerit ſemen alterius; illi ſimilis erit filius. Dixit Ebno-Suria: Divinaſti. Sed dic mihi, quam partem habeat in prole vir, & quam partem fœmina? Tunc Mahumetus in maximas incidit anguſtias, & longo deliquio occupatus, paululum ſeceſſit ab eo: facies autem ejus fudore manabat. Tandem dixit Ebno-Suriæ: Caro, & ſanguis, & ungues, & capilli, proveniunt in fœtu à fœmina. Oſſa autem, & nervi, & venæ à viro. Verax es, inquit ille: omninò Prophetam te probaſti. Factus eſt igitur è Judæo Mahumetanus. Deinde dixit: O Mahumete, quis eſt ex Angelis, qui venit ad te? Reſpondit ille: Gabriel. Deſcribe, inquit, illum mihi. Tunc Mahumetus deſcripſit eum illi. Et ait Ebno-Suria: Teſtificor, reperiri in Pentateucho deſcriptum, ſicut dixiſti: & te eſſe verum Legatum.)

Secundum refertur ab Ahmed filio Abdalhalim in ſua Apologia pag. mihi 307. his verbis: *Mittebant Mecæni ad Judæos ſcripturarum peritos in Medinam, ut interrogarent eos de Mahumeto, & qualitatibus ejus, & de iis, quæ ipſe proloquebatur. Miſerunt autem Almadar filium Albareth, & Acabam filium Abu-Maath: qui cùm perveniſſent Medinam, interrogaverunt Sacerdotes Judæorum de iis, quæ de Mahumeto concive ſuo ſentirent. Reſponderunt eis Sacerdotes: Interrogate eum de tribus, quæſi divinaverit, eſt verè Propheta miſſus à Deo. Si autem id non fecerit, nebulo eſt, ac nugivendulus. Interrogate ergo eum de Pueris, qui abierunt primò* (intelligit ſeptem Dormientes), *& quid evenerit illis, nam eorum hiſtoria eſt admirabilis. Interrogate etiam eum de Viro Circuitore, qui pervenit ab Oriente in Occidentem* (intelligit Alexandrum Magnum), *& quænam ſit hiſtoria ejus. Demum interrogate illum de Spiritu,* (ideſt anima rationali) *quidnam ſit. Reverſi igitur Mecæam hi duo, qui miſſi fuerant, venerunt eum Coraſinis ad Mahumetum, & interrogaverunt de tribus illis, quæ à Sacerdotibus Judæorum propoſita fuerant. Reſpondit autem illis Mahumetus, ſe omnia divinaturum. Venit interim Gabriel miſſus à Deo eum Sura* الكهف *De ſpelunca* (quæ eſt 18. in Alcorano) *in qua continebatur explicatio eorum, de quibus interrogatus fuerat Mahumetus; qui omnia illis adamuſſim edifferuit.* Nimirùm hiſtoriam ſeptem Dormientium: hiſtoriam Alexandri Magni; & originem Animæ rationalis.

Tertium refertur ab eodem ex Sahiho Albocharii, ubi dixit Anas: *Venit Abdallah filius Salam* (erat hic Magiſter Judæorum) *ad Mahumetum in Medina, & ait illi: Interrogabo te de tribus rebus, quas non novit, niſi qui fuerit propheta: nimirum: Quodnam futurum ſit primum ſignum, ſeu circumſtantia diei Judicii. Quisnam futurus ſit primus cibus, quem comedent habitatores Paradiſi. Quando infans convertat ſe ad patrem; quando verò ad matrem. Reſpondit Mahumetus: Hæc exactè mihi Gabriel revelavit. Tunc Abdallah: Eſt, inquit Gabriel hoſtis Judæorum: ſed perge. Et ille: Primum ſupremæ diei ſignum erit ignis, qui conſumet homines ab Oriente, uſque in Occidentem. Primus autem cibus habitatorum Paradiſi erit extremitas, ſeu incrementum, jecoris Piſcis. Denique cùm ſemen viri prævenerit ſemen fœminæ: puer convertet ſeſe ad patrem ſuum. Si autem ſemen fœminæ prævenerit ſemen viri, convertet ſeſe ad matrem ſuam. Tunc dixit Abdallah: Proteſtor, nullum eſſe Deum præter Deum, & te eſſe Legatum Dei.*

Quartum habetur in Sahiho Moſemi, ex relatione Thaubani, ita dicentis: *Stabam apud Mahumetum; venitque unus è Sacerdotibus Judæorum, & ſalutavit eum, dicens: Salve, ò Mahumete: Ego veni ad te, ut quibuſdam de rebus interrogarem. Tetrè, inquit Mahumetus, quod vis. Tunc Judæus: Ubi erunt, inquit, homines ea die, qua terra in aliam terram, & cæli in alios cœlos commutabuntur? Reſpondit Mahumetus: In tenebris abſque eo quod perſtant. Dixit Judæus: Quinam primi evadent ab illis tenebris? Reſpondit Mahumetus: Pauperes, qui propter Deum emigraverunt à ſedibus ſuis. Dixit Judæus: Quiſnam erit cibus eorum, quando ingredientur Paradiſum? Et Mahumetus: Extremitas, inquit, jecoris Piſcis. Dixit Judæus: Quodnam erit poſtea prandium eorum? Et ille: Macſabitur eis taurus Paradiſi, qui paſcebatur ab una extremitate Paradiſi ad aliam. Dixit Judæus: Et quis erit potus eorum? Reſpondit Mahumetus: Erit è fonte Paradiſi, qui vocatur Salſabil. Tunc Judæus: Divinaſti, inquit. Sed age: interrogabo te de quadam re, quam nullus mortalis novit, niſi ſit propheta; vel ad ſummum unus, vel duo homines novere: hæc autem eſt: Quandonam mas, quando verò fœmina oriatur. Reſpondit Mahumetus: Semen viri eſt album: fœminæ autem flavum. Cùm igitur ſemina commixta fuerint; & ſemen viri ſuperius fuerit ſemini fœminæ; naſcetur maſculus, volente Deo. Si autem ſemen fœminæ ſuperius fuerit ſemini viri; naſcetur fœmina, volente Deo. Dixit Judæus: Vera dixiſti: & tu certè es propheta. Cùm verò ille abiiſſet, dixit Mahumetus: Certè eorum, de quibus me interrogavit, nihil ſciebam: ſed revelavit ea mihi Deus.*

Quintum refert Abu-David Tialeſinus, qui aſſeruit ſe illud audiviſſe ab Alhomeid filio Baharan,

qui id audiverat à Sahar filio Hauſeb, qui faciebat auctorem ejus Ebn-Abbas, quem ita audiverat dicentem: *Convenit aliquando caterva Judæorum ad Prophetam Mahumetum, & dixerunt illi: O Legate Dei, divina nobis quædam, de quibus te interrogabimus, quæ nemo ſcit niſi Propheta. Dic nobis quatnor: Quis fuerit cibus, quem Iſrael interdixit ſibi, antequam traderetur Tentatenchus. Quandonam ex viro, & muliere naſcatur maſculus, vel fœmina. Quomodo ſeſe habeat in ſuo ſomno hic Propheta. Quis Angelorum ſit Index, ſeu res manifeſtet. Reſpondit Mahumetus ad primum: Iſraelem, ſeu Jacobum, vehementi correptum morbo, diù ægrotaſſe, & interim voviſſe Deo, ſi ipſum ex eo morbo ſanaret, ſe interdicturum ſibi id quod magis appetebat de cibo, & potu, nempe lac & carnem cameli. Dixerunt Judæi: Ita eſt per Deum. Reſpondit Mahumetus ad ſecundam, & tertiam quæſtionem id quod jam ſuprà reſponderat aliis Judæis: & hi reſponſum cum plauſu probavere. Ad quartam verò reſpondit: Index meus, & dux meus eſt Gabriel: neque miſit Deus unquam Prophetam ullum, quin Gabriel eſſet director illius. Tunc Judæi: Si ita eſt, inquiunt, ſeparabimur à te: nam ſi fuiſſet alius, quàm Gabriel, certè ſecuti fuiſſemus te, & te veracem prædicavi ſſemus. Dixit eis Mahumetus: Et quid vos detinet, ne credatis ei? Reſponderunt: Quia Gabriel inter Angelos eſt hoſtis Judæorum.*

Mirum eſt, Ahmedum Mahumetanorum Doctorem & Anteſignanum, velle his nugis, quæ vel aniculas, ac pueros dedecerent, Prophetæ ſuo fidem comparare. Sed benè eſt: hæc nobis ſatis ſunt ad omnem illi fidem detrahendam. Et nihilominus ille hæc eadem magni facit, ita ſubdens: *In his narrationibus Sapientes Judæorum, quales erant Abdallah filius Salam, & alii, interrogabant eum de rebus, quas aſſerebant, nullum ſcire, niſi Prophetam; vel unum, aut ad ſummum duos, qui non eſſent Prophetæ. Et hujuſmodi interrogationibus experiebantur eum, ut conſtaret, utrum ſciret ipſis reſpondere. Si enim ſciret id, quod nullus ſciebat niſi Propheta: utique erat Propheta. Et patet, intentum eorum in hoc adimplendum fore, ſi cognoviſſent, eum non didiciſſe hæc à Chriſtianis, & Judæis, ſeu ab alio ab his inſtructo. Alias manifeſtum eſt, has quæſtiones aliquos homines ſcivi ſſe, ſed à Prophetis didiciſſe. Et hoc manifeſtum eſt; Scripturales ſcilicet, qui has ei proponebant, certos fuiſſe, nullum hominem docuiſſe Mahumetum ea, quæ habebantur in ſcientia eorumdem Scripturalium. Si enim hoc non exiſtimaſſent de eo, non ſuiſſent aſſecuti intentum ſuum, experiendi, utrum eſſet Propheta, nec ne. Nullum itaque eſt dubium, quin illi omninò ſupponerent, eum non didiciſſe eas à Scripturalibus: præſertim quia ſi eas à quopiam Scripturalium didiciſſet, & deinde voluiſſet eoſdem redarguere tamquam mendaces, & eos oppugnare: ipſi hoc manifeſtaſſent, & apud ipſos Scripturales vulgatum ſuiſſet. Cùmque ad prædictas quæſtiones reſpondiſſet, dixiſſent ei: Hæc à tali, & tali ex nobis didiciſti: vel, hoc docuerunt te aliqui ex noſtra ſecta.*

Quid tibi videtur, Lector, de hoc acumine Chryſippzo, & de hac Socratica ſapientia? Sed attende reliqua, quibus tàm ſpiritum propheticum, quàm miraculorum donum Prophetæ ſui nititur confirmare.

CAPUT OCTAVUM

Argumenta Mahumetanorum pro aſſerendis miraculis Prophetæ ſui.

VIx dici poteſt quàm multa congerant argumenta Doctores Moslemi ad ſtabiliendam veritatem miraculorum Mahumeti. Hæc refert Ahmed filius Abdolhalim in ſua Apologia fatis diffusè.

Verba ipſius afferam ex Arabico ſumma fidelitate translata; iis tantummodo reſectis, quæ ad rem non faciunt.

Ita igitur ille in Apologia, pag. mihi 419. *Hæc igitur miracula partim ſunt ex Alcorano, partim habentur ex traditione, ac fama vulgata, ex qua norunt ea omnes in communi, & in particulari: cujuſmodi eſt, quòd ex digitis ejus aquæ emanaverint. Nam unumquodque horum miraculorum evulgatum eſt hiſtoriis, & fama, & latè emanavit inter homines à generatione in generationem ab avis ad nepotes: & nulla natio eſt in gente Arabum, in qua hæc miracula notificata, & publicata non fuerint: & tradita ſunt memoriæ, & libris, magis quàm multa, quæ habentur in Alcorano: & hoc, quia miracula Mahumeti fuerunt multa, ex quibus plura facta ſunt coram multis teſtibus. Hæc autem narrabant inter ſe: & cùm ii, qui præſentes fuerant, referrent aliis teſtibus, magis illuſtria fiebant.* Probat deinde Adverſarius Mahumeti miracula, vulgatiora ac celebriora fuiſſe apud Mahumetanos, quàm leges, & ſtatuta Alcorani: imò quàm miracula Prophetarum præcedentium, & hiſtorias Regum, ac Principum, & bellorum anteà geſtorum etiam, ab ipſo Mahumeto, in quorum notitia plurimi hallucinantur, & multa ignorant, aut mentiuntur. Quin etiam plures Mahumetanorum, quantumvis doctos, ac peritos, ignorare ea, quæ apud Chriſtianos, vel Judæos per traditionem habentur. Imò & apud quamlibet nationem Mahumetanicam quædam reperiri antiquorum dicta, aut facta, quæ aliæ nationes ne audierunt quidem. Præterea non pauca, ab ipſis Mahumetanis de Propheta ſuo circumferri, quæ ab omni veritate funt aliena: E.G. illum plures peregrinationes ſacras obiiſſe poſt Hegiram, quàm ante illam: vel jejunaſſe menſe Rhamadan in Mecca: vel publicitùs ſucceſſorem in Imperio Alym, vel alium neſcio quem inſtituiſſe; vel Abubacrum in peregrinatione Principatu ſpoliaſſe: vel eum aliis in extremo ſuo morbo ſine Abubacro preces perſolviſſe. Plura etiam illi miracula quoſdam Mahumetanos affingere; cujuſmodi ſunt; nubem Mahumeto ſemper umbraculum feciſſe: cùm ambularet, veſtigia pedum in petris, non autem in arena reliquiſſe. Solem retrogreſſum fuiſſe, ut poſſet Aly perſolvere preces pomeridianas, quas omiſerat, ne Mahumetum in ſinu ſuo dormientem expergefaceret: eundem Alym in terra manum ſuam expandiſſe, ut ſuper eam tranſiret exercitus: cùm verò mula ſuper eam tranſiret; imprecatum illi fuiſſe (ſcilicet Mahumetum) his verbis: Abſcindat Deus generationem tuam: & mulam illam non amplius peperiſſe. Hæc affirmat Ahmed, à ſapientioribus Moslemis rejici, quippe quibus nulla legitima hiſtoria, vel traditio ſuffragetur; per quod infert, Doctores Moslemos diſtinguere vera à falſis, ac propterea fidem illis eſſe adhibendam. Deinde aſſerit, eoſdem Doctores, qui de rebus Mahumeti, & de Alcorano, aliiſque

ad

Digitized by Google

ad Mahumeticam sectam spectantibus tractant, talem de his scientiam, ac certitudinem habere, qualis apud alios non reperitur. Hoc etiam apud alias gentes usuvenire. In qualibet enim secta vel natione, plura habentur, ac tenentur ex propriis Auctoribus, quæ apud alios ignorantur: cujusmodi sunt apud Judæos historiæ Hillelis, & Sammai, & aliorum ex Doctoribus ipsorum, quæ apud alias gentes ignotæ sunt: & apud Christianos historiæ quædam Apostolorum, & Constantini, & Concilii Nicæni, & aliorum Conciliorum Universalium, quæ à Doctoribus Christianis pro certis ac notis habentur, quamvis ab aliis ignorentur. Imò in ipso Mahumetanismo multa norunt viri docti, & ad vitam, & res gestas Abu-baeri, & Omaris, & Othmanis spectantia, quæ pro indubitatis habent, quamvis apud alios sint penitus ignota. Postremò cùm demonstrasset Auctor, res gestas eorum, qui post Mahumetum regnaverunt, diligentissimè à multis descriptas fuisse, & apud plurimos vulgatas, quamvis ab aliquibus ignorentur: res item ad varias scientias, & facultates spectantes à primis earum Auctoribus traditas, tanto studio ab eorum sectatoribus collectas, ac servatas fuisse, licet plures earum ignari reperiantur: ita subdit: *Quid dicendum erit de eo, qui apud assectas suos habetur superior omni sapiente, & sublimior omni Rege: & ipsi studiosissimi sunt omnium mortalium in cognitione rerum, quæ ad eum spectant, & in earum veritate probanda; & in iis, quæ falsò de illis asseruntur refellendis solertissimi? itaut plures libros conscripserint de narrationibus omnium, qui aliquid de eo tradiderunt: & in illis libris scripserunt res gestas illius; legitima ab iis, quæ suspecta erant, discernentes. Et in hoc incubuerunt, tantamque diligentiam adhibuere, ut nihil simile reperiatur in ulla gente, & ne in aliis quidem Mahumetanis præter hos, qui hujusmodi historias scripserunt: & hoc, quia ipsi peritiores fuerunt rerum Prophetæ sui, quàm ullus alius rerum illius, cujus se asseclam profiteretur: & quia ipsi melius cognoverunt veritatem, vel mendacium eorum, qui eas scripserant, vel tradiderant; quàm quilibet alius veritatem, aut falsitatem ejus, qui aliquid scripserat, vel tradiderat de eo, cujus asseclam se profitebatur. Cùm verò illud, quod ipsi scribunt de Sectariis suis; & in quo simul conveniunt & definiunt esse verum, non sit nisi verum: multò magis patet, illud quod hi definiunt esse verum, & in eo simul conveniunt, fore verum. Porrò loquendo generaliter de narrationibus Libri, seu Auctoris, qui inscribitur* العدجين *Alsahibein* (ideſt, *Duo Veridici*) *in quibus conveniunt Docti, & definiunt esse veras; sunt pauca quædam, de quibus disputant inter se. Et miracula omnia, quæ retulimus de Prophetæ Mahumeto, quæ sunt in libro, qui inscribitur* العلج *Alsahab* (ideſt *Verax*, seu *Veridicus*), *referuntur communiter ab omnibus Doctis, & vulgata ac nota sunt apud eos, & tamquam vera ac certa decernuntur; nec sunt de eorum genere, de quibus soleant disputare. Et per hanc viam incedunt periti, qui ea tam norunt, & ipsi sciunt, quis notitiam habeat de illis. Hæ autem sunt duæ viæ ad asserendam veritatem horum miraculorum,* المتواتر العلم والمتواتر المحاس *traditio scilicet generalis, & traditio particularis.*

Tertia verò via est التواتر المعنوي *traditio significativa: & hæc est earum rerum, in quarum notitia & scientia conveniunt universaliter nationes, seu partes. Etenim homines audiunt aliquando narrationes separatim factas in collocutionibus, quæ simul collectæ in unam rem conveniunt. Ita audierunt narrationes divisim factas de fortitudine Omaris, & Chaledi filii Alvalidi, & hujusmodi: itemque de scientia Hippocratis, & Galeni, & similium in medicinas: & ex conjunctione harum narrationum resultavit scientia necessaria, quod de tali persona hæc prædicarentur; licet unaquæque harum narrationum separatim sumpta non efficiat scientiam. Verum tamen est, ea, quæ in una collocutione dicuntur, non ab uno tantùm, sed à multis haberi; deinde per traditionem. Et ex hoc capite oritur scientia absoluta de fide, & morte, & aliis hujusmodi, ex quibus provenit rectitudo necessaria ad scientiam absolutam, qualis est scientia, qua homines sciunt, Chadigen, & Alsan, & alias, fuisse Matres fidelium: & Thateman & Zaineban fuisse filias Mahumeti. Hoc ita cognito, hæ narrationes, & aliæ quamplurimæ (de rebus Mahumeti) sunt sine comparatione plures, quàm hæ, quæ habentur de his singulis: & earum relatio est gloriosior, major, & excellentior, quàm relatio narrationum istarum. Hæc autem omnia continent, quòd Mahumetus filius Abdallah operabatur signa excedentia consuetum morem, & mirabilia magna, qualia de nullo homine referuntur. Et scientia Moslemorum in hoc major est, quàm scientia Scripturalium, in eo quod scribunt de miraculis Moysis, & Jesu, & aliorum. Nam exemplaria, seu libri miraculorum Mahumeti præter Alcoranum, sunt multò plura sine comparatione exemplaribus Pentateuchi, & Euangelii, quamvis utrumque horum superet libros Prophetarum. Nam Pentateuchus non fuit servatus totus & integer ab universitate filiorum Israel, quemadmodum servat, & custodit Alcoranum universitas Moslemorum. Et in destructione Jerusalem admodum pauci fuerunt, qui conservarent illum; itaut disceptent homines, quomodo devenerint ad nos exemplaria ejus. Et similiter Euangelium pauciora habet exemplaria, quàm miracula Mahumeti. Quòd si dicant Christiani: Hi nostri fuerunt sancti, & operati sunt miracula, qualia de Apostolis narrantur: Respondebimus, etiam socios, & assectas Mahumeti fuisse sanctos, & patrasse miracula majora, quàm Apostolos, & alios ex aliis gentibus. Fuit enim ex his, & qui transveheret exercitum super aquas: & qui biberet venenum mortiferum: & per cujus preces Deus suscitaret mortuos: & qui multiplicaret cibum & potum. Et libri, qui tractant de honoribus Sanctorum, majora continent circa hoc, quàm sint apud Scripturales. Et ipsi transcribunt res Prophetarum, & Sanctorum ex libris, qui sunt apud eos: qualis est liber Actuum Apostolorum, & volumen libri Regum, & hujusmodi: & nullum profertur argumentum ad probandam integritatem exemplarium eorum, quin argumenta Moslemorum, quibus probant id, quod scribunt de Prophetæ suo, & de sociis, & assectis ejus, clariora sint, & fortiora.*

Quarta via est, quòd horum miraculorum, quæ commemoravimus, quædam facta sint coram multis: quale fuit cùm multiplicavit cibum in bello Fovez, &c. Omnes autem illi erant probi, & Paradiso destinati: neque agnosci poterat inter eos ullus, qui de Mahumeto vel unum mendacium proferret. Pars autem eorum, qui ea miracula viderant, nar-

Digitized by Google

vabant ea coram aliis, qui item præsentes fuerant: & hi aliis referebant, & illi aliis, & alter alteri ea confirmabat: & unus ea narrabat, sicut narrabat alius, absque eo quod ante in hoc convenissent, aut alter alterum docuisset. Qualitates porrò Mahumeti cogebant hominem, ut ea, quæ de eo referebantur, confiteretur, & non negaret. Nos autem non ignoramus id, quod convenit consuetudini inditæ à natura, qua Deus homines creavit; & morem, quem semper tenuere majores hujus gentis (ideſt Arabum) profitendi veritatem, eamque probandi, & profitendi hujus rei convenientiam, ac necessitatem; quantoque studio caverent mentiri aliquid de Propheta suo, quantumque piaculum hoc existimarent, cùm valdè vulgatum esset apud eos, ipsum dixisse: Qui deliberatum aliquod de me mendacium protulerit, præparetur ei sedes in Gehenna. Nos porrò scimus, ipsos non præstituros fidem suam illi, quem scirent mentiri de eo, & illud de eo narrare, quod ipsi testes forent, esse falsum. Cùm ipitur in hujus rei confessione convenerint, & in his, quæ de Propheta suo per traditionem aliorum ad alios accepta erant, absque eo quod ullus eorum ea negaverit: absolutè convincitur, illos ita concordes fuisse in relatione harum rerum, sicut concordes fuerunt in relatione Alcorani, & legum per traditionem acceptarum. Quòd si vulgus eorum non fuit ita attentum ac sedulum ad citò discendum, vel intelligendum Alcoranum: nihilominus alius illum discebat, ac docebat, & alius ab illo, qui didicerat, audiebat: neque alter alteri negabat lectionem esse veram: & hic docebat illum Orationem, quæ in meridie quatuor inclinationibus, in vesperi tribus, & in aurora duabus perfolvenda erat: & ille acquiescebat ei tamquam veraci, & ex eo quod alter in alterius dicto circa hoc acquiesceret, conflat de consensu, & concordia eorum in illo. Et hoc est summum, quod probari possit per traditionem. Et ita quod retulerunt de legibus, & miraculis Mahumeti, & demonstrationibus ejus præter hæc, si quid erat, quod unus improbaret vel negaret, refutabat illud coram alio, neque conveniebat in eo: (& si hoc fecerunt posteriores socii Mahumeti; quanto magis putandum est feciſſe eos, qui præcesserunt?) veluti cùm disceptaretur inter eos, utrum Mahumetus clara voce proferret formulam بسم الله In nomine Dei, nec ne: & an semper perseveravet in precibus Autoræ; an verò identidem hoc faceret, juxta id, quod casus ferebat: & an unica id tantummodo vice faceret, ac deinde omitteret. Hæc autem est una ex rebus levissimis, ac facillimis: omnes quippe conveniunt, bonam esse orationem tam illius, qui in ea diù perseverat; quàm ejus, qui non diù perseverat: & illius, qui clara voce orat, quàm illius, qui tacitè, submissèque precatur. Verùm cùm disputant de eo, quod fecit Mahumetus, disputant de judicio (ideſt de eo, quod cadit sub judicium, seu disceptationem). Et certum est per hoc, quod illud clarum est & manifestum apud Moslemos de Propheta suo, neque negatur ab ullo ex sapientibus ejus; in hoc omnes conveniunt. Hujusmodi est Alcoranus, & sanctiones claræ, & vulgatæ: horum enim relatio est major, quàm earum rerum, quæ habentur de Prophetis, & Sapientibus, Regibus, & Monachis, seu Religiosis. Porrò qui retè tractaverit hanc quartam viam, magnam percipiet ex ea scientiam certitudinalem & absolutam de veritate horum miraculorum, quæ fecit Mahumetus: & idem statuo de tribus viis jam dictis; nos porrò jam commemoravimus, ejus, quod magis necessarium est hominibus ad cognoscendum Deum, ipsum Deum facilitatisse demonstrationes hominibus, magis quàm aliarum rerum. Necessitas autem hominum ad cognoscendam veritatem Legati (ideſt Mahumeti) gravior est, & major omni aliarum rerum necessitate. Per hoc enim felicitatem suam consequuntur in futuro sæculo, & à pœna liberantur: per quod provenit hominibus bonum in vita, & in morte.

Quinta via est, ut dicamus: nullum reperiri Sapientium librum, in quo non tradantur sufficientia miracula Mahumeti. Libri interpretum Alcorani, & Historiographorum, & præsertim eorum, qui de Mahumeti Vita, præliis, aliisque rebus gestis scripserunt: libri etiam Annalium, & de Jurisprudentia, referti sunt hujusmodi miraculis: nec tamen intentio Auctorum, qui de Jurisprudentia scripserunt, fuit miracula referre, sed judicia pertractare, quorum occasione, etiam miracula sibi nota tradiderunt. Pleni item sunt his miraculis libri Mathematicorum, & Metaphysicorum: & cùm auctoritas cujuslibet generis horum Auctorum gignat scientiam certitudinalem; quantò magis gignet eam, si omnes simul sumantur? Hæc autem via, & alie, veluti via confessionis, & confirmationis, seu verificationis Doctorum, & Historicorum, & alie, ostendunt quandoque successivam traditionem generis communis miraculorum consuetudinem excedentium: hæc verò est omnium pauciſſima. Aliquando autem ostendunt تواتر جلس traditionem genericam; cujusmodi est, quod traditur de multiplicatione cibi & aquæ ad purificationem, & potum. Aliquando ostendunt تواتر نوع traditionem specificam: cujusmodi est, quod refertur de fluxione aquæ è digitis ejus, & saturatione magnæ turbæ cum exiguo cibo. Aliquando tandem singularis individui: quale est quod traditur de gemitu trunci palmæ ex affectu ad eum, & alia hujusmodi. Et quoties homo fixerit obtutum mentis in hoc, & perpenderit, quantum opus est, vim probationis ejus, comparatione facta cum rebus similibus, augebitur scientia certitudinali; & liquidò cognoscet, scientiam hujus rei clariorem esse ac manifestiorem, quàm sit quævis alia scientia, quam habere possit de historiis per traditionem acceptis. Nulla autem scientia haberi potest in Mundo de hujusmodi historiis, quin scientia de miraculis Mahumeti, & de legibus religionis ejus, non sit manifestior. Et nihil habetur de aliquo ex Prophetis, & Regibus, & Sapientibus, & Senioribus præcedentibus; aut de dictis, factis, & institutis vitæ eorum, quin scientia, quæ de rebus Mahumeti habetur, clarior sit, & manifestior. Neque aliquid scitur per traditionem de iis, quæ nunc reperiuntur (exempli causa de regionibus remotis, quales sunt Chaldæa, Chorasana, India, Sina, & Hispania respectu Syriæ: & Africa respectu Syriæ, Chaldææ, Chorasanæ, & India: & Chorasana respectu Syriæ, Chaldææ, & Ægypti: & India respectu Chaldææ, & Syriæ, & hujusmodi) quin notitia hominis de statu Moslemorum in Oriente, & Occidente; & de religione eorum, & de eo, quod narrant de Propheta suo, & de miraculis, & legibus ejus, clarior sit, & manifestior. Ex quo constat, nihil esse in rerum natura, de quo habeatur notitia per traditionem, & frequentem commemo-

Digitized by Google

memorationem, quin ea, quæ habetur de Mahumeti miraculis & legibus, major sit, & excellentior; ut verum comprobetur dictum Altissimi in Alcorano: Ipse est qui misit Legatum suum cum directione, & religione vera, ut manifestaret eam supra omnem religionem: & Deus est testis sufficiens. Hujusmodi verò manifestatio religionis illius super omnem religionem in scientia, probationibus, & declarationibus, utique habetur ex manifestatione miraculorum, & demonstrationum ejus. Hoc verò perfici tur per scientiam, seu notitiam illius, quod refertur de miraculis Mahumeti, quæ sunt loco demonstrationum; & de legibus ejus, quæ sunt id, quod demonstratur, & intenditur per demonstrationes. Hanc autem religionem manifestavit jam Deus scientia, probationibus, ac declarationibus super omnem religionem, quem admodum manifestavit virtute militari, auxiliis, ac victoriis. Et laus sit Deo Domino sæculorum: nullum est argumentum, quo aliquid probari possit, quod non aguoscatur multis vicibus pluri ficatum ad probanda hæc miracula, quæ Deus operatur per Mahumetum.

Sexta via est, quòd viri docti conscripserunt multa volumina de miraculis ejus, & signis demonstrativis, quæ referuntur in historiis; & plures de his libros ediderunt. (Hic verò Auctor enumerat multos Scriptores, qui de miraculis, Vita, & legibus Mahumeti scripserunt: qua occasione crambem recoquit, & Lectori ad nauseam obtrudit; repetens omnia fictitia miracula illa per compendium, quæ alibi prolixiùs enarraverat). *Et hoc præter miracula, & signa demonstrativa suppeditata ab Alcorano, quæ plures ex Moslemis collegerunt, commemorantes notas, & species eorum, de quibus fusiùs alibi tractatur: itaut planum faciant, reperiri in Alcorano supra decem millia miraculorum. Et hæc etiam, præter ea, quæ sunt in libris Judeorum, & Christianorum, in quibus referuntur facta Mahumeti: & præter id, quod habetur in lege ejus, cum qua missus fuit à Deo; & præter notas, & epitheta gentis illius.*

Repetit deinde multa, quæ anteà dixerat de signis, ac probationibus prophetiæ Mahumeti, & præsertim de ultione, quam Deus sumpsit de inimicis ejus, ac de felicitate, quam concessit iis, qui in eum crediderunt: id quod aliis etiam Prophetis anteà evenerat.

CAPUT NONUM.

Respondetur ad argumentum miraculorum, & ad ea, quæ Moslemi afferunt pro illis asserendis.

HÆc omnia, quæ de Mahumeto miracula à Moslemis asseruntur, possumus absolutè negare, & quidem rotundis verbis negamus, his argumentis.

Primò. Mahumetus ipse in Alcorano, ut suprà vidimus, sæpè sæpiùs ut miraculum aliquod patraret ab Arabibus requisitus; semper id recusavit, illis rationibus, quas jam superiùs attulimus. Imò introducit, ut vidimus, Deum ipsum affirmantem, se non misisse illum ad miracula facienda, sed ad homines commonendos, rectamque religionem illis prædicendam. Quomodo ergo consistere potest hoc cum eo, quòd Moslemi tàm fidenter pronunciant: nullum unquam Prophetam plura, aut majora mirzcula fecisse, quàm Mahumetum?

Secundò. Si in Alcorano adeò jactat Mahumetus & toties repetit, & recoquit id, quod revera nullum erat miraculum: ut victoriam Bedrensem, & somnium nescio quod casu verificatum: quid de tot, tantisque miraculis superiùs enarratis fecisset, si vera fuissent? quantum se in illis jactassset? præcipua certè non tacuisset, saltem illa, quæ viderant ii, qui ab ipso aliquod signum exigebant; quos, impossibile est, ea non vidisse, cùm coram innumera multitudine toties patrata fuerint. Et tamen nihil unquam meminit de arboribus ambulatoriis: nihil de lapidibus, montibus, & glebis ipsum salutantibus: nihil de bestiis loquentibus, & leeum confabulantibus: nihil de tàm frequenti aquarum, & ciborum multiplicatione: nihil de tot aliis mirabilibus, quæ Doctores Moslemi Prophetæ suo invito, & reclamanti affingunt. Evidentissimum hoc est argumentum, nihil horum illum fecisse.

Tertiò. Pleraque eorum, quæ referuntur, cùm per se levia sint, ridicula, & omni fide indigna: eorum etiam, quæ aliquid veri miraculi redolent, licet paucissima sint, ostendunt vanitatem. Quid porrò magis ridiculum, quàm gemitus ille & ejulatus puerilis trunci aridi in Oratorio Medinensi, eò quòd Mahumetus in concionando non amplius sibi humeris inniteretur? quid improbabilius, quàm pera Abu-Horeiræ, quæ dactylisfodina dici poterat, tantam dactylorum copiam ex se per tot annos effudit? quid levius illa bestiarum, lapidum, montium, glebarum salutatione, familiarique collocutione?

Quartò. Hæc miracula adeò variis, & sæpè contrariis modis referuntur, etiam ab iisdem, qui testantur, se ea vidisse; ut ex hoc tantùm existimari possint esse commentitia. Plura hujus generis superiùs exempla retulimus: quamobrem supervacaneum esset hìc eadem repetere.

Quintò. Omnia referuntur ex auditu: & sæpè relatio defertur ab uno ad alium per octo, vel decem generationes: qua in re nemo ignorat, quàm facilè res varientur, & in quàm diversas formas immutentur. Id quotidie docet experientia: sæpè enim, quod ab ore primi exiit culex; in ore tertii, vel quarti jam crevit in camelum. Nunquam video, Auctores Moslemos asserre legitimam aliquam scripturam, vel librum alicujus, quem constet eotempore vixisse, quo miracula illa facta esse narrantur. Et quamvis afferrent, non tamen certum esset, librum illum esse legitimum: quemadmodum certum est, etiam apud Moslemos, libros Euangeliorum esse legitimos, & scriptos ab iisdem, qui plerumque præsentes fuerunt iis, quæ in ipsis scribuntur: & idem dico de Pentateucho, aliisque Sacris Veteris, Novique Testamenti Codicibus. Quotidie porrò experimur, multos libros prodire sub nomine Auctoris alicujus antiqui, qui revera spurii sunt, vel supposititii: & ab aliquo sycophanta recenter conscripti. Omnia hìc habentur per traditionem: Dixit talis, se audivisse à tali, qui audierat à tali, qui asserebat sibi dictum fuisse à tali, qui audierat talem affirmantem, se vidisse hoc, vel hoc, tali, vel tali modo fieri à Mahumeto. Sed illius, qui vidit, nullus liber in medium producitur. Ridiculum sanè, atque insulsum historias scribendi genus. Hùc accedit, eorumdem, qui asseruntur vidisse, verba à diversis Auctoribus diversimodè, & non rarò repugnantibus inter se modis referri, ut suprà vidimus. Hic verò Lectorem admoneo, formulam illam, quam passim Scriptores Mahumetani ponunt in ore testium,

Digitized by Google

quos adducunt, nempe ولت والله *Vidi*, vel, ولت والله *Juro per Deum me vidisse*, desumptam esse ex disciplina Rabbinica Judæorum. Eodem quippe modo Rabbini allegant in Thalmude testes suos. In Bava Bathrà pag. 74. circa medium ita legimus: *Rabbi Sipbra narravit mibi: Aliquando cùm essem in navi, vidimus quemdam piscem, qui caput extollebat super aquas; & habebat cornua, & erant incisa in eis hac verba: Ego sum creaturarum minima, quæ sunt in hoc Mari. Et nibilominus erat longitudinis trecentarum leucarum* (nimirum mille, ac ducentorum milliarium Italicorum) *& ingrediebatur in os Leviathan, ut esset ei cibus unius diei.* Ibidem cap. Hasfephina, pag. 73. non longè à principio ita legitur: *Dixit Rabba Bar-Chanà: Aliquando navem conscendimus, & vidimus quemdam piscem, in cujus nares ingressus est vermiculus Tinnà, à quo occisus piscis, à maris procella in aridam projicitur tanto impetu, ut sexaginta Urbes maritimæ subverse sint. Alie verò sexaginta urbes cibaverunt se carne illius: & quod reliquum fuit, alie sexaginta Urbes sale condierunt. Ex una autem pupilla oculi ejus trescenta dolia olei implevernnt. Completo verò anno, iterum per eadem loca transeuntes, vidimus homines secantes ossa illius, ex quibus eadem Urbes restauratæ sunt.* In Codice *Chetubbot* de Contractibus dotalibus cap. 3. pag. 111. sic legitur: *Dixit Rabbi Jacob Bar Dostai: Ex Lud in Ono' tria milliaria sunt. Aliquando surrexi in crepusculo, & ambulavi in valle ficuum usque ad talos. Dixit Resc Lakisc: Egomet vidi terram Zipporì fluentem lacte, & melle, & erat mille & viginti quatuor milliarium. Dixit Rabba Bar-Chanà: Ego vidi totam terram Israel fluentem lacte, & melle.* Alia hujusmodi fabularum Rabbinicarum portenta, vide in Bibliotheca Rabbinica Eruditissimi Viri D. Julii Bartolocii Abbatis ex Ordine Cisterciensi Reformato: qui in rebus Hebraicis fuit temporum nostrorum Phœnix. Hinc intelliges, quales Magistros Moslemi Doctores habuere.

Sextò. Consuetudo mentiendi, vel errandi Arabum in narrationibus suis (quamvis Ahmed eos omnium mortalium veracissimos prædicet) præcipuum est argumentum, eos maximè in his miraculis recensendis mentitos fuisse. Quàm perfricta & audaci fronte confinxere lucem illam portentosam ab Adamo usque ad Mahumetum per omnes generationes diffusam, cujus ne minimum quidem vestigium, vel in Sacris literis, vel in historiis Gentium reperitur? Quàm impudenter communi calculo affirmant, Judæos, & Christianos Mahumetum venturum expectasse; & in Pentateucho, & Euangelio illum, etiam proprio nomine expresso, prædictum fuisse? Omitto monstrosas nugas, & portentosas fabulas in historiis Adæ, Noæ, Abrahæ, Davidis, Solomonis, S. Georgii, & aliorum, quibus Mahumetanorum libri refertissimi sunt, & quæ à recentioribus Moslemis ex documento Apostatarum Judæorum, & Christianorum apertè cognitæ, omnem illis de Majoribus suis fidem detrahere possent, nisi in errore suo nimis obfirmarentur. Unum hic sufficiat exemplum celeberrimi Expositoris Thelabiensis: qui explicans Suram quintam المائدة *Mensa*, ad ea verba vers. 13. ولقد اخذ الله ميثاق بني اسرائيل *Et jam quidem accepit Deus pactum filiorum Israel*, ita scribit: (Arabica verba refero, ne quis de me fraudem aliquam suspicetur)

فاختار موسي النقبا فصار بهم حتي اذا دنوا من ارض كنعان وهي ارضا بعث مولاه النقبا اليها يتجسسون له الاخبار فلقاهم رجل من الجبارين يقال له عوج بن عنق طوله ثلاثة الاف وعشرون الف ذراع وثلاثة وثلثون ذراعا: قاله ابن عمر وكان عوج يحتجن بالسحاب ويشرب منه الماء ويتناول الحوت في قعر البحر فيشويه لعين الشمس يرفعه اليها ثم يأكله: وروي انه اتي نوحا يوم الطوفان فقال له احملني معكم في السفينة فقال اخرج مني يا عدو الله واطمع الماء باعلا الارض من جبل وما علا ركبتي عوج وعاش عوج ثلاثة الاف سنة واهلكه الله تعالي علي يد موسي وكان لموسي عصكر فرسخ في فرسخ فحمله عوج حتي نظر اليهم ثم حمله الجبل وقور منه حفرة علي قدر العسكر ثم جعلها ليطبقها عليهم فبعث الله تعالي الهدهد ومعه المنسر يعني منقارة حتي قور الحفرة فانتقبها فوقعت في عنق عوج فطوقته فصرعته واقبل موسي طوله عشر اذرع وطول عصاه عشر اذرع وذري في الحاء عشر اذرع فما اصاب الي كعبيه وهو مصروع فقتله فاقبل جماعة كثيرة ومعهم الحاطم حتي حزوا راسه فلما قتل وقع الي نيل مصر مدة وكانت امه عنق وبقال عناق واحدي بنات ادم ويقال انها اول من بغا علي وجه الارض وكان كل اصبع من اصابعها ثلاثة اذرع في ذراعين في كل اصبع ظفران حديدان مثل المنجلين فلما بعث الله عليها اسودا كالفيلة وذبابا كالابل ونسورا كالحمر فسلطها عليها فقتلوها وأكلوها فلما لقاهم عوج وعلي راسه حزمة حطب احذ

Digitized by Google

لحذ الاثنا عشر رجلاً وجعلهم في حجرته واطلق بهم
الي امرأته وقال لهم اطوفي الي مولاة القوم الذين يزعمون
تعالتا وطرحهم بين يديها وقال الا الصحبهم برجلي
فقالت بلي هل عليهم حتي يصيروا قومهم بما راوا:
وكان لا يحمل منقون احدهم الا خمس انفس او اربعة
فلما خرج النقباء قال بعضهم لبعض ان اخبرتم بني
اسرائيل بهذا ارتدوا عن نبي الله تعالي ولكن اخبروا
موسي وهرون: وجاوا بحبة من عنبهم وقر جمل ثم
انهم جعلوا يتهون الاسباط عن قتالهم ويخبرون بما
راوا الا نقيمان كالب بن يوفنا ويشوع بن نون كتما
فذلك قوله تعالي ولقد اخذ الله ميثاق بني اسرائيل.

gulis digitis habebat duos ungues acutos velut duas falces. Cùm autem fornicata fuisset, misit Deus contra eam leones velut elephantes, & lupos velut camelos, & aquilas velut asinos; & occiderunt, & comederunt eam. Og verò cùm occurrisset exploratoribus missis à Moyse, portans fascem lignorum in capite, corripuit manu omnes ipsos duodecim, & posuit eos in pera sua: venitque cum eis ad uxorem suam, & ait illi: Aspice, oro te, hos homines, qui volunt pugnare contra nos. Et erutos è pera projecit ante illam, dicens: Vis ne molam illos pedibus meis? Illa verò: Sine, inquit, ut cant, & nuncient suis quæ viderunt. Torrò tàm vastus erat uvæ botrus, ut nullus eorum solus sustinere posset, sed quinque tantùm, aut quatuor viri portarent illum. Cùmque egressi fuissent duodecim viri illi, dixerunt adinvicem: Si hæc annunciaverimus filiis Israel, avertentur à Propheta Dei: referte hoc tantùm Moysi, & Aaroni. Venerunt ergo ferentes unum granum ex uvis eorum, & erat quantum camelus ferre poterat. Tunc isti cæperunt dissuadere populum, ne pugnarent contra eos, referentes illis ea, quæ viderant. Verùm duo ex illis, nimirum Caleb filius Jephone, & Josue filius Nun occultaverunt quod viderant. Et hoc significant verba illa Alcorani: & jam quidem accepit Deus pactum filiorum Israel.

Elegit Moyses Duces (duodecim) *& abiit cum eis, donec appropinquarent Terræ Chanaan, ubi erat Jericho: misitque ad eam illos Duces, ut exploratores essent pro se. Occurrit autem illis quidam è Gigantibus, qui vocabatur Og filius Anac, cujus staturæ altitudo erat viginti trium millium, ac triginta trium cubitorum. Refert hoc Ebn-Omar. Torrò Og apprehensas nubes attrahebat ad se, & aquam bibebat ex eis: capiebatque pisces in profundo Maris, assabatque eos ad sphæram Solis, & comedebat eos. Fertur etiam ex traditione, quòd venerit ad Noe tempore Diluvii, & dixerit ei: Porta me tecum in Arca. Cui Noe: Discede, inquit, à me, ò inimice Dei. Operuit autem aqua altiores montes terræ, nec tamen pervenit ad genua Og. Vixitque Og ter mille annos: & perdidit illum Deus per manum Moysi. Cùm enim exercitus Moysis novem milliarium spatium occuparet, venit Og, & posteaquam vidit eum, perrexit ad montem, & excidit ab eo petram tàm latam, quæ operiret totum exercitum; imposuitque eam supra caput suum, ut eam super exercitum conjiceret. Misit autem Deus upupam, quæ rostro suo petram perforavit, itaut caderet super collum Og, circundans illud in morem torquis. Og verò pondere illius gravatus cecidit in terram. Tunc Moyses cucurrit ad eum: cùmque esset Moysis staturæ decem cubitorum, accepit hastam longam decem cubitos, & conjecit eam sursum erga cœlum per totidem cubitos: & tamen non pervenit, nisi ad talos Og, quamvis jaceret humi prostratus: atque ita occidit eum. Venit autem magna multitudo cum sciis, & reciderunt caput ejus: cùmque occisus esset, jacuit porrectus usque ad Nilum Ægypti per annum. Erat autem mater ejus, nomine Enac, una ex filiabus Adam, & prima mulier fornicaria in terra: & habebat digitos longos tres cubitos:*

(Arabicè ، ثلاثة اذرع في ذراعين *tres cubitos in duobus cubitis*; quod Italicè dicimus, *da due in tre braccia*. Nimirum brevissimus duos, longissimus tres cubitos habebat: reliqui ad proportionem) *& in sin-*

En quæ, & quanta in unica narratione, fabularum monstra commiscat doctissimus Mahumetanorum, qui in principio sui operis, lucupletaginta Doctores præcipuos allegat, ex quibus ea, quæ scribit, desumpsit: ut intelligant omnes, ipsum in suis nugis bovino pede processisse. Et quidem ita profert hoc tàm magnum figmentum, ut illud divinis verbis in Alcorano significari affirmet.

Sed clarius fortasse apparebit, quàm vanum, mendax, & infidele sit hoc hominum genus, ex eo quod de re toti orbi notissima, nempe, de Urbe Roma, & quidem eo in statu, in quo non multis abhinc sæculis reperiebatur, scripsit

الشيخ الامام العارف زكريا بن محمد بن محمد القزويني:

Doctor Emamus (Antistes Sacrorum) *Peritus, Zacharia filius Mohammedi filii Mohammedi Cazunienfis*: in suo opere,

في عجايب البلدان على سبعة اقاليم

De mirabilibus regionum per septem climata. Cap.

في الاقليم الخامس

De climate sexto. Audi igitur, quid hic tàm doctus, ac celebris Auctor de re omnibus notissima scribat.

رومية مدينة زينة الروم وعلمهم في شمالي غربي القسطنطينية وبينهما مسيرة خمسين يوماً وفي بيد الغرب ويقال لملكها ملك المال وبها يكون المال الذي بطبيعه الغرب ومن عندهم بمنزلة الامام الذي يكون واجب الطاعة ومدينة رومية من عجايب الدنيا لعظم عمارتها وكثرة خلقها وعظم عمارتها خارج عن

Digitized by Google

وبها كنيسة داخل المدينة بُنيت على اسم مار بطرس ومار بولوس وهما مدفونان فيها يقصدهما الروم ولهم فيها اعتقاد عظيم ويذكرون عنهما اشياء عجيبة وطول هذه الكنيسة الف ذراع في خمسماية ذراع في سمك مايتي ذراع: وبها كنيسة اخري بنيت باسم اصطفانوس راس الشهداء طولها ستماية ذراع في عرض ثلثماية ذراع في سمك ماية وخمسين ذراعا وسقوف هذه الكنيسة وحيطانها وارضها وبيوتها وكراها كلها حجر واحد: وفي المدينة كنايس كثيرة والف دير للرهبان الرجال والنساء وحول سورها ثلثون الف عمود وفيها اثنا عشر الف زقاق يجري في كل زقاق منها نهران احدهما للشرب والاخر للجيوش وفيها اثنا عشر الف سوق في كل سوق قنايان واسواقها كلها مفروشة بالرخام الابيض منصوبة على اعمدة النحاس مطبقة بدفوف النحاس وفيها ستماية وستون حمّام واذا كان وقت الزوال يوم السبت ترك جميع الناس اشغالهم في جميع الاسواق الي غروب الشمس يوم الاحد وهي عيد النصاري: وبها مجامع لمن يلتمس صنوف العلم من الطبّ والنجوم والحكمة والهندسة وغير ذلك: قالوا انها ماية وعشرون موضعًا: وبها كنيسة صهيون شبيهة بصهيون بيت المقدس طولها فرسخ في عرض فرسخ في سمك مايتي ذراع وساحة هيكلها ستة اجربة والمذبح الذي يقدّس عليه القربان من الزبرجد الاخضر طوله عشرون ذراعا في عرض عشرة اذرع يحمله عشرون تمثالا من ذهب طول كل تمثال ثلثة اذرع اعينها يواقيت حمر وفي الكنيسة الف ومايتا استوانة من المرمر الملمع ومثلها من النحاس المذهب طول كل استوانة خمسون ذراعا لكل استوانة رجل معروف

عن العادة الي حدّ لا يصدقه السامع: ذكر الوليد بن مسلم الدمشقي ان استدارة رومية اربعون ميلاً في كل ميل منها باب مفتوح فمن دخل من الباب الاول يري سوق البياطرة ثم يصعد درجًا فيري سوق الصيارفة والبزازين: ثم يدخل المدينة فيري في وسطها برجًا عظيمًا واسعًا: في احد جانبيه كنيسة قد استقبل بمحرابها المغرب وبنايها المشرق وفي وسط البرج بركة مبلطة بالنحاس يخرج منها ماء المدينة كله: حكي ان في وسطها عمود من حجارة عليه صورة راكب على بعير يقول لاهل المدينة نباء هذه المدينة يقول لا تخافوا على مدينتكم حتي ياتيكم قوم على هذه الصفة فهم الذين يفتحونها، وثلثة جوانب المدينة في البحر والرابع في البرّ ولها سوران من رخام وبين السورين فضاء طولها مايتا ذراع وعرض السور ثمانية عشر ذراعًا وارتفاعها اثنان وستّون ذراعًا: بها نهر بين السورين يدور ماؤه في جميع المدينة وهي ماء عذب يدور على بيوتهم يدخلها وعلى النهر قنطرة بدفوف النحاس كل دفة منها ستّة واربعون ذراعًا في عرض ثلثة واربعين ذراعًا وبين باب الملك الي باب الذهب اثنا عشر ميلًا وسوق ممتدّ من شرقها الي غربها باساطين النحاس وسقفه ايضًا نحاس وفوقه سوق اخري فيه جميع التجار وتجاب الامتعة: وذكر ان بين يدي هذا السوق سوق اخري على اعمدة نحاس كل عمود منها ثلثون ذراعا وبين هذه الاعمدة نقير من نحاس في طول السوق من اوله الي اخره فيه لسان من البحر تجري فيه السفن فتجرّ السفنة في هذا النقير وفيه الامتعة حتي تجتاز على السوق بين يدي التجار فيقف على تاجرٍ تاجرٍ فيختار منها ما يريد ثم يرجع الي البرّ

صاحب الطلسمات وعلى هذا الطلسم امناء وحفظة
من قبل الملك وابواب مختومة فاذا ذهب اوان
الزيتون وامتلا الصحن من الزيتون يجتمع الامناء
ويعطي الملك للبطارقة منها ومن يجري مجريهم
على قدرهم ويجعل الباقي لقناديل الكنيسة وهذه
القصة اعني طلسم الزيتون رايتها في كتب كثيرة
فلما يترك شي من عجايب البلاد وقد روي عن عبد
الله بن عمر بن العاص انه قال من عجايب الدنيا
شجرة برومية من نحاس عليها صورة سودانية
في منقارها زيتونة فاذا كان اوان الزيتون صفرت فوق
الشجرة فيوافي كل طاير في تلك الارض من جنسها
بثلث زيتونات في منقاره ورجليه ويلقيها على تلك
الشجرة فيعصرها اهل رومية فيكفيهم لقناديل
بيعهم واكلهم جميع الحول وبها طلسم اخر وهي
انه في بعض كنايسهم نهر يدخل من خارج المدينة
وفيه من الضفادع والسلاحف والسرطنات شي كثير
وعلى الموضع الذي يدخله الماء من الكنيسة صورة
صنم من حجارة في يده حديدة معقفة كانه يريد ان
يتناول بها شيا من الماء فاذا انتهت هذه الحيوانات
المؤذية اليها رجعت ولم يدخل الكنيسة شي منها
البتة وهذه كلها منقولة من كتاب بن الفقية وهي
محمد بن احمد الهمداني واعجب من هذه كلها ان
مدينة هذه صفتها من العظم ينبغي ان تكون في
مزارعها وضياعها الي مسيرة اشهر والا لا تقوم
بمسيرة اهلها وذكر قوم من اهل بغداد انهم شاهدوا
هذه المدينة قالوا انها في العظم والسعة وكثرة الخلق
مما يقارب هذا والذي لم يرها يشكك عليه: وحكي
ان اهل رومية يجلقون لحاهم ووسط هاماتهم
فسيلوا عن ذلك فقالوا لما جاءهم شمعون الصفا
والحواريون

معروف من الاساقفة ولها الف ومايتا باب كتار
من النحاس الاصف المفرغ واربعون بابا من ذهب
واما الابواب من الابنوس والعاج فكثيرة وفيها ماية
الف وثلثون الف سلسلة من ذهب معلق من
السقف تعلق فيها القناديل سوي القناديل التي
تسرج يوم الاحد: وبها من الاساقفة والشمامة وغيرهم
ممن يجري عليه الرزق من الكنيسة خمسون الفا
كلما مات واحد قام مقامه اخر وفيها عشرة الف
جرة وعشرة الف خوان من ذهب وعشرة الف كاس
من ذهب وعشرة الف سرجة من ذهب المنابر التي
يدار حول المذبح سبعماية منارة كلها ذهب وفيها من
الصلبان التي ليوم السعانين ثلثون الف صليب واما
صلبان الحديد والنحاس المنقوشة فما لا يحصا ومن
المصاحف الذهبية والفضية عشرة الف مصحف وقد
مثل في هذه صورة كل نبي من وقت ادم الي وقت المسيح
وصورة مريم عم كان الناظر اذا نظر اليهم يحسبهم
احياء: وفيها جلس الملك حولة ماية عمود على كل
عمود صنم في يد كل صنم جرز عليه اسم امة من
الامم جميعا زعموا انها طلسمات اذا نقروها وتحرك
الصنم عرفوا ان ملك تلك الامة يريدهم فياخذون
حذرهم وبها طلسم الزيتون بين يدي هذه الكنيسة
صحن يكون خمسة اميال في مثلها في وسطه عمود
من نحاس ارتفاعه خمسون ذراعا وهي كله قطعة
واحدة وفوقه تمثال طاير يقال السوداني من ذهب
علي صورة نقش وفي منقاره شبه زيتونة وفي كل واحدة
من رجليه مثل ذلك فاذا كان اوان الزيتون لم يبق
طاير في تلك الارض الا اتي وفي منقاره زيتونة وفي
رجليه زيتونتان يلقيها على ذلك الطلسم فزيت اهل
رومية وزيتونهم من ذلك قالوا هذا من عمل بلنياس

Digitized by Google

والحواريون دعوهم الى النصرانية فكذبوهم وجلدوا
لهم ورؤسهم فلما ظهر صدق قولهم
دعوا على ما فعلوا وجلدوا الذي
ورؤسهم كفارة لذلك.

Roma eſt Civitas capitalis Romanorum, cui à parte Septentrionali verſus Occidentem oppoſita eſt Conſtantinopolis, & inter has duas Urbes eſt iter quinquaginta dierum. Hæc autem eſt ſub poteſtate Latinorum. Rex illius appellatur Rex divitiarum. In ea reſidet Papa, cui Latini obediunt, & ipſe apud eos eſt in gradu ſupremi Antiſtitis, cui convenit obedire. Urbs autem Roma eſt unum ex miraculis Orbis propter magnitudinem ædificiorum, & multitudinem populi. Magnitudo verò ædificiorum excedit conſuetudinem, itaut qui audiunt, non credant illam. Refert Alvalid filius Moslemi Damaſcenus, circuitum Romæ eſſe quadraginta milliarium: & per ſingula milliaria eſſe portam patentem: intra primam verò portam eſſe forum, in quo equi mulique curantur. Deinde aſcendendo per gradum, apparet alind forum nummulariorum, & veſtium venditorum. Cùm verò quis intrat ipſam Urbem, videt in medio eius turrim magnam, & amplam, & in uno illius latere Eccleſiam, quæ apſide, ſeu poſteriori parte reſpicit Occidentem, proſpectu verò ædificii Orientem. In medio turris eſt piſcina ſtrata æreis laminis, ex qua egreditur tota aqua Civitatis. Ferunt in medio Urbis eſſe columnam lapideam, ſupra quam eſt figura hominis inſidentis camelo; qui habitatoribus Urbis Lemma exhibet cum hoc vaticinio inſcripto: Ne timeatis ſuper Urbem veſtram, donec veniant ad vos gentes hujus formæ: nam hæ expugnabunt illam. Tria autem Urbis latera mare contingunt: quartum verò eſt in continenti. Habet duplicem murum ex marmore candido: & inter utrumque murum eſt intercapedo ducentorum cubitorum: latitudo verò muri eſt decem & octo cubitorum, & conſurgit in altitudinem ſexaginta duorum cubitorum. Inter duos muros decurrit fluvius, qui Urbem totam circumdat aqua ſua, quæ eſt dulcis: & in ipſo circuitu ingreditur in domos illius. Super hunc fluvium eſt pons teſtus laminis æreis, quarum qualibet longa eſt quadraginta & ſex cubitos, in latitudine autem habet tres, & quadraginta. Inter portam Regis, & portam auream ſunt duodecim milliaria: & forum protenſum ab Oriente ad Occidentem cum columnis æreis, arcoque teſto: & juxta hoc eſt alind forum, in quo conveniunt omnes negotiatores, & ſupellectilia vendentes. Et dicitur auto hoc forum eſſe alind forum ſuper columnas æreas conſtructum, quarum qualibet habet in altitudine triginta cubitos. Inter has columnas eſt aquæ ductus ex ære ad longitudinem fori à principio uſque ad finem ejus, in quod ingreditur lingua Maris, per quam currunt naves, & attrahitur navis in hunc aquæ ductum cum mercibus, ut exponantur in foro ſingulis mercatoribus; & eligit unuſquiſque id quod vult, & deinde regreditur in continentem. Eſt Eccleſia intra Urbem ædificata in honorem Divi Petri, & Divi Pauli, quorum corpora ibi ſepulta ſunt, & inviſuntur à Romanis cum magna veneratione, & referuntur de utroque res mirabiles. Longitudo hujus Eccleſiæ eſt mille quingentorum cubitorum: altitudo verò ducentorum cubitorum. Ibidem eſt alia Eccleſia ædificata ſub nomine Stephani Protomartyris, longitudinis ſexcentorum cubitorum, latitudinis trecentorum, & altitudinis centum quinquaginta. Tecta verò hujus Eccleſiæ, & parietes ejus, & pavimentum, & intermedia, & feneſtræ, omnia ſunt ex uno lapide. Sunt autem in Civitate Eccleſiæ multæ: & mille monaſteria pro viris, & mulieribus monaſticam vitam profitentibus. Circa murum ejus ſunt triginta millia columnarum: & præterea ſunt in illa duodecim millia platearum, in quarum ſingulis decurrunt duo flumina: unum ad bibendum, & alterum ad recreationem, ac voluptatem. Sunt & ad eaduodecim millia fora, in quorum ſingulis ſunt duo canales ad curſum aquarum, & fora ejus omnia ſtrata ſunt ex marmore candido: fundata ſuper columnas æreas, & cooperta tabulis æreis. Sunt præterea ſeptingenta ſexaginta balnea, (vel Thermæ). Ubi verò caperit die Sabbati ſol declinare, relinquunt omnes homines negotia ſua in omnibus foris uſque ad occaſum ſolis diei Dominicæ, quæ eſt feſtiva apud Chriſtianos. Sunt etiam in ea Collegia pro iis, qui volunt exerceri in variis Scientiis, ut Medicina, Aſtrologia, Philoſophia, Geometria, & hujuſmodi: hæc autem dicuntur eſſe centum viginti. Præterea eſt ibi Eccleſia Sion ad ſimilitudinem Sion, quæ eſt in Jeruſalem, cujus longitudo, & latitudo habet paraſangam (nempe ſpatium duodecim millium cubitorum, ſeu trium ferè milliarium Italicorum) in altitudine verò habet cubitos ducentos. Cavedium, ſeu Area ſubdialis media Templi ejus, habet ſpatium ſex Agrabarum (nempe trium millium quadringentorum, & quadraginta quatuor cubitorum). Altare autem, ſuper quod offertur Sacrificium, eſt ex ſmaragdo, longitudinis viginti cubitorum, & latitudinis decem cubitorum. Suſtinent illud viginti ſtatuæ aureæ, quarum qualibet habet in altitudine tres cubitos: & oculi earum ſunt hyacinthi rubri. In Eccleſia ſunt mille, & ducentæ porticus ex marmore lucido, & totidem ex ære deaurato: & longitudo vniuſcujuſque porticus eſt quinquaginta cubitorum. Singulis porticibus deſtimatus eſt unus Epiſcopus. Eadem Eccleſia habet mille, ac ducentas portas magnas ex ære puriſſimo fuſili: & quadraginta portas ex auro. Mulæ autem ſunt portæ ex ebeno, & ebore. Porrò centum, ac triginta millia catenarum aurearum dependent ex teſto, quibus ſuſtinentur lampades, præter lampades, quæ accenduntur die Dominica. Sunt in ea ex Epiſcopis, ſacris Miniſtris, & aliis, qui aluntur ex redditibus Eccleſiæ quinquaginta millia: & quoties moritur unus, ſubſtituitur loco ejus alius. Et in ea ſunt decies mille hydriæ, & decies mille menſæ ex auro, & decies mille calices ex auro, & decies mille lucernæ ex auro. Candelabra, quibus circumdatur altare, ſunt ſeptingenta, omnia ex auro. Et in ea cruces, quæ deferuntur ad diem feſtum Palmarum, ſunt tricies mille. Cruces verò ex ferro, & ære ſculpto, non habent numerum. Sunt præterea decem millia librorum, auro argentoque coopertorum, in quibus expreſſæ ſunt imagines omnium Prophetarum à tempore Adam, uſque ad Chriſtum, una cum imagine Beatæ Mariæ; has autem cùm aliquis reſpicit, exiſtimat eſſe veras. Et in ea eſt Sedes Regis circumdata centum columnis: & ſuper ſingulas columnas eſt ſtatua manu tenens virgam: & in unaquaque virga ſcriptum eſt nomen unius ex omnibus gentibus. Putant has ſtatuas eſſe

telo-

teleſmata, ſeu figuras magicas, quas cùm percutiunt, & movetur ſtatua, cognoſcunt Regem illius gentis, cujus nomen præfert, velle ipſos bello adoriri: quamobrem ſibi cavent, ac proſpiciunt. Inter alia autem, eſt teleſma arboris olivi. Ante hanc porrò Eccleſiam eſt atrium, ſeu impluvium quinque milliarium, in ſimilitudinem ejuſdem Eccleſiæ. In hujus medio conſurgit columna ex ære tota integra, quinquaginta cubitorum, & ſuper eam eſt figura aurea avis, quæ dicitur Sudania, ſupra quandam effigiem ſculptam. In hujus avis roſtro eſt ſimilitudo rami olivæ, ſicut etiam in utroque pede illius. Cùm autem adeſt tempus olearum, nulla avis remanet intra illa, quin eò advolet cum ramo oleæ in roſtro, & in utroque pede, tribus ſcilicet ramis, quos conjicit ſuper illud teleſma: & ex his colligitur oleum, & olivæ pro uſu totius civitatis. Dicunt hoc fieri ex arte Balnajaſi, qui fuit Auctor teleſmatum. Ad tuendum verò hoc teleſma reſident vigiles, & cuſtodes ex juſſu Regis: & portæ adillud mancnt occluſæ. Cùm verò tempus olivarum præterit, & impletum jam eſt atrium ex illis ramis olivæ: congregantur cuſtodes prædicti, & Rex diſtribuit Patriarchis, & iis quibus convenit, ſingulis juxta menſuram ſuam: quod autem ſupereſt aſſignat pro lucernis Eccleſiæ. Hanc autem Hiſtoriam de teleſmate olivarum, legi in multis libris. Nec dum omiſſum eſt aliquid de mirabilibus hujus Regionis. Et jam traditum eſt, dixiſſe Abdallah filium Omar filii Alas; inter miracula Mundi eſſe Romæ arborem ex ære, ſuper quam eſt figura avis Sudaniæ, in cujus roſtro eſt ramus olivæ: cùmque olivarum tempus advenerit, ſtatveſcit pars ſuperior illius arboris: & tunc eò advolat omnis avis illius terræ ex genere ipſius cum tribus ramis oleæ, nimirum in roſtro, & duobus pedibus, & projicit eos ſuper illam arborem. Exprimunt autem Romani ex illis oleis oleum ſufficiens ad lampades Eccleſiarum ſuarum, & ad uſum domeſticum totius anni. Aliud teleſma eſt ibidem: nempe quòd in quibuſdam Eccleſiis ingrediatur fluvius, qui oritur extra civitatem, & defert ſecum ranas, & teſtudines, & cancros in magna quantitate. Juxta locum verò, in quo hujus fluminis aqua ingreditur in Eccleſiam, eſt effigies Simulacri lapidei; in cujus manu eſt vas ferreum concavum, quaſi velit eo excipere aliquid aquæ illius. Cùm autem hæc animalia noxia perveniunt ad hoc teleſma, regrediuntur, nullumque ex eis ingreditur in Eccleſiam. Hæc omnia translata ſunt ex libro Eben-Alphakih (ideſt filii Sapientis) *nempe Mohammedi filii Ahmedi Hamdanienſis. Sed quod eſt omnium mirabilium maximum: cùm hæc ſit Civitas, quæ à magnitudine denominatur Magna, neceſſe eſt iter agere per villas, & pagos rurales ejus per aliquot menſes, antequam quis pervenire poſſit ad habitatores ejus.* (ſuſpicor eſſe hic aliquod mendum Amanuenſis). *Retulerunt autem quidam ex Civibus Bagdadi, ſeu Babylonis, ſe præſentes fuiſſe, & vidiſſe hanc Civitatem: & aſſeruerunt, eam in magnitudine, amplitudine, & multitudine Populi talem propè eſſe, qualem hic deſcripſimus. Qui autem non vidit illam, dubitat de his. Refertur etiam, habitatores Romæ radere barbas ſuas, & medium ſpatium capitis ſui. Interrogati autem cur hoc faciant: reſpondent: Poſtquam venit ad ipſos Simon Petrus, & Apoſtoli, vocantes illos ad Chriſtianam Religionem; ipſi tamquam mendaces rejecerunt illos, & raſerunt barbas eorum, & capita eorum. Vòi autem cognoverunt eos vera prædicare, pœnitentia dulli, ob id quod contra eos fecerunt, raſerunt barbas ſuas, & capita ſua ad expiandum peccatum ſuum.*

En tibi, Lector, Hiſtoricorum Moslemorum ſidem, & veracitatem tàm magnificè ab Ahmedo jactatam. In Geographia Nubienſi, quæ & Arabicè, & Latinè typis impreſſa circumfertur, in الاقليم الجامس *Climate quinto*, non panca ex his de Urbe Roma deliriis invenies.

Septimò. Facilitas illa fingendi miracula, quam in qualibet ferè religione vel ſecta, olim fuiſſe, & adhuc eſſe non ignoramus, perſuadet nobis, nec mirum, nec novum eſſe, ſi hæc omnia, quæ Mahumeto tribuuntur, vel omninò ficta ſint; vel ita aucta, ut ex non miraculis miracula facta fuerint. Id manifeſtè patet in exemplo ſuperiùs relato: nimirum, cùm Mahumetus reſciviſſet, paſtores ſuos ociſos, & camelos ab Alarinis abactos fuiſſe: viginti equites miſit, qui captos prædones ad eum adduxerunt: ille verò manus, pedeſque eorum abſcidit, candentique ferro oculos erui juſſit, atque ita relinqui, donec in cruciatu illo miſerè perirent. Ita rem ſincerè narrat Alvahedius Auctor Mahumetanus. At impia vulgi pietas erga Mahumetum, fecit metamorphoſin; & barbarum facinus in miraculum commutavit. Finxit enim, ac vulgavit, Mahumetum Alarinis ita malè precatum fuiſſe: O Deus, excæca eos, ne videant viam. Statimque excæcatos divinitùs fuiſſe, nec ultrà videre potuiſſe. Atque ita inter illius miracula hoc etiam reponitur, ut ſuperiùs vidimus. Eodem modo aſſerunt graviſſimi Auctores, Mahumetum, ne graveolentiam Arabum ruſticorum, inter quos verſabatur, experiretur; ſuaviſſimis odoribus ſeſe communire conſueviſſe: & ipſemet confeſſus eſt hanc ſuam conſuetudinem: ut patet ex ejus Vita. Hinc ſtatim miraculum, ut fungus, erupit, Mahumetum ex corpore ſuo ſuaviſſimum odorem perpetuò exhalaſſe, ejuſque ſudorem cujuſcumque pretioſiſſimi balſami, ac muſci pretio æſtimatum fuiſſe. Ex eodem errore provenit, ut dum epileptico morbo correptus ſæpè corrueret, omnique ſenſu deſtitutus humi jaceret; Divinas eo tempore revelationes à Gabriele accipere vulgaretur. Ita quſi primos homines equitantes viderunt, Centauros commenti ſunt. Romani etiam, Romulum à ſuis in Curia diſcerptum, vivum in cœlum translatum fuiſſe falſo rumore proclamarunt: & quòd à fœmina vulgati corporis una cum Remo lac luxiſſet; utrumque à lupa nutritum fuiſſe mentiti ſunt.

Verùm objiciet aliquis: Qui fieri potuit, ut omnia hæc, quæ ſuperiùs narravimus, & alia etiam, quæ præterniſimus, miracula, conficta fuerint?

Reſpondemus: Fieri hoc facillimè potuiſſe: quemadmodum facillimum fuit Scriptoribus Ethnicis libris ſuis vulgare, atque univerſo penè Orbi perſuadere tamquam veras tot fabulas, ac nugas, quæ de Jove, & Saturno, Marte, Venere, Minerva, aliiſque commentitiis Numinibus confinxere. Quin, ſi Sinenſium, ac Japonum, & aliarum gentium, quæ hoc quoque tempore à veræ religionis via aberrant, res perſcrutemur: inveniemus eos non minora, nec pauciora, quàm Mahumetanos, de Diis, Sanctiſque ſuis prodigia, ac miracula jactare.

Sed objicient Moslemi, hoc ipſum dici poſſe de mira-

Digitized by Google

miraculis, quæ Christiani pro religionis suæ veritate asserenda, proferunt.

Respondeo, non esse paritatem. Nam non solùm Christiani, sed Mahumetani etiam multa saltem ex his miraculis vera fuisse credunt, & fatentur, ut jam suprà dictum est. Cæterùm quòd aliquando etiam apud Christianos aliqua miracula falsa ex vulgi errore propalentur, non negabimus: sed Summorum Pontificum, aliorumque Christianæ Religionis Doctorum, ac Præsulum vigilantia, & cura, hæc facilè deprehenduntur, & damnantur. Contigit aliquando, ut in quodam Christiani Orbis Regno, ossa quædam intra montis cavernas profundissimè sepulta reperirentur, quæ ex inscriptionibus appositis, magnorum Sanctorum reliquiæ esse indicabantur: & tales statim ab omnibus creditæ sunt. Sed re vera erant ossa communia, & fortasse aliquorum hominum infidelium, vel scelestorum, quæ ibi ad fraudem struendam à quibusdam, ut postea compertum est, Mahumetanis, qui se ut Christianos exteriùs gerebant, suppositа fuerant. Vix credi potest, quot statim miracula de iis in vulgus emanaverint, quæ etiam à juratis testibus confirmabantur. Et tamen nullum hic erat, nec esse poterat verum miraculum. Unde hoc? an quia hæc nonnulli sponte, malignèque mentiebantur? non puto, sed ex inani fama, fallaque persuasione, vel imaginatione, & errore vulgi totum eveniebat. Hic tamen error brevi deprehensus est, & sententia Summi Christianorum Antistitis damnatus, ac sublatus. Nuper etiam in lucem prodiit typis impressa Vita cujusdam, qui Sancti nomine censebatur, & ante quadringentos annos floruisse ferebatur. Tota collecta & compacta erat ex antiquissimis manuscriptis (quæ etiam ostendebantur) ex celebrioribus Italiæ Bibliothecis productis. Miracula verò adeò multa, adeòque magna de illo scribebantur, ut temporum suorum Thaumaturgus meritò posset appellari. Ejus corpus fortuitò, non sine miraculi opinione, in vetusto monumento, cum inscriptione antiquis characteribus incisa repertum est. Quis hic fraudem, vel mendacium suspicaretur? & tamen nihil, nisi fraus erat, & impostura; quæ tamen statim deprehensa est, & publico Romanæ Ecclesiæ edicto proscripta. Hi duo casus, quibus ego ipse discutiendis cum doctissimis Viris deputatus fui; satis superque probant, posse de uno aliquo homine multa, & magna miracula confingi: & nisi fictio deprehendatur, vera ab omnibus haberi, & prædicari. Sed hi errores, particulares fuerunt, neque ad totam Christianam Rempublicam pertinuere: statimque, ut etiam alii similes, à Romana censura correcti fuere. Hoc autem de fallacibus Mahumeti miraculis dici non potest.

Neque argumenta illa, quibus Adversarii, Prophetæ sui miraculorum veritatem probare conantur, ponderis alicujus sunt, vel momenti. Quòd enim aliquid maximè vulgatum sit, & à multis, vel etiam ab omnibus receptum, non est certum veritatis argumentum: ut patet in iis, quæ de Diis Gentium Ethnicarum Scriptores vulgavere. At enim, miracula quædam à Mahumeto multis coram testibus facta sunt. Sed hoc est probandum. Neque enim satis est, quòd ita per traditionem multorum habeatur, neque quòd fama ita vulgaverit. An ne traditio & fama, semper vera transmittunt? Experientia, hujus rei magistra est?

Porrò argumentum illud ab Ahmedo allatum, nimirum: Si Sanctiones, & leges Mahumeti habentur pro veris, licet minus vulgatæ & notæ apud populum, quàm miracula: quanto magis miracula, ipsa, quæ per omnium ora decurrunt, & cunctis notissima sunt, vera erunt? nihil probat. Nam miracula sunt res magis plausibiles, & avidius ab hominibus audiuntur & retinentur, quàm leges, & sanctiones. Præterea miracula consistunt in facto particulari, in quo faciliùs potest errari: leges autem in verbis scriptura expressis, & universæ Reipublicæ à Legislatore propositis: & cùm plerumque odiosæ sint, & plures habeant ambiguitates, difficiliùs depravantur, neque ita facilè à vulgo intelliguntur, aut retinentur. Hinc videmus, homines, præsertim populares, plurima Sanctorum miracula memoriter referre (quibus tamen non rarò aliqua falsa, vel apogrypha admiscent): leges verò divinas, aut humanas, vel parum scire, vel penitùs ignorare.

Quòd verò affirmet Adversarius, Mahumeti miracula vulgatiora, ac celebriora esse miraculis Prophetarum præcedentium, & Regum, Principumque historiis: concedemus ei, hoc fortasse verum, esse apud suos Moslemos, qui toti sunt in expiscandis quisquiliis Prophetæ sui; in aliarum verò gentium historiis, rebusque perdiscendis, sunt omninò stupites: absolutè tamen loquendo, falsum est. Nemo quippe negabit, historias sacras, atque etiam profanas præcipuarum gentium, veluti Romanorum, Græcorum, Assyriorum, &c. magis notas esse in Orbe, quàm miracula Mahumeti, quæ (Mahumetanis exceptis) panci, & ferè nulli noverunt. Imò retorqueri potest argumentum in Adversarium, qui non negabit, quamvis leges Mahumeti, quæ sunt in Alcorano, & Sonna, minus vulgatæ ac notæ sint, quàm miracula illius: certioris tamen esse fidei, & auctoritatis (quippe divinæ) quàm miracula. Ergo licet aliquid magis vulgatum, ac celebre sit; non tamen idcircò magis certum, ac verum habendum est.

Ad argumentum Adversarii, quo probabat, fidem habendam Auctoribus Moslemis Prophetæ sui miracula referentibus; quia unicuique Genti, vel Provinciæ ejusdem Gentis, multa nota sunt, quæ exteris sunt ignota: facilè respondetur, non semper quæ nota, vel vulgata sunt, vera esse. Nonne, fatetur ipse Ahmed, multa miracula tribui Mahumeto etiam à suis, inter quos nota & vulgata sunt, quæ tamen ab aliis Sapientioribus, ut falsa rejiciuntur? Aliud igitur est esse notum, sive multis, sive paucis, sive etiam omnibus, aliud esse verum. Loquor autem de notitia, quæ habetur non ex certa scientia, sed ex fama, vel traditione hominum.

Neque probatur veritas certa miraculorum ex eo, quòd illa à doctis, ac prudentibus viris referantur. Nam, exempli gratia, miraculum illud de Sole retrogrado, ad dandum spatium Aly, preces, quas omiserat, persolvendi; teste ipso Ahmed, à multis Doctis refertur, & tamen ab eodem ut fictitium rejicitur. Porrò Docti (loquor de Mahumetanis in præsenti materia) non possunt certò judicare, utrum miracula Mahumeti sint vera, an falsa; dum non aliud, quàm vel famam sequuntur, quæ sæpè fallit: vel Scriptores, & hi plerumque veltigia famæ sectantur: vel rationem, quæ in miraculis Mahumeti ferè nunquam reperitur: vel testes, qui cùm non sint de vilu, sed tantùm de auditu, & rem teneant per solam traditionem unius ad alium; non majorem, quàm fama, habent certitudinem.

Porrò quòd unaquæque Gens habeat rerum suarum

rum notitiam; sicut unusquæque secta, vel professio, novit ea, quæ ad facultatem suam spectant: non convincit, quòd eadem gens, vel secta, rerum etiam, quæ ad alias pertinent, cognitionem habeat, non possit; imò & errores in iis deprehendere, quos earumdem sectatores minimè deprehendunt. Quot enim in historiis Sinensium, Japonum, Brachmanum, Magorum, & aliarum gentium, ac sectarum errores, achronismos, mendacia deprehendimus, quæ illi non agnoscunt? Omitto Mahumetanorum Annalia, & historias, in quibus tot fabulas, tot absurda, tot mendacia reperiuntur. Nihil igitur confert ad Mahumeticorum miraculorum veritatem comprobandam, quòd Moslemi habeant de iis, quemadmodum ipsi putant, exactam notitiam.

Neque studium, & affectus Arabum in rebus Prophetæ sui scribendis, aliquam ejusdem miraculis conciliant auctoritatem. Imò studium, & affectus, plerumque decipiunt, efficiuntque, ut res non æqua lance perpendantur. Neque concedimus Adversario illam, quam adeò jactat in Arabibus suis, solertiam, atque acumen in rebus veris à falsis discernendis; sive de miraculis, sive de aliis rebus loquamur. Videmus enim eos, etiam in rebus notissimis, frequenter hallucinari, & ineptias nugasque permiscere, ut paulò antè ostendimus.

Argumentum autem, vel axioma, quòd illud, quod sectarum professores scribunt de Sectariis suis, qui scilicet illius sectæ Auctores fuerunt; si in eo simul conveniant, ac definiant esse verum; non sit nisi verum: ac propterea multò magis illud, quod Mahumetani Scriptores circa Prophetæ sui miracula definiunt esse verum, & in eo simul conveniunt, debeat verum existimari; valdè frivolum est, & cum risu exsibilandum. Non enim quia omnes Stoici conveniunt in asserendo, verum esse quod docuit Zeno: & Peripatetici, id quod docuit Aristoteles: ideò verum est totum id, quod vel Zeno, vel Aristoteles pronunciavit. Etiam vastissima Sinensium Natio tenet uniformiter, verum esse id, quod docuit Confutzius eorum Legislator, & veluti Numen: & nihilominus illius libri multos continent errores, & ineptias. Præterea alia est ratio de hujusmodi facultatibus, ac de miraculis. Nam in illis proceditur per rationes, & demonstrationes: in miraculis autem nulla potest ratio, vel demonstratio afferri. Qua enim ratione, vel quo argumento, probabunt Doctores Moslemi, harmum ovis revelasse Mahumeto, se esse veneno infectum, postquam jam comederat ex illo, & hauserat vim veneni, ex quo etiam socii, quos ad manducandum invitaverat, extincti sunt?

Neque multum refert assertum Adversarii, quòd miracula Mahumeti ab ipso adducta, ab omnibus Auctoribus Moslemis referantur. Primò enim falsum supponitur: nam ego ipse plures ex Arabibus Auctores, & quidem non vulgares legi, qui multa ex narratis ab eo miraculis silentio prætereunt: quædam etiam addunt de suo: & multa diversimodè referunt. Deinde non rarò sit, ut aliquid falsi maneat, bona vel-mala fide, ab uno Auctore, quod deinde cæteri omnes citra ullam dubitationem amplectantur. Innumera sunt hujus rei in qualibet Natione exempla.

Venio nunc ad sex illas vias, quibus Auctor sibi persuadet, Mahumeti miracula evidenter probari, examinandas. Et cùm de prima, & secunda, nempe de traditione generali, & particulari jam satis dictum sit, sistam in reliquis.

Tertia itaque via, quamvis cum duabus primis coincidat, habet tamen non pauca, in quibus Ahmed multipliciter peccat. Primò, dum eandem scientiam vult produci per traditionem, de miraculis Mahumeti, ac de illius uxoribus, filiabus, & successoribus in Imperio: imò multò majorem, eò quòd plures fint, qui scribant de Mahumeti miraculis, quàm de ejus uxoribus, propinquis, & successoribus. Sed alia est traditio de rebus semper, vel diù perseverantibus, ac de illis, quæ statim transeunt. Primi generis sunt uxores, & successores in Imperio Mahumeti, quæ cùm habeant multos, & diversos testes, qui nec eodem loco, nec eodem tempore convenerint, & sæpè unus nihil scierit de alio: si omnes in eadem re asserenda conveniant, non videtur posse de eorum fide dubitari. Ita, exempli gratia, quòd Morad, vel Soliman Constantinopoli imperaverit, nemo est qui dubitet, licet neque eos, neque Constantinopolim unquam viderit: quia scilicet illorum Regnum non fuit unius horæ, vel diei, sed multorum annorum; & plures diversarum gentium eos viderunt, aliisque retulerunt, seu de illis scripserunt, & omnes in eadem relatione convenerunt, licet alii alios non viderint, & diversorum temporum, ac locorum testes fuerint. Verùm non est habenda eadem fides alicui facto peculiari brevissimi temporis, quod Constantinopoli evenerit: exempli gratia, quòd ibi in aere Crux ignea visa sit, vel tres Soles apparuerint; eò quòd hujus rei ii soli testes esse possint, qui tunc aderant Constantinopoli: præsertim si non ex ipsis testibus hoc immediatè habeatur, sed ab iis, qui audierunt ab aliis, qui etiam alios audierint referentes, qui se ab aliis audiviße affirment, qui dicant, se ab ipsis oculatis testibus audivisse. Et hujus generis sunt Mahumeti miracula, non autem uxores, vel successores in Imperio. Neque obstat, quòd miracula ejus habeant plures Auctores, seu Scriptores, quàm habuerint uxores illius, vel successores: non enim semper multitudo Scriptorum facit majorem fidem, quamvis faciat majorem famam. Peccat deinde, dum contendit scientiam Moslemorum de miraculis Mahumeti, majorem esse, quàm scientiam Scripturalium (Judæorum scilicet, & Christianorum) de iis, quæ spectant ad Moysem, & Christum. Nam scientia Scripturalium fundatur in revelationedivina, quæ non potest subesse errori: & hoc etiam Mahumetani fatentur. Id verò de scientia miraculorum Mahumeti dici non potest. Quòd si per scientiam, intelligat Ahmed notitiam practicam: hoc etiam negamus verum esse: quamvis per hoc non magis probaretur veritas eorumdem miraculorum. Peccat quartò, dum affirmat, plura esse apud Moslemos Alcorani exemplaria, quàm apud Scripturales Pentateuchi, & Euangelii. Sed quamvis id ei concederemus, quid ad rem? An quia minora exemplaria reperiuntur Aristotelis, vel Platonis, quàm Fabularum Æsopi, major fides isti, quàm illis est adhibenda? Peccat quintò: dum majorem sanctitatem, majoraque miracula Mahumeti asseclis attribuit; quàm Apostolis, & Sanctis Christi Religionem profitentibus. Impudentissimum hoc est mendacium: sed, ut credo, unius Ahmedi; nam nihil hujusmodi reperi in aliis Auctoribus Mahumetanis. Quòd verò dicat, à suis Moslemis mortuos suscitatos fuisse: super aquas maris exercitus transvectos, & alia hujusmodi prodigia patrata: fortasse hæc somniavit. Certè ne de Mahumeto quidem ullus unquam Mahumetanus scripsit, enim mortuos suscitasse: quod cùm sit omnium miraculorum maximum: falsum esset illud, quod jactant Doctores Moslemi, Mahumetum plura,

& majora miracula feciſſe, quàm alium ullum Sanctum, aut Prophetam.

Quarta via, conatur Adverſarius multis argumentis Mahumeticorum miraculorum veritatem comprobare. Primò, quia quædam eorum coram multis teſtibus facta ſunt. Sed hoc nihil certi probat, cùm id ipſum certò probari non poſſit; ſed tantùm habeatur ex traditione, & auditu, non autem ab ipſis, qui teſtes oculati fuerunt: quamvis hi aliquando per profopopœiam loquentes ab Auctoribus Moslemis, ut vidimus, inducantur. Porrò omnia illa, quæ ab uno, veletiam pluribus, tamquam vera creduntur, quamvis falſa ſint; ſemper oculatos aliquos teſtes habuiſſe, vel finguntur, vel ſuppononuntur. Quoties hìc Romæ vulgatum eſt, & creditum, cometem aliquem appariſſe, quem plures teſtati fuerint ſe vidiſſe tali hora, tali loco, ac figura: & tamen inanem rumorem fuiſſe compertumeſt? Secundò: quia (inquit) hi omnes teſtes erant boni, & ad cœlum prædeſtinati. Sed cùm non conſtet de horum tellium exiſtentia; multò minus conſtabit de eorum bonitate, vel prædeſtinatione, quæ uni Deo nota eſt. Præterea, cùm ſupponatur, hæc miracula facta fuiſſe coram multis millibus hominum: impoſſibile eſt, omnes illos ſemper bonos fuiſſe, ac prædeſtinatos: præſertim cùm legamus, inter eos fuiſſe aliquos ſaltem, qui Mahumeto minimè credebant, & illa non miracula, ſed præſtigia eſſe cenſebant. Tertiò, quia nullus ex eis de rebus, aut perſona Mahumeti mendacium vel minimum protuliſſet. At hoc eſt divinare: imò manifeſtè mentiri. Ipſe enim Ahmed aſſerit, multa miracula falſa à Mosſemis etiam doctioribus Mahumeto affictа fuiſſe: neque obſtat, quòd id non dolo malo, ſed bona fide factum fuerit. Quot verò alia Arabes Mahumeto impoſuere, quæ apertæ falſitatis convincuntur? Quartò, quia à natura inditum eſt hominibus, & præſertim Arabibus, vera dicere. Si hoc argumentum valeret: poſſent omnes homines ab omni mendacii ſuſpitione abſolvi. De Arabibus tamen dubitari poſſet, eò quòd mendacia, ac fraudes, illis præ cæteris mortalibus videantur innata; quidquid de eorum tanta veracitate deblateret Adverſarius. Quòd verò hi de Propheta ſuo plura falſa, quamvis forte bona fide, crediderint, ac propalaverint: patet ex ſequentibus caſibus. Refert Auctor libri *De Signis Directionis*; Mahumeto jam animam agenti, Phatemam filiam de immortalitate his verbis blanditam fuiſſe: وابشر بستمتعي النعام بوجهه تمال المتامي عصمة للارامل : *Et candidiſſimus, nubes aquam effundet in facies ejus, qui eſt defenſor orphanorum, & protector viduarum.* At Mahumetus aperiens oculos (quippe mortalem ſe eſſe tunc maximè cognoſcebat) illum redarguit, aſſerens, ſe non eſſe talem, qualem &, ipſa, & alii ſibi perſuadebant, ſubdens: يا بنيه هذا قول عمك ابي طالب لا تقوليه ولكن قولي وما محمد الا رسول قد خلت من قبله الرسل افان مات او قتل انقلبتم على اعقابكم : *O Filiola mea, hæc ſunt verba patrui tui Abutaleb: ne dicas illa: ſed dic: Non eſt Mahumetus, niſi Legatus, quem præceſſerunt alii Legati. An ergo, ſive mortuus fuerit, ſive occiſus, evertemini retrorſum?* Vides, non ſolùm Phatemam, ſed etiam Abutalebum Mahumeto de immortalitate aſſentari conſueviſſe. Præterea Alboacharius, trigeſima parte Mahumeticarum traditionum aſſerit, quoſdam Arabes vivente divinam Mahumeto adhuc viventi falsò tribuiſſe. Audi ejus verba: حدثنا محمد بن يوسف قال حدثنا صفين عن اسمعيل عن الشعبي عن مسروق عن عايشة قالت من حدثك ان محمداً سّ رأى ربه فقد كذب وهو يقول لا تدركه الابصار ومن حدثك انه يعلم الغيب لايعلم الغيب الاّ الله . *Narravit nobis Mohamed filius Joſeph, ſe audiviſſe à Sopheio, qui id audierat ab Iſmaele, cui narraverat Alſciabius, qui audierat à Maſruc, qui aſſerebat, Aiſam dixiſſe ſibi: Qui dixerit tibi, Mahumetum vidiſſe Dominum ſuum: mendacem hunc habeto. Ipſe enim dixit: Non aſſequentur eum oculi. Et mendacem habeto eum, qui dixerit tibi, illum, vel alium ſcire res arcanas quas non novit niſi Deus.* Ex quibus habetur, Arabes ſatis proclives fuiſſe ad mendacia componenda de excellentiis Prophetæ ſui: & præſertim quòd adhuc vivens viderit Deum, vel noverit res arcanas illi reſervatas. Porrò illum vidiſſe Deum ea nocte, qua in Paradiſum translatus fuiſſe fingitur, aſſerunt omnes, qui ejus vitam ſcripſere. Arcana autem uni Deo nota ſciviſſe, probant tot varicinia, quæ ab illo facta fuiſſe dicuntur. Denique Iſmael filius Aly in Vita Mahumeti, refert, ſocios & aſſeclas illius, quamvis vidiſſent eum jam mortuum; negaſſe tamen hoc, obſtinatè afferendo eum vivere. En ejus verba. وحكي القاضي مهلهل الدين ابن ابي الدم في تاريخة فاقتحم جماعة على النبي سّ يظنون انه والوا كيف يموت وهو شهيد علينا لا والله ما مات بل رفعه كما رفع عيسى ابن مريم وتلاوا على الباب لا تدفنوه فان رسول الله سّ لم يمت وخرج عمه العباس وقال والله الذي لا اله الا هو لقد ذاق رسول الله سّ الموت ودُفن . *Et dixit Judex Sciabaddinus filius Abuldammi in hiſtoria ſua: Irruit igitur turba ad Propheam Mahumetum reſpicientes in eum: & dixerunt: Quomodo moriatur qui eſt teſtis ſuper nos? Nequaquam, per Deum, mortuus eſt: ſed elevavit illum Deus ſicut Jeſum filium Mariæ. Et clamaverunt ad januam: Ne ſepelietis eum, non enim mortuus eſt Legatus Dei. Sed egreſſus eſt patruus ejus Alabbas, & dixit: Per deum illum, præter quem nullus alius eſt deus, jam guſtavit Legatus Dei mortem, & ſepultus eſt.* Addit Abul-Pheda: قال عمر سّ قال ان محمداً مات قتلته بسيفي هذا وانما رُفع الى السما كما رُفع عيسى : *Dixit Omar: Si quis dixerit,*

Digitized by Google

xerit, Mahumetum mortuum esse, occidam illum hoc meo gladio. Utique sublatus est in Cælum sicut Jesus.

Algennabius ita hoc refert: جعل يصيح عمر ويقول ما مات محمد كما زعمت المنافقون بل ذهب الى ربه كما ذهب موسى بن عمران فقد غاب عن قومه اربعين ليلة ثم رجع اليهم وخوف الناس بقطع ايديهم وارجلهم ان قال احد انه مات: *Cæpit clamare Omar, & dicere, Non est mortuus Mahumetus, sicut existimant impii: sed abiit ad Dominum suum, quemadmodum Moyses filius Amran, qui abiit a gente sua quadraginta noctes; deinde rediit ad eam. Et terruit homines comminando, se abscissurum esse manus, & pedes illius, qui diceret, Mahumetum mortuum esse.* Ex his potest unusquisque facile colligere, quam proni essent Arabes, etiam Primarii, & cæteris prudentiores & sapientiores, qualis erat Omar, ad mentiendum, vel saltem faciles ad errandum in iis, quæ spectabant ad Prophetam suum. Quod verò addit Auctor: Deum facillimum concedere notitiam hominibus earum rerum, quæ necessariæ sunt ad eorum salutem, ultrò concedimus: negamus tamen, miraculorum Mahumeti notitiam necessariam esse ad salutem, ne in sententia quidem ipsorum Sapientium Moslemorum. Vide Algazelum in Professione fidei Mahumetanicæ.

Quinta via eosdem ferè continet paralogismos, quos suprà dictæ. Sed addit intolerabile absurdum, nimirum Miracula, & gesta Mahumeti, Auctores plures habere, quam sint Auctores quarumlibet aliarum gentium historiarum. Thraso ille, quantum videri potest, nunquam, & nusquam vidit, nisi paucos, & miseros illos libellos, quos Arabes sui idiotæ scripserunt; qui si simul congererentur in una ex præcipuis Christianorum bibliothecis, ne unum quidem pluteum complere possent. Cæterùm ipse falsò supponit, miracula Prophetæ sui esse universo terrarum orbi notissima: cùm pauciissimi inter mortales quidquam de iis noverint, vel audierint.

Sexta via nihil majoris probationis habet, quàm aliæ: in eodem quippe argumento à multitudine Scriptorum desumpto, versatur. Quod verò affirmat Mahumetanos Sapientes, يعترفون ان ما في القران من الايات يزيد على معجزات الانبياء من قبله *demonstravisse, reperiri in Alcorano supra decem millia miracula*: vel, ut proprie sonant verba Arabica, *supra decades millium miraculorum*, ita ut adminus sint supra viginti millia: pro refponso effusissimum risum meretur. Sedulò enumeravi omnes Alcorani versiculos, nec plusquam sex mille, & ducentos potui reperire, quamvis in multis exemplaribus ne ad hunc quidem numerum perveniant. Quadruplo igitur saltem plura erunt miracula in Alcorano, quàm versiculi, seu periodi. Miror verò, cùm tot sint in Alcorano miracula, non potuisse Adversarium, nisi octo vel decem, & quidem infelicissima, & prorsus putida ex eo expiscari. Illud etiam risum meretur, quòd asserat, Judæos quoque, & Christianos de Mahumeti miraculis volumina composuisse. Credo, me primum fore, qui Mahumeti miracula Christianis, & Judæis è Mahumetanorum libris evulgem: itaut omnes tamquam nova ineptiarum portenta ea sint admiraturi.

Concludimus igitur ex jam dictis, vel Mahumetum miracula nulla feciss; & ea omnia, quæ de eo referuntur, fictitia esse, & mendacia: vel ea tantùm admiratione digna ostendisse, quæ vel humana arte, vel Dæmonum operà fieri potuere. Primum posumus absolutè affirmare auctoritate ipsius Mahumeti in Alcorano; in quo non solùm miracula nulla se feciss fatetur: sed ad ea faciendа, à Deo se missum fuisse semper constanter negat: & præterea etiam reddit rationem, cur ea non faceret: quia nimirum, nullius utilitatis fuissent Meccanis ad credendum: imò majorem Dei indignationem in ipsos concitassent. Præterea, quia Christus, Moyses, & alii Prophetæ satis multa signa fecerant, quæ ipsis etiam sufficere deberent. Postremò quia fides non ex miraculis, sed ex liberali Dei voluntate dependet. Secundum verò, satis esse potest ad respondendum Moslemis, qui Prophetam suum miracula patrasse contendunt, ostendendo fcilicet, nullum inter Mahumeti miracula reperiri, quod naturalem hominis, vel dæmonis facultatem excedat; præsertim cùm pleraque sint ex eorum genere, quæ à Præstigiatoribus, Magis, & Ariolis fieri consueverunt, ut unusquisque per se agnoscere potest. Quòd verò attinet ad vaticinia, seu prædictiones rerum futurarum: præter ea, quæ suprà dicta sunt ad ostendendum, nullum in iis esse, quod probet Mahumetum fuisse verè prophetam (quod etiam magis constabit exemplis Ethnicorum mox afferendis) addo hic aliquid amplius, nimirum, ex confessione ipsius Mahumeti confiare, nihil illum de se, vel de suis, nisi temerè, vel ad summum ex aliqua coniectura, certi prædicere, vel vaticinari potuisse. En verba illius in Sura 46. الاحقاف *Colles* v. 9.

ما كنت بدعا من الرسل وما ادري ما يفعل بي ولا بكم ان اتبع الا ما يوحى الي وما انا الا نذير مبين.

Non sum novus inter Legatos: & nescio quid futurum sit de me, neque de vobis. Non sequor, nisi quod inspiratur mihi: neque sum nisi monitor manifestus. Glossa Zamchascerii in hoc loco est hujusmodi: كانوا اقترحوا عليه الايات وسألوه عما يوحى به اليه من الغيوب قبل له قل ما كنت بدعا من الرسل فاتيكم كل ما تقترحونه واخبركم بكل ما تسألون عنه من المغيبات فان الرسل لم يكونوا يأتون الا بما انامهم الله من ايانه ولا يخبرون الا ما اوحي اليهم ولقد اجاب موسى صلوات الله عليه عن قول فرعون فما بال القرون الاولى قال علمها عند ربي وما ادري لانه لا علم لي بالغيب ما يفعل الله بي وبكم فيما مستقبل من الزمان من افعاله ويقدر لي ولكم من قضاياه ان اتبع الا ما يوحي الي: وعن الحسن

Digitized by Google

الحسن وما ادري ما يصير اليه امري وامركم في الدنيا ومن الغالب منّا والمغلوب ومن الكذّبي قال له اصحابه وقد ضجروا من اذى المشركين حتى متى يكون هذا فقال ما ادري ما يفعل بي ولا بكم أُأُمرت بمكّة ام اومر بالخروج الى الارض قد رُفعت لي وراثتها يعني في منامه ذات نخيل وشجر ومن ابن عباس ما يفعل بي ولا بكم في الاخرة وقال في مخوفة لقوله ليغفر لك الله ما تقدم من ذنبك وما تاخر :

Importunè postulabant ab eo (Socii ejus) *versiculos Alcorani pro eo* (quod illi propoluerant), *& petebant ab eo, quid ipsi de occultis rebus revelaretur. Dixit autem ei* (Deus): *Respondeillis: Non sum nouus inter legatos* (1. non habeo aliquod privilegium præ illis) *ita ut afferre possim vobis responsum à Deo de omni re quam postulatis; & annunciare vobis omnia quæ petitis, arcana. Nam Legati non annunciabant nisi ea, quæ revelasset illis Deus de signis suis: neque manifestabant nisi ea, quæ ipsis Deus manifestasset per revelationem. Et jam quidem Moyses sanctæ memoriæ respondit dicto Pharaonis, interrogantis eum de generationibus primis: Cognitio earum est apud Dominum meum* (Pergit Mahumetus) *& nescio,* (*quia non est mihi scientia de arcanis*) *quid facturus sit Deus in me, neque in vobis in tempus futurum de operibus suis, & quid decreverit mihi, & vobis de judiciis suis. Certè non sequor, nisi quod revelatur mihi. Explicat Albasan: Et nescio quò perventuræ sint res meæ, & res vestræ in hoc Mundo: & quis ex nobis vincendus sit, & quis victoriam consecuturus.* (Supponit Mahumetum loqui cum infidelibus hostibus suis, sed non est ita). *Explicat Alcalebius: Dixerunt Mahumeto socii ejus: (Jam enim tædebat eos molestiarum, quas ab infidelibus patiebantur): usquequò hæc patiemur? Quibus ille respondit: Nescio quid futurum sit de me, neque de vobis: an relinquendus sim in Mecca: an præcipiendus sit mihi exitus in terram, quæ demonstrata mihi fuit in somno, & habet palmas, & arbores. Exponit Ebn-Abbas: Non novi, quid futurum sit de me, neque de vobis in futuro sæculo: sed addit, hunc versiculum fuisse abrogatum* (quod ad futurum sæculum; quæ verba propterea necesse est fuisse in Alcorano) *per ea verba: Ut ignoscat tibi Deus id quod præcessit de peccato tuo, & quod subsequuntum est.*

Ex dictis manifestè patet, ficta esse, omnia illa vaticinia, quibus Mahumetus prædicit suis tot res futuras, quot suprà vidimus, itaut omnia usque ad diem Resurrectionis eventura illis manifestaverit; cùm ne ea quidem, quæ de se futura erant, ipsi nota essent. Et quidem in Alcorano sæpè fatetur, se arcanas res ignorare, & ne quidem scire, quo mortis genere esset è vivis tollendus; & etiam jam morti proximus fallus est hanc suam ignorantiam, repetens Phatemæ filiæ suæ ea verba Alcorani. وما محمد الا رسول قد خلت من قبله الرسل افان مات او قتل انقلبتم على اعقابكم :

Et non est Mahumetus nisi legatus. An verò, sive mortuus fuerit, sive occisus, avertemini retrorsum? ex quibus verbis constat, illum nescisse, utrum naturali morte, utrum verò aliena manu esset extinguendus.

CAPUT DECIMUM.

Confirmatur aliquot exemplis Ethnicorum assertum nostrum de falsitate miraculorum Mahumeti.

CErtum est, posse Dæmones multa admiranda operari, quæ omnes humanæ naturæ vires excedant, cujus rei, præter exempla, quæ affert ipse Alcoranus, nos hoc loco nonnulla alia ab Ethnicis Auctoribus relata proferemus, ut manifestius fit, nihil feciſſe Mahumetum, quod verum miraculum necessariò dicendum sit.

Æmilia Virgo Vestalis, super extinctum Deæ Vestæ foculum, carbasum, quam optimam habebat, imponens, subitò ignem excitavit. Refert Valerius Max. lib. 1. c. 1. Dion. lib. 2.

Simulacrum Apollinis Chartagine, veste aurea à quibusdam nudatum fuerat: quorum sacrilegæ manus inter fragmenta ejus abscissæ repertæ sunt. Idem lib. 1. c. 2. Justin. lib. 24.

Mileto ab Alexandro capta, Ceres Milesia milites qui Templum spoliaturi irruperant, flamma objecta, privavit oculis. Idem ibidem. Lactant. lib 2. cap. 8.

Q. Sertorius per aperos Lusitaniæ colles cervam trahebat, ab ea se, quænam aut agenda, aut vitanda essent, prædicans admoneri. Ibidemc. 3. Plutarch. in ejus Vita.

Decius Accius Augur interrogatus à Lucio Tarquinio Rege, sierine posset quod ipse mente conceperat: respondit, fieri posse. Jubente que Rege, novacula cotem discindi; Decius allatam cotem, adminis rato incredibili facto, novacula discidit. Idem c. 7. Tit. Liv. lib. 1.

Cajo Volumnio, & S. Sulpitio Consulibus, bos muigitu suo in sermonem humanum conversò, novitate monstri audientium animos exterruit. Et bello Punico secundo constitit, Cneo Domitio bovem dixisse: Cave tibi Roma. Ibid. c. 6. Liv. lib. 7.

Cùm plebeiis ludis quidam pater familias per Circum Flaminium, priusquam Pompa duceretur, servum suum verberibus mactatum, sub furca ad supplicium egisset: Latino homini ex plebe Jupiter in quiete præcepit, ut Consulibus diceret, sibi præsulatorem Ludis Circensibus proximis non placuisse: quæ res nisi, attenta ludorum instauratione, expiata esset, secuturum non mediocre Urbis periculum. Ille veritus, ne cum aliquo incommodo, religione summum implicaret Imperium, silentium egit; Evestigio filius ejus subita vi morbi correptus, interiit. Ipse etiam per quietem ab eodem Deo interrogatus, an satis magnam pœnam neglecti imperii sui pependisset: in propolito perseveranti, debilitate corporis solutus est. Ac tum demum ex consilio amicorum, lectica ad Tribunal Consulum, & inde ad Senatum perlatus, ordine totius casus sui expolito, magna cum omnium admiratione recuperata membrorum firmitate, pedibus domum redit. Idem ibidem Liv. lib. 2.

C. Atterius Rufus Eques Romanus, dum Syracusis gladiatorium munus ederetur: inter quietem, Retiarii se manu confodi vidit, idque postero die in spe-

Digitized by Google

spectaculo confessoribus narravit. Incidit deinde, ut proximo ab equite loco Retiarius cum Mirmillone introdu-ceretur; cujus cùm faciem vidisset, idem dixit, ab illo se Retiario trucidari putasse; protinusque inde discedere voluit. Illi sermone suo metu ejus dissensso, causam exitii mísero attulerunt. Retiarius enim in eum locum compulso Mirmillone, & abjecto, dum jacentem ferire conatur, transjectum gladio Atterium interemit. Idem Val. Max. lib. 1. c. 7. ubi plura alia somnia sequenti eventu comprobata refert. Videndus etiam Cicero in libris de Divinatione; ubi lib. 1. mirabile illud narrat de duobus Arcadibus familiaribus, qui unà iter facientes, Megaram venerunt; quorum alter ad hospitem se contulit; alter in tabernam meritoriam divertit. Is, qui in hospitio erat, vidit in somniis comitem suum orantem, ut sibi cauponis insidiis circumvento subveniret: posse enim celeri ejus accursu, se imminenti periculo subtrahi. Quo visu excitatus profiluit, tabernamque, in qua is diversabatur, petere conatus est. Pestifero deinde fato ejus, humanissimum propositum, tamquam supervacuum, damnavit, & lectum, ac somnum repetiit. Tunc idem ei saucius oblatus obsecravit, ut qui vitæ suæ auxilium ferre neglexisset, nec saltem ultionem non negaret: corpus enim suum à caupone trucidatum, tum maximè plaustro ferri ad portam stercore coopertum. Tàm constantibus familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plaustrum, quod in quiete demonstratum erat, comprehendit; cauponemque ad capitale supplicium perduxit.

Cùm apud lacum Regillum Aulus Posthumius Dictator, & Tusculanorum Dux Mamilius Octavius magnis viribus inter se concurrerent, ac neutra acies aliquandiù pedem referret: Castor, & Pollux Romanarum partium propugnatores visi, hostiles copias protinus fuderunt. Valer. Max. lib. 1. c. 8.

Bello Macedonico Publius Vatinius Reatinæ Præfecturæ vir, noctu Urbem petens existimavit, duos juvenes excellentis formæ albis equis residentes, obvios sibi factos, nunciare, die, qui præterierat, Persen Regem à Paulo captum. Quod eùm Senatui indicasset, tamquam majestatis ejus & amplitudinis vano sermone contemptor, in carcerem conjectus: postquam Pauli literis, illo die Persen captum apparuit, & custodia liberatus, & insuper agro, & vacatione donatus est. Castorem verò, & Pollucem, etiam illo tempore pro Imperio Populi Romani excubuisse cognitum est, quo apud lacum Juturnæ, suum, equorumque sudorem abluisse visi sunt. Val. Max. lib. 1. c. 8. Liv. c. 11. & alii. Videntur Mahumetani hæc legisse.

Sunt & alia mirabilia, quæ iidem referunt Auctores. Cùm per triennium Roma pestilentia vexata fuisset, inspecti sunt libri Sybillini à Sacerdotibus: ex quibus intellexerunt, pestilentiam non cessaturam, nisi Æsculapius accerseretur ab Epidauro. Missi à Senatu Legati, ab Epidauriis in Æsculapii Templum adducti sunt. Et ecce serpens, qui rarò antè visebatur, sed semper eum magno bono, & quem ut Æsculapium ipsum venerabantur; per Urbis celeberrimas partes mitibus oculis, & leni tractu labi cœpit: tridùoque conspectus, sponte ad triremem Romanorum Legatorum perrexit, ibique in multiplicem orbem per summam quietem est convolutus. Cùm à portu solvissent, ubi Antium pervenerunt, ibi anguis in ædem Æsculapii prolapsus est: iterumque sese advehendum in triremem restituit, atque in ripam Tyberis egressus Legatis, in Insulam, ubi Templum dicatum est, transnavit, adventuque suo pestilentiam depulit.

Captis à Furio Camillo Veiis, milites Simulacrum Junonis Monetæ, seu Reginæ, inde in Urbem transferre jussi sunt. Et per jocum ab uno eorum interrogata Dea, an Romam migrare vellet: velle se respondit.

Simulacrum quoque Fortunæ Muliebris, quod est in Latina Via ad quartum milliarium, non semel, sed bis locutum constitit, priùs his verbis: Ritè me Matronæ vidistis, ritèque dedicastis.

Pugnantibus Romanis cum Veientibus, & Hetruscis, tantus terror Veientes, & Hetruscos, qui in cornu dextero erant Romanis multò superiores, subitò invasit, ut omnes in fugam versi sint: & repentè audita est vox Dei Sylvani è proxima Sylva Arsia: Uno plus Hetrusci cadent. Romanus exercitus victor abibit. Et ita evenit.

Iisdem Romanis pugnantibus contra Brutios, & Lucanos sub C. Fabritio Lucino Consule, & res esset in anciptti: non audentibus Romanis prælium ingredi, eximiæ magnitudinis juvenis cœpit eos hortari ad fortitudinem capessendam. Ubi verò eos tardiores vidit, arreptis scalis per mediam hostium aciem ad contraria castra evasit; & admotis, vallum conscendit. Et cùm Brutii, Lucanique castra defensuri occurrissent, idem impulsu armorum suorum prostratos, jugulandos, capiendosque Romanis tradidit. Viginti millia cæsa, & quinque millia cum Duce capta: & viginti ac tria militaria insignia direpta. Cùm verò sequenti die vellet Consul juvenem illum debito honore munerare, nunquam inventus est: omnesque Martem fuisse credidere.

Cùm C. Cassius Julii Cæsaris interfector in acie Philippensi pugnaret, vidit eumdem Cæsarem à se occisum humano habitu augustiorem, purpureo paludamento amictum, minaci vultu, & concitato equo in se impetum facientem. Quo aspectu perterritus tergum hosti dedit, dicens: Quid enim amplius agas, si occidisse parum est?

Combusto Sacrario Saliorum, nihil in eo præter litunm Romuli integrum repertum est.

Servii Tulli Statua, cùm ædes Fortunæ conflagrasset, inviolata permansit.

Idem Valer. Max. refert ex Platone..... Pamphilum post dies decem, quàm in acie cecidérat, & biduum, postquam inde sublatus fuerat, impositum rogo revixisse, ac mira quædam visa narrasse. Simonides cœnabat apud Scopam in Cranone Oppido Thessaliæ. Nunciatum est ei, duos juvenes ad januam venisse, magnoperè rogantes, ut ad eos continuò prodiret. Sed egressus neminem reperit. Cæterùm eo momento temporis triclinium, in quo Scopas epulabatur, collapsum, & ipsum, & omnes convivas oppressit. Valer. loco cit. Cicero lib. 1. de Orat.

Daphidas irrisurus Oraculum Apollinis Delphici, consuluit eum, an equum invenire posset, cùm omninò nullum habuisset. Reddita est vox ex Oraculo: inventurum equum; sed ut eo deturbatus periret. Inde jocabundus rediens, incidit in Regem Attulum, quem sæpè absentem contumeliosìs dictis lacessiverat: ejusque jussu, saxo, cui nomen erat equus, præcipitatus periit.

Eodem modo Philippus Rex Macedonum admonitus, ut à quadrigæ violentia salutem suam custodiret: toto Regno disjungi currus jussit; eumque locum, qui Bœotia Quadriga vocatur, semper vitavit.

Digitized by Google

favit. Verùm occisus fuit à Paufania gladio, in cujus capulo cælata erat quadriga. Val. lib. 1. c. 8.

Tuscia Virgo Vestalis incesti criminis rea, in testimonium suæ innocentiæ arrepto cribro: Vesta, inquit, si Sacris tuis castas semper admovi manus, essice, ut hoc hauriam ex Tyberi aquam, & in eadem tuam perferam. Et hausit aquam cribro, atque in Templum detulit. Val. lib. 8. c. 1. Plin. lib. 28. c. 2.

Claudia Virgo Vestalis, cùm in suspicionem stupri venisset, ad comprobandam pudicitiam suam, fertur cingulo duxisse navem, quam multa hominum millia trahere nequiverunt. Val. & Plutarc.

Cornelius Tacitus lib. 4. histor. c. 81. hæc habet. Ex plebe Alexandrina quidam oculorum tabe notus, genua ejus (ideſt Vespasiani) advolvitur, & remedium cæcitatis expoſcens gemitu, monitu Serapidis Dei, quem dedita superstitionibus Gens ante alios colit; precabatur Principem, ut genas, & oculorum orbes dignaretur refpergere oris excremento. Alius manu æger, eodem deo auctore, ut pede, ac vestigio Cæsaris calcaretur, orabat. Vespasianus primò irridere, & aspernari: poſtremò æstimari à Medicis jubet, an talis cæcitas, ac debilitas ope humana superabiles forent. Medici variè dixere. Huic non exciam vim luminis, & redituram, si pellerentur obstantia: illi elapſos in pravum artus: si salubris vis adhibeatur, poſſe integrari. Igitur Vespasianus cunctis fortunæ suæ patere ratus, nec quicquam ultra incredibile; læto ipſe vultu, erectâ, quæ adstabat, multitudine, jussa exequitur. Statim conversa ad usum manus, ac cæco reluxit dies. Utrumque, qui interfuere, nunc quoque memorant, & poſtquam nullum mendacio pretium. Idem refert Suetonius in Vespasiano c. 7. Cum hac tamen differentia, quod non quidem manus, sed crus debile alteri fuerit. Ait enim: E plebe quidam luminibus orbatus; item alius debili crure, ſedentem pro Tribunali pariter adierunt, &c.

Albigerius Carthaginienſis fuit adeò divinandi peritus, ut Dæmonibus afflantibus, reſponderet quidquid egiſſet quiſque, aut omninò cogitaſſet: quod teſtatur D. Auguſtinus, qui illis ipſis vaticiniis ſe plerumque ſcribit interfuiſſe. Refert Textor in Officina.

C. Lepidus apud Plinium teſtis eſt, arbores locutas fuiſſe.

Neronis Principatu arbores ſedem mutavere.

M. Lepido, & Q. Catulo Conſulibus locutus eſt Gallus gallinaceus.

Anno, quo Nero exeidit Imperio, oleæ, & prata in contrarias ſedes tranſierunt.

Paulò antequam Auguſtus Imperator factus eſt, bos in ſuburbano Romæ ad arantem locutus eſt: fruſtrà ſe urgeri: non enim frumenta, ſed homines brevi defuturos. Hæc omnia Textor in Officina.

Paulò antequam Julius Cæſar occideretur, caſu reperta eſt in antiquo ſepulcro, in quo conditus erat Capys, tabula ænea conſcripta literis, verbiſque Græcis hæc ſententia: *Quandocumque oſſa Capys detecta eſſent, fore ut Julo prognatus, manu conſanguineorum necaretur, magniſque mox Italiæ cladibus vindicaretur.* Quidam etiam equorum greges, quos ipſe Cæſar in trajiciendo Rubicone flumine conſecrarat, inventi ſunt pertinaciſſimè pabulo abſtinere, ubertimque flere. Præterea Spurin a Haruſpex monuit eumdem, ut caveret periculum, quod non ultra Martias Idus proferretur. Nocte verò ante diem cædis, Calſurnia ejus uxor imaginata eſt Maritum in gremio ſuo conſodi: ac ſubitò cubiculi fores ſponte patuerunt. Hæc omnia ſcribit Suetonius Tranquillus in ejus Vita: qui etiam addit in fine hæc verba digniſſima notatu: [Perculſorum autem ferè neque triennio quiſquam amplius ſupervixit, neque ſua morte defunctus eſt. Damnati, alius alio caſu periit: pars naufragio, pars prælio, nonnulli ſemet eodem illo pugione, quo Cæſarem violaverant, interemerunt.] Aerior vindicta ſumpta de cæde Cæſaris, quàm de injuriis Mahumeti.

Apollonius Thianæus, qui vixit ſub Domitiano Imperatore, & Pythagoricam Sectam profeſſus eſt, tot, ac tàm magna malis artibus prodigia patravit, ut per totum penè Orbem nominis ejus fama percrebuerit, & ab Alexandro, & Antonino Caracalla Imperatoribus tamquam Deus habitus ſit. Quin etiam Herocles Philoſophus, unus ex Areopagitis, ut refert Euſebius, illum Chriſto parem oſtendere conatus eſt, nec minora, quàm illum miracula feciſſe. Romam à Domitiano tamquam reus accerſitus, coma, barbaque ad ludibrium ſpoliatus eſt. Deinde carceri incluſus, omnium fallens oculos evaſit, Epheſumque reverſus eſt. Puellam extinctam, feretroque impoſitam ſuſcitavit, auctore Philoſtrato ejus Diſcipulo, qui Magiſtri ſui res deſcripſit, ac vulgavit; quamvis illam verè mortuam fuiſſe affirmare non audeat. Anaſtaſius Nicænus lib. quæſt. 23. hæc de eo ſcribit: [Apollonii autem in hodiernum uſque diem in nonnullis locis Sacra peraguntur: alia quidem ad avertendas beſtias quadrupedes, & volucres, quæ poſſunt homines lædere: alia autem ad ſiſtendos fluxus fluminum, quæ curſu ferunturin inordinato: alia autem ad avertenda illa, quæ ſunt ad perniciem & interitum hominum comparata. Non ſolùm autem in vita ejus hæc per ipſum fecerunt Dæmones: ſed etiam poſt ejus mortem ad ejus monumentum manentes, quædam fecerunt ſigna in ejus nomine ad eos decipiendos, quos Dæmon facilè ſeduxit, & pellicit ad res hujuſmodi.] Hæc Anaſtaſius. Subdit Bacchonius: [Verùm de Statua ejus operatione Dæmonum reſponſa dante, hæc ſcripta habentur apud Juſtinum lib. quæſt. 24. Dæmonis ipſius in illius ſtatua inſidentis, & homines Oraculis edendis in errorem, ut Apollonium ſicuti Deum honorarent, & colerent inducentis, os Dominus obturavit, reſponſis ejus abolitis.]

Refert etiam Philoſtratus, Dæmoniacum quemdam hominem fuiſſe ab Apollonio Magiſtro ſuo liberatum. Id quod ideò addere volui, ut conſtaret, nullum eſſe Mahumeti miraculum, cui vel ſimile, vel etiam majus, in iis, quæ Dæmones, vel per ſe, vel per malos homines operari conſueverunt, non reperiretur. Neque verò de his (ſaltem omnibus) quæ hactenus relata ſunt, dubitari poteſt, ſicut de Mahumeti miraculis, cùm à diverſis diverſarum gentium Auctoribus, quorum alii nihil de aliis ſciebant, narrentur; neque de una, vel de altera perſona tantùm ejuſdem loci, ſed de innumeris propè diverſorum locorum hominibus referantur. Mahumeti autem miracula omnia ab uno fonte eoque lutulento profluxerunt.

Verùm objicere poterunt Mahumetani, hæc exempla oſtendere, etiam miracula, quæ à Chriſtianis pro veritate religionis ſuæ aſſerenda aſſeruntur, potuiſſe opera Dæmonum patrari.

Sed reſpondemus, nullam eſſe hujuſmodi objectio-

ctionem. Nam si loquamur de miraculis Christi, & Apostolorum, aliorumque ante Mahumetum Sanctorum, de quorum nonnullis etiam in Alcorano fit honorifica mentio: conveniunt etiam Mahumetani vera fuisse miracula. Si verò fermo sit de iis, quæ post Mahumetum facta sunt, impossibile est, ea Dæmonum opera patrata fuisse: primò, quia cùm ferè innumeri mortui refuscitati, cæci illuminati, aliique naturaliter incurabilibus morbis laborantes sanati per omnes ferè Christiani orbis regiones à diversis Auctoribus, etiam testibus de visu, referantur: & horum miraculorum veritas à Sacris Præsulibus diligentissimè dicussa sit, nè quid in illis falsitatis, aut mendacii inesseretur: impossibile est, Dæmones in his partem ullam habuisse. Deinde, cùm omnia hæc per Divini nominis invocationem, & per pias preces, ac jejunia, & per rerum Sacrarum contactum, Sanctorumque invocationem, præter omnem superstitionis, vel Dæmoniacæ operæ suspicionem, facta fuerint, nulla est ratio asserendi, vel credendi, ea ex Dæmonum arte, vel fraude provenisse. Non negamus tamen, aliqua ex his ex falso vulgi rumore, vel ex prava imaginatione, atque indiscreta pietate aliquando promanasse: sed hæc statim, vel brevi deprehensa sunt.

Objicient Mahumetani, etiam Mahumetum in miraculis suis patrandis, Divini nominis invocatione, & precibus apud Deum usum fuisse.

Respondemus primò, non esse nobis certum, Mahumetum Divini nominis invocatione miracula ulla fecisse. Quantumvis enim id Mahumetani affirment, non tamen tenemur hoc illis credere, imò multas rationes non credendi habemus, quarum præcipua est, quia in pluribus aliis eos mendaces invenimus. Secundò fieri quidem potuit, ut Dei Nomen invocaret, & aliquas preces ad eum dirigeret; sed alia etiam verba superstitiosa admiscret. Ita Malefici quoque, & Sagæ rebus, & verbis Sacris, ipsoque Dei nomine abutuntur, verbis, & rebus profanis admiscendo, ad aliquid mirabile perpetrandum: de qua re experientia non finit nos dubitare. Porrò neque pauca, neque levia fundamenta habemus, hoc de Mahumeto judicandi. Primò, quia ut erat in idololatria, ac superstitione natus, & enutritus, & in ea usque ad annum quadragesimum adoleverat: plura etiam ex avita superstitione retinebat.

Quamobrem Philippus Guadagnolus suprà laudatus, in Apologia sua sect. 5. c. 10. auctoritate Sonnæ, & Alcorani evidenter probat, Mahumetum etiam postquam se Prophetam venditaverat, multa idololatrica exercuisse, & assecclis suis præcipisse. In libro enim Sonnæ mandat suis, ut proni veneretur, & osculentur lapidem quemdam in Delubro Meccano, quem ex libro Hagar constat anteà fuisse ab Ethnicis eodem ritu osculatum, & veneratum. Præterea in Alcorano Sura 2. *de Vacca*, præcipit suis, ut orantes faciem convertant ad Fanum Meccæ, in quo Idola multa colebantur. Conveniunt etiam plerique Moslemi, Mahumetum multa alia suis præcepisse, quæ Arabum Ethnicorum propria erant, ut Festum, quem hodie *Babiram* vocant: peregrinationem ad Meccam: immolationem arietis: abstinentiam à venatione, & ab occisione pediculorum, & pulicum per quatuor menses sacros in locis Meccæ; observantiam diei Veneris, quem illi in honorem ejusdem Deæ celebrabant: & alia hujusmodi. Denique certum est apud omnes, illum jam habitum ut Prophetam, tria Meccanorum Idola, Allatam, Alozam, & Manatam magnificis verbis extulisse. Cùm enim recitaret Corasinis Suram 53. quæ inscribitur: والنجم *Per Stellam*, postquam legisset illa verba. افرايتم اللات والعزى ومناة الثالثة الاخرى *Quid vobis videtur de Allata, Aloza, & Manata, quæ est alia tertia?* statim subdidit: تلك الغرانيق العلاى شفاعتهن *Istæ sunt puellæ pulchræ, excelsæ, quarum intercessio certè sperandæ est.* Quo audito Corasini, valdè lætati sunt. Refert hoc Gelaleddinus, & alii Expositores communiter. Sed excusant Mahumetum, quia id evenit: بالقا الشيطان على لسانه *quia Satanas injecit hoc in linguam ejus, absque eo quod sciret ipse quid diceret.* Plura etiam dicere parabat: sed statim accurrens Gabriel admonuit eum de errore: & Deus abrogavit ea verba ex Alcorano. Cùm autem propterea magna tristitia angeretur Mahumetus, introducitur Deus ita illum consolari, Sur. 22. v. 50.

ولا نبي
الا اذا تمنّى القى الشيطان في امنيته فينسخ الله
ما يلقي الشيطان ثم يحكم الله ايآته والله عليم
حكيم: ليجعل ما يلقي الشيطان فتنة للذين
في قلوبهم مرض *Nullus fuit Propheta, qui dum recitaret* (Divinas revelationes) *Diabolus non immitteret* (aliquid falsi) *in lectionem ejus. Sed Deus abrogabit id, quod immiserit Diabolus: & deinde stabiliet Deus verba sua: Deus enim est sciens, sapiens.* (Permittet autem hoc), *ut pro tentatione, quod immiserit Diabolus, in tentationem eorum, in quorum cordibus est morbus.* Frivola prorsus excusatio; sed impudentissimum mendacium, quo asseritur, nullum Prophetam immunem fuisse à deceptione Satanæ in suis vaticiniis, seu revelationibus proferendis ac recitandis.

Cæterùm, Mahumetum superstitionibus addictum fuisse, præsertim sacra profanis admiscendo, satis patet ex Alcorano ipso, in quo multis Suris præscribit Characteres quosdam solitarios, ac prorsus magicos, qui quid significent, Mahumetani ipsi Sapientiores prorsus ignorant: & Gelaleddinus semper ingenuè fatetur circa hos ignorantiam suam, scribens: الله اعلم بمراده بذلك *Deus solus novit, quid hi characteres significent.* Præterea ixpè inducit in Alcorano Deum jurantem per res vanas, & ridiculas. Sura enim 68. jurat Deus: والقلم وما يسطرون *per calamum, & per id, quod scribunt.* Sura 75. لا اقسم بيوم القيمة ولا اقسم بالنفس اللوامة *Per diem Resurrectionis, & per animam, quæ se reprehendit.* Sura 85. والسماء ذات البروج واليوم الموعود وشاهد ومشهود:

Digitized by Google

والشهود : *Per Cælum habens signa Zodiaci, & per diem promissum, & per testificantem, & testificatum.* Sura 86. والسماء والطارق : *Per Cælum, & Luciferum.* Sura 89. والفجر وليال عشر والشفع : *Per Auroram, & decem noctes: Per conjunctionem, & separationem, & per noctem cùm accedit, & recedit.* Sura 90. وهذا البلد الحرام : *Per hanc regionem* (nempe Meccam) *& per generantem, & generatum.* Sura 91. والشمس وضحيها والقمر والنهار والليل والسماء والارض ونفس : *Per Solem, & splendorem ejus: per Lunam, & diem: per noctem, & Cælum: per terram, & animam.* Sura 95. والتين والزيتون وطور سينين وهذا البلد الامين : *Per ficum, & olivam, & Montem Synai: & hanc regionem fecuram.* Sura 100. والعاديات ضبحا فالموريات قدحا : *Per equos quadrupedantes, pulverem, & scintillas pedibus excitantes.* Sura 103. والعصر : *Per tempus pomeridianum.* Tædet tot juramenta inania, quæ Deo impiè tribuit, enumerare. Quis verò superstitionem in illis non agnoscat: & Mahumetum more Magorum, & Præstigiatorum, sacra cum profanis permiscere non videat?

Præterea est in Alcorano Sura 113. quæ inscribitur الفلق *Diluculum*: in qua fingit Mahumetus, ad hoc, ut liberari posset ab undecim nodis, quibus à mulierculis Judæis arte magica fuerat alligatus, præcipi sibi à Deo hanc precatiunculam

قل اعوذ برب الفلق من شر ما خلق ومن شر غاسق اذا وقب ومن شر النفاثات في العقد ومن شر حاسد اذا حسد : *Dic: Confugio ad auxilium Domini Auroræ: à malo, quod creavit: & à malo Hyadum occidentium* (alii explicant *à malo Lunæ latentis*: alii *à malo noctis tenebricosæ*: alii aliter) *& à malo mulierum insufflantium in nodos: & à malo invidi, quando invidet.* Nonne omnia ferè hæc verba fœtent superstitionem? & tamen audet Auctorem illius facere Deum.

Refert etiam Albocharius par. 30. Tradit. Alcoranic. hanc historiolam: حدثنا عبد العزيز بن عبد الله قال حدثني مالك عن سعيد بن ابي سعيد المقبري عن ابي هريرة عن النبي ص قال اذا جاء حدكم فراشه فلينفضه بصنفة ثوبه ثلث مرات وليقل باسمك ربي وضعت جنبي وبك ارفعه ان امسكت نفسي فاغفر لها وان ارسلتها فاحفظها بما تحفظ به عبادك الصالحين :

Narravit nobis Abdalaziz filius Abdallah, dicens: Narravit mihi Malec, se audivisse Said filium Abu-said Moctaberini, dicentem, se audivisse ab Abuhoreira, qui audierat Mahumetum dicentem: Cùm venerit aliquis vestrum ad cubile suum causa quiescendi in illo, excutiat illud tribus vicibus extremitate pallii sui, dicens: In nomine tuo, Domine mi, depono latus meum, & per te elevabo illud. Si acceperis animam meam, parce illi, & si dimiseris eam, custodi illam, sicut custodire soles servos tuos probos. Vides hic pietatem superstitioni, & verba bona actioni vanæ, & ridiculæ adjuncta. Hoc idem in aliquibus ex superiùs relatis miraculis manifestè apparet: veluti cùm præcepit ei, qui in Alcorani lectione à Satana infestabatur, ut expueret tribus vicibus à parte sinistra. Ipsa etiam qualitas miraculorum superstitionem, ut plurimum, præfefert. Similia quippe sunt iis, quæ per artem magicam fieri confueverunt: cujusmodi sunt, arborum deambulatio, voces lapidum, loquela bruterum, &c. quæ ut vidimus, nullum alium habebant scopum, nisi ostentationem, inflantiam, & vanitatem.

Posttremò verissimè affirmare possumus, Deum illum, quem Mahumetus invocabat, non fuisse Verum Deum, sed figmentum quoddam, & quasi Idolum, quod ipse sibi componebat: neque de eo, ut de Deo Vero sentiebat. Ita de Antichristo scribit Daniel Propheta cap. 11. *Et Deum patrum suorum non reputabit: & erit in concupiscentiis fœminarum, nec quemquam deorum curabit: quia adversùm universa consurget. Deum autem Maozim in loco suo venerabitur: & Deum, quem ignoraverunt Patres ejus, colet auro, & argento, & lapide pretioso, rebusque pretiosis. Et faciet, ut muniat Maozim cum deo alieno, quem cognovit.* Agnoscè, Lector, in Mahumeto Antichristi imaginem; hic enim quamvis nullum deorum curavit, imò θεομάχος, i. plurium Deorum cultum, semper damnaverit, non tamen Deum patrum suorum, nempe Deum Verum, reputavit, seu, ut habetur in fonte Hebraico יָבִין *intellexit*, ideft benè, ritè-que cognovit: fed Deum quemdam fictitium in Loco fuo, ideft in Mecea veneratus eft. Neque ab re eft, quòd Deus ille Antichristi vocetur מָעוֹזִים Maozim, ideft, *Fortitudines, vel Fortis*: nam Mahumetus etiam in Alcorano fæpiffimè eodem nomine vocat deum fuum, العزيز *Alaziz*, ideft *Fortem*: & præterea, ut superiùs vidimus, magnificè extulit deum, seu Idolum quoddam Meccanorum, nomine العزى *Alozza*, ejusdem significationis, nempe *Fortem*. Eumdem porrò Deum, quem coluit Mahumetus, colunt hodiè omnes Mahumetani: nempe, deum prædictum membris corporeis, veris, & realibus, licet ab humanis diffimilibus:

Digitized by Google

bus: qui non sit ubique, sed uno tantùm, certoque loco detineatur, & concludatur: qui non intellectu, sed corporeis oculis videatur: qui cogat homines ad peccandum, qui unam tantùm personam habeat. Hic porrò numquam dici poterit Verus Deus, sed phantasma quoddam, vel Idolum à Mahumeto confictum, etiamsi de illo magnifica, & admiranda prædicet in suo Alcorano. Talem D. Augustinus lib. 4. Conf. cap. 7. sibi formaverat Deum, antequam veritatem Christianæ Fidei agnosceret: dum loquens cum ipso Deo scribit: *Non eras mihi aliquid solidum & firmum, cùm de te cogitabam: non enim tu eras, sed vanum phantasma; & error meus erat Deus meus.* Quare non mirum si in hujus Mahumetici dei nomine, apparens aliquod miraculum Dæmon operaretur. Sed re vera nullum operatus est.

CAPUT UNDECIMUM.

De miraculo Alcorani.

MAhumeti miraculorum maximum esse Alcoranum, communis est Doctorum Moslemorum sententia. Imò cætera ejus miracula præ hoc parvi, vel nihili faciunt. Omnes Alcorani periodos vocant ايات, *signa*, vel *miracula*: quasi tot miracula contineat, quot periodos: quamvis, ut superiùs vidimus, multò plura miracula, quàm periodos in Alcorano contineri quidam affirment.

Primò quidem Mahumetus ipse Sura 29. العنكبوت *Aranea* v. 50. postulantibus Meccanis aliquod miraculum, jubetur à Deo respondere, vel potiùs ipse Deus respondet: اولم يكفهم انّا انزلنا عليك الكتاب يُتلى عليهم: *An nondum satis fuit illis, quod demiserimus ad te Librum, qui legitur illis?* nempe Alcoranum. Ubi Gelaleddinus ita scribit: فهو اية مستمرّة لا انقضاء لها بخلاف ما ذُكر من الايات كناقة صالح وعصا موسى ومايدة عيسى: *Ipse enim Alcoranus est miraculum stabile, ac permanens, quod non habet finem, ex opposito aliorum miraculorum, quæ referuntur, cujusmodi est Gamela Salehi, Virga Moysi, & Mensa Jesu.* Et Sura 59. الحشر: *Congregatio*, v. 21. ita fingitur loqui Deus: لو انزلنا هذا القران على جبل لرايته خاشعًا متصدّعًا من خشية الله: *Si demisissemus hunc Alcoranum super aliquem montem; certè vidisses eum sese humiliantem, & scindentem ex timore Dei.* Algazelus autem ita de eo magnificè loquitur: هو المعجزة الكبرى الباقية بين الخلق وليست لنبيّ معجزة باقية سواه اذ تحدّى بها رسول الله بلغاء العرب وفصحاءها وجزيرة العرب يوميذ مملوة بالاف منهم والفصاحة صنعتهم وبها عنافستهم ومباهاتهم وكان ينادي بين اظهرهم ان ياتوا بمثله او بعشر سور من مثله او بسورة من مثله ان شكّوا فيه وقال تعالى لئن اجتمعت الانس والجنّ على ان ياتوا بمثل هذا القران لا ياتون بمثله ولو كان بعضهم لبعض ظهيرًا: *Ipse Alcoranus est miraculum maximum perseverans inter creaturas. Nullus autem Propheta fecit miraculum perseverans, præter Mahumetum, cùm provocaverit per Alcoranum disertissimos, & eloquentissimos Arabum, quibus eo tempore erat plena Arabia: & eloquentia erat ars, & professio eorum; & in ea erat æmulatio, & concertatio eorum ad gloriam assequendam. Ipse verò invitabat præstantissimos eorum, ut facerent Alcoranum talem, qualis erat suus: aut decem Suras, vel saltem unicam Suram similem Suris illius, si dubitarent de eo. Et dixit Altissimus: Si congregarentur homines, & dæmones, ut facerent Alcoranum huic similem, nullo modo efficere possent, quantumvis sese invicem adjuvarent.* Auget miraculum idem Algazelus, quòd اتاه الله جميع ذلك وهو رجل امّي لم يمارس العلم ولم يطالع الكتب ولم يسافر قط في طلب علم ولم يزل بين اظهر الجهال من الاعراب يتيما ضعيفًا مستضعفًا: *Deus concessit illi hoc totum, cùm esset homo idiota, qui sese nunquam scientiis exercuerat, nec studuerat libris, nec itinera susceperat ad scientias exquirendas; sed semper versatus fuerat inter ignarissimos Arabum agrestium orphanus, imbecillis, ac neglectus.*

Ahmed filius Abdolhalim, pag. mihi 320. & Auctor libri *De Signis Directionis* in Vita Mahumeti, longissimam texunt dissertationem ad confirmandum hoc tàm grande, ac novum Alcorani miraculum.

Possem unico verbo omnibus Moslemorum Doctorum in hac re argumentis satisfacere, respondendo id, quod responsum fuit cuidam Thrasoni, qui se Rhodi saltum saltasse jactabat, quem nullus alius ejus loci æquare potuisset: seque ejus rei testes ibidem habere sanctè jurabat: nimirum: ἰδὲ Ῥόδος, ἰδὲ καὶ πήδημα: *En Rhodus, en & saltus.* Habemus præ manibus plurimos Alcorani codices Arabicè ab ipsis Arabibus, aliisque Mahumetanis scriptos: nihil in illis mutavere, vel corrupere Christiani; optimè inter se conveniunt: nullumque inter eos discrimen, nisi levis momenti. Ego sanè à capite ad calcem totum legi, ac multoties relegi: atque, ut meliùs intelligerem, adhibui præcipuorum Doctorum Moslemorum glossas, & commentaria: & neque in unica Sura, neque in decem, neque in omnibus miraculum ullum, vel umbram miraculi, potui reperire: imò plures ineptias, nugas, fabulas, errores, mendacia in-

Digitized by Google

veni. Possum itaque dicere: *En Alcoranus*, non autem: *en & miraculum*. Verùm ut ad singula Moslemorum argumenta respondeam, hic eadem breviter recensebo.

Primum igitur argumentum, quo Moslemi Alcorani miraculum le probare existimant, & plura simul argumenta complectitur, est hujusmodi. Mahumetus sæpius ad scribendum, vel proferendum Alcoranum similem suo; vel decem, aut etiam Suram unicam illius imitandam Meccanos provocavit. Ut hoc facerent, necessitas eos cogebat: egebatur enim de Religione, Regno, bonis, vita, & salute ipsorum. Porrò Meccani erant eloquentiæ, & præsertim poeticæ maximè addicti, propriæque gloriæ, & existimationis studiosi. Patet igitur, eos vel non potuisse facere aliquid simile: vel ne facerent, divinitùs impeditos fuisse. Utrumque verò est magnum miraculum. Quòd autem non fecerint, patet: quia si fecissent, opus corum ad manus nostras devenisset: quemadmodum multa opera levioris momenti ab aliis conscripta devenere.

Respondeo primò; miraculum nullum censendum esse, quòd in aliqua Urbe, vel gente quispiam opus tale conscribat, ut nemo in ea reperiatur, qui aliquid æquale, vel simile efficere possit; nisi forte illud idem imitando, vel res eadem aut similes, eodem, vel alio idiomate, iisdemque verbis, modisque dicendi, cum modica mutatione tractando. Quo pacto stultissimè affirmaretur, non posse aliquid Alcorano simile fieri. Quis enim vel Aristotelem, vel Homerum, vel Demosthenem, vel Tullium, five argumenti dignitate, five styli, facundiæque ubertate, & venustate adæquavit, nisi fortè eadem, aut similia scribendo illis, quæ ipsi scripserunt, vel iisdem vocibus utendo, quibus ipsi usi sunt? Videtur natura, ingenia quædam singularia instar Picenicis efformasse, atque ad opera quædam componenda destinasse, quæ alii quantumvis doctissimi, frustrà conentur æmulari. Hoc verò non in re literaria tantùm, sed in Sculptura, & in Pictura, & in aliis facultatibus sæpè contingit. Quamobrem de Pindaro Poeta Græco scripsit noster Latinus (Horatius Carm. lib. 4. Ode 1.)

Pindarum quisquis studet æmulari,
Jule ceratis ope Dædalea,
Nititur pennis, vitreo daturus
Nomina Ponto.

Respondeo secundò, non constare omninò, utrum Meccani aliquid Alcorano simile, vel æquale, vel etiam melius scripserint. Nec valet argumentum: Si scripsissent, ad manus nostras opus devenisset, sicut opera levioris momenti devenere. Quot enim doctissimorum Virorum Opera perierunt, cùm tamen multa ignobiliorum superstint? Proferant Mahumetani aliquem ex tot illis libris, quos à Deo, Adam, Noe, Seth, Enoch, Abraham accepisse pronunciant. Certè istos omnes periisse fateantur, necesse est. Salomonis, & aliorum Prophetarum plures libri, quos ab iisdem scriptos fuisse paginæ sacræ testantur, nusquam hodie reperiuntur. Ne quid dicam de vulgatissimis olim aliorum Auctorum operibus, quæ penitus interiere. Cicero, & Hortensius disertissimi erant in Romana Republica Oratores. Prioris pleraque supersunt: nonnulla tamen desiderantur. Secundi nihil, vel aliquod tantùm fragmentum inventur. Titi Livii celeberrimi Historiographi, nonnullæ Romanarum historiarum Decades adhuc existunt: alias tempus intercepit. Quare non mirum, si Alcoranus à Mahumeto vulgatus hodie supersit: Meccanorum verò, si quem scripserunt, interierit: præsertim quia cùm Mahumetani prævaluissent, & Meccanos oppressissent: probabile est, etiam Alcoranum à Meccanis scriptum, ab illis, utpote Alcorano suo perniciosum, interceptum, abolitumque fuisse.

Respondeo tertiò: falsum esse, Meccanos adeò eloquentes, doctos, & eruditos fuisse, quemadmodum Auctores isti confingunt. Imò Alcoranus ipse non semel vocat eos antonomasticè الاميين *Idiotas*: deest legendi scribendique ignaros. Ita enim habemus Sura 62. الجمعة *Conventus*. v. 2.

هو الذي بعث في الاميين رسولاً منهم يتلو عليهم

Ipse est, qui suscitavit inter Idiotas Legatum ex ipsis, qui legeret eis signa sua. Et Sura 3. آل عمران *Familiam Amran*. v. 73. Judæi, & Christiani vocant Meccanos per Antonomasian *Idiotas*, dicentes: ليس علينا في الاميين سبيل *Non est nobis impositа lex pro idiotis*. Et notandum est non solos Meccanos, sed omnes Arabes per hæc Alcorani verba designari. Ita Gelal. Sura 62. versf. 2. الاميين العرب والامي من لا يكتب ولا يقرأ كتاباً:

Idiotæ sunt Arabes: & Idiota est qui nescit scribere, neque scripturam legere. Testis est Auctor quidam celeberrimus apud Mahumetanos, nomine احمد بن محمد بن خلكان *Ahmed filius Mohammed filii Chalcans* cùm jam vulgari cæpisset Alcoranus, non repertum fuisse in universa regione Jemanitide, five Arabiæ Felicis, qui Arabicè legendi, vel scribendi peritus esset. Refert hoc Eduardus Pocockius, nam ego Auctorem ipsum in fonte non vidi. Princeps inter Alcorani Expositores Zamchascerius, in eadem Sura 62. ita scribit: الامي منسوب الى امة العرب لانهم كانوا لا يكتبون ولايقرون من بين الامم: *Idiota refertur ad Arabes, quia ipsi nec scribere, nec legere norant inter gentes*. Sciaher Settanius idem testatur قيل المقاتلتان الفرقتان للمعت هم اهل الكتاب والامّيون والامّي من لا يعرف الكتبة فكانت اليهود والنصارى بالمدينة والامّيون بمكة: *Duæ Sectæ, seu Gentes inter se oppositæ erant, antequam mitteretur Mahumetus: Scripturales, & Idiotæ (Idiota autem est, qui scripturam ignorat): Erant porrò Judæi, & Christiani in Medina: Idiotæ autem in Mecca.* Adstipulatur Nasser filius Abul-Mocarem, Auctor libri المغرب his verbis: الامي في اللغة منسوب الى امة العرب وهم لم تكن

Digitized by Google

تكن تكتب ولا تقرأ فلمتغير لكل من لا يعرف الكتابة ولا القراءة : *Idiota ex vi idiomatis refertur*

ad gentem Arabum: quæ legere, & scribere nesciebat. Translata autem fuit hæc vox ad omnes, qui legendi, ac scribendi sunt ignari. Asserunt quidam, Arabes cum hac tota sua rusticitate, & insicitia literarum, fuisse tamen deditos poesi; nimirum efferendis sensibus suis per sententias rhythmicas, sine ulla tamen certa lege syllabarum: quemadmodum rustici nostri, ac pastores in agris, vel cæci in triviis non rarò consueverunt. Hinc Auctor Ebno-Phares relatus à Gelaleddino Sajutiensi, scribit: لاوائل العرب الشعر الا الابيات يقولها الرجل في حاجته : *Non erat Arabibus primis alia poesis, quam versus, quos quisque proferebat, cùm sibi opus esset.* Hujus farinæ est etiam Alcoranus, ut quilibet videre poterit.

Respondeo quartò: quamvis daremus, Meccanos eloquentissimos, eruditissimos, ac doctissimos fuisse: cùm tamen essent homines prudentes, & graves, & Mahumetum fatuum, ac nebulonem existimarent: Alcoranum verò, scripturam vel ineptam, & stultam; vel magicam, ac superstitiosam crederent (quæ omnia ex ipsis Alcorani verbis manifestè patent) homini fanatico, ac sycophantæ, ejusque libro, respondere dedignati sunt: & armis, ac fustibus, non calamo, & scriptura Mahumetum, ejusque congerrones, tamquam pestem, ex urbe sua ejecerunt, ut constat ex ipsis Moslemorum historiis. Cùm verò Mahumetus extorris in Medinam confugisset, gentem illam lenociniis, ac fallaciis traxit in partes suas: itaque Medinenses viribus roboratus, Meccanos devicit, & oppressit. Tum verò nihil illis proderat Alcorano respondere: sed neque ausi fuissent id facere, quamvis ille requisisset.

Respondeo quintò: multos Arabes post Mahumeti excessum, opera plura Alcorano eloquentiora, & meliora conscripsisse. Hoc tamen Mahumetani negabunt, ne videantur Prophetæ suo mendacis notam inurere. Verùm non Mahumetani proprio affectu excæcati, sed viri docti, judiciique purgati, debent hoc dijudicare. Colitur à Moslemis, tamquam Divus, معبح عمر ابن فارث *Doctor Omar filius Tharethi*, homo Ægyptius; qui cùm esset omnis literaturæ expers, non secus, ac Mahumetus, à malo dæmone arreptus, sæpè sæpiùs repente in terram corruebat, diversissima de diversissimis cum clamore enuncians; & majori elegantia, meliorique ordine, quàm Mahumetus, sententias suas proferebat. Habuit eorum, quæ effutiebat, sedulos Amanuenses, qui ex his, quæ sexaginta annorum spatio protulerat, librum composuere Alcorano majorem, & elegantiorem, quem inscripserunt, ديوان معبح عمر بن فارث, *Divan*, (seu Dialogum) *Doctoris Omar filii Tharethi*. Refert hoc Eruditissimus Vir Petrus Bedie Nobilis Persarmenus in suo Opere, quod inscripsit Persicè: چهل ستون *Cehil Sutun*: idest *Quadraginta Columnarum*, art. 9.

Alterum argumentum, pro asserendo Alcorani miraculo, est, quòd cùm Meccani essent tàm docti, & eloquentes, Mahumetus verò homo idiota, & semper inter rusticos versatus; opus tamen tàm rarum, atque admirabile ediderit, cui nihil Meccani simile, ne dum æquale facere potuerint.

Sed facilè respondetur: Primò negando hoc opus, tàm rarum & admirabile esse, ut Moslemi jactant. Deinde, multos idiotas, ac legendi, scribendique prorsus ignaros, eo judicio, ingenio, prudentiaque naturaliter pollere, ut ore tenus, ex eo quod ab aliis audierunt, vel per se ipsos meditati sunt, sciant alicujus Scriptoris adjumento, conceptus suos optimè explicare: quod in quibusdam etiam cæcis evenisse compertum est. Porrò Mahumetum, mortalium omnium prudentissimum, sapientissimum, ac perspicacissimum fuisse, ipse Ahmed, & Mahumetani, ut alias vidimus, plenis buccis crepant: qua in re sibi manifestè contradicunt. Alii tamen asserunt (licet id Moslemi inficientur) Alcoranum non à Mahumeto, sed à Sergio Monacho Nestoriano concinnatum fuisse: vel ab aliquibus Christianis, ac Judæis Mahumetum pravè edoctum, ea, quæ in Alcorano continentur, alicui ex suis sparsim confusèque dictasse; quæ deinde ab Abubacro in unum volumen dissutim, ac sine ullo ordine congesta sunt. Et hoc videtur magis verum. Nec aberraret, ut opinor, qui assereret, Genium aliquem malum sese pro Gabriele venditantem, ea, quæ sunt in Alcorano, Mahumeto suggessisse. Certè stylus Alcorani simillimus est illi, quo utuntur dæmones, dum per energumenos, vel alio modo loquuntur. Verùm de hoc magis ex professo proprio in loco tractabo. Videntur tamen mihi Arabes in eo, quod faciunt Mahumetum ita idiotam, etiam ex alio capite ab eo, quod modò dixi, sibi contradicere. Nam si Meccani erant eloquentissimi, & elegantiæ poeticæ studiosissimi; cùm Mahumetus esset non solùm Meccanus, sed Corasinus, & Hascemita, nimirum ex nobilissima Meccanorum familia, in qua consequenter magis quàm in aliis florere par erat eloquentiam, ac sapientiam: non est probabile, illam adeò idiotam fuisse, saltem ex eo quòd inter doctissimos versaretur. Licet enim patrem amiserit adhuc trimulus: attamen usque ad annum octavum mansit sub tutela & cura avi sui Abdalmotallebi: quo mortuo, suscepit eum in tutelam patruus ejus Abutalebus, qui quandiu vixit, ut scribit Auctor libri *De Signis Directionis*, honoravit, defendit, & adjuvit eum. Vixit autem Abutalebus usque ad quadragesimum sextum annum vitæ Mahumeti. Hic autem anno vigesimo quinto ætatis suæ accepit in uxorem Chadigen viduam primariæ nobilitatis, atque opulentissimam. Quare cùm esset tantæ fœminæ maritus, quam Scriptores Moslemi vocant سيدة العرب *Dominam Arabum*, & quæ habebat amplissima prædia, & lucrosissima negotia per Syriam: ridiculum est credere id, quod refert idem Auctor c. 3. Sect. 1. ex auctoritate Aly filii Abrahæ, filii Hascemi: nimirum Mahumetum post trigesimum septimum ætatis annum, quando ad munus Propheticum vocatus fuit, consuevisse commorari in pascendis gregibus patrui sui Abutalebi in locis desertis: vel, ut suprà scripsit Ahmed, illum in rusticos Arabes assiduè versatum fuisse. Porrò si Mahumetus asinus, vel stipes fuisset, nihilominus tanto tempore inter nobilissimos, eloquentissimos, ac sapientissimos Arabum versatus, aliquid certè eruditionis hausisset. Et quis credat, Chadigen, tantam fœminam, tantarumque facultatum Domi-

Digitized by Google

Dominam, habuiſſe primò procuratorem, poſteà maritum hominem tàm ſtupidum, & ignarum? Verùm hæc obiter, & per tranſennam tetigiſſe ſufficiat. Veniamus jam ad alia, quæ pro Alcorani miraculo afferendo Moſemi producunt: pro quo,

Tertium erat argumentum, elegantia, quæ ſita eſt in verbis ſelectis, pulchroque ordine, ac diſpoſitione eorumdem verborum ad ſententias formandas.

Verùm hoc argumentum claudicat utroque pede. Primò enim falſum eſt, hujuſmodi elegantiam in Alcorano reperiri. Deinde, etiam ſi eam concederemus, nihil tamen divini, aut miraculoſi ex hac illi eſſet tribuendum. Imò hoc ipſum oſtenderet, illum non eſſe à Deo. Spiritus enim Dei, qui in Prophetis locutus eſt, debet ſemper eſſe ſibi conſtans, & uniformis. Porrò neque in Pentateucho, neque in Euangelio ſucum ullum inanis elegantiæ, aut ullum verborum lenocinium invenimus: ſed ſolidas, veraſque ſententias, communibus verbis, ſimplicique ſtylo nobis proponi à Spiritu Sancto videmus. Neque negari poteſt, quin Demoſthenis, Tullii, Platonis, Senecæ, multorumque aliorum Ethnicorum Scriptorum eloquentia, facundia, ornatuſque dicendi, major appareat, quàm Pentateuchi, & Euangelii. Verùm, ut ſcribit S. Paulus de ſe, Epiſt. 1. ad Cor. c. 1. *Miſit me Chriſtus euangelizare, non in ſapientia verbi, ut non evacuetur Crux Chriſti.* Et c. 2. *Et ego cùm veniſſem ad vos, fratres, veni non in ſublimitate ſermonis, aut ſapientiæ.* Et paulò poſt: *Et ſermo meus & prædicatio mea non in perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, ſed in oſtenſione virtutis.* S. Auguſtinus lib. 6. Confeſſ. c. 5. loquens de Sacra Scriptura ait: *Verbis apertiſſimis, & humillimo genere loquendi ſe cunctis præbens, & exercens intentionem eorum, qui non ſunt leves corde, ut exciperet omnes populari ſinu.*

Sed non niſi falsò, & Thraſonicè, Mahumetus, & Mahumetani hanc tantam Alcorano elegantiam, & venuſtatem attribuunt. Quicumque Arabicæ linguæ ſunt peritiores, rident, ac deridentinſanam hanc Alcoranicæ elegantiæ jactantiam. Mihi ſanè nihil in illo apparet, quod venuſtatem aliquam poſſint cordati homines exiſtimare; niſi fluxus quidam in fine ſententiæ deſinentis in rhythmum, more carminum Etruſcorum, ſeu verſuum, quos Leoninos appellant, ſine ulla tamen certa regula metri. In quo non ſolùm à noſtris Poetis, præſertim Etruſcis, verùm etiam ab ipſis Arabibus, qui metro deinde ſcripſerunt, longè ſuperatur. Libet hic exemplum apponere ex Sura, quæ cæteris videtur eſſe venuſtior, & elegantior, & eſt nonageſima in

Alcorano, cui titulus سورة الشمس *Sura Solis*: continetque quindecim verſus. Ponam primò verba ipſa Arabica: deinde eadem exprimam characteribus latinis, quantum fieri poterit. Poſtremò latinam interpretationem ſubjiciam.

سورة الشمس.

وَالشَّمْسِ وَضُحٰهَا
وَالْقَمَرِ اِذَا تَلٰيهَا
وَالنَّهَارِ اِذَا جَلّٰيهَا
وَالَّيْلِ اِذَا يَغْشٰيهَا
وَالسَّمَاءِ وَمَا بَنّٰيهَا
وَالْاَرْضِ وَمَا طَحٰيهَا
وَنَفْسٍ وَمَا سَوّٰيهَا
فَاَلْهَمَهَا فُجُوْرَهَا وَتَقْوٰيهَا
قَدْ اَفْلَحَ مَنْ زَكّٰيهَا
وَقَدْ خَابَ مَنْ دَسّٰيهَا
كَذَّبَتْ ثَمُوْدُ بِطَغْوٰيهَا
اِذِ انْبَعَثَ اَشْقٰيهَا
فَقَالَ لَهُمْ رَسُوْلُ اللّٰهِ نَاقَةَ اللّٰهِ وَسُقْيٰهَا
فَكَذَّبُوْهُ فَعَقَرُوْهَا فَدَمْدَمَ عَلَيْهِمْ رَبُّهُمْ بِذَنْبِهِمْ
فَسَوّٰيهَا
وَلَا يَخَافُ عُقْبٰيهَا

Sùrato-Sciàmſi.

Và-Sciàmſi, và-dhohàha:
Vàl-Kàmari edà talàha
Vàn-nahàri edà giallàha
Val-làili edà jagſciàhà
Vas-Samài, và ma banàha
Val-àrdhi, và ma tahàha
Và nàffin, và mà ſauuàha
Fa àlhama-ha fogiùraha, và tàquaha
Càd àflaha màn Zaccàha
Và càd chàba màn dafsàha
Càddabat Thamùdo be taghvàha
Edà enbiatha afckàha
Fa càla làhom rasùlo-lahi: Nàcato-làhi, và ſocàha
Fa caddabùho, fa acaràha, fa-damdama alàihim ràbbohom bè dànbihim, fà ſauuàha
Va la jachàfo ocbàha.

Sura Solis.

Per Solem, & ſplendorem ejus:
Per Lunam, cùm ſubſequitur eum:
Per diem, cùm ſublimiorem oſtendit eum:
Per noctem, cùm occultat eum:
Per Cælum, & qui fabricavit illud:
Per Terram, & qui expandit eam:
Per Animam, & qui adæquavit eam:
Et inſpiravit illi iniquitatem ejus, & pietatem ejus.
Jam felix eſt, qui purificavit eam:

Et

Et jam miserrimus est, qui corrupit eam:
Non credidérunt Themudæi ob superbiam suam:
Cùm prostitúissent panperrimus eorum:
Dixit eis Legatus Dei: Camelæ Dei, & potus eius:
Et mendacii arguérunt eum: & percussérunt eam:
& ruinam misit super eos Dominus eorum ob peccatum ipsórum, & æquales fecit eos:
Et non timebit retributionem eorum.

Quid hîc, quæso, elegantiæ, quid gravitatis, vel majestatis styli, quod nullus mortalium æquare possit, & ne quidem imitari? Quid hîc miraculi? Quid divinum, vel humano superius? Et quidem hæc inter omnes Alcorani Suras videtur excellentissima.

Admoneo tamen hîc Lectorem, non solùm Christianos Arabicæ linguæ peritos, sed etiam Mahumetanos sapientiores, ac prudentiores agnovisse, & confessos fuisse hanc Alcoranicæ elegantiæ vanitatem. Nam Ismael filius Aly in sua historia, cap. في أمة المسلمين *De gente Moslemorum*, inter alias Sapientium Moslemorum Sectas, seu scholas, enumerat eam, quæ inter ipsos fuit celeberrima, & docebatur المدارية *Merdarienses*: de quibus ita scribit: المدارية اصحاب عيسى بن صبيح الكنى بابى موسى المقلب بالمردار ويحى راهب المعتزلة لانه تزهد وانفرد عن اصحابه بمسايل قبيحة جدًا منها ان القرآن قادرون على مثل هذا القرآن فصاحة ونظمًا وبلاغة وهو الذي بالغ في القول بخلق القرآن:

Merdarienses sunt sectatores Isæ filii Sobeihi, qui cognominatus fuit Abu-Musa; & ipse Isa cognominatus fuit Almerdar: & appellabatur Monachus Motazelitarum: religiosam quippe vitam amplexus est: & divisit sese à suis: tenuisque propositiones admodum absurdas, ex quibus una fuit, quòd homines possent facere librum similem Alcorano in eloquentia, textura sermonis, & elegantia. Et eò processit, ut assereret, Alcoranum esse creatum. Idem ferè habet insignis Auctor Arabs, quem liceat Christianum, Mahumetani ipsi magni faciunt, Gregorius Abul Phargius in historia Arabum, ita scribens.

وبن للمعتزلة ايضا عيسى الملقب بالمردار بالغ بالقول بخلق القرآن وان العرب كانوا قادرين على مثله فصاحة وبلاغة لولا منعوا عن الاهتمام به:

Fuit etiam inter Motazelitas Isa cognominatus Almerdar, qui ausus est asserere, Alcoranum esse creatum: & Arabes potuisse efficere librum similem illi in eloquentia, & elegantia, nisi impediti fuissent, ne in id animum intenderent. Auctor libri المواقف *Declaratio Stationum*, asserit, sententiam hujus Doctoris fuisse, non solùm Arabes potuisse facere aliquid simile Alcorano, sed etiam لحسن منه *aliquid melius, & pulchrius illo.* Addit Scaher Settanius: ابطاله اعجاز القرآن من جهة الفصاحة وللبلاغة :*illum monstrasse, vanum esse miraculum in Alcorano, quoad eloquentiam, & elegantiam illius.* Neque solùm Almerdar, sed etiam alius Doctor nomine النظام *Alnodham*, ut refert idem Sciaher Settanius, asserebat, miraculum in Alcorano

من حيث الاخبار عن الامور الماضية

والآتية وبن جهة صرف الدواعي عن المعارضة ومنع العرب عن الاهتمام به حيرًا وتعجيزا اذا لو خلاهم لكانوا قادرين على ان يأتوا بصورة من مثله بلاغة ونظمًا وفصاحة: *ex parte narrationum de rebus præteritis, & futuris: & ex eo, quòd Deus averterit Arabes provocatos ad respondendum, ne id facerent, neque animum ad hoc intenderent ex superbia, vel imbecillitate. Nam si Deus sivisset illos, certè poterant facere Suram similem Alcoranica in elegantia, eloquentia, & venustate ordinis.* Sed hoc erat probandum: nempe Meccanos divinitùs impeditos fuisse, ne id facerent. Sufficit tamen, quòd facere potuerint, ad Alcorani mendacium demonstrandum.

Noto hîc obiter, magnum esse apud Moslemos scelus, ac piaculum, credere, aut asserere, Alcoranum fuisse creatum. Teste enim superiùs laudato Auctore *Declarationis Stationum*, dixit ipse Mahumetus:

من قال القرآن مخلوق فهو كافر: *Si quis dixerit, Alcoranum esse creatum, inter infideles reputator.* Nec sentiunt miseri, nihil posse esse increatum, quod non sit Deus. Sed Almerdar nihili Prophetæ fui anathema faciens, & veluti mulus adversus mulum re-

calcitrans, pronunciavit audacter: كفر من قال بقدمه: *Qui dixerit, Alcoranum esse increatum, seu æternum, inter infideles censetur.* Ita refert Sciaher Settanius. Hæc autem disceptatio de Alcorano creato, sive increato, peperit Mahumetanis magnas turbas, & immensas cædes: atque innumeri pro alterutra parte interfecti sunt: & vix tandem à Chalipha, seu Imperatore Motavackelo sedata est: hic enim voluit, liberam esse unicuique suam sententiam. Magis ridicula fuit opinio de Alcorano cujusdam Doctoris, nomine الجاحظ *Algiahedh*, qui fuit princeps Sectæ الجاحظية *Algiahedhitarum*; nempe, ان القرآن

جسم يجوز ان ينقلب منه رجلا ومنه حيوانًا: *Alcoranum esse corpus, quod converti possit aliquando in hominem, aliquando in bestiam.* Saniùs loquutus fuisset, si in bestiam tantùm converti posse pronunciasset. Sed pergo ad reliqua.

Quartum pro Alcorani miraculo asserendo argumentum deducunt Moslemi ex rebus ipsis, quæ in eo tractantur. Hoc autem infirmius est eo, quod ab illius elegantia, stylique & ordinis venustate deducitur. Nam, ut superiùs dixi, & quilibet per se, Alcoranum legendo, recognoscere potest, pleraque in eo nugæ sunt, & fabulæ Thalmudicæ: multæ etiam mendacia continet contra Sacrarum Scripturarum historias: prætereà plures hæreses ac blasphemiæ contra Christianam fidem. Magna pars pertinet ad superstitiosos ritus, & politicas leges Mahumetanorum, & præcipuè ad bella gerenda, quæ sunt ferè unicus scopus Alcorani. Habet aliquot documenta moralia, sed nullo modo cum iis comparanda, quæ, non dico in sacris Literis, sed in Ethnicis Philoso-

Digitized by Google

phis, Senecæ, Epicteto, Platone, & aliis hujusmodi continentur. Quædam denique tractat ad Theologiam, virtutesque theologicas spectantia: sed omnia ferè fabulis, nugis, & erroribus admiscet; præsertim ubi de supremo Judicio, de Gehenna, ac de Paradiso pertractat. Quidquid verò sani, & laudabilis in eo reperitur, uberiùs sine comparatione, elegantiùs, & efficaciùs à Sacris Literis, & à Christianis Doctoribus habetur. In hoc probando non immoror, quia Alcoranus ipse satis probat.

Concludo igitur, Mahumetum miracula nulla vera feciſſe: nam ea, quæ illi tribuunt Moslemi, ipſemet in Alcorano manifeſtè negat. Quòd ſi etiam ea feciſſet, cùm tamen omnia, ut vidimus, naturæ ſaltem Angelicæ vires non excedant; & pleraque præſtigium præferaſſent, nullo modo miracula veri nomen merentur.

Sed ſi Moslemi obſtinatè contendant, Pſeudoprophetam ſuum vera miracula feciſſe; quamvis nos ea non concedamus: reſpondebimus tamen, etiam ex ipſorum confeſſione, Chriſtum multò plura, & majora miracula, & quidem vera, feciſſe. Nam Mahumetus mortuos nullos ſuſcitavit: nec Menſam de Cœlo deſcendere fecit; nec mari, tempeſtatibuſque imperavit; nec quinquaginta millia morboſorum die una ſanavit: imò qui multum illius miracula exaggerant, vix ad mille perveniſſe fatentur. At enim, Chriſtus non fecit arbores ambulare, nec beſtias, aut lapides loqui. Ita eſt: hæc nimirum cùm ſint propria Præſtigiatorum, & Magorum, & utplurimum à Diabolo fieri ſoleant, nullamque habeant neceſſitatem, vel utilitatem: non mirum ſi Chriſtus illa facere noluerit. Multò tamen majus, ac mirabilius fuit, efficere, ut tot claudi ambularent, tot cæci viderent, tot muti loquerentur, tot mortui reſurgerent: præterea petræ, ac velum Templi ſciderentur: Sepulchra ſponte paterent, atque extincta jam cadavera inde reſurgerent: Sol in meridie pleniluniì per tres horas eclypſin pateretur, ac totus terrarum orbis ingenti motu concuteretur.

Poſtremò inſurgo contra Moslemos hoc ineluctabili argumento. Impoſſibile eſt, Deum concurrere veris miraculis ad confirmandam falſam religionem: ergo impoſſibile eſt, Mahumetum miracula vera feciſſe. Nam cùm Deus Chriſtianam Religionem, non ſolùm Chriſti, ſed etiam Apoſtolorum, & aliorum Sanctorum Chriſtianorum miraculis, quæ Moslemi ipſi, & Alcoranus vera fuiſſe fatentur, confirmaverit: neceſſariò fatendum eſt, Chriſtianam Religionem bonam eſſe, & veram. Ergo impoſſibile eſt, Deum per vera miracula Mahumetaniam Sectam, quæ Chriſtianæ ferè ex diametro opponitur, approbaſſe. Hìc non video, quid reſpondere poſſint Mahumetani, niſi Deum Chriſtianam Religionem veris miraculis approbaſſe, quamdiù bona, & vera fuit; nempe uſque ad adventum Mahumeti. Hæc verò reſponſio dupliciter rejicitur. Primò quia, ut in Tertia parte hujus noſtri Prodromi probabimus, Chriſtiana Religio eadem ſemper fuit, tàmante Mahumetum, quàm poſt Mahumetum: neque ulla ratione probari poteſt, illam unquam mutatam fuiſſe. Secundò, quia Deus eadem miracula operatus eſt in Chriſtiana Religione, & hodie quoque operatur poſt adventum Mahumeti, quæ ante illum confueverat operari. Nam ubique Terrarum vel per Sanctos viros, vel per Sacras Reliquias, & Imagines, vel aliis modis, plurimi mortui ſuſcitati ſunt, plurimi cæci illuminati, & alia miracula oſtenſa, quæ ſola Dei virtute fieri poſſunt: neque de horum veritate locus relinquitur dubitandi: cùm non in una regione, neque in una Urbe, neque ab uno Sancto, neque iiſdem teſtibus, facta ſint: ſed in diſſitiſſimis regionibus, à Sanctis diverſiſſimis, & coram teſtibus, quorum alii nunquam alios viderunt, aut noverunt. Nullum eſt ergo Mahumetanorum argumentum.

CAPUT DUODECIMUM.

Utrum poſt jam fundatam Religionem, miracula ad eam conſervandam requirantur.

AD Religionem fundandam, ejuſque Auctorem Deum eſſe probandum, miracula requiri, jam ſatis demonſtratum eſt. Utrum verò eadem ad illam conſervandam, & illuſtrandam requirantur, nunc eſt videndum. Negant hoc noſtri temporis Novatores: puto quia in eorum ſectis miracula nulla reperiuntur. Æſopicam vulpem imitantur, quæ amiſſa in laqueo cauda, conabatur cæteris vulpibus perſuadere, ut ſuas etiam caudas abſciderent, tamquam pondus inutile, & indecorum. Nimirum quia ipſi miracula nulla patrare poſſunt; eorum virtutem ſtudent extenuare: & illa nihil prorſus Religioni jam fundatæ utilitatis conferre pronunciant. Imò ea ipſa, quæ apud Catholicos quotidie fieri vident, Dæmonum ludibria, vel hominum ſimplicionum deliria appellare non verentur. Nos verò è converſo credimus, etiam ad nutriendam, & conſervandam Religionem, vel neceſſaria, vel ſaltem utiliſſima eſſe miracula: id verò facto ipſo probatur. Lex enim Moyſi, per quam vera Religio Mundo univerſo, & præſertim Iſraelitis proponebatur, non ſolùm ab eodem Moyſe multis, admirandiſque ſignis confirmata fuit: verùm etiam deinceps à Deo vel immediatè, vel per Prophetas, & Sanctos homines, aſſiduè, quamdiù apud eoſdem Iſraelitas perſeveravit, pluribus ſignis illuſtrata. Patet hoc in omnibus ferè Veteris Teſtamenti libris; & tempore quoque Chriſti Domini, Probaticæ Piſcinæ miraculum, quod in Euangelio Joannis refertur, perſeverabat. Præterea Hebræorum Doctores in libro *Joma cap. Thareph Becalpe*: & in Diſtinctione, quæ incipit, *Scecha Jamim*; plura referunt prodigia, ſeu ſigna admiranda, quæ fiebant aſſiduè in Templo; & uſque ad mortem Chriſti Domini, ex ipſorum teſtimonio, perſeveraverunt. Hæc autem erant: quòd ſors nominis Dei aſcenderet ſemper in dexteram: quòd lingua ſplendoris, ſeu lana rubricata ſuſpenſa in Templo, alba fieret: quòd hum.n veſpertinum nunquam extingueretur: quòd ignis Altaris ſine fomite lignorum validus conſervaretur: quòd modica particula panum Propoſitionis, quantum faba, ſaturaret Sacerdotem, qui eam comedebat, & adhuc aliquid ſuperesſet: quòd nunquam abortiverit mulier propter nidorem carnium Sanctuarii, nec eædem carnes unquam fœterent, nec muſca ulla unquam ſuper eas, vel in domo, ubi ſervabantur, appareret: quòd panes propoſitionis nunquam corrumperentur: quòd nunquam nocturna illuſio contigerit Sacerdoti in die Propitiationum: quòd qui adorabant in Templo, licet ſtarent anguſti, ſeque mutuò comprimerent; magnum tamen ſpatium inter ſe, & ſocium invenirent; quòd nunquam in Jeruſalem morderet ſcorpius, vel ſerpens: quòd nunquam pluvia extinxerit ignem Sacrificii, nec ventus, quantumvis validiſſimus, turbaverit columnam fumi: quòd fragmenta vaſorum fictilium,

ctilium, & cineres Altaris interioris, & purgamenta Candelabri, & animalium excrementa, & plumæ absorberentur à loco suo. De his miraculis fit etiam mentio in tractatu *Pirke Aboth*. Quòd si quis hæc Rabbinorum Thalmuditarum figmenta esse dicerat: adhuc tamen certum effet ex sacris Libris, usque ad tempora Machabæorum in Ecclesia Israelitica semper miracula aliqua facta fuisse. Deinde verò, brevi illo annorum intervallo, quod usque ad Christum intercessit, si pauca, vel nulla miracula facta inveniuntur, Divinæ id dispositioni tribuendum est: nam cùm Regnum Dei auferendum esset à Judæis, & ad Gentes transferendum: & Lex Mosaica quamprimùm in Euangelicam commutanda; æquum etiam erat, ut miraculorum gratia ab illa gente auferretur: ut per hoc cognosceret, se quamprimùm à vera Religione extorres esse futuros.

In Christiana verò Religione per plusquam sexdecim sæcula, quibus floruit, singulis sæculis plura miracula facta fuisse, & quidem hujusmodi, quæ nonnisi uni Deo, ejusque virtuti tribui possent: patet ex Annalibus, & historiis ab innumeris Auctoribus, qui dispartissimis locis, & temporibus, res gestas in Republica Christiana scripserunt, congestis; quos omnes mendacii, vel falsitatis redarguere, ne impudentissimus quidem, vel insanissimus audebit. Mahumetani certè ea non negant, imò ingenuè fatentur illa, quæ usque ad Mahumetum facta sunt.

Aly Masaudius Abul-hasan filius Hosein, loquens de Civitate Nazareth, affirmat, se vidisse ibi in quadam Ecclesia, quæ Christianis erat in summo honore: توابيت من حجارة فيها عظام للوثي يعبل منها زيت تعين كالرب يتبرك به النصارى.

Arcas quasdam lapideas, in quibus erant ossa mortuorum, ex quibus fluebat oleum densum & crassum, quasi Deus benediceret per illud Christianis.

Idem Auctor reponit inter Sanctos D. Georgium; quem asserit fuisse Apostolis contemporaneum: & occisum fuisse à Rege quodam Mesopotamiæ, eo quòd prædicaret fidem Christi: & subdit واحياه الله وبعثه الثانية فقتله فاحياه الله فامر بنعشه في الثالثة واحراقه وادراله في دجلة فاعمل الله ذلك للملك. *Et Deus resuscitavit eum, misitque eum secunda vice ad eumdem Regem: qui iterum occidit eum: & Deus iterum suscitavit eum. Et cùm tertiò rediisset ad Regem, ille justit eum in frusta secari, & comburi, & cineres ejus in Tigrim dispergi. Deus verò perdidit Regem illum, &c.*

Idem commemorat miracula quorumdam Discipulorum Christi, de quibus etiam aliquid innuitur in Alcorano: & quidam Expositores volunt fuisse Petrum, & Joannem: quidam verò Petrum, & Thomam, cum quibus erat quidam alius nomine Habib faber ligarius. Et inter alia habet hæc verba: فاظهروا من الاعجاب والبراهين من ابراء الاكمه والابرص واحياء الموتي: *& ostenderunt miracula, & argumenta evidentia, illuminando cæcos à nativitate, mundando leprosos, & mortuos resuscitando.*

Idem refert miraculum, quod evenit in Arabia tempore Dunaan Tyranni Judæi, qui ita in Christianos desæviit, ut in foveas ardentibus carbonibus plenas, eos, qui Christum ejurare nollent, conjectos miserè perire juberet. Hoc igitur refert in ea occasione miraculum contigisse: فاتي بامراة لها طفل بن سبعة اشهر فابت ان تتحلا من دينها فالقيت من النار فجزعت فانطق الله الطفل فقال يا امّي مغن على دينك فلا دار بعد هذه فالقاهما

Addusta est autem ad eum mulier quædam Christiana, quæ habebat infantem septem mensium: & hæc recusabat discedere à sua religione. Cùm autem conjiceenda esset in ignem, cæpit timere, dedituque Deus loquelam infanti, qui dixit: O mater mea, constans esto in fide tua: nam post hunc ignem non erit alius ignis. Conjectique sunt ambo in foveam ardentem. De his Martyribus honorifica fit mentio in Alcorano, in quo vocantur: اصحاب الاخدود *Socii foveæ*, eo quòd intra foveas igne plenas conjecti pro Christo mortui sint.

Præterea in ipso Alcorano, Sura 18. الكوف *Spelunca*, diffusè narratur mirabilis historia Septem Dormientium; quamvis in ea aliquid fabulosi admisceatur.

Judæi ipsi non negant quædam miracula per Christi Discipulos patrata. Nam in *Midras Cobeleth*, & in *Sabath Jerosolimitano*, distinctiòn. *Scemona Seratzim*, refertur, Jacobum quemdam Discipulum Jesu Nazareni sanasse filium filii R. Josæ filii Levi, qui glutiverat venenum. Auctor quoque *Tsemach David* hæc scribit: *Anno 4074. à creatione Mundi*: 314. *Jecundum Christianorum computum, fuit Papa Romæ Sylvester, qui sanavit Cæsarem à lepra sua: & tunc Cæsar suscepit legem Christianorum.*

Superest nunc, ut videamus, utrum in Mahumetanica secta, temporibus Mahumeti mortem subsequentibus, miracula aliqua vera facta fuerint, & hodie quoque fiant: quemadmodum in Christiana Religione facta fuisse, & hodie quoque fieri certissimum est. Ahmed filius Abdalhalim, ut suprà dictum est, affirmat audacter, plura, & majora apud Moslemos, quàm apud Christianos, signa & prodigia, etiam post Mahumetum visa fuisse. Repeto hic ejus verba. واذا قال النصاري مولاد كانوا صالحين فكان لهم من ايات كما يذكرونه من ايات الحواريين فاصحاب محمد من وتبعوهم صالحون ولهم من الايات اعظم ممّا الحواريين وغيرهم من الامم: ومنهم من كان يحمل العسكر على الماء ومن يشرب السم القاتلة ومن يحيي الله الموتي بدعوته ومن يكثر الطعام والشراب وكتب كرامات الاولياء فيها من ذلك اعظم مما . *Quòd si dicant Christiani: Hi* فوقي

Digitized by Google

fuerunt Sancti, & fecerunt talia miracula, qualia referuntur de Apostolis. Respondebimus, etiam Socios Mahumeti, & assectas eorum, fuisse Sanctos, & majora miracula fecisse, quàm fecerint Apostoli, & alii ex aliis gentibus. Nam quidam ex his transvexit exercitum super aquas: aliquis verò bibit venenum mortiferum; alius autem mortuos suscitavit precibus suis: quispiam etiam cibum, ac potum multiplicavit. Et libri scripti in honorem eorum, qui hæc fecerunt, plures sunt, quàm qui apud Scripturales reperiuntur. Sed impudentissimè mentitur hic Thrasо: nihil enim hujusmodi in ipsis Mahumetanorum libris legimus factum, saltem quod mortuorum resurrectionem contineat. Quòd si quis Mahumeti assecla tàm grande miraculum patrasset, cùm hoc sit omnium maximum, & unius Dei omnipotentiæ proprium, ut Moslemi ipsi fatentur: mendaces essent Doctores Mahumetani, uniformiter asserendo, nullum Sanctum, aut Prophetam, majora miracula fecisse, quàm Mahumetum, quem, certissimum est, mortuum nullum suscitasse; nisi fortè ad solitas confugiant ineptias, Alcoranum fecilicet illius esse omnium miraculorum maximum. Sed oportebat, ut Ahmed aliquod exemplum, vel testem, vel auctorem dictorum suorum afferret, ut aliquam fidem apud nos posset invenire. At verò quomodo afferret, si non habebat? Ego sanè quotquot potui Scriptores Arabes sedulò investigavi, præsertim antiquiores, neque alia in iis miracula a Mahumetanis facta inveni, quàm quæ sequuntur.

Auctor libri أعلام الهدى : *De Signis Directionis.* cap. 6. loquens de Phatema filia Mahumeti, asserit

Maimunam ejusdem uxorem dixisse : وجدن فاطمة

عليها الحلام نايمة والرحا تدور فاخبرت رسول الله

بذلك فقال ان الله علم ضعف امته فاوحى الى

الرحي ان تدور فدارت ; *Inveni Phatemam, cui sit pax, dormientem, & mola per se circumvolvebatur: & significavi hoc Mahumeto, qui respondit: Cognovit Deus imbecillitatem ancillæ suæ, & inspiravit molæ, ut in gyrum se volveret, & obedivit.*

Hanc esse fabulam ex eo convincitur: quòd improbabile prorsus est, Phatemam filiam Mahumeti jam regnantis (quippe evenit hoc paulò ante mortem patris, anno scilicet nono Hegiræ), & uxorem Aly, qui erat summus Imperator, coactam fuisse, tamquam mulam, molam circumgyrare: præsertim cùm Mahumetus tot haberet captivos, & captivas; & Phatema esset unicum illius delicium, & ipsa etiam ancillas haberet, ut constat ex sequenti exemplo.

Thelabiensis in Suram 3. آل عمران *Familiæ Amran*, narrat ex relatione Giaberi filii Abdallah, Mahumetum aliquot dies cibo caruisse: cùmque jam diutiùs tormentum famis tolerare non posset, adivit habitationes singularum uxorum suarum, nec cibi quidquam invenit. Deinde venit ad Phatemam filiam suam, ut aliquid manducandum peteret ab ea, quia famem ultrà ferre non poterat. At illa sanctè juravit, se nihil habere: atque ita jejunus discessit. Interim ancilla Phatemæ misit ad eam duas placentas, ac fructum carnis: at illa patrem revocavit, & postendit ei hæc eadem intra cistulam repositas;

فاذا الجفنة مملوة خبزاً ولحما فبهتت وعرفت

انها بركة من الله فقال النبي ص من اين لك هذه

يا بنية قالت هو من عند الله ثم اكل النبي ص

وفاطمة والحسن والحسين وجميع ازواج النبي واهل

بيته جميعاً حتى شبعوا وبقيت الجفنة كما هي قالت

فاطمة فاوسعت منها على جميع جيراني وجعل الله

فيها بركة وخيراً : *& ecce* (inquit) *cistula apparuit plena panibus, & carne, & oblupnit Phatema, & cognovit hanc esse benedictionem Dei. Dixitque ei Mahumetus: Unde tibi hoc, ò filiola? Respondit: à Deo. Deinde comedit Mahumetus, & Phatema: & filii ejus Hasan, & Hosein; & omnes uxores Mahumeti, & universa familia ejus usque ad saturitatem: & remansit cistula plena sicut fuerat. Dixit Phatema; Largè distribui ex ea omnibus vicinis meis: & posuit Deus in ea benedictionem, & bonum.*

Qui hoc Phatemæ miraculum commentus est, putabat homines esse stipites, qui credere posient, Mahumetum jam principem suorum, & quidem opulentissimum, plures dies ex inopia cibi jejunum mansisse: neque apud ullas ex suis uxoribus, quæ erant circiter viginti, neque apud filiam, cujus ancilla cibaria habebat, ne panis quidem fructum invenire potuisse. Vah nebulo: oportebat fabulam ingeniosiùs struere, ut eam nobis pro miraculo venditares.

In quodam Codice manuscripto perantiquo Bibliothecæ Eminentissimi Cardinalis Camilli de Maximis, qui nunc in Bibliotheca S. Collegii de Propaganda Fide asservatur, refertur aliud miraculum de Aly Mahumeti genero in hunc modum. *Cùm Hoseinus filius Aly gravi morbo ægrotaret, appetiit malum punicum, cùm tunc non esset tempus malorum punicorum. Egressus Aly, illud sedulò perquisivit, & invenit unicum apud Judæum. Reversus cum eo Aly, obvium habuit in itinere quendam ægrotum, qui petiit ab eo dimidium illius, affirmans se ex ejus comestione salutem recuperaturum. Dedit Aly illi dimidium; quod cùm comedisset ægrotus, rogavit eum, ut ad citius convalescendum, aliud quoque dimidium sibi largiretur. Obsecutus est Aly benignè, & rediit ad filium, narravitque ei quod sibi evenerat: & filius factum patris probavit.* Et ecce statim miraculum: فبينما هما كذلك اذا بنقر خفيف بالباب

فامر الحادم بالخروج فخرجت فوجدت شخصاً من

اماثل الناس وبيده طبق وعليه منديل الحرير

الاخضر وفيه عشرة من الرمان قالت الحادم فبقيت

متعجبة في حسن الشخص وفي حسن الرمان

فبقيت الحادم واحدة منها فاعجبتها ونعلمت

بالتتمة

digitized by Google

بالتسعة الي على فاخذها وقبلها وعدها فوجد فيها
القفص قال فاعلم الخادم بقص فقالت له الخادم
نعم انا اخذت الواحدة لحسنها فحبرتها وكانت الرمان
من الجنة وراء الحصين من مرضه بالرجعة وقام
مريعا قويا معيدا: *Cùm ambo colloquerentur, leviter*
pulsata fuit janua: justitque famulam accurrere ad
eam: & illa invenit in ea hominem omnium ven-
tustissimum, qui babebat in manu pateram cooperam
serico viridi, in qua erant decem mala punica. Ob-
stupuitque famula ob pulcritudinem hominis, & po-
morum, & accepit unum ex illis, & abscondit;
novem autem detulit ad Aly, qui ea accepta deoscu-
latus est. Sed cùm numerasset, invenit unum deesse,
& indicavit famulæ; at illa confessa est, se ac-
cepisse quod deerat, propter pulcritudinem: & Aly
libertate donavit eam. Erant autem mala punica
ex Paradiso. Et sanatus est Hosein à morbo suo pro-
pter eorum odorem tantùm: statimque surrexit vali-
dus, & integris viribus.

Suspicor, verum miraculum ab aliquo Sancto Chri-
stiano factum, falsè in Alym translatum fuisse.
Quicquid sit, non videtur repugnare, quòd Deus
etiam in homine infideli, actum insigne charitatis,
quamvis naturalis, aliquo speciali beneficio remune-
ret, quemadmodum scelera quædam enormia, etiam
in infidelibus, insigni aliqua pœna punire consue-
vit. Verùm, quòd hæc mala punica à paradiso alla-
ta esse dicantur, fabulam detegit. Neque etiam vi-
deo, quomodo potuerit Aly rescire, unum malum
punicum deesse; nisi id spiritui prophetico tribua-
tur. At verò Alym prophetam fuisse, non lego
Moslemos unquam dixisse: imò id absolutè negabunt,
cùm certò credant, Mahumetum fuisse ultimum Pro-
phetarum.

Idem Auctor refert, narratum sibi fuisse ab Abul-
hasan Zaharienfi hoc miraculum. *Quidam vir Me-*
dinensis profecturus ad bellum, dixit uxori suæ,
quæ uterum gestabat: Commendo Deo id, quod est
in utero tuo: & cùm uxorem amplexaretur, illa
mortua est in complexu illius. Ab eadem autem
nocte, qua mortua & sepulta est, apparuit lux
splendentissima super uterum ejus: omnesque vi-
debant eam singulis noctibus, donec reversus est ma-
ritus ejus, & audivit hoc. Quamobrem nocte ve-
nit ad sepulchrum uxoris. Cùmque sponte apertum
fuisset (inquit Auctor): فاذا الامراة قاعدة في اكفانها
وصبيها في حجرها فقالت يا فلان دونك ما
استودعت الله ولو استودعتنا لوجدتنا جميعا
فاخذ الصبي منها حيا واطبق القبر عليها:
ecce mulier sedebat cum involucris suis, cum qui-
bus sepulta fuerat, & puer latebat in sinu ejus: di-
xitque marito: Heus tu, accipe quod commendasti
Deo. Quòd si commendasses nos ambos, ambos pro-
cul dubio vivos reperisses. Ille verò accepit ab ea
filium vivum: & deinde clausit sese tumulus super
eam. Allegat autem Auctor quemdam, qui testa-
batur, se vidisse puerum illum: & aliam etiam,
qui aserebat, se à patre pueri hæc audivisse.

Verùm quemeumque testem adducat, ex hoc fal-
tem convincitur hoc esse commentum, quia nullus
sibi persuadebit, hominem illum, relicta uxore in-
sepulta, statim post obitum ejus discessisse. Quòd si
eadem nocte, qua sepulta fuit mulier, lux illa
fulgentissima apparuit, impossibile est, ut eam vel
non viderit, vel ex aliorum dicto non rescierit,
antequam discederet Medina. Illud tamen adverto,
cùm non constet ex Auctore, in quanam muliere
miraculum hoc acciderit, & in Medina plures es-
sent Christiani: potuisse aliquid simile in muliere
Christiana evenire. Præstat tamen, hoc totum in-
ter Mahumetanorum commenta, quibus eorum li-
bri pleni sunt, reponere.

Circumfertur inter Auctores Moslemos aliud mira-
culum: nimirum, cùm in prælio quodam Aly Summus
Imperator extendisset in terra manum suam, ut super
eam totus exercitus transiret: mula quædam transi-
vit super eam: at verò Aly mala precatus est ei,
dicens: *Abscindat Deus generationem tuam, ne*
amplius parias. Et cessavit ex eo tempore mula
parere. Quidam tribuunt hoc miraculum Mahu-
meto, quod nimirùm ipse ita mulæ illi malè pre-
catus fuerit. Sed adeò ridiculum est, ut Ahmed
filius Abdalhalim illud, ut suprà vidimus, inter
spuria, & fictitia rejecerit.

Hæc sunt, quæ in Mahumetanica Secta potui
miracula reperire. Multa tamen non quidem mira-
cula, sed Dæmonum ludibria ac præstigia referun-
tur etiam à nostris Auctoribus, de illis, qui vulgò
Sanctones, & Dervisii nuncupantur. Horum plera-
que narrantur à Ricardo (alii Ricoldum vocant)
ex Ordine Prædicatorum, in libro, cui titulus est,
Turciæ Speculiæ, è Græco idiomate translato, &
typis impresso, Anno 1514. cum alio opusculo, cui
titulus: *Confutatio Legis latæ Saracenis.* Quidam
tamen hujus tantum secundi opusculi Auctorem fa-
ciunt prædictum Ricardum: primi autem, alium
Auctorem ex eodem, quantum conjici potest, Or-
dine prædicatorum, qui diù inter Saracenos capti-
vus commoratus est, à quibus captus fuit circa
annum 1476. in Civitate, seu Provincia Hungra-
riæ, quæ *Septem castra* vocatur, unde Auctor,
Septemcastrensis cognomen accepit.

Hic igitur cap. 14. hæc habet de Dervisiis, &
Sanctonibus Mahumetanis. *Inveniuntur aliqui tan-*
tæ perfectionis, ut quasi impassibiles sint, & nihil
exterioris impressionis sentire valeant. Nam in ma-
ximis frigoribus hyemis ipsi nudato toto corpore
incedunt, & non sentiunt: & hoc similiter in ca-
loribus æstivis. Illi suæ probationis rationes, &
patientiæ veritatem ostendunt in variis stigmatibus
combustionum, & cicatricibus incisionum corporum
suorum. Nam si quis probare volucrit, facit sibi
apponere ignem, vel incidere carnem cum gladio:
quæ omnia tantum sentiunt, ac si lapidi ignem ap-
ponercs, vel lignum gladio inideres. Aliqui varie-
simè cibum & potum sumunt. Aliqui autem, &
magis perfecti, sine omni cibo, & potu corporali
vivunt. Alii visionibus, alii revelationibus variis
sunt donati: alii raptus, alii extases supernaturales
habent. Et paulo inferiùs. *Illud magnum por-*
tentum, de quo magnus inter eos est rumor, quod
dicitur, plures conceptos esse, & natos sine virili
semine, qui Nephes Ogli dicuntur, de quibus etiam
in sequenti capitulo fit mentio. Credendum est fieri

Digitized by Google

per fœminas non corruptas carnali corruptione: potest tamen esse, quòd ipsæ matres talium sint uxores Religiosorum, & propter prodigium continentiæ eorum nascantur eis filii modo non naturali, sed modo alio Diabolicæ dispensationis, hominibus occulto. Quomodocumque hoc fiat, licet sit insolitum, ac mirabile auditu, non tamen impossibile videbitur Diabolica potentiæ, si cætera ejus opera inspiciantur, quæ in eis, & per eos operatur. Deinde agit Auctor de agitatione, seu rotatione corporum in gyrum ad modulationem quorundam instrumentorum, quæ fit ab his Dervisiis tanta velocitate, ut non possit, utrum homo sit, an statua discerni: & cùm lentiùs se circumagere incipiunt, in fine motus est velocissimus, & tandem tamquam vertigine correpti decidunt in terram, & extasin per aliquod tempus patiuntur, sensibus omnibus destituti. Ideò autem habetur hæc corporum rotatio supernaturalis, quia nullus sit præter eos, qui illam possit imitari.

Refert præterea, se præsentem fuisse, cùm quidam Dervisius venit quærens hospitium apud eum, cujus ipse erat captivus: cùmque is in aliis occupatus, illi non attendisset; Dervisius indignatus cœpit magno cum clamore malum eidem apprecari, & statim discessit. *Et eodem anno* (inquit Auctor) *in domo illa nec de hominibus, nec de pecoribus aliquid remansit, quin omnia interierint. Et hoc de multis aliis audivi factum. Unde multum caveatur ab omnibus, ne in aliquo offendantur.*

Cap. 15. refert, multos ex his Dervisiis post mortem haberi apud populos in magna veneratione, itaut eorum sepulchra à magna hominum turba invisantur; & plura insignia beneficia per eorum intercessionem obtineant, ac propterea votivas oblationes copiosas ad eadem sepulchra deferunt. Unus ex his vocatur *Sadichosi*: idest, *Sanctus Victor*, supra cæteros celebris; cujus sepulchro, vel locis illi addictis, si quis injuriam aliquam intulerit, insignes sæpè facinoris sui pœnas luit: & communis est vulgi opinio, numquam aliquem fraudatum fuisse votis suis, qui ab eo auxilium peteret, præsertim in negotiis bellicis. *De his autem signis ac prodigiis* (inquit Auctor) *hoc dicere volo, quòd major celebritas habetur de eo inter omnes Machometicas, quàm habeatur de Sancto Antonio inter Christianos.*

Alius, nomine *Harschipettech*, idest *Adjutorium peregrinationis*, à peregrinis præcipuè invocatur, qui illius auxilium frequenter experiri dicuntur.

Alius dicitur Aicikpassa, idest *Patronus amoris*, qui conjugatis discordibus inter se, vel sterilibus, vel ex partu periclitantibus, opem ferre dicitur.

Alius nomine Vanpassa, discordes inter se conciliat: dicituruque se invocantibus, nunc juvenis, nunc senex apparere.

Alius, qui vocatur Scheych passa, conturbatis, & afflictis, atque in angustia positis solamen afferre creditur.

Sunt & alia monumenta Dervisiorum, quorum nomina ignorantur: in magna tamen veneratione habentur, & ad obtinendam pluviam, serenitatem, & alia necessaria, invocantur: & in his multa beneficia conferre dicuntur, pro quibus frequentes, opimaque oblationes à miseris illis bardis accipiunt.

Duorum præterea sepulchra cum veneratione invisuntur, quorum alter *Gotvelmirtschin*; alter *Bartschun passa*, nominatur, quorum mira narrantur, maximè circa custodiam & conservationem animalium, pro qua nisi illis votivæ oblationes reddantur, animalia ipsa damnum sentiunt. Refert Auctor, dominum suum amisisse taurum, cùmque diù quæsitum reperire non posset, votum mente concepit offerendi nescio quid sepulchro primi. Et statim taurus repertus est in eo loco, in quo per triduum frustrà quæsitus fuerat.

Est & alius nomine Chiderelles, Viatorum patronus, à quo itinerantes magna beneficia experiuntur: & apparere illis solet in forma viatoris grisei equum insidentis.

Refert etiam de quodam, qui falsò accusatus apud Regem cum aliis Dervisiis de proditione ipsius Regis, damnatus est cum illis ad incendium. Hic verò in testimonium suæ innocentiæ in ardentem furnum ingressus, absque ulla prorsus læsione exivit: atque ita se, suosque socios liberavit. Quamobrem in tanta veneratione habetur, ut hodie quoque ejus crepidæ, tamquam sacrum quid, asserventur, eò quòd inter incendia intactæ remanserint.

De alio quodam adhuc vivo narrat, mirabilem fuisse in rebus occultis, vel abstentibus divinandis, & præsertim furtis: quamobrem fures ac latrones sæpè illius vitæ insidiati sunt, sed semper frustrà. Occultas etiam mentis cogitationes eorum, qui ad se veniebant, divinabat.

Redit deinde Auctor ad eos, qui ex fœminis sine viri opera nasci dicuntur, & *Nephes Ogli* appellantur, idest *filii Spiritus*: asseritque, eos in tanta æstimatione haberi, ut vel capilli, & vestes eorum, magni fiant: his enim omnem infirmitatem curari dicunt. Et cùm prodigiosè nascantur, per consequens tota eorum vita, & actio, supernaturalis, & mirabilis esse censetur.

Capite 22. narrat Auctor miraculum hoc à Dervisiis, seu Religiosis Mahumetanis patratum. *Inter Sacerdotes, & Dervisios iis oborta est, utris eorum oblationes, ac vota populi deberentur. Cùmque inter se convenire non possent, causam ad Regem detulerunt. Ille septem dies ad deliberandum, tam ipsis, quàm sibi præscribit. Interim nocte quadam dum magna visterum commotione agitatus in latrina sederet, tabula supposita diffringitur. Ille deorsum ruens, in pariete, tigillo obvio, suspensus hæsit. Per horæ spatium in tanto discrimine versatus, nullo interim suorum accurrente, ad opem Sanctorum gentis suæ confugit. Repente in eo loco lumen apparuit. Videtque in eo quemdam Dervisium ita se alloquentem: Ubi sunt, Rex, Sacerdotes illi, quos Dervisiis præferebas? cur te in tanto discrimine non adjuvant? Disce jam quanto jure nos illis præferendi simus. His dictis, Regem lectulo suo facillimè restituit, atque ab ejus oculis evanuit. Mane facto, Rex jubet, Dervisios omnes ad se accersiri, & ex vase pleno nummorum singulis plenum pugillum elargitur. Cùm autem non posset cum, qui sibi noctu apparuerat, recognoscere, deque eo illum, qui Dervisiorum Tralatus erat, interrogasset; hic respondit Regi; Quem noctu vidisti, non fuit unus aliquis singularis, sed omnium nostrum personam gerebat, quorum causa in communi agitabatur. Rex his auditis, in stuporem actus, Regnum filio renunciavit, & inter Dervisios voluit recenseri.*

Hæc sunt, quæ ex Septemcastrensi habemus, quorum nonnulla ab aliis etiam Auctoribus referuntur. De illis *Nephes Ogli*, Hottingerus allegat hæc verba Georgeu. cap. 1. *Fœminæ quædam nunquam*

Digitized by Google

congrediuntur cum viris, sed seorsum certo in loco prorsus abstruso à virorum aspectu & auditu, morantur: ipsaque variis Templum frequentant; orantque ab hora nona noctis, usque ad duodecimam, ut puta mediam noctem: atque inter orandum corpus continuè agitant, & vociferationibus mirè affligunt, ut sapius viribus & animo defecta, in terram prona concidant. Et si aliqua ab eo tempore gravidam se esse sentiret, Spiritus Sancti gratia fœcundatam se esse affirmat. Cumque pariunt, ab ipsis nati, Nephes Ogli, idest Animæ, vel Spiritus Sancti filii, appellantur. Ita mihi narratum est à pedissequis earum: nam nec ipse vidi, nec aliquis virorum huic spectaculo interesse potest. Franciscus Barton Anglus scripsit ad eumdem Hottingerum in hanc rem: *De Nephes Ogli plurima, sed inepte fere omnia narrantur: itaque potius fabulas duxi, quàm quidquam inquisitione dignum.*

Busbequius Epist. 1. de legatione Turcica, scribit, se multa audivisse à Dervisiis de Chiderle, quem Septemcastrensis Chiderelles appellat, Arabicè dicitur الخضر *Alchedrus*, & eumdem cum Phinees, & Elia, & S. Georgio fuisse, falsò existimant. Credunt enim animam Phinees transisse in Eliam, & ab Elia in S. Georgium, & ab hoc in Alchedrum: quem fabulantur, virginem quamdam, portentosæ magnitudinis draconi expositam, ab ejusdem draconis cæde servasse: & per longinquas regiones peregrinari solitum, ad fluvium pervenisse, cujus aquæ bibentibus præstarent immortalitatem: ipsum solum ex eo bibisse: quamobrem mortis legibus solutum, hùc illùc in equo præstantissimo, qui ejusdem aquæ haustu mortalitatem exuerit, divagari, & præliantibus interesse, atque auxiliari, si opem ejus implorent. Addunt, illum fuisse comitem Alexandri Magni, & contemporaneum Moysi, sed miraculis, & scientia illo majorem. Asserunt præterea, fontem quemdam, qui in Moschea nescio qua reperitur, emanasse ex lotio, quod in eo loco profuderit equus hujus Chiderlæ: cujus comitum, stabularii, nepotis, & sororis sepulchra in locis Moschææ illi vicinis ostenduntur: & multa beneficia per illorum invocationem, & per quasdam reliquias prædicti Chiderlæ divinitùs conferri, fabulantur.

Idem Busbequius, Epist. 4. narrat, Dervisium quemdam simulatæ sanctitatis, ingentis ponderis saxo sublato, pectus nudatum sibi percussisse, absque ulla tamen læsione. Deinde ferrum candens ori inseruisse, & per omnem partem versasse, non sine salivæ stridore, nec tamen adustionem ullam passum esse: quo facto, accepisse munus de manu ipsius Busbequii, ac discessisse. Narravit idem Dervisius Cœnobiarchæ sui multa miracula, & sanctitatem: quippe qui super pallium linum expansum in flumine, hùc illùcque ambulabat (idem de quodam David Altroy pseudomessia narrat R. Beniamin in suo Itinerario): & in excoriato atque exenterato vervece alligatus, in clybanum ardentem ingrediebatur, & cocto vervece, inde illæsus exibat.

In historia status hodierni Imperii Othomannici, à Ricauto Anglo conscripta, Venetiis Italicè impressa, Ann. 1672. lib. 2. cap. 13. fusè agitur de his miraculis, ac fucata pietate Dervisiorum: & primò de rotatione illa corporum ad modulationem tibiæ, quam asserunt se facere ad imitationem Auctoris sui *Menelevi*, qui quindecim continuos dies ita sese rotavit, nihil interim comedens, aut bibens. In fine verò cadens in extasin miras habuit revelationes, omnesque Ordinis sui Regulas divinitùs accepit.

Deinde meminit illius Chiderelles, seu Chederely, de quo suprà dictum est: & credunt Dervisii quidam Ægyptii, illius meritis communicatam sibi esse virtutem, serpentes ac viperas incantandi, quas ipsi ita audacter tractant, sicut nos placidiora animalia. Quidam credunt, hanc virtutem hæreditariam esse in familiis suis: alii verò, sibi à Deo propter propria merita communicatam. Isti ponunt in Paradiso quatuor animalia: Equum S. Georgii, seu Chiderellæ: asinum Jesu Christi: camelum Mahumeti; & canem septem Dormientium. Alii addunt, arietem Abrahæ.

Cap. 14. refert de Ebrbuhar, qui fuit Auctor Dervisiorum Ebrbuhariorum, ter tantùm in anno illum comedere consuevisse panem hordeaceum, cum oleo olivæ, melle, & uva: reliquos dies jejunum in oratione transegisse: frequentes habuisse revelationes, & multos, qui ad eum accurrebant, variis à morbis liberasse.

Cap. 15. agens de Dervisiis Nimetulanis, refert se audisse, Fundatorem eorum Nimetulam ita in oratione assidium ac prolixum fuisse, ut tandem in extasin raperetur, & felicitatem haberet loquendi cum Deo. Nullus autem admittitur in ejus religionem, nisi prius per quadraginta dies maneat solus clausus in cubiculo, tres tantùm cibi uncias in die comedendo, quo tempore Deum videt facie ad faciem, & totam gloriam Paradisi. Deinde cum aliis Dervisiis in quodam prato circumvolvitur, ac rotatur: & si interea aliquam habeat visionem, in terram prolabitur, velut morbo regio correptus, vel fulmine ictus. Adveniens autem Prælatus orat pro ipso; & tunc assurgit exterritus, & velut amens: & visiones, quas habuit, Superiori, vel aliis senioribus enarrat.

Cap. 16. de Dervisiis Kadris hæc scribit: *Superiores Monasterii hujus Ordinis insussurrant clanculum in aures precatunculam quandam suis Monachis, quam ipsi assidue tenentur repetere: & dicunt esse talis virtutis, ut per eam fruantur visione Dei, & habeant cælestes revelationes.*

Cap. 17. de quodam Sanctone, nomine *Kalendery*, qui fuit Auctor Sectæ Kalenderiorum, scribit: *Erat excellens Medicus, & sapiens Philosophus, & virtutes supernaturales possidebat, per quas miracula manifesta à toto Mundo cognita operabatur.*

Cap. 18. de Dervisiis Edhemiis, asserit, eos versari in desertis, & manusefacere tigres, & leones, & cum illis familiariter versari; & commorari, & colloqui cum Henoch.

Concludo hujusmodi miraculorum, seu præstigiorum materiam eum eo, quod refert Gabriel Bremond Massiliensis, in libro primo de Itineribus suis, c. 29. nimirum: haberi tanquam rem certam apud Moslemos, nocte post discessum peregrinorum è Mecca, imbrem tàm copiosum, tantoque cum impetu è Cœlo ruere, ut non modò abluat cruorem, verùm etiam secum asportet ossa plusquam quadringentarum millium ovium, quæ mactantur in planitie ad radices montis Araphat, sacrificii causa: quod habent manifesti miraculi loco, tamquam accepta sint Deo sacrificia ipsorum.

Ad hanc Mahumetanicorum miraculorum farraginem satis sit respondere, nihil in illis reperiri, quod naturæ vel humanæ, vel Angelicæ vires excedat; quemadmodum de ipsius Mahumeti miraculis suprà demon-

Digitized by Google

demonſtravimus. Deinde dico, Brahmanes falſæ religionis cultores, tàm in jejuniis, quàm in orationibus, & extaſibus: & prætereà in impaſſibilitate, illa ad omnes caloris, frigoris, ferri, flammæque injurias, atque etiam in apparenti quadam vitæ ſanctimonia, Derviſios non ſolùm æquare, ſed etiam ſuperare. Sed de hoc in quarto tractatu Prodromi noſtri ſuſiùs agemus.

Interim ſatis ſit dicere, etiam inter noſtros, aliquos inventos fuiſſe, qui ſimulata ſanctitate, & in extaſin repertum, & per plures dies vel menſes ab omni cibo, potuque, quantum ſciri poterat, abſtinerent. Hæc autem omnia Dæmonum opera procul dubio fiebant.

Prætereà Lectorem admoneo, non habendam eſſe multam fidem Ricardo Septemcaſtrenſi, qui, ut ipſemet in Prologo Operis ſui fatetur, adoleſcens quindecim circiter annorum ductus fuit captivus inter Turcas: & ut erat ſimplicioris naturæ, quidquid ab illis audiebat de rebus Derviſiorum, ſive jam defunctorum, ſive adhuc viventium, ſtatim indubitanter credebat. Nihilominus nonnulla, quæ vel ipſe, vel alii referunt, ſi vera eſſent, aliquam miraculi ſpeciem præſeferre viderentur, inter quæ

Primum eſt id, quod aſſeritur de illis *Nephes Ogli*, qui ex fœminis ſine viri opera naſcuntur. Si ſtandum eſſet Decreto, quod anno 1637. die 13. Februarii factum fuit in Gallia à Parlamento, ſeu Senatu Gratianopolitano, nimirum *poſſe fœminam per ſolam vim imaginationis abſque viri opera concipere, ac parere*: poſſemus facilè hoc Mahumetanorum commentum, pro vera hiſtoria admittere. Sed credo, Gallos ipſos negaturos hujuſmodi Decretum, utpote uon ſolùm ridiculum, ſed etiam impium, ac nefarium, & univerſo humano generi, & fidei catholicæ perniciosiſſimum. Quamobrem dicendum potiùs eſt, vel illos *Nephes Ogli* eſſe figmentum: vel ex occulto cum fœminis illis concubitu, eos naſci; vel demum Dæmonis opera eoſdem progigni. Hoc verò ultimum fieri poſſe, & experientia, & ratione convincitur. Affirmavit mihi Eminentiſſimus Cardinalis Odeſcalchus, cui deinde Innocentio XI. Pontifici Maximo in officio Confeſſarii per tredecim annos inſervivi: dum circa annum 1649. Legati munere Ferrariæ fungeretur; certiſſimis argumentis in Officio Sacræ Inquiſitionis Mantuæ compertum eſſe, ac probatum, fœminam quamdam duos filios ex Dæmone incubo ſuſcepiſſe, qui vultum ſatis turpem præferebant. Fœminæ vero illi, dum in carcere clauſa teneretur, apparebat Dæmon eam deterrens, & minitans, ſe filios illos occiſurum. Duplici hoc modo potuit evenire. Primo, ut Dæmon humano ſemine opportunè è viro aliquo accepto, idem ſtatim intra fœminæ illius vulvam immitteret. Secundo, ut idem Dæmon duos illos infantes aliunde acceptos fœminæ illi ſupponeret, inducto prius uteri tumore, ut proles vera ejus eſſe cenſeretur.

Secundum eſt id, quod dicitur, Derviſium quemdam occultas ad ſe venientium cogitationes cognoviſſe, atque iiſdem manifeſtaſſe. Sed vel hoc eſt negandum, vel dicendum, ex antecedentibus, & conſequentibus, aliiſque conjecturis, & ex diſpoſitione ſpecierum, & objectorum à ſe fortaſsè immiſſorum, vel ex alterationibus humorum, potuiſſe Dæmonem cogitationes eorum, actuſque voluntatis probabiliſſimè cognoſcere, & Derviſio illi indicare: neque enim credendum eſt, illum ſemper omnium cogitationes divinaſſe, ſed eas tantùm, quas tamquam certas habebat. Porrò multa ſunt hujuſmodi divinationis ope Dæmonis factæ exempla.

Tertium eſt, quod refertur de pluvia illa, qua tot millium ovium ſanguis abluitur, & oſſa aſportantur. Sed ſuſpicor hoc eſſe aliquod figmentum; & ex eo quod ſemel vel bis acciderit, vulgatum fuiſſe perpetuum prodigium. Neque ignoramus, quàm facilè vulgus ex unico culice plures faciat camelos. Certè in Mahumetanorum antiquiorum hiſtoriis nihil de hujuſmodi pluviæ miraculo reperitur, quod certè, ſi verum eſſet, nunquam taceuiſſent. At enim alii præter Bremondum affirmant, ſe illud à Meccanis peregrinis audiviſſe. Verùm illi ipſi fortaſsè nugas vendebant. Quidquid ſit, ſi non eſt figmentum, dæmonis eſt ludibrium: nam & ad hoc, & ad alia, quæ de Derviſiis referuntur, vis ejus extenditur.

Rotatio illa ac circumvolutio corporum, ante addiſcitur ab adoleſcentibus tyronibus, & longa exercitatione illi aſſuefiunt, non ſine frequentibus à principio lapſibus, quemadmodum ſe vidiſſe teſtatur R. P. Vincentius Maria de S. Catherina Senenſi in ſuo Itinerario lib. 1. cap. 18. Fieri tamen poteſt, utetiam Satan aliquid cooperetur, ſicut forte cooperatur ludionibus, & hiſtrionibus noſtris, qui ſæpè res magis miras, quàm rotationes illas, efficiunt.

Cætera etiam ab Ethnicis facta fuiſſe legimus, & pleraque præſtigii, non miraculi nomen merentur; præſertim ſi & illa, & alia hactenus enumerata, cum miraculis illis, quæ in Chriſtiana Religione quotidie fiunt, comparentur: qualia ſunt, mortuos ad vitam revocare; cæcos etiam à nativitate illuminare; mutis loquelam, ſurdis auditum, claudis greſſum reſtituere: Dæmones ab obſeſſis pellere: à naufragio jam deſperatos cripere; à morbis incurabilibus repentè ſanare; ſterilibus fœcunditatem elargiri: & prætereà (quod majus eſt) beneficia ſpiritualia conferre, charitatis, humilitatis, patientiæ, cæterarumque virtutum: infideles ad veram religionem attrahere; peccatores ac ſceleſtos per pœnitentiam ad bonam frugem reducere; in mortis articulo opem ferre, & ab hoſtium tartareorum viribus liberare. Nec deſunt etiam miracula illa, quæ Moſemi Derviſiis ſuis immeritò tribuunt; nempè, ut quis è mediis flammarum incendiis illæſus evadat: ut ſuper aquas pallio pedibus ſuppoſito, vel ſine illo, incedat: ut ferri injurium, & vim veneni non ſentiat: ut ſerpentes ac feras, innoxias, imò familiares, & obedientes experiatur: & alia hujuſmodi, quæ non ad oſtentationem, ſed ad neceſſitatem, vel magnam aliquam utilitatem, non præſtigioſè, vel apparenter, ſed verè per divinam virtutem fiunt. Nihil dico de miraculis ad prophetiæ donum ſpectantibus: nam hæc frequentiſſima ſunt; ita ut nullus ferè Sanctus inveniatur, qui prophetiæ gratia non claruerit. Neque de his, ſaltem multis, eſt dubitandum, cùm neque in uno loco, neque in una gente, neque ab uno Sancto facta fuerint: ſed ubique terrarum, à plurimis viris ſanctis patrata, & à plurimis Auctoribus ſcripta ſint, quorum plerique ea viderunt, vel à teſtibus fide dignis audierunt: & cùm diverſiſſimis in locis ac temporibus vixerint, & ſcripſerint, impoſſibile eſt omnes in mendacium, vel fraudem conſpiraſſe. Neque nos aſſerimus, ea, quæ de Derviſiis referuntur, ſaltem omnia, falſa eſſe, & mendacia: ſed ſolùm negamus eſſe vera miracula. Nam vel utraque (nempè Derviſiorum, & Sanctorum Chriſtianorum) ſunt vera miracula, vel utraque falſa. Primum dici non poteſt: nam cùm una ex his Religio-

ligionibus sit falsa, Deus concurreret veris miraculis ad errorem & falsitatem comprobandam. Secundum verò neutra pars admittet: & ne quidem admittere poterit, cùm omnes fateantur necessariò ponendam esse aliquam veram religionem, quam, sive Christiana sit, sive Mahumetanica (nam aliam esse non posse, etiam Moslemi fatentur), debet etiam convenienter Deus veris miraculis illustrare, & confirmare, non autem falsis illudere. Superest igitur, ut alterutra sit vel vera, vel falsa. Nos porrò constanter affirmamus, Dervisiorum, seu aliorum Moslemorum miracula falsa esse: quod si probaverimus, constabit jam manifestè, miracula nostra tantummodò vera esse, & facta per virtutem Dei.

Probatur igitur primò, ea, quæ à Dervisiis fiunt, vel fieri dicuntur, non esse vera miracula: quia nullum ex illis est, quod per naturalem virtutem, saltem Angelicam, fieri non possit: neque ullum adducitur legitimè probatum, quod à Deo tantummodò fieri possit, cujusmodi est resuscitatio mortuorum, & illuminatio cæcorum.

Secundò, quia pleraque habent characterem præstigii, & ad jactantiam tantùm absque ulla utilitate fiunt: cujusmodi est illa percussio pectorum cum immani saxo: adustio, & incisio membrorum: rotatio corporum, & alia hujusmodi.

Tertiò, quia pleraque inveniuntur eodem modo facta ab Ethnicis, & hoc tempore fiunt à Bahmanibus, & aliis Idololatris Orientalibus.

Quartò, quia plerique horum Dervisiorum, præsertim qui dicuntur Sanctones, sunt homines vani, ac superbi, & pro miraculis suis mercedem à spectatoribus, tamquam Histriones, recipiunt: & præterea nefariis sceleribus sunt inquinatissimi, itaut ab ipsis Mahumetanis malè audiant, malèque tractentur. Et illi ipsi, qui modestiorem vitam profitentur, & à mulieribus abstinentiam vovent, his vitiis non carent, & frequenter, castitatis voto ejurato, ad fœminas dilabuntur.

Quintò, quia Dervisii non solùm quædam admittunt contra legem Dei, sed etiam contra institutionem Pseudoprophetæ sui Mahumeti: quamobrem à Mosæmis Orthodoxis hæretici, vel schismatici esse censentur. Deus enim in Pentateucho, Lev. cap. 19. prohibuit Israelitis, ne corpus cultris inciderent, neque in eo stigmata efformarent, quemadmodum Ethnici faciebant in morte alicujus suorum. Et lib. 3. Reg. c. 18. legibus de Sacerdotibus Baal: *Incidebant se juxta ritum suum cultris & lanceolis, donec perfunderentur sanguine.* Quamobrem ritus Idololatricos à Deo prohibitos imitantur Dervisii, dum carnes suas ferro lacerant, vel incidunt. Sanctiones etiam, & statuta Mahumeti transgrediuntur, dum musicis instrumentis in rotationibus, ac precibus suis utuntur: omnes enim Moslemi fatentur, Mahumetum, musica omnia instrumenta à precibus, & Sacris suis removeri præcepisse; quamobrem, nec tubas cum Judæis, nec campanas cum Christianis recipere voluisse. Præterea, ut suprà vidimus, mendacem & blasphemum eum Mahumetus pronunciavit, qui, etiam ipsum, aliquando Deum vidisse affirmaret, cùm hoc sit manifestè contra doctrinam Alcorani. At isti boni Dervisii asserunt fidenter, se Deum facie ad faciem intueri, & cum eo familiarissimè colloqui. Sed quod præcipui momenti est, genus vitæ, à Mahumeto severissimè proscriptæ suis affectis, profitentur. Cùm enim (ut refert Thelabiensis in Expositione Suræ المائدة *Mensa* v. 93.) intellexissent, nonnullos ex suis cœpisse monasticum Christianorum institutum imitari, vocavit illos ad se: & dixit eis: لقي إ أمور بذلك ثم قال ان لانفسكم عليكم حقا فصوموا وافطروا وقوموا وناموا فاني اقوم وانام وافطر واكل اللحم والدسم واتي النساء ومن يرغب عني فليس مني ثم جمع الناس وخطبهم وقال ما بال اقوام حرموا النساء والطعام واللحم والدسم وشهوات الدنيا اما اني لست امركم ان تكونوا قسيسين او رهبانا فانه ليس في ديني ترك اللحم والنساء ولا اتخاذ الصوامع: *Mihi non fuit hoc præceptum: vos verò curam gerere debetis vestri ipsorum. Itaque jejunate; & jejunium solvite: vigilate, & dormite: nam & ego vigilo, & dormio: jejuno, & jejunium solvo: comedo carnem, & adipem; & dormio cum mulieribus; & qui recedit ab institutionibus meis, non est ex parte mea. Deinde congregavit populum, & prædicans illi, dixit: Quid sibi volunt quidam ex vobis prohibendo usum fœminarum, & cibum, & escas bonas, & somnum, & voluptates hujus mundi? Atqui ego non præcipio vobis, ut sitis præsbyteri, & monachi: neque in lege mea prohibetur caro, vel usus fœminarum, nec præcipitur ædificatio cœnobiorum.*

Ex dictis apparet manifestè, quàm alienus fuerit Mahumetus ab institutis horum Dervisiorum: itaut ne pro suis quidem eos agnoscat. Ipsi etiam è conversò videntur parum Mahumeti legem curare: ut enim testatur Septemcastrensis cap. 20. multas habent sententias contra Alcoranum, & etiam contra veritatem. Quamobrem, ut jam dixi, ab ipsis Mahumetanis hoc hominum genus pro hæreticis, ac schismaticis habetur, ut asserit Ricautus suprà laudatus, cap. 14.

Libet addere pro coronide hujus Tractatus id, quod scribit idem Septemcastrensis, tamquam testis oculatus c.20. de his Dervisiis. *Utuntur* (inquit) *imò potiùs abutuntur ipso Alcorano ad perpetrandum omnia genera scelerum: scilicet, furta, homicidia, fornicationes, adulteria, stupra, latrocinia, & his similia: quæ, si omnia, quæ audivi, vidi, & expertus sum, narrare vellem, tadium generarent, & nauseam audientibus. Sortilegiis, & incantationibus, & divinationibus ita infecti, deturpati, & corrupti sunt, ut vix sit vetula, quæ non habeat eorum aliquam artem, & scientiam.* Et paulò post: *Sacerdotes eorum, licet magnam ostendant religionem coram hominibus: in occulto tamen pleni sunt omni nequitia, itaut de omnibus sceleribus se intromittant.* Nullo igitur modo fieri potest, ut per hujusmodi genus hominum fiant vera miracula, quibus Deus velit Mahumetanicam sectam, tamquam veram religionem, confirmare.

FINIS.

Digitized by Google

APPENDIX.

CHimerico, prorſuſque inani Alcorani miraculo, quod Mahumetani plenis buccis, إية مستمرة لا انقضاء لها, *miraculum permanens, ac perpetuum, quod nunquam ceſſat*, proclamant, non erit abs re (quandoquidem vacantes pagellæ permittunt) paucà quædam ex multis, miracula opponere, quæ in Chriſtiana Religione, & veriſſima, & perſeverantia eſſe, totius orbis teſtimonio comprobantur.

Primum ſit, Domus illa celeberrima, in qua B. Virgo Deipara in Nazarena Urbe nata & enutrita, Æternum Verbum concepit, & cum eodem tot annos habitavit, ac deinde poſt ejus obitum, in ſumma ſemper veneratione Chriſtianis fuit. Hanc à fundamentis avulſam Angelico miniſterio in Illyricum primùm, Anno Chriſti 1291. die 6. Maii deportatam; & triennio poſt, die 10. Decembris in Picenum Italiæ provinciam, ubi nunc omnium Chriſtianorum concurſu votiſque frequentatur, ſub Lauretanæ Domus nomine, translatam fuiſſe, ita certum eſt, ut nullo modo poſſit in dubium revocari. Nam eodem tempore Domus hæc in Nazarena Urbe defuit, quo in Illyrico apparuit. Ex Illyrico verò abfuit, ex quo in Picenis divinitùs delata ſeſe dedit conſpiciendam. Et miſſis pluries certis ac fidis viris in Nazareth, qui rei veritatem explorarent; invenerunt Domum illam ſublatam, relictis fundamentis ejuſdem menſuræ, materiæ, ac ſtructuræ, quæ in Illyrico viſebatur, & nunc in Piceno conſpicitur. Id verò Peregrini omnes, qui è ſacrisP alæſtinæ locis regrediuntur, hodie quoque confirmant. Hujus autem rei veritatem Deus ipſe quotidie inſignibus miraculis, ac prodigiis, quæ ibi fiunt, teſtatur, quæ Mahumetani ipſi negare non poſſunt, cùm ſint ibi in proſpectu omnium munera votiva miſſa à quodam eorum Prætore, ſeu Baſcià, nomine Corcut, Anno Chriſti 1552. cum ejuſdem atteſtatione Arabicè ſcripta, qua ſe à B. Virgine, quæ in eo loco colitur, à lethali pectoris apoſtemate liberatum ſuiſſe fatetur. Oſtenditur etiam ibi pallium, ſeu tegumentum Altaris exterius argenteum, gemmis ornatum, ab alio Baſcià B. Virgini, ob gratiam ab ea acceptam, oblatum.

Secundum, æquè certum (nam innumeros, atque oculatos habet teſtes) eſt Crux illa celeberrima in Urbe Malipuritana, in India Orientali, ſupra quam, cùm oraret, vulneratus eſt ad mortem à quodam Brachmane S. Thomas Apoſtolus die decima octava Decembris. Nam quotannis, eadem die recurrente, dum ante eam Sacrum ſolemniter celebratur, ad initium Euangelii atro quodam colore, ſplendore permixto, inoſſuſcatur, qui poſt Offertorium clarior evadit, donec Crux tota candida ac nitens apparet. Dum autem fit conſecratio, reſumit Crux colorem ſuum naturalem, & ſanguineo ſudore tota perfunditur, quo Fideles linteola ſua infundunt, ac per ea Deus multa admiranda operatur. Si quando verò contingat, ut Crux illa eo tempore nullatenus immutetur, flagellum aliquod grave, vel inſignem calamitatem Chriſtiano populo portendi, experimento compertum eſt.

Tertium, certiſſimum, quia evidentiſſimum: Barii (quæ eſt Apuliæ in Italia Urbs percelebris) ex oſſibus S. Nicolai Epiſcopi Myrenſis manat aſſiduè puriſſimus ac limpidiſſimus liquor (quem Mannam S. Nicolai vocant) qui in vitreis ampullis ſervatus, nunquam corrumpitur, nec verminibus ſcatet, niſi fortè apud eos, quos flagitiis ac libidinibus inquinatos invenerit: & quotidiana per eum miracula patrantur: tàmque copiosè emanat, ut per omnes Chriſtiani Orbis regiones commodè tranſmittatur.

Quartum: Tolentini (quæ eſt Civitas Provinciæ Picenæ in Italia) ex brachiis S. Nicolai (qui vulgò, *de Tolentino* appellatur, & pluſquàm trecentis abhinc annis obiit) argenteis thecis incluſis, identidem, turgeſcen-

Digitized by Google

centibus venis, copiosus cruor emanat. Id verò præcipuè evenire observatum est, cùm magna aliqua calamitas Christianorum rebus impendet.

Quintum: item in omnium oculis versatur. Neapoli, celeberrima Italiæ Urbe, in duabus vitreis ampullis, S. Januarii Episcopi, qui supra mille abhinc annis pro Christi fide ab infidelibus occisus fuit, sanguis concretus asservatur; qui ubi coram sacro ejus capite exponitur, statim velut recenter effusus, liquescit, & ebullit. Si quando verò concretus perseveret, adversi aliquid Christianæ Reipublicæ præsagire experientia comprobavit.

Alia plura fortasse magis mirabilia, sed minus nota, prætereo: quia satis hæc existimo ad ostendendum Mahumetanis, verè esse in Religione Christiana, quod ipsi in sua secta falsò jactant; nempe, non unum, sed multa آيات مستمرات *Miracula perseverantia*. Neque dicere possunt, hæc Dæmonum esse ludibria: incredibile enim est, Deum permittere Dæmonibus ita innocentibus fidelibus illudere per eas res, quarum pleraque Mahumetani ipsi, utpote sacrosanctas, venerantur. Porrò Dæmonum ludificatio & malas causas, & malum finem, & noxios hominibus effectus semper habet: quorum hic nihil agnoscitur. Et multò minus dicere possunt, has esse pravorum hominum technas ac fraudes, cùm sine ullius opera, per se, prosusque divinitus eveniant. Quòd si hic aliqua hominum fraus aut deceptio subesset: jam hæc per tot annorum cursum deprehensa fuisset, quemadmodum deprehensa est techna & impostura Græcorum, aliarumque nationum schismaticarum Orientalium in igne illo supposititio, quem in Paschatis pervigilio in Sepulchri Dominici Templo, ad preces suas è cœlo delabi confingunt.

FINIS.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Proœmium. pagina 1.

Cap. I. Utrum ad certum vera Religionis argumentum miracula necessariò requirantur: & quid propriè sit miraculum in sensu à nobis requisito. p. 2.

Cap. II. De miraculis, quæ Christus Dominus effecit in Euangelica lege publicanda, suaque religione instituenda, & de illis, quæ ei à Mabumetanis tribuuntur. p. 5.

Cap. III. Utrum Mabumetus aliquod miraculum ad Sectam suam comprobandam effecerit. pag. 7.

Cap. IV. Discutiuntur Mabumeti miracula ex Alcorano à Moslemis producta: ubi agitur de scissione Lunæ. p. 14.

Cap. V. Miracula Mabumeti ex Alcorano, quæ spectant ad propbetiam. p. 22.

Cap. VI. Miracula, quæ à Moslemis extra Alcoranum per traditionem accepta, tribuuntur Mabumeto. p. 30.

Cap. VII. Miracula Mabumeti extra Alcoranum, ad propbetiam spectantia. p. 46.

Cap. VIII. Argumenta Mabumetanorum pro asserendis miraculis Prophetæ sui. pagina 50.

Cap. IX. Respondetur ad argumenta miraculorum, & ad ea, quæ Moslemi afferunt pro illis Mabumeto asserendis. p. 55.

Cap. X. Confirmatur aliquot exemplis Etbnicorum assertum nostrum de falsitate miraculorum Mabumeti. p. 64.

Cap. XI. De miraculo Alcorani: cujus vanitas apertè demonstratur. p. 69.

Cap. XII. Utrum post jam fundatam Religionem miracula ad eam conservandam requirantur: ubi agitur de miraculis, quæ fieri dicuntur à Dervisiis, seu Sanctonibus Mabumetanorum. p. 74.

Digitized by Google

PRODROMI
AD REFUTATIONEM
ALCORANI.
PARS TERTIA.

In qua ſicut Chriſtianæ Religionis Dogmata omnia divinæ Veritati conſona: ita pleraque Eſlamiticæ Sectæ Axiomata eidem veritati diſſona eſſe, oſtenditur.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM.

SAtis jam probatum esse videtur, & Sacrarum Scripturarum oraculis, & verorum miraculorum testimonio, Christianam Religionem bonam esse, & à Deo institutam: è converso Mahumetanicam Sectam, cui nec Dei in Sacris literis loquentis testimonium, neque legitima miracula demonstrantis auctoritas ulla suffragatur, Religionis veræ notam obtinere nullo modo posse. Quia tamen Mahumetani obstinatè contendunt, in vera se esse religione; Christianos verò post adventum Mahumeti ab illa penitùs excidisse, & antiquæ Christianæ fidei, quæ fuit ante illum, dogmata vel mutasse, vel corrupisse; atque aliud ante Mahumetum, aliud post eumdem Christianos credidisse: in hac tertia Prodromi nostri parte evidenter ostendimus, Christianam Religionem à prima sui institutione, nempe ab ævo Christi Domini, & Apostolorum ejus, usque ad hæc tempora, semper eamdem fuisse, nec aliquid in illa, præsertim quoad fidei dogmata, & res à Deo revelatas, esse corruptum, aut mutatum. Quamobrem absque ullo prorsus fundamento credere & affirmare Moslemos, adveniente Mahumeto, Christianos à vera Religione extorres factos fuisse; seque in ea illorum loco successisse.

CAPUT PRIMUM.

Christianam Religionem veram ac bonam esse, & à Deo institutam.

SUperfluum alicui videbitur, illud Mahumetanis probare, quod ipsi ultrò confitentur. Verùm non est ita: nam ex hujus veritatis demonstratione, magis veritas illius, quod contra ipsos probare instituimus, roborabitur, & elucescet. Adde, hujus temporis Moslemos, utpote rerum suarum superioris temporis ignarissimos, & in superstitione sua retinenda obstinatissimos, hoc etiam fortasse negaturos: nimirùm, Christianam Religionem neque à Mahumeto, neque à majoribus suis ullo unquam tempore tamquam bonam ac veram existimatam fuisse.

Dico igitur, me nunquam reperisse inter Doctores Moslemos dubium, quin Christiana Religio à Deo emanaverit, & saltem per plures annos vera, & legitima fuerit; quippe cujus primus Auctor credatur ab omnibus fuisse Jesus filius Mariæ Virginis verus Messias, à Prophetis promissus, per quem Deus vulgavit Mundo Euangelium, quod ipsi quoque credunt ab eo traditum, sicut Pentateuchum, & cæteros Sacros libros præcedentes. Præterea pro certo habent, Christianam Religionem Judaicæ successisse, & hanc per illam abrogatam fuisse: sed Christianam etiam deinde per Mahumetanam, omnem suam vim roburque amisisse. Harum autem abrogationum figuram præcessisse credunt in verbis illis Deuteron. cap. 23. *Dominus de Synai venit, & de Seir ortus est nobis: apparuit de monte Pharan*: de quibus satis dictum in prima parte. Abutuntur etiam parabola illa, quam apud S. Matthæum cap. 20. propositi Christus Dominus in *Patre familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam:* quam parabolam Mohammed filius Ismaelis, cognomento Albocharius, in parte trigesima Alcoranicarum traditionum, refert à Mahumeto ipso ita

expositam fuisse: اوتي اهل التوراة التوراة فعملوا بها حتي اذا انتصف النهار ثم عجزوا فاعطوا قيراطًا قيراطًا ثم اوتي اهل الانجيل الانجيل فعملوا به حتي صلاة العصر ثم عجزوا فاعطوا قيراطًا ثم اوتيتم القران فعملتم به حتي غربت الشمس فاعطيتم قيراطين فقال اهل الكتاب هولاء اقلّ منّا عملاً واكثر اجرًا: قال الله هل ظلمتكم من حقّكم شيًا قالوا لا قال فهو فضلي اوتيه مَن اشاء: *Datus fuit Pentateuchus professoribus Pentateuchi* (idest Judæis) *qui operati sunt in eo usque ad meridiem: deinde delassati sunt, & acceperunt singuli denarium. Posteà traditum fuit Euangelium professoribus Euangelii* (idest Christianis) *qui operati sunt in eo usque ad nonam: deinde delassati sunt, & acceperunt singuli denarium. Tandem datus est vobis Alcoranus, & operati estis in eo usque ad occasum Solis, & accepistis singuli binos denarios. Quamobrem dixerunt Scripturales* (idest Judæi, & Christiani): *Isti minus operati sunt, quàm nos, & plus mercedis acceperunt. Respondit Deus: Num feci vobis injuriam, aliquid detrahens de mercede vestra? responderunt: Non. Dixit Deus: Hæc est gratia mea, quam dabo cui mihi placuerit.* Hoc idem manifestè fatetur Mahumetus ipse Sura 57. الحديد *Ferrum*: v. 27. his verbis: ولقد ارسلنا نوحًا وابراهيم في ذرّيتهما النبوة والكتاب فمنهم مهتدٍ وكثيرًا منهم فاسقون ثم قفينا علي اثارهم برسلنا وقفينا بعيسى ابن مريم واتيناه الانجيل وجعلنا في قلوب الذين اتبعوه رأفةً ورحمةً ورهبانيةً ابتدعوها ما كتبناها عليهم الا ابتغاء رضوان الله فما رعوها حق رعايتها فاتينا الذين امنوا منهم اجرهم وكثير منهم فاسقون: *Et jam quidem misimus Noe, & Abraham: & posuimus in generatione eorum Prophetiam, & Librum: & inter eos quidam fuerunt directi; multi verò exerraverunt. Horum vestigia sequi fecimus Legatos nostros, & subsequi fecimus Jesum filium Mariæ, & dedimus ei Euangelium: & posuimus in cordibus eorum, qui secuti sunt eum, pietatem, & misericordiam: & monasticam vitam ipsi adinvenerunt, neque præcepimus eam illis, tantùm ob desiderium placendi Deo: sed non observaverunt illam eo modo, quo debebant. Nos autem dedimus illis, qui ex eis crediderunt, mercedem eorum: at multi eorum prævaricati sunt.* Idem confirmat Sura 5. المايدة *Mensa*, vers. 50. وقفينا علي اثارهم بعيسى ابن مريم مصدقًا لما بين يديه من التوراة اتيناه الانجيل فيه هدًى ونور ومصدقًا لما بين يديه من التوراة وهدًى وموعظةً للمتقين وليحكم الانجيل بما انزل الله فيه ومن لم يحكم بما انزل الله فاوليك هم الفاسقون. *Et subsequi fecimus vestigia eorum* (Prophetarum) *Jesum filium Mariæ, confirmantem Pentateuchum, qui anteà traditus fuerat: & dedimus ei Euangelium, in quo est directio, & lux; & confirmat Pentateuchum datum anteà, & est directio, & commonitio piorum. Judicent igitur ii, qui profitentur Euangelium, juxta id, quod Deus revelavit in eo. Et qui non judicaverint juxta id, quod revelavit Deus, erunt prævaricatores.* Et ibidem vers. 53. inducitur Deus sic loquens hominibus: ولكل جعلنا منكم شرعةً ومنهاجًا ولو شاء الله لجعلكم امّةً واحدةً ولكن ليبلوكم فيما اتيكم: *Unicuique vestrum dedimus legem, & normam religionis. Et si voluisset Deus, fecisset vos gentem unam: sed* (hoc non fecit) *ut probaret vos in eo, quod dedit vobis:* Explicat hunc locum Thalebiensis: قال المفسّرون عني بذلك جميع اهل الملل المختلفة جعل الله تعالي لاهل كل ملّة شريعةً ومنهاجًا فلاهل التوراة شريعةً ولاهل الانجيل شريعةً ولاهل الفرقان شريعةً يحلّل الله تعالي فيها ما يشاء ويحرّم ما يشاء فالدّين واحدٌ والشريع مختلفةٌ: *Dicunt Expositores, significari per hoc, omnes religiones, quæ sunt inter se diversæ, quarum unicuique dedit Deus legem, & regulam rite operandi. Sic Judæis dedit legem suam: & Christianis legem suam: & Mahumetanis legem suam; in quibus prohibuit id quod voluit, & concessit id quod voluit. Itaque Religio fuit una, leges autem variæ ac diversæ.* Eadem ferè verba habent Gelal, Jahias, & Mohammed filius Abdallah; per quæ prætendunt ostendere, Judaicam, Christianam, & Mahumetanam religionem fuisse eamdem quoad substantiam: habuisse tantùm diversas leges, omnes tamen bonas, & sanctas, utpote traditas à Deo. Hoc idem confirmat Alcoranus Sura 30. الروم *Romani* v. 30. ubi inducitur Deus ita loqui cum Mahumeto: فاقم وجهك للدّين حنيفًا فطرة الله التي فطر الناس عليها لا تبديل لخلق الله ذلك الدّين القيّم ولكن اكثر الناس لا يعلمون: *Statue ergo faciem tuam ad religionem orthodoxam, constitutam à Deo hominibus. Non mutatur id quod constituit Deus. Hæc est religio*

Digitized by Google

ligio recta: sed plerique hominum nesciunt. Si ergo religio vera non potest mutari, nisi in legibus, & ritibus; sequitur, ut eadem fuerit Judaica, & Christiana quoad substantiam; & (loquendo ad hominem) eadem sit, quam profitentur Mahumetani. Ergo Christiana Religio fuit vera, & bona sicut Judaica, & Mahumetica, in sententia ipsius Mahumeti, qui vult has omnes religiones esse institutas à Deo: id quod repetit Sura 22. الحج *Peregrinatio*. v. 65. لكل أمة جعلنا منسكا هم ناسكوه فلا ينازعنك في الامر وادع الى ربك انك لعلى هدى مستقيم: *Unicuique genti dedimus legem exercendæ religionis in sacrificiis, cultuque divino. Ne ergo disceptent tecum de hac re: & voca ad Dominum tuum: tu quippe es in recta via.*

Notandum hìc obiter, gentes, quæ veram religionem à Deo acceperunt, eamque professæ sunt, censeri in Alcorano, Judæos, Sabæos, seu Sabaitas, Christianos, & Mahumetanos. Ismael Ebn-Aly cap. في امة المسلمين *de Gente Moslemorum*, includit etiam المجوس *Magos*, seu *Magusæos*, ex auctoritate Sciaher Settanii: في كتاب الملل والنحل *in libro de religionibus veris, & falsis*: qui inter falsas religiones collocat الصابئة *Sabæos*. Verùm nec Magi benè includuntur in primo genere, nec Sabæi rectè ab eodem excluduntur juxta Alcorani doctrinam. Porrò Sabæi, qui in Alcorano dicuntur الصابيون juxta Gelal. & alios Expositores, pertinent ad Judæos, vel Christianos, & agnoscunt religionem suam à Seth, & Henoch, & habere dicuntur Librum sacrum traditum divinitùs ipsi Seth. Magi verò, quamvis ab initio, juxta Ismaelem Ebn-Aly, professi sint religionem, & legem Abrahæ: postèa tamen non solùm in varia scelera prolapsi sint, nutrientes cum sororibus, filiabus, & matribus suis; sed etiam stellas, & statuas, & ignes adoraverunt.

Juxta hoc principium, quòd scilicet religiones omnes à Deo traditæ sint, & in substantia omnes conveniant, & solùm in legibus quibusdam, seu ritibus differant, docet etiam Mahumetus unumquemque in sua religione salutem æternam consequi posse. Hoc manifestè patet in Alcorano, Sura 2. البقرة *Vacca*, v. 61. & Sura 5. المائدة *Mensa*, v. 75. utrobique enim ita legimus: إن الذين امنوا والذين هادوا والنصارى والصابيون من امن بالله واليوم الاخر وعمل صالحا فلهم اجرهم عند ربهم ولا خوف عليهم ولا هم يحزنون. *Certè qui crediderunt, & Judæi, & Christiani, & Sabaitæ: qui crediderint in Deum, & diem novissimum, & fecerint bonum; ipsis erit merces sua apud Dominum suum, & non erit timor super eos, neque ipsi contristabuntur*. Porrò nomine *eorum, qui crediderunt*, Mahumetanos hìc intelligi, quemadmodum in aliis plurimis locis Alcorani, non est dubitandum, & Expositores communiter fatentur. Præterea Sura 22. الحج *Peregrinatio*, v. 17. sic habetur: إن الذين امنوا والذين هادوا والصابيين والنصارى والمجوس والذين اشركوا ان الله يفصل بينهم يوم القيمة ان الله على كل شيء شهيد: *Certè qui crediderunt, & qui sunt Judæi, & Sabaitæ, & Christiani, & Magi, & qui plures Deos coluerunt: sanè Deus divisionem ponet inter eos in die resurrectionis: quia Deus super omnem rem est testis*. Autumat Gelaleddinus, divisionem hanc faciendam esse à Deo inter eos, qui crediderunt, nempe Mahumetanos, & reliquos enumeratos, & inter Magos, & plurium deorum cultores: itaut primi ituri sint in Paradisum, cæteri autem in Gehennam. Sed fallitur, & malitiosè errat. Nam cùm suprà Mahumetus manifestè pronunciaverit, Judæos, Christianos, & Sabaitas unà cum Mahumetanis salutem esse consecuturos: hæc divisio non potest intelligi, nisi fiat inter hos quatuor ex una parte, & inter Magos, & Idololatras ex altera: alioqui nimis turpiter sibi contradiceret.

Et nihilominus non pauci ex Doctoribus Moslemis constanter negant, Mahumetum unquam scripsisse, aut docuisse, posse quemlibet in sua religione, etiam à Deo tradita, æternam consequi salutem: & Alcorani verba, quæ suprà retulimus, & alia similia, torquent, ac distorquent, ad tuendam suam opinionem. Nam locum jam allegatum ex Sura 2. & 5. *Certè qui crediderunt, & qui sunt Judæi, & Christiani, & Sabaitæ: qui crediderint in Deum, & diem novissimum, & fecerint bona, habebunt mercedem suam, &c.* ubi, ut vidimus, distinguuntur quatuor genera hominum, nimirum, *qui crediderunt* (ideſt Mahumetani) *& qui sunt Judæi, & Christiani, & Sabaitæ*: & omnes pronunciantur esse salvandi, dummodo eredant in Deum, & in diem Judicii, & recta operentur; ita explicat Gelal. إن الذين امنوا بالانبياء من لدن مبعثه الى الاخر في زمان نبينا وعمل صالحا بشريعته: *Qui crediderunt in Prophetas priores*; & Judæi, & Christiani, & Sabaitæ: *qui crediderint ex illis in Deum, & diem novissimum in tempore Prophetæ nostri, & bona fecerint juxta legem ipsius, &c.* Sed primò peccat, dum *eos qui crediderunt* censet esse eos, qui crediderunt in Prophetas priores: nam in Alcorano الذين امنوا *qui crediderunt*, semper accipiuntur pro Mahumetanis. Peccat secundò, quia ea conditione vult eos, qui crediderunt in Prophetas priores, esse salvandos, ut credant in Deum, & diem novissimum in tempore Prophetæ Mahumeti, & operentur bona juxta legem ejus. At verò impossibile est, eos, qui crediderunt in Prophetas priores, credere in Deum, & diem novissimum in tempore Mahumeti, & rectè operari juxta legem ejus. Peccat tertiò, quia vult sapere plusquam Magister suus: quod enim Mahumetus absolutè pronunciavit, hìc vult sub conditione coarctare. Zamchaserius ita exponit hunc locum: إن الذين امنوا بالمنتهم من غير مواطاة القلوب

Digitized by Google

وهم المنافقون والذين هادوا والنصارى والصابئين
وهم قوم عدلوا من دين اليهودية والنصرانية وعبدوا
الملائكة من امن من مولاء الكفر ايمانًا خالصًا
ويدخل فى ملّة الاسلام دخولًا اصليًّا وعمل صالحًا

فلهم اجرهم الذى يعتوجونه بايمانهم وعملهم:

Certè qui crediderunt linguis tantùm absque consensu cordium, (& hi sunt Mahumetani *impii*): *& qui Judæi sunt, & Christiani, & Sabaitæ (hi sunt populi, qui deviaverunt à Religione Judaica, & Christiana, & adoraverunt Angelos): qui crediderit ex his infidelibus fide sincera, & ingressus fuerit in religionem Mahumetanam ingressu radicali, & fecerit bonum: habebit quilibet eorum mercedem suam juxta meritum fidei, & operum suorum.* Consentit hic Auctor, pro *iis, qui crediderunt*, intelligi Mahumetanos, sed impios, & qui linguis tantùm se credere profitentur. Cæterùm ipse etiam peccat, dum verba prophetæ sui generalia, ad sectam Mahumetanam restringit: id quod facit etiam Jahias filius Salam, dicens:

فلهم اجرهم يعنى من امن بمحمد ويعمل بشريعته

Ipsi erit merces sua, nempe iis, qui crediderint in Mahumetum, & operati fuerint juxta leges ejus. Ingerit uterque Mahumetum, & religionem ejus, ubi Mahumetus ipse neque exigit, neque curat. Eodem modo, Sur. 5. المائدة *Mensa*: v. 71.

ولو ان اهل الكتاب امنوا واتقوا لكفرنا عنهم
سيّاتهم ولادخلناهم جنّات النعيم ولو انهم اقاموا
التوراة والانجيل وما انزل اليهم من ربّهم لاكلوا من
فوقهم ومن تحت ارجلهم منهم امّة مقتصدة وكثير
منهم ساء ما يعملون:

Quòd si Scripturales crediderint, & timuerint Deum; expiabimus certè abeis malitias ipsorum, & sanè introducemus eos in hortos voluptatis. Et si ipsi observaverint Pentateuchum, & Euangelium, & id quod traditum est ipsis à Domino suo; comedent de supra se, & de subpedibus suis (videlt. bonis omnibus & opibus abundabunt). Inter eos quidam rectæ inedunt intentione: sed multi ex eis pravè operantur. Explicat Gelal:

ولو اهل الكتاب امنوا بمحمد ولو انهم اقاموا
التوراة والانجيل بالعمل بما فيهما ومنه الايمان
بالنبى وما انزل عليهم من الكتب من ربّهم،

Si Scripturales crediderint in Mahumetum, & si observaverint Pentateuchum & Euangelium, exequendo ea, quæ in utroque continentur, inter quæ unum est, ut credant in prophetam (Mahumetum): *& id quod traditum est illis in Sacris libris à Domino ipsorum.*

Eodem modo Jahias filius Salam: والمتهم التورية
والانجيل ان يؤمنوا بمحمد لانهم قد امروا بذلك
وقوله منهم امّة مقتصدة اى متمّمة من امن من اهل
الكتاب برسول الله ص وما جاء به وكثير منهم ساء
ما يعملون يعنى من ثبت منهم على اليهودية
والنصرانية. *Observantia eorum Pentateuchi, & Euangelii consistit in hoc, ut credant in Mahumetum: quia hoc jam præceptum fuit illis. Quod autem additur: Quidam ex eis rectæ intentione incedunt; significat eos, qui ex illis constanter crediderunt in Mahumetum & Alcoranum. Verba autem illa: sed multi ex eis pravè operantur, significant eos, qui perstiterunt in Judaismo, & Christianismo.*

Verùm cùm Sapientiores Moslemi agnoscerent hujusmodi interpretationes nimis impropriàs esse, ac violentas; ingenuè confessi sunt, Mahumetum primò admisisse, unumquemque salvari posse in ea religione, quam semel Deus approbavit; nimirum in sua, in Judaica, in Christiana, & in Sabaitica: nam has omnes religiones in substantia eadem esse affirmabat, & legibus tantùm ac ritibus inter se differre. Cùm verò, utpote non omninò stipes, intelligeret hoc nimis pernicioſum evadere sectæ suæ, retractavit doctrinam suam, & in una tantùm religione الاسلام *Eslam*, quam ipse profitebatur, & prædicabat, salutem æternam reperiri pronunciavit. Audiatur Emam, seu Antistes Abul-Casem Habat Allah in Tractatu الناسخ والمنسوخ *De Abrogante, & Abrogato*, ubi expendens verba jam allegata ex Sura 5. *Certè qui crediderunt, &c.* hæc habet:

ان الذين امنوا والذين هادوا فيها قابلان قال مجاهد
والضحاك بن مزاحم هى محكمة ويقدرونها بالمحذوف
المقدر فيكون التقدير ان الذين امنوا ومن امن من
الذين هادوا والنصارى والصابئين وقالت الجماعة
الاكثرون هى منسوخة وناسخها عندهم ومن
يتبع غير الاسلام دينا فلن يقبل منه وهو فى الاخرة
من الخاسرين. *Certè qui crediderunt, & qui sunt Judæi, &c. In his verbis est duplex sententia. Dixit Mogiahed, & Aldhahac filius Mozahem: Hic versus est firmatus, nec fuit abrogatus. Sed ponunt in eo potentialitatem, quatenus aliquid istarum subintelligitur virtualiter: itaut sensus sit: Certè qui crediderunt,* (nempe Mahumetani) *& qui crediderit* (sicut illi) *ex Judæis, & Christianis, & Sabaitis, &c. Et pronunciavit Concilium* (socii scilicet primi Mahumeti) *& est sententia plerorumque Doctorum, hunc versum fuisse abrogatum per alium* (qui est 81. in Sura 3. آل عمران *Familia Amran*): *Et qui sequutus fuerit aliam religionem præter Eslam* (Mahumetani-

Digitized by Google

tanicam) *nunquam acceptabitur ab eo: & ipse in futuro sæculo erit ex perentibus.* Communis itaque ac legitima Doctorum Moslemorum sententia est, versus omnes Alcorani, in quibus conceditur Scripturalibus salus æterna in propria religione, fuisse à Mahumeto abrogatos, & retractatos non solùm ut falsos, sed etiam ut sectæ suæ destructivos.

Porrò pauci illi, qui ad removendam à propheta suo inconstantiæ & levitatis notam, contendunt versus illos non fuisse ab eo abrogatos, sed solùm significare illis voluisse, tàm Christianos, quàm Judæos, & Sabaitas posse salvari, si in Mahumetum crederent, & legem ejus observarent; in laqueos inextricabiles se conjiciunt. Nam vel volebat hos propriam religionem relinquere, & Islamiticam suscipere, fierique Mahumetanos: & sic non erat, cur ad has tantùm tres nationes se restringeret, cùm centies in Alcorano asserat, se missum fuisse ad prædicandam veram religionem non solùm hominibus, sed etiam Geniis, seu Dæmonibus. Vel volebat has tres gentes retinere quidem religionem propriam, sed etiam Mahumetanicam amplecti, eamque cum propria conjungere; & hoc erat prorsus impossibile; cùm tàm religio Judaica, quàm Christiana, & Sabaitica (quæ à Christiana, & Judaica non distinguitur) longissimè à Mahumetana dissideant, & non solùm in legibus ac ritibus, sed etiam in dogmatibus, quæ ad veritates revelatas, & æternas spectant, illi è diametro opponantur.

Duo verò hìc valdè notabilia occurrunt. Primum quàm nulla fides habenda sit Alcorano, qui à Deo traditus esse jactatur, in quo decies approbatur aliqua religio, & decies eadem reprobatur, ac damnatur. Neque enim agitur de re aliqua levi, parvique momenti; sed de omnium rerum gravissima, nempe de via, per quam possint mortales ad æternam salutem pervenire; quam modò approbari à Deo, modò reprobari, est prorsus impossibile, præsertim quoad substantialia, & ad veritates æternas. Nam quoad leges positivas, vel ritus spectat, non negamus, posse aliqua à Deo in eadem religione mutari, vel variari; sed hoc non facit Deus, nisi etiam manifestet hominibus causas hujus mutationis, vel variationis. Atque ita si mutavit, vel etiam abstulit, quosdam ritus ac leges ceremoniales, vel judiciarias Pentateuchi in lege Euangelica; cognoverunt omnes id justissimè factum; non solùm quia ita Deus ipse prædixerat per Prophetas se facturum: sed etiam, quia cùm omnia illa essent figuræ eorum, quæ sub Messia eventura erant; ubi hæc evenere, supervacaneæ prorsus erant figuræ. Si Alcoranus solùm aliqua ceremonialia, & purè legalia Christianæ Religionis abrogasset: & id fecisset, quia Deus ita prædixerat se facturum; & quia hæc erant meræ figuræ religionis Mahumetanicæ: non esset magna inter nos, & inter Moslemos controversia. Sed cùm non solùm hoc non fit; verùm etiam in Alcorano tollantur, & prorsus abrogentur, imò damnentur ea, quæ in Christiana Religione substantialia sunt, & spectant ad veritates æternas, & à Deo revelatas: quomodo potest in eo tolerari hæc religionum abrogatio, & subrogatio, non solùm sine magna levitate, & inconstantia, sed etiam sine summa perfidia, atque impietate?

Quod verò auget absurdum est; quia abrogationes Pentateuchi non sunt factæ in eodem Pentateucho: hic enim semper sibi constat in eo quod semel statuit. Neque invenietur unquam ullus legislator, qui in una eademque lege modò probet, modò reprobet id, quod populis præscripsit. At in Alcorano non semel, sed bis, ac ter, idem probatur, & reprobatur: decernitur, & abrogatur. Quasi verò Deus, qui auctor Alcorani esse fingitur, res semel à se temerè statutas, maturius consideret, & corrigat, vel aboleat. Et nihilominus hic liber divinissimus, & librorum omnium perfectissimus, cui nihil simile facere possint omnes creaturæ, fidenter à Moslemis prædicatur.

Alterum, quod peculiari nota dignum videtur, est, non posse ex Alcorano deprehendi, utrum abrogati sint versus illi, quibus unicuique in sua religione salus promittitur, an verò, qui in Mahumetica tantùm secta illam reperiri posse affirmant. Nam versus ille, quo volunt abrogari libertatem religionum, est in Sura 3. v. 81. Versus autem, quibus eadem libertas asseritur, non solùm in Sura 2. antecedenti, sed etiam in Sura 5. v. 75. in Sura 18. v. 63. in Sura 22. v. 17. Imò in eadem Sura 3. post versum 81. quo in una religione Islamitica salus esse pronunciatur, versu 112. habentur hæc verba de Judæis, & Christianis, quorum anteà aliqua vitia redarguerat: من اهل الكتاب امة قائمة يتلون ايات الله اناء الليل وهم يسجدون: يؤمنون بالله واليوم الاخر ويأمرون بالمعروف وينهون عن المنكر ويسارعون في الخيرات فاولئك من الصالحين: وما يفعلوا من خير فلن يكفروه والله عليم بالمتقين:

Ex Scripturalibus est gens recta, meditantur signa Dei horis nocturnis, & ipsi adorant. Credunt in Deum, & diem novissimum: præcipiunt justum: & prohibent ab injusto, & certatim festinant in bonis operibus: & hi sunt ex probis; & non fraudabuntur mercede boni illius, quod fecerint. Nam Deus est cognitor piorum. Infulsè putat Zamchascerius, loqui hìc Mahumetum de Scripturalibus, qui Judaismo, vel Christianismo ejurato, facti fuerant Mahumetani: & اياب الله *signa Dei*, significare Alcoranum; cùm in Alcorano ipso accipiantur tàm pro versibus Alcorani, quàm pro quolibet versu etiam Pentateuchi, & Euangelii, vel aliis sacri libri, ut patet in hac ipsa Sura 3. v. 111. ubi asseritur, Judæos punitos fuisse à Deo, *quia non crediderant* اياب الله *in signa Dei, & occiderant Prophetas injustè, & rebelles fuerant Deo.* Ubi quis dicat signa Dei significare versus Alcorani? Cæterùm luce clarius est, in versiculo allegato sermonem esse non de Judæis, aut Christianis, qui, religione propria abjurata, adhæserant Mahumetismo, vel in Mahumetum, aut Alcoranum crediderant: (hi enim nunquam in Alcorano لها الكتاب *Scripturales* appellantur: quemadmodum neque illi qui ex Ethnicismo Moslemi facti fuerant, unquam مشركين *Associantes* vocantur:) sed de Scripturalibus simpliciter, & propriè, & qui religionem suam retinebant.

Cùm igitur post versiculum illum, quo religio-

num libertatem abrogari censent Doctores Moslemi, in aliis pluribus versiculis sequentibus eadem libertas asseratur & probetur à Mahumeto: dicendum est necessario, vel versiculum illum non esse abrogativum, vel ipsum eundem abrogari per sequentes illi contrarios; (nam per ultimam legem præcedentes leges vel abrogantur, si illi adversentur; vel confirmantur, si cum ea conveniant): vel demum fatendum est, Mahumetum esse hominem levissimum, & inconstantissimum, qui eadem toties probet, ac reprobet: & nihilominus etiam hoc dato, standum esset ei, quod ultimò probavit.

Sapientes Moslemi, ut aliqua ratione prophetæ sui honorem tueantur, è fartagine in prunas, ut proverbio fertur, sese temerè conjiciunt. Asserunt, in Suris, atque etiam in versibus Alcorani disponendis, nullum rerum, vel temporum ordinem servatum fuisse, itaut sit in eo perpetuum ferè *σκότος ἀρίστων*: neque sciri possit, quonam tempore quælibet Sura tradita fuerit: & utrum ultimam ante primam; mediam ante ultimam, vel primam: primam ante ultimam, vel mediam. Mahumetus accesserit: & sic de reliquis Suris. Et eadem ratio est de versibus ejusdem Suræ: neque enim certum est, primum versum illius traditum fuisse ante secundum, vel ante quartum, vel ultimum: & sieri potest, eum, qui est ultimus, primo loco, vel secundo, vel quinto traditum fuisse. Hoc posito, respondebunt, versus omnes, qui libertatem religionis concedunt, traditos fuisse ante illum, quo eadem libertas abrogatur, quamvis in Alcorano hic præponatur, & illi postponantur. Hac Regula, ab innumeris contradictionibus, quæ in Alcorano sunt, ipsum vindicant; etiam si non possint per eam neque Mahumetum, neque Alcoranum, neque fictitium Deum illum, quem Alcorani auctorem faciunt, à levitate, inconstantia, & aperta stultitia vindicare. Porrò fundamentum hujus tàm portentosæ opinionis est; quia Alcoranus revelatus fuit Mahumeto aliquando per singulos versus, aliquando per integram aliquam Suram, partim Meccæ, partim Medinæ, spatio viginti trium annorum. Quoties verò versum aliquem, vel Suram, à Gabriele ore tenus accipiebat (non enim in scriptura aliquid ei dabatur, sed Gabriel ex Alcorano, quem bis, aut semel in anno illi ostendebat, versus, vel Suras eidem legebat) jubebat Amanuensem suum, à se audita in papyro exscribere; ille verò, quod scribebat, confusim in cista reponebat. Post obitum autem Mahumeti, Abubacar, & Omar illius successores, omnia simul collecta, in unum volumen redegerunt, nullo ordine rerum vel temporum servato: itaut plerique Doctores asserant, primam Alcorani Suram esse illam, quæ posita est in eodem, nonagesimo sexto loco, & incipit;

اقرأ باسم ربك الذي خلق خلق الانسان

Lege in nomine Domini tui, qui creavit: creavit hominem. Alii tamen aliter sentiunt. Hinc & de loco, & tempore Surarum maximum est inter Expositores dissidium; Illam enim, quam aliqui volunt traditam fuisse Meccæ ante Hegiram; alii Medinæ post Hegiram traditam affirmant. Aliqui totam Suram Meccæ, vel Medinæ revelatam dicunt: alii partim Meccæ, partim Medinæ datam fuisse contendunt. Et hoc in omnibus ferè Suris contingit, ut patet ex ipsis earum inscriptionibus, & ex glossis Expositorum.

Ex dictis colligitur, Mahumetum nullum unquam habuisse, vel reliquisse Alcoranum: sed ab Abubacro, & Omare, post mortem ejus fuisse confarciminatum ac concinnatum ex variis membranis, & schedulis confusim collectis. Et nihilominus in ipso Alcorano centies legitur, Mahumetum habuisse, ostendisse, ac legisse librum integrum Alcorani, & provocasse Meccanos ad faciendum librum similem illi, vel decem, vel saltem unam Suram similem Suris illius. Quomodo possunt hæc simul convenire?

Petes: Si in Alcorano nullus ordo rerum, vel temporum servatur, itaut nesciri possit quid prius, quid posterius, quove loco, aut quo tempore traditum sit: quomodo ita fidenter Expositores asserunt, hoc ante illud, hoc post illud, hoc tali tempore vel occasione, hoc tali loco traditum fuisse? Respondeo, illos sequi in hoc vel traditionem, vel conjecturas. Hinc Ahmed filius Mohammed Thalebienfis, in ipso exordio expositionis Alcorani:

التفسير علم نزول الاية وشانها وقصتها والاسباب

التي نزلت فيها واحوالها مخطور عند الناس

القول فيه الا بالسماع والاثر

Expositio est scientia descensus (idest, traditionis, seu revelationis) *versus* (Alcorani) *& qualitatis* (seu status) *ejus, & historiæ ejus, & causarum, propter quas traditus fuit. Et certissimum est, non posse homines aliquid circa hoc dicere; nisi ex auditu, & vestigiis:* idest, nisi ex traditione, vel fama, & indiciis, seu conjecturis. At quàm hæc duo fallacia sint, ex eo agnoscitur, quòd cùm omnes Expositores Moslemi profiteantur, se traditionem, & conjecturas, seu indicia sequi; frequentissimè tamen inter se dissident, sibique mutuò adversantur.

Præterea, si traditio sequenda est; quæ fidelior & tutior traditio reperiri potest, quàm quæ ab Abubacro, & Omare, qui Mahumeto coævi fuerunt, & res ejus omnes penitissimè noverunt, certò tenetur? Hi nimirum, adhibitis quatuor ex doctissimis Moslemorum, Alcoranum in eam formam, & in eum ordinem Surarum, & versiculorum redegerunt, in quibus nunc habetur. Neque ullus, nisi amens, sibi persuadebit, majorem, & veriorem scientiam, habuisse posteriores Moslemos historiarum, rerumque Alcoranicarum, & ordinis ac temporis earum, quàm habuerint Abubacar, & Omar, & cæteri illi primi Mahumeti asseclæ, qui Alcoranum concinnavere, atque in versus & Suras dispossuere. Hi certè si cognovissent unam Suram traditam fuisse Mahumeto ante aliam, nunquam hanc post illam collocassent: neque potuissent versiculum deregantem ante derogatum, cùm derogatum antea traditum fuisse clarè cognoscerent. Neque etiam probari poterit ab ullo cordato, primos illos Alcorani concinnatores, versus in schedulis, seu membranis, à se confusim ac sparsim repertos, ita in unum volumen congessisse, quemadmodum congeruntur olera, aut legumina in ollam, vel caçabum; seu ligna in clybanum, sine ullo discrimine aut ordine: alioquin inepta ac ridicula fuisset illa Surarum, modò brevissimarum, modò longiorum partitio, præfixo cuique peculiari

culiari titulo, & notato etiam loco, in quo tradita est, & numero versiculorum, quibus constat.

Postremò non omittam dicere, fateri Expositores, duos esse versus in Alcorano, qui antequam traderentur, abrogati sunt per alios duos versus anteriores. Prior est 241. Suræ 2. qui abrogatur per v. 234. ejusdem. Posterior est v. 53. Suræ 33. qui per v. 50. ejusdem abrogatur. Quid autem magis absurdum, aut ridiculum dici potest, quàm abrogari aliquam legem antequam feratur: itaut, quando fertur, intelligant omnes, illam non esse observandam, & nullius esse roboris, vel momenti? Licebit & nobis credere, per versum antecedentem, quo religionum libertas à Mahumeto conceditur, abrogari sequentem, quo eadem libertas tollitur. Verùm, ne cum insanis insanire velle videamur; satis nobis erit, si illum ipsum, quo cæteras, præter suam, religiones reprobat, ab aliis posterioribus, quibus illas iterùm probat, abrogatum fuisse contendamus. Sed de his, quæ ad hanc Alcorani abrogationem, & subrogationem spectant, & de aliis ejusdem Alcorani inspectionibus, vide quæ in illius Prolegomenis fusiùs disserimus.

Verùm, quia ubi de religione agitur, standum est sententiæ, communique sensui eorum, qui eandem religionem profitentur, præsertim si Magistri sint, vel Doctores illius: ultrò admittemus, Christianam Religionem, quam usque ad Mahumeti ætatem veram ac bonam fuisse Moslemi confitentur; ab ipso Mahumeto in Alcorano reprobatam rejectamque fuisse: atque illi Islamiticam, quam ipse instituit, vel vulgavit, substitutam. Indagandæ tamen nobis sunt causæ hujus rei, quas Mahumetani duas assignant. Prima est, quia sicut lex, & religio Judaica, quamvis bona esset, & à Deo tradita: non tamen post Christi adventum proderat Judæis ad salutem, nisi etiam in ipsum Christum crederent, & Euangelium amplecterentur: ita quantumvis Christiana religio bona esset, & à Deo constituta: post adventum tamen Mahumeti nihil proderat Christianis, nisi etiam crederent in Mahumetum, & illius Alcoranum observarent.

Secunda est, quia Christiani defeciverunt à fide, & religione illa, quam tradidit illis Christus: & Euangelicam legem in aliam à se inventam commutaverunt. Hoc verò probant Moslemi ex eo præcipuè, quia cùm Christus præceperit in Euangelio credendum esse in Mahumetum venturum, & Alcoranicam legem illius observandam; Christiani utrumque negant, ac rejiciunt.

Ad primam causam, puto me satis superque respondisse in primo hujus Prodromi tractatu: ubi evidentissimè probavi, neque à Christo, neque à Prophetis Mahumetum prædictum unquam aut somniatum fuisse: certumque esse & indubitatum ex omnibus Sacris Scripturis, post Christum, & Euangelicam ejus legem, nullum alium Prophetam novæ legis latorem esse venturum: & Christianam Religionem, Christique Regnum Spirituale, ad finem usque Mundi perseveraturæ.

Ad secundam causam in sequentibus capitibus respondendum est.

CAPUT SECUNDUM.

Utrum Christiani à sua Religione aberraverint. Argumenta, quibus id probat Mahumetus in Alcorano.

NOn semel ineusat Mahumetus in Alcorano Christianos, quòd ab ea religione, quam Christus illis præscripsit, defeciverint, vel aberraverint. In ipsa prima Sura, quæ dicitur الفاتحة *Aperiens*, seu prœmialis, versu 6. Deum his verbis: اهدنا الصراط المستقيم صراط الذين انعمت عليهم غير المغضوب عليهم ولا الضالين: *Dirige nos in viam rectam: Viam illorum, erga quos beneficus fuisti: Non eorum, quibus iratus fuisti, neque eorum, qui erraverunt.* Ubi Interpretes ferè omnes Mahumetani constanter affirmant, nomine *eorum, erga quos Deus beneficus fuit*, significari Prophetas & Fideles præcedentes. *Eorum verò, quibus iratus fuit*, Judæos. *Eorum denique, qui erraverunt*, Christianos. Quia, ut scribit Thelabiensis in hunc locum: النصارى ضلوا وقالوا في المسيح ما قالوا: *Christiani erraverunt; & dixerunt de Christo id quod dixerunt*: nempe ipsum esse Deum, & crucifixum ac mortuum in Cruce. Id confirmat Alcoranus Sura 5. المائدة. verf. 15. ubi introducitur Deus hæc dicens. ومن الذين قالوا انا نصارى اخذنا ميثاقهم فنسوا حظا مما ذكروا به فاغرينا بينهم العداوة والبغضاء الى يوم القيمة: *Et ab iis, qui dicunt se esse Christianos, recepimus pactum eorum* (ideſt Religionem eorum): *sed obliti sunt partem eorum, quæ præscripta sunt eis. Itaque conjecimus inter eos inimicitiam & odium usque ad diem resurrectionis.* Deinde Sura الانعام *Pecora*: v. 155. exprobrat iisdem, & Judæis, scissuras, & sectas in religione sua, his verbis: ان الذين فرقوا دينهم وكانوا شيعا لست منهم في شيء انما امرهم الى الله ثم ينبئهم بما كانوا يفعلون. *Porrò qui diviserunt religionem suam, & in sectas discissi sunt, tu nulla in re eos cures: quia negotium eorum spectat ad Deum: relinque eos in vortice suo usque ad tempus*: Explicat Gelal. فرقوا دينهم باختلافهم فيه فاخذوا بعضه وتركوا بعضه وكانوا شيعا فرقا في ذلك: وفي قراءة فارقوا اي تركوا دينهم الذي امروا به وهم اليهود والنصارى ضلالتهم حتى حين اي حتى من هم:

Divi-

Diviserunt religionem suam per varietatem opinionum in ea; & partem ejus retinuerunt, partem reliquerunt. Et divisi sunt in sectas, & fecerunt schismata in illa. Alii legunt: divisserunt se à Religione sua; ideſt, reliquerunt illam, quæ jam iisdem præcepta fuerat: & hi sunt Judæi, & Christiani. Sine eos in vortice suo, ideſt in errore suo, usque ad tempus; ideſt, usque ad mortem eorum. Hæc sunt loca præcipua in Alcorano, quibus redarguuntur Christiani tanquam religionis suæ desertores, vel corruptores ac depravatores. Utrum verò hi tantum scelus admiserint, tàm gravem impietatis notam mereantur, nunc videndum est.

Suppono primò, Religionem non deseri, nec mutari, ex eo quòd mutentur, vel tollantur, vel addantur in illâ aliqui ritus, ac ceremoniæ. Nam (ut ad hominem loquar) etiam Mahumetus non pauca ex his mutavit, ut constat ex illis, quæ abrogata sunt in Alcorano: & ex eo etiam, quòd cùm à principio statuisset, ut affectæ sui orantes, ad Templum Jerosolymitanum converterentur, deinde post Hegiram menſe decimo septimo præcepit, ut mutato ritu, ad Fanum Meccanum vultum converterent. Biennio etiam ferè post Hegiram, instituit jejunium menſis Romadan. Et quadriennio post eandem, usum vini prohibuit. Et demum anno sexto peregrinationem Meccanam excogitavit. In lege etiam Mosaica interdum sacta est in ritibus, seu rebus ceremonialibus, & puris legalibus aliqua mutatio. Nam, ut habetur ex libro 2. Paralipomenon, cap. 30. Ezechias Rex jussit celebrari Pascha menſe secundo cum Sacerdotum, ac Principum consilio, ita tempore exigente; quamvis Deus menſe primo celebrari præcepisset. Ex quo patet, multò magis variari potuisse alios ritus, vel leges, quas homines ipsi constituissent, absque religionis injuria, si justa aliqua causa intercessisset. Placet hìc referre verba R. Moysis in Prolegomenis suis ad *Jad chazacah*, quia multum faciunt ad rem nostram: *Sunt verò* (inquit) *alia præcepta, quæ institutа sunt post traditam Legem. Illa statuerunt Prophetæ, & Sapientes, atque per universum Israel propagaverunt. Hujusmodi sunt, de lectione voluminis Esther: de lucerna Encæniorum: de jejunio diei noni Menſis Ab, sive Julii: de commixtione, & de manuum lotione. Eorum præceptorum unumquodque suas habet expositiones, & disputationes. Hæc autem omnia præcepta nova recipienda nobis sunt, & observanda, juxta illud Deuteronomii cap. 17. Non declinabis à verbo, &c. Neque verò est hoc addere quidquam præceptis legis, quod vetat Lex Deuteronomii cap. 12. Non addes super illud, neque diminues in eo.* Hactenus R. Moyses. Cæterùm tàm Judæi, quàm Mahumetani, nisi impudenter mentiri velint, dicere possunt, quot ritus ac leges in sua secta de novo in dies addiderint, quot deseruerint, quot mutaverint. Neque verò hoc illis vitio vertimus, cùm & apud nos idem aliquando contingat, & in eadem causa, sed nonnisi ex necessariis, vel justissimis rationibus, nos esse fateamur.

Suppono secundò, neque Religionem mutari, ex eo quòd in ea aliquæ veritates ad fidem, vel ad aliquid fidei adnexum spectantes, de novo proponantur, quæ antèà vel à multis ignorabantur, vel ad fidem spectare certum non erat. In hoc enim nihil de novo propriè constituitur, sed tantùm declaratur, vel proponitur id, quod antèà verum erat, sed nondum notum, vel propositum. Dei enim solius est, res de fide credendas statuere, ac revelare, id quod fecit per Sacras Scripturas, & per Majorum traditionem. Huic aliquid simile evenit in qualibet etiam falsa religione. Nam in secta Mahumetana, v. g. multa recenter definita sunt circa Alcoranum; circa tunes ne sit, an increatus: circa attributa Dei, distincta ne sint ab essentia, necne: circa Emamos, seu Chaliphas: utrum tres primi post Mahumetum fuerint legitimi; & alia hujusmodi. Ita in Ecclesia Judaica Summus Sacerdos cum Concilio Sanhedritico, seu Consistorio magno, proponebat cunctis Israelitis, quid agendum, quid credendum esset, ut scribit R. Moyses in *Jad Chazacah*, tract. *Mamrim*, seu de Rebellibus; his verbis. *Consistorium magnum Jerosolymitanum fundamentum est legis oralis. Hæ sunt columnæ doctrinæ, unde prodeunt statuta, & judicia in omnes Israelitas, quibus credendum esse, & parendum, Lex jubet.* Et Malachias cap. 2. confirmat idem illis verbis: *Labia Sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est.* Impossibile quippe est, saltem moraliter loquendo, ut statim à principio, quando lex aliqua traditur, populoque proponitur, ita innotescant omnia, quæ in ea præscribuntur, ut nihil remaneat dubium, nihil obscurum. Hoc patet ex innumeris dubitationibus, & quæstionibus, quæ suscitantur non solùm à Judæis in lege Moysis, etiam circa res graviores: sed etiam à Christianis in Euangelio, & à Moslemis in Alcorano, quæ non possunt à privatis determinari, ac definiri. Ideò apud Judæos erat Summus Sacerdos, & Consistorium magnum: & apud Christianos est Papa, seu Pontifex Maximus, & Concilium generale: quemadmodum etiam Mahumetani olim habebant suos Chaliphas, & nunc habent Mophtinos, ad legis, & religionis quæstiones definiendas. Porrò si qua hujusmodi ita definita proponantur, nullo modo nova inventa appellanda sunt, neque mutatio aliqua in religione facta esse censenda est; cùm sit tantummodò declaratio, & propositio illius, quod jam antè erat in lege statutum, & notum, & clarum quoad se, non tamen quoad homines, saltem universos. Ita quòd Concilium Ephesinum, v. g. definierit contra Nestorium, Beatissimam Virginem Mariam verè dicendam esse Matrem Dei, nihil mutavit, vel addidit in fide Christiana: hoc enim jam certum erat in Sacris Scripturis, in quibus cùm constet, illam esse matrem Christi, constat etiam esse Matrem Dei, cùm Christus verè sit Deus. Sed hoc fortasse non ita omnibus innotescebat, imò ab aliquibus negabatur, à Nestorio scilicet, & asseclis illius. Concilium verò, ac Pontifex Romanus, gerentes personam totius Ecclesiæ Christianæ, declaraverunt, Beatam Virginem verè esse Matrem Dei, eo quòd Sacris Scripturis id manifestè demonstraretur.

Nullam igitur Religionis mutationem fieri dicendum est, quando in ea nihil proponitur, vel statuitur, præsertim circa fidem, quod vel ex Sacris Scripturis à Deo revelatis, vel ex indubitata traditione Majorum non habeatur. Hæc verò duo, nimirum Scriptura, & Traditio, tàm apud Christianos, quàm apud Judæos, & in suo genere etiam apud Mahumetanos, reperiuntur. Apud Judæos prima vocatur מִקְרָא : Secunda מִשְׁנָה Apud Mahumetanos vocibus similibus, prima dicitur: القرآن : Secunda الحديث : Nos autem primam, Verbum Dei scriptum; secundam, Traditionem vocamus.

Sup-

Suppono tertiò, non posse dici mutatam fuisse aliquam religionem ex eo, quòd in ea variæ sectæ, & hæreses exortæ sint, & in dies exoriantur. Nam hoc pacto, ipsorum Mahumetanorum testimonio, magis mutata, ac deformata esset eorum secta, quàm Christiana Religio. Ex dicto enim ipsius Mahumeti, & ex communi omnium Moslemorum asserto, in plures sectas & hæreses scindenda erat eorum superstitio, quàm Christiana Religio. Vide, quæ diximus in primo Tractatu. Et re vera hodie plures sunt in Mahumetismo hæreses & schismata, quàm in Christianismo. Sed in illo neque curantur, neque attenduntur: cùm satis sit apud eos, credere unum esse Deum, quicumque tandem ille sit: & Mahumetum esse legatum Dei.

Suppono quartò, non posse dici, aliquam religionem esse mutatam, ex eo quòd in illius professoribus sint mores valdè corrupti; vel res ipsius religionis minùs accuratè exerceantur, vel sint inter eos bella ac dissidia; vel propter quæcumque vitia & peccata, quæ in eis inoleverint: neque ex eo quòd plures eorum ab ea, sive ex parte, sive in totum, defecerint: nec demum ex eo quòd illi ipsi, qui sunt Principes, Custodes, & Magistri religionis, magnis aliquando vitiis laborent. Hoc primò ratione probatur, quia licet Fides non prosit ad salutem sine bonis operibus: nemo tamen dicet, non posse aliquem sine illis, vel etiam cum malis operibus, habere veram fidem, & esse in bona religione: alioquin omnes peccatores dicendi essent infideles, quod ne Mahumetani quidem ipsi concedunt. Ideò Thalebiensis in Sura 4. النساء *Mulieres*, versi. 116.

إن الله لا يغفران يشرك به ويغفر ما دون ذلك

لمن يشاء ومن يشرك بالله فقد ضل ضلالا بعيدا:

Certè Deus non parcet, si sibi socios aliquis in divinitate tribuatur: parcet autem cætera peccata præter hoc, cui voluerit. Et qui tribuit socium Deo, jam certè est in errore maximo: affirmat hunc versum, دليل على بطلان قول الخوارج حين زعموا ان مرتكب الكبيرة كافرا: *esse ostensivum falsitatis propositionis Charegitarum, qui existimant, peccantem graviter esse infidelem.* Secundò probatur exemplo Iiraelitarum tempore Eliæ, cùm non solùm inter eos essent omnium generum scelera, ac flagitia; & inter eorum Principes bella perpetua, & in Sacerdotibus summa incuria circa cultum divinum, & officium suum: sed etiam plerique eorum à vera fide ac religione idolorum cultum deficiissent, & in schismata & hæreses prolapsi fuissent. Et nihilominus tunc erat vera fides, & orthodoxa religio apud eumdem populum. Sed de hoc vide quæ dicta sunt in prima parte.

His præmissis, videamus jam, quas ob causas Mahumetus & Mahumetani velint Christianos generaliter à sua fide deviasse, & à vera religione defeciisse: has verò ex Alcorano licet nobis facilè colligere. Et sunt:

Prima. Quia cum Judæis corruperunt Pentateuchum, Euangelium, & alias Scripturas, præsertim in iis, quæ de Mahumeto venturo continebant.

Secunda. Quia non crediderunt in Mahumetum, & ejus Alcoranum, sicut præcipiebat eis Christus in Euangelio: imò cùm ante adventum ejus crederent, & sperarent illum esse venturum: postea cùm venit, spreverunt, ac rejecerunt illum. Non adduco loca Alcorani peculiaria pro his duabus causis: quia alibi non fœmel adduxi, & ferè nihil aliud magis deblaterat in illo Mahumetus.

Tertia. Quia ponunt in Deo tres personas realiter distinctas inter se, identificatas tamen cum unica essentia. Hoc illis objicitur Sura 4. النساء *Mulieres*: v. 170.

يا اهل الكتاب لا تغلوا في دينكم

ولا تقولوا على الله الا الحق لا تقولوا ثلثة: انتهوا

خيرا لكم انما الله اله واحد:

O Scripturales ne excedatis in religione vestra: neque loquamini de Deo nisi veritatem. Ne dicatis, Tres. Abstinete ab hoc: nam melius erit vobis: quippe Deus est Deus unus. Et rursùm Sura 5. المائدة *Mensa*: v. 79.

لقد كفروا الذين قالوا ان الله ثالث ثلثة وما

من اله الا اله واحد وان لم ينتهوا عما يقولون ليمسن

الذين كفروا منهم عذاب اليم:

Infideles sunt illi, qui dicunt, Deum esse tertium trium: nam non reperitur nisi Deus unus. Quòd si non abstinuerint ab hoc modo loquendi, subibunt hujusmodi infideles panam dolorificam.

Quarta. Quia dicunt, Jesum Christum filium Mariæ, esse verum filium Dei, & Deum verum. Hoc passim exprobrat Christianis Mahumetus, ut Sura 9. التوبة *Pœnitentia*; versi. 31.

وقالت اليهود عزير ابن الله وقالت النصارى المسيح

ابن الله ذلك قولهم بافواههم يضاهون قول الذين

كفروا من قبل قاتلهم الله انى يؤفكون:

Et dicunt Judæi: Ezras est filius Dei: & dicunt Christiani: Christus est filius Dei. Hoc dictum est in ore eorum: imitantur modum loquendi infidelium, qui fuerunt ante eos. Disperdat eos Deus: quomodo mentiuntur? Et Sura 5. المائدة *Mensa*: v. 78.

لقد كفر الذين قالوا ان الله هو المسيح ابن مريم

وقال المسيح يا بني اسرائيل اعبدوا الله ربي وربكم:

Infideles sunt, qui dicunt, Deum esse Christum filium Mariæ: cùm Christus ipse dixerit: O filii Israel, colite Deum Dominum meum, & Dominum vestrum.

Quinta. Quia asserunt, Christum crucifixum, passum, & occisum fuisse. Hoc etiam sæpè negat in Alcorano; affirmans, non Christum, sed alium similem Christo crucifixum mortuumque fuisse. Quamobrem Sura 4. النساء *Mulieres*: v. 156.

pro-

pronunciat, Judæos à Deo punitos fuisse ob mendacium hoc, nempe; قولهم انّا قتلنا المسيح عيسى ابن مريم رسول الله وما قتلوه ولكن ولا صلبوه لهم

ob dictum eorum: Nos certè occidimus Christum Jesum filium Mariæ Legatum Dei. Sed non occiderunt eum, neque crucifixerunt eum: verùm objecta est illis similitudo ejus: ideſt, crucifixerunt, & occiderunt alium ſimilem illi, qui ipſis oblatus fuit.

Hæ ſunt præcipuæ cauſæ, ob quas Chriſtianos à vera Religione, in qua aliquandiù fuere, prorſus exciditſe pronunciet in Alcorano Mahumetus. Aliæ nonnullæ afferuntur levioris momenti, quas nihilominus, ne quid per fraudem ſubticuiſſe videar, hic breviter exponam. Sit igitur

Sexta cauſa: quia Pontifices ac Monachos ſuos divino cultu, non ſecus ac Deos, proſequuntur. Sura 3. التوبة *Pœnitentia*: v. 32. ita eos redarguit

اتخذوا احبارهم ورهبانهم من دون الله وابنآء

Acceperunt Pontifices ſuos, ac Monachos ſuos præter Deum in Dominos. Explicat Gelal. حيث اتبعوهم في تحليل ما حرّم الله وتحريم ما احلّ

cùm ſequantur eos, eiſque obediant *in conceſſione eorum, quæ prohibuit Deus, & in prohibitione eorum, quæ ille conceſſit.* Hujus criminis reos facit etiam Judæos, ad quos propriè referuntur الاحبار *Pontifices*: quemadmodum الرهبان *Monachi* ad Chriſtianos.

Septima: quia ſimulacra, & imagines adoraverunt. Non habetur hoc expreſsè in Alcorano: ſed colligitur ex eo, quòd ſub nomine المشركين *Aſſociantium*, ſeu Idololatrarum, aliquando etiam Chriſtianos comprehendat, ut placet Abul-caſemo, in abrogato 22. Suræ 2. Quamvis hoc alii communiter negent: ſemper enim in Alcorano diſtinguuntur اهل الكتاب *Familia Libri*, ſeu Scripturales; nempe Judæi, & Chriſtiani; & المشركون *Aſſociantes*, nempè idololatræ. Cùm tamen in Alcorano generaliter ſimulacra, & imagines damnentur in Ethnicis Mecanis, & aliis Arabibus; non eſt dubitandum, quin etiam in Chriſtianis damnentur. Præterea certiſſimum eſt, Mahumetum omnium imaginum & ſtatuarum uſum in ſecta ſua ſeveriſſimè prohibuiſſe. Imò graviſſimi Auctores faciunt illum œconomachorum Principem. Horum enim hæreſis cupit evulgari circa annum Domini ſeptingenteſimum, non multò poſt mortem Mahumeti.

Poſtrema cauſa eſt, quæ toties in Alcorano opponitur Chriſtianis; nempe, quòd religionem ſuam in tot ſectas diſciderint, & quodammodo lacerave-rint. Signatim verò Sura 23. المؤمنون *Fideles*: v. 53. hæc legimus: فتقطعوا بينهم امرهم زبرا كل حزب بما لديهم فرحون فذرهم في غمرتهم حتى حين

Et diſciderunt inter ſe negocium ſuum (ideſt religionem ſuam) *in varias ſectas: qualibet ſecta in opinione ſua lætatur. Tu verò ſine eos verſari in errore ſuo uſque ad tempus.*

CAPUT TERTIUM.

Chriſtiani nunquam Religionem ſuam univerſaliter deſeruere, vel mutavere.

ANtequam ad ea, quæ Mahumetus, & Mahumetani nobis objiciunt, reſpondeam: directè probabo & ratione, & auctoritate noſtrorum, & ipſorum Mahumetanorum teſtimonio, Chriſtianos numquam à prima religione ſua univerſaliter diſceſſiſſe; vel eandem in aliam commutaſſe.

Argumentum demonſtrativum hujus veritatis eſt, quòd nullo modo dici poſſit relicta, aut mutata religio illa, quæ retinet, & obſervat leges, & inſtituta ab Auctore religionis primò propoſita, ſed Chriſtiani retinent, ac profitentur omnia, quæ Chriſtus ipſis ab initio propoſuit: ergo nullo modo dici poteſt, eos religionem ſuam reliquiſſe, vel commutaviſſe. Major propoſitio eſt per ſe manifeſta. Minor facilè probatur: nam lex, & religio à Chriſto inſtituta, in Euangelio, & cæteris novi Teſtamenti libris ſcripta reperitur; vel habetur per perpetuam majorum traditionem, quæ ab ipſo Chriſto, & ejus Apoſtolis ad nos emanavit. Atqui Chriſtiani credunt, & operantur, & credere, & operari profitentur juxta id, quod in his ſacris libris continetur, & ex hac traditione habetur: ergo nullo modo dici poteſt, eos vel reliquiſſe, vel mutaſſe religionem ſuam.

Neque obeſt huic veritati, quòd vel multi ex Chriſtianis religionis ſuæ leges negligant, aut transgrediantur: neque etiam quòd non pauci ab ea ad falſas ſectas deſciſcant, vel in eadem ſchiſmata & hæreſes excitent, atque heterodoxos cœtus inſtituant. Hoc enim & in Gente Iſraelitica, quando in ea vera religio colebatur; & in Mahumetana, cujuſeumque tandem farinæ hæc ſit, eveniſſe atque eveníre, nullus ignorat. Cùm enim homines non ſint impeccabiles; imò ſint ad peccandum ex natura proclives; non rarò delinquunt contra legem ſuam, & aliquando etiam, propria religione ejurata, ad alienam tranſeunt. Satis eſt, ut multi ſemper ſint, qui & legem obſervent, & religionem cuſtodiant, ritèque profiteantur, & in ipſa religione nihil publicè, & ex eorum, qui illi præſunt, auctoritate approbetur, quod inſtitutis ejuſdem à Deo præceptis adverſetur: & quod contra illa committitur, per publicam poteſtatem damnetur, ac puniatur, vel pœna dignum cenſeatur. Cæterùm ex ipſo Euangelio conſtat, Chriſtum prædixiſſe, in Eccleſia ſua non omnes futuros eſſe bonos ac juſtos: imò multos fore malos, & improbos. Id indicant parabolæ ab eodem Chriſto propoſitæ: *Agri*, in quo bono ſemini ſuperſeminata ſunt zizania: *Decem Virginum*, quarum quinque prudentes erant, & quinque fatuæ: *Convivii*, ad quod miniſtri Regis congregaverunt bonos, & malos: *Sagenæ* miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congregantis: & aliæ hujuſmodi. Et idem apertis verbis prædixit, in Eccleſia ſua noviſſimo tempore abundaturam iniquitatem, & frigidiorem evaſuram charitatem: & ſe, cùm veniret adjudicandum Orbem, vix inventurum fidem ſuper terram.

So-

Secundò probatur directè, Christianam Religionem numquam à suis professoribus defertam, aut mutatam fuisse. Nam si omnes Christianos doctores, & scriptores, qui ab ipso Apostolorum ævo ad hæc usque tempora de illa scripserunt, perlegamus (non loquor de hæreticis, & heterodoxis), reperiemus in illis eandem doctrinam in substantia, tàm quoad mores, quàm quoad fidei mysteria doceri, quam in praxi semper servatam fuisse, ex perpetuis Christianorum, atque etiam Ethnicorum, vel Hebræorum Historiis, & Annalibus invenimus. Et quidem quòd attinet ad mores, extra controversiam est: semper enim habuerunt, & servaverunt eandem legem Dei in Decalogo propositam, eademque præcepta moralia à Christo, & Apostolis tradita, & eandem legem naturæ mortalibus omnibus ingenitam. Quod verò ad fidem attinet, patebit ex inferiùs dicendis, ubi de Christianæ Religionis mysteriis, quæ Mahumetus oppugnat, disseremus. Nunc satis sit dicere: in articulis præcipuis, magisque necessariis ad salutem, & præsertim in illis, quæ in Alcorano damnantur, hodiè Christianos omnes, etiam schismaticos, & hæreticos, universaliter convenire: ut in Trinitate Personarum, & unitate essentiæ in Deo: in Christi divinitate, & ejusdem passione, ac morte per crucem: in Baptismo, & aliis Sacramentis, saltem præcipuis: in integritate, & auctoritate Sacrarum Scripturarum, præsertim quatuor Euangeliorum: in Resurrectione mortuorum, Judicio universali, Paradiso, & Gehenna, & utriusque æternitate; atque aliis hujusmodi. Hoc autem evidenter probat, hæc omnia ab initio ab omnibus credita fuisse: aliquin non potuissent omnes ubique terrarum, post tot schismata, & hæreses, in iisdem articulis fidei, si de novo ab aliqua tantùm secta, vel natione inventa fuissent, convenire. Videmus enim in cæteris, unam Christianorum sectam ab alia abhorrere: & quod ab una de novo statuitur, ab alia rejici, ac damnari: cùm tamen in articulis à Mahumeto oppugnatis, omnes absque controversia conveniant.

Quòd si obiciant Mahumetani, non inveniri in Auctoribus Christianis ab Apostolorum ætate usque ad hæc tempora, semper eandem doctrinam, etiam quoad aliqua, quæ spectant ad fidem: v. g. quoad numerum Sacrorum Librorum: quoad visionem beatificam statim post mortem: quoad processionem Spiritus Sancti à Filio, &c. Respondebimus primò: duplicis generis esse Auctores Christianos: quosdam Catholicos, & Orthodoxos; quosdam verò hæreticos, & heterodoxos. Quemadmodùm etiam apud Mahumetanos quidam dicuntur الحنيفة *Sonnitæ*: quidam verò الشيعية *Sciaitæ*: quorum primi habentur legitimi, & orthodoxi: secundi verò spurii, & hæretici. Porrò quòd apud hæreticos multa inveniantur diversa, vel etiam adversa iis, quæ Catholici profitentur, non est mirandum: Ideò enim hæretici sunt, & appellantur.

Respondemus secundò, primaria fidei dogmata, qualia sunt, quæ negat Mahumetus, ab omnibus semper Orthodoxis credita, & prædicata fuisse: alia verò nonnulla minùs principalia, & quorum cognitio ad æternam salutem non est absolutè omnibus necessaria, non semper universis nota fuere; quia scilicet, ut suprà monuimus, etiam in vera religione quædam mysteria, seu veritates, paulatim Deus revelat, vel manifestat per Magistros, & Præsides illius. Hi autem, sicut apud Hebræos erant tantùm summus Sacerdos, & Consistorium magnum, seu Concilium Synedriticum, quod Jerosolymis residebat; ita apud Christianos sunt Summus Pontifex Romanus, & Concilium Generale, quod ejusdem Pontificis auctoritate congregatur, & illius, vel Legatorum ejus assistentia dirigitur. Impossibile autem est, ab hoc aliquid falsùm, vel contra fidem, vel Legem divinam, aut naturalem doceri, vel proponi: non tamen necessariò requiritur, ut omnia, quæ ad hæc spectant, simul proponat, ac doceat; sed satis est, ut ea credenda, vel servanda proponat, quæ paulatim ex divino instinctu, & ex Sacris Scripturis ipsi innotescunt.

Tertiò probatur ad hominem, Christianam Religionem non esse mutatam. Etenim juxta regulam Alcorani, & Mahumetanorum, unusquisque debet judicium ferre de sua religione; & consequenter Christiani de sua. Atqui hi constanter asserunt, religionem suam non fuisse mutatam: ergo eorum judicio in hoc standum est. Major patet ex Sura 3. آل عمران *Familia Amran*. verf. 63. ubi Mahumetus contendit, Abraham non fuisse Judæum, neque Christianum: nam Judæi trahebant illum ad partes suas, Christiani verò ad suas. At ille utrosque reprehendit ex eo, quòd non debebant sententiam ferre, nisi de rebus propriis: nimirum Judæi de Moyse, & Pentateucho; Christiani verò de Christo, & Euangelio. Cæterùm cùm Abraham mortuus esset ante Pentateuchum, & Euangelium, impossibile erat Christianum illum, vel Judæum fuisse. Quamobrem nefas erat Judæis, & Christianis de illius religione, ut de sua ipsorum, aliquid definire. En verba Alcorani: يا اهل الكتاب لِمَ تحاجون فى ابراهيم وما انزلت التوراة والانجيل الّا من بعده أفلا تعقلون: ها انتم هولاء حاججتم فيما لكم به علم فلِمَ تحاجون فيما ليس لكم به علم والله يعلم وانتم لا تعلمون: ما كان ابراهيم يهوديًّا ولا نصرانيا ولكن كان حنيفًا مسلمًا وما كان من المشركين:

O Scripturales, quare disputatis de Abraham, cùm non fuerit traditus Pentateuchus, & Euangelium, nisi post illum? An ergo non intelligitis? Ecce vos disputatis de eo, de quo habetis scientiam (explicat Gelal. من امر موسى وعيسى وزعمتم انكم على دينهما *de eo, quod pertinet ad Moysem, & Jesum, in quorum religione ac fide, vos esse asseritis*), *quare etiam disputatis de eo, de quo non habetis scientiam? & Deus scit: vos autem nescitis. Non fuit Abraham Judæus, neque Christianus: sed fuit Orthodoxus Moslemus: neque fuit ex Associantibus.* Ineptissimè sanè argumentatur Mahumetus: sed velut forex capitur indicio suo. Nam cùm ipsemet vixerit longo tempore post Pentateuchum, & Euangelium, non debet ferre sententiam de Judæis, & Christianis, & de religione eorum, & multò minùs de Abraham, quem non nisi ridiculè asserit Moslemum

mum fuiſſe; & de quo multò juſtiùs, quàm ipſe poſſunt Scripturales, utpotè Abrahæ viciniores, judicare. Sed nobis ſatis eſt, quòd fateatur, Chriſtianos habere ſcientiam de Chriſto, & Euangelio: & conſequenter ad eos ſpectare de utroque ferre judicium. Conſentit in hoc cum Propheta ſuo Ahmedus filius Abdal-halimi in Apologia pag. mihi 424. ubi concedit unamquamque Gentem habere notitiam de ſuis rebus, præſertim ad religionem ſpectantibus, deque iis decernere, ac definire ad illam pertinere. Do hic ejus verba. وعند كل طايفة من اقوال متنوعهم وغيوبه واخباره ما يقطعون به وان كان غيرهم لا يعرف ذلك وعند اهل الكتاب كاليهود من اخبار ملل وشماي وغيرهما من غيوبهم ما لا يعلم غيرهم وعند النصارى من اخبار الحواريين ومن اخبار قسطنطين والجمع الاول بقيمة والجمع الثاني والثالث والرابع والخامس وغير ذلك من مجامعهم واخبارهم ما يقطع به علماؤهم وان غيرهم لا يعلمون ذلك: *Apud quamlibet ſectam, vel nationem ſunt effata, & auctoritates, & hiſtoriæ illius, quem ſe ſequi profitentur, quas ipſi determinant* (vel potius, *quibus ipſi res definiunt, ac decidunt*), *quamvis alii præter eos has ignorent. Et apud Scripturales idem accidit: nam apud Judæos ſunt Hiſtoriæ Hillelis, & Sammai, & aliæ à majoribus traditæ, quas alii præter ipſos ignorant. Et apud Chriſtianos ſunt Hiſtoriæ de Apoſtolis, & Conſtantino, & Concilio primo Niceno, & ſecundo, & tertio, & quarto, & quinto, & aliis Conciliis; & aliæ Hiſtoriæ, quibus res definiunt Sapientes, ac Doctores eorum, quamvis cæteræ gentes has ignorent.* Quod ſi ita eſt, habemus ab adverſariis deciſionem litis ſecundum nos. Nam cùm Chriſtiani ſemper apud ſe retinuerint Hiſtorias, ſeu Annales omnium rerum ſuarum ab ipſius Chriſti ævo uſque ad hæc tempora, deſcriptas non ab uno, aut duobus, neque in una, vel duabus gentibus, ſed ab innumeris auctoribus omnium provinciarum totius Orbis; & hi omnes conveniant in eo, quod ſpectat ad ſubſtantiam Religionis: & præterea cùm habeant omnia Concilia generaliter celebrata ab univerſa Chriſtiana Eccleſia, & ſucceſſiones Summorum Pontificum, qui ſunt Antiſtites, & ut Mahumetani Scriptores eos appellant, خلفاء النصارى *Chaliphæ Chriſtianorum*, à Sancto Petro uſque ad hoc tempus in Eccleſia Romana; & in aliis Eccleſiis ſucceſſionesque Epiſcoporum, & particularia Concilia ferè quotannis celebrata: evidentiſſimè convincitur, Chriſtianam Religionem non fuiſſe mutatam, ſed eſſe nunc, ſemperque fuiſſe eandem, quæ fuit à prima ſui inſtitutione, cùm ſemper eadem in omnibus Annalibus, & Hiſtoriis Chriſtianorum; in omnibus Conciliis generalibus; in omnibus Summorum Pontificum decretis; & in omnibus peculiarium nationum (ſi heterodoxas excipias) Conciliis, eorumque decretis inveniatur.

Quartò, poteſt hoc idem efficaciter probari illis argumentis, quibus in prima parte probavimus. Sacras Scripturas nunquam fuiſſe quoad eſſentialia corruptas. Primò enim aſſignandæ ſunt perſonæ, à quibus Chriſtiana Religio corrupta, vel mutata eſt. Nam vel in hoc Chriſtiani omnes convenerunt, vel aliqui tantùm. Si hoc ſecundum aſſeratur: non intelligitur corrupta religio, niſi quoad illos particulares. Hoc autem non officit illi in univerſum, ut jam ſuprà dictum eſt. Quòd verò omnes ſimul convenerint; neque auctoritate, neque ratione ulla probari poteſt. Cur enim omnes ſimul conſpirent, præſertim cùm ſint penè innumeri, & per totum Orbem diffuſi, & plerique non tàm linguis, & regionibus, quàm geniis & moribus inter ſe diſſiti, ad religionem ſuam mutandam, vel deferendam? Præterea, cùm ſemper in Chriſtiana Eccleſia Pontifices Maximi, Patriarchæ, & Epiſcopi præfuerint, & perpetuò Concilia Generalia, vel Provincialia, vel Diœceſana ad eandem in ſua puritate conſervandam celebrata ſint; in quibus Conciliis etiam Imperatores, Reges, & Principes, vel eorum Oratores, ſeu Vicarii, una cum Romano Pontifice, vel ejus Legatis interfuerunt: nonniſi ſummæ dementiæ eſt credere, Chriſtianos omnes ad mutandam, vel deſerendam propriam fidem conveniſſe. Extant nunc, Dei providentia, prædicta ferè omnia Concilia, tàm ante Conſtantinum, quàm poſt illum celebrata, una cum Conſtitutionibus Summorum Pontificum: & in illis ſemper cognoſcitur idem religionis tenor, eadem doctrina, eadem fides. Hoc idem confirmatur ex eo, quòd ſemper in Republica Chriſtiana ab illius Præſidibus adnotati ſunt, damnati, ac puniti, qui aliquid novi contra religionem & fidem moliri tentaverunt. Patet hoc in Ario, Macedonio, Dioſcoro, Neſtorio, Eutyche, Sabellio, Uvicleffo, Luthero, Calvino, & aliis innumeris, quorum prava dogmata vix pullulantia, à Summis Pontificibus, vel Conciliis Generalibus proſcripta, & oppreſſa ſunt: & plurimi ex Chriſtianis Orthodoxis careres, exilia, flagella, cruciatus, necem paſſi ſunt, ut avitam fidem ſartam tectam cuſtodirent.

Quintò probatur: quia nullum poteſt aſſignari tempus, in quo Chriſtiani Religionem ſuam mutaverint, vel ab ea univerſaliter diſceſſerint, vel aberraverint. Hoc argumentum deridet Hottingerus, quatenùs eo utuntur Catholici ad probandum, Romanam Eccleſiam, & ejus Pontifices, nunquam à ſuo Principatu in Chriſtiana Republica per hæreſim, aut falſam doctrinam exciditſſe. *Quia*, (inquit) *neque poteſt aſſignari tempus, quo natus ſit Mahumetus*. O ridiculum caput, & baculo potius, quàm helleboro curandum! quaſi verò ita metaphyſicè certum ſit, Eccleſiam Romanam, Summoſque illius Pontifices, à ſuprema ſua auctoritate per hæreticam, falſamque doctrinam decidiſſe, ac Mahumetum natum fuiſſe. In Mahumeto eſt tantùm dubitatio circa tempus, non circa rem. Sciunt enim omnes illum natum eſſe, & in rerum natura fuiſſe. In Eccleſia Romana, juxta Hottingerum, ejuſque congerrones, dubitatio eſſet non ſolùm circa tempus, ſed etiam circa rem ipſam. Apud nos autem, & apud alios plurimos nulla eſt hujuſmodi dubitatio. Quia verò hoc argumentum à tempore eſt efficaciſſimum, quando de re ipſa dubitatur, ideò fuſiùs à nobis in ſequenti capite tractabitur.

CA-

Digitized by Google

CAPUT QUARTUM.

Non posse assignari tempus, quo Christiani Religionem suam mutaverint, aut deseruerint.

SI quæramus à Mahumetanis, quandonam Christiani à fide, ac religione sua discesserint, nullum sanè certum, ac fixum tempus poterunt assignare. Ex iis tamen, quæ suprà diximus, cap. 1. cogentur fateri, usque ad Mahumetum Christianam Religionem bonam, sanctamque fuisse. Hoc probat in eorum sententia vaticinium illud in prima parte allatum de tribus Montibus, Synai, Seir, & Pharan. Sicut enim religio Judaica per Synai significata, perseveravit, & bona fuit usque ad Christum: ita consequenter Christiana, per Seir adumbrata, perseverare debuit ut bona usque ad Mahumetum, cujus secta per Pharan demonstratur. Hoc etiam probat parabola de operariis vineæ à Christo proposita, juxta fallam Mahumeti explicationem, quam suprà ex Albochario retulimus: qua asseritur, Judæos operatos esse in Pentateucho usque ad Euangelium; & deindè lassatos fuisse, & recepisse mercedem suam. Christianos verò operatos esse in Euangelio usque ad Alcoranum; & deindè lassatos fuisse, & recepisse mercedem suam. Sì tàm Judæi, quàm Christiani receperunt suam mercedem; necessariò infertur, quamdiù operati sunt, benè operatos fuisse, & consequenter bonam fuisse religionem eorum. Hoc denique probant verba Suræ 13.

الرعد *Tonitru*: v. 37. لكل اجل كتاب يمحو الله ما يشاء ويثبت وعنده ام الكتاب: *Omni termino liber: delebit Deus, quod voluerit, & firmabit: & apud eum est mater libri*: per quæ manifestè ostenditur, juxta Moslemorum explicationem, unicuique ex tribus nationibus, nempe Judæis, Christianis, & Moslemis ipsis, traditum fuisse suum librum, videlicet primis Pentateuchum, secundis Euangelium, tertiis Alcoranum, qui duraturi essent, quamdiù in ipsis vera religio perseveraret. Hos autem libros eandem religionem quoad substantiam continentes, nihilominùs à Deo mutandos quoad leges, ac ritus: interim tamen veram religionem in aliqua ex his Gentibus succellivè perseveraturam: quemadmodùm asseritur etiam Sura 16. النحل *Apes*: v. 54. ولله ما في السموات والارض وله دين واصبا: *Et ipsius* (id est Dei) *est id, quod in cœlis, & in terra reperitur: & Religio illius est perseverans, ac perpetua*: id est, ut explicat Gelaleddinus, ولله الطاعة دايما: *& ipse semper habet Gentem, seu Nationem*, à qua colatur. Porrò si Religio Christiana ante Mahumetum defecisset, nulla fuisset eo temporis intervallo gens, quæ Deum coleret, & consequenter religio ejus non fuisset perseverans. Hoc autem evidentiùs patet ex Sura 98. البينة *Demonstratio*: ubi ita legimus: لم يكن الذين كفروا من اهل الكتاب والمشركين منفكين حتى تاتيهم البينة رسول من الله يتلو صحفا مطهرة فيها كتب قيمة وما تفرق الذين اوتوا الكتاب الا من بعد ما جاءتهم البينة: *Qui increduli fuere* (Mahumeto) *ex Judæis, & Christianis, & Idololatris, non recesserunt, donec venit ad eos demonstratio: Legatus Dei, qui legeret Scripturas puras, in quibus sunt libri recti. Et non sunt divisi Judæi, & Christiani, nisi postquàm venit ad eos demonstratio.* Explicat hæc verba Gelaleddinus: *Non recesserunt Judæi, & Christiani, & Idololatræ ab eo, in quo erant*, idest, à fide, in qua erant circa adventum Mahumeti: *donec venit ad eos demonstratio, nimirum* الحجة الواضحة وهي محمد *probatio clara, nempe ipse Mahumetus Legatus Dei. Et non sunt divisi Judæi, & Christiani* بمحمد في الايمان *in credendo in Mahumetum* (venturum) *nisi postquàm venit ad eos demonstratio*, وهي محمد والقران *nempe Mahumetus, & Alcoranus: nam* قبل مجيئه صلى الله عليه وسلم كانوا مجتمعين على الايمان به *antequàm veniret Mahumetus, erant uniti in credendo in illum.* Itaque Christiani ante Mahumetum erant in bona religione, nec fidem suam deseruerant: non tamen ob eam causam, quam affert Gelaleddinus, nempe quòd in Mahumetum venturum credebant (hac enim ratione etiam Judæi, & Mecœani fuissent in bona religione): absit hoc à Christiana fide: sed quia Euangelicam Christi legem retinebant.

Porrò etiam ex eo comprobatur hæc veritas, quia Auctores Moslemi, in eo temporis spatio, quod inter Christum, & Mahumetum intercessit, & ipsi vocant illud الفترة; ponunt multos Sanctos Christianos, ut Sanctum Georgium, quem satis constat, sub Diocletiano martyrium subisse, post annum felicèe à Christo nato circiter trecentesimum: Sanctos Martyres sub Dunaan Tyranno Judæo in Nagerana, inter quos infans quidam septem mensium, matrem incendia reformidantem, clara voce hortatus est, ut ignem constanter propter Christi fidem ingrederetur, in quem cum matre ipse quoque conjectus est. Fuit etiam quidam nomine زياب vel زياذ, *Ziab*, vel *Zenab* Monachus ex Monasterio Abdolcais, coævus Bahiræ Monacho: & utrumque Mahumetani tamquam Sanctum venerantur: dicunt enim, auditam quondam de cœlo fuisse hanc vocem: خير الارض ثلثة زياب الصفي وبحيرا الراهب ورجل اخر باسي بعد يعني النبي ص: *Optimi hominum in terra sunt tres: Zenabus Ascetes, Bahira Monachus, & alius vir, qui posteà veniet: per hunc autem significabatur Mahumetus.* Ita refert Masaudius. Præterea fuerunt septem Dormientes apud Ephesum, quos tàm Christiani, quàm Mahumetani, ut Sanctos venerantur: Hos omnes, & alios Sanctos Christianos recenset Masaudius tem-

Digitized by Google

ſore inter Chriſtum, & Mahumetum tranſacto: Sed ſubdit de eis: وكانوا مومنين موحدين لا علي راي

الفرقانية في هذا الوقت : *Erant autem fideles, qui credebant in unum Deum, non autem ex genere Chriſtianorum hujus temporis.* Sed hoc gratis omninò dicitur. Nam Chriſtiani omnes hujus temporis quotidiè fatentur, ſe credere in unum Deum: & pro hac veritate vitam eum ſanguine profundere parati ſunt. Denique Sura 57. الحديد *Ferrum*, verſ. 28. ut ſuprà vidimus, laudantur Chriſtiani ab ipſo Deo, tamquam pietate, miſericordia, & caſtitate ornati, ac propterea bonorum ſuorum operum mercedem conſequuti: additur tamen, وكثير منهم فاسقون : *Sed multi eorum fuerunt prævaricantes.* Verùm, quòd multi prævaricati ſint, nihil officit religioni univerſæ, ſive in moribus, ſive in fide prævaricati ſint.

Putat Gelaleddinus, eos ſolos Chriſtianos à Mahumeto laudari, qui in illius Sectam tranſierunt: cæteros autem prævaricatos fuiſſe, quia novam religionem Regis, ſeu Imperatoris ſui ſequuti ſunt: vel potiùs per Alcorani verba ſignificari, partem Chriſtianorum novæ religioni Imperatoris ſui adhæſiſſe: partem verò in fide Chriſtiana permanſiſſe: multoſque ex his deindè in Mahumetum credidiſſe: Ita enim ſcribit: تركها كثير منهم وكفروا بدين عيسى ودخلوا في دين ملكهم وبقي على دين عيسى كثير منهم فدخلوا بنبينا : *Dereliquerunt eam* (nempe pietatem, vel caſtitatem) *multi ex illis, & abnegaverunt religionem Jeſu, & ingreſſi ſunt in religionem Imperatoris ſui: Sed remanſerunt in religione Jeſu multi ex ipſis, & crediderunt in Propheram noſtrum*, idelt Mahumetum. Quamvis autem non exprimatur, quis fuerit iſte Rex, vel Imperator; probabiliter tamen credere poſſumus, intelligi Conſtantinum: nam antèà nullum habuerant Chriſtiani proprium Regem, aut Imperatorem. Sed tantum abeſt, ut Chriſtianorum ullus amplexus ſit hujus religionem, ut ipſe potiùs, Romana ſuperſtitione rejecta, Chriſto nomen dederit, ejuſque fidem amplexus fuerit. Deſciverunt quidem multi in hæreſin Arianam, quam Conſtantius Imperator Conſtantini filius propugnavit: non tamen propterea dici potuit, Chriſtianos univerſaliter deſeruiſſe religionem ſuam, quam ſemper Antiſtites ejus cum ſaniori parte Chriſtianorum mordicùs retinuere, & totis viribus propugnavere.

Ex dictis apertè colligitur falsò, & injuſtè objici Chriſtianis à Mahumeto, quòd fidem, ac religionem ſuam mutaverint, corruperint, aut deſtituerint: cùm ab ipſius initio hæc ſemper eadem fuerit ac nunc eſt. Id verò magis patebit ex reſponſione ad ea, quæ Mahumetus in Alcorano pro aſſerto ſuo ſuſtinendo pronunciat. Et quia ad primam ab eo allatam mutatæ Chriſtianæ religionis cauſam, in primo Tractatu ex profeſſo reſpondimus: ſecundam etiam cauſam, falſam, nullamque eſſe ſatis, ſuperque oſtendimus: reſpondebimus nunc ad alias juxta ordinem ſuperiùs poſitum, incipientes à tertia, qua Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium oppugnabatur.

CAPUT QUINTUM.

Reſpondetur tertiæ objectioni contra Myſterium Sanctiſſimæ Trinitatis.

HOc eſt magnum illud, & ineffabile Arcanum, quod non ſolùm Mahumetanis, ſed & Judæis, & cæteris gentibus à vera fide alienis, ſemper fuit lapis offenſionis, & petra ſcandali. Et ſanè negari non poteſt, rem eſſe arduam, & intellectui tàm humano, quàm Angelico, incomprehenſibilem, atque omninò imperceptibilem, & credendam tantummodò, ac venerandam, quia Deus ipſe eam revelavit. Neque nos profitemur, poſſe illam argumentis & rationibus probare, ſed tantùm auctoritate divinæ certam; & ſimilitudinibus, ſeu congruentiis quibuſdam probabilem, vel ſaltem non improbabilem, & rationibus etiam non impoſſibilem demonſtrare.

Duo verò hic, eaque apud omnes certiſſima ſupponenda ſunt. Primum, quotieſcumque admittitur; aliquam religionem veram eſſe, & à Deo inſtitutam; admittenda etiam eſſe omnia illa, quæ in ea à Deo revelata eſſe certò creduntur, quamvis nulla naturali ratione poſſint demonſtrari. Secundum; multa eſſe à Deo revelata, quæ tùm à Chriſtianis, tùm à Judæis, ac Mahumetanis certiſſimè creduntur, & nihilominùs humanam omninò ſuperant intelligentiam, nec ullo modo poſſunt comprehendi, & multò minus probari. Non enim ſolùm ſunt ſupra naturam, ſed aliquandò etiam contra naturam; cujuſmodi eſt reſurrectio mortuorum. Habetur enim ut naturale axioma, à privatione ad habitum non dari regreſſum: oppoſitum verò eſt contra naturalem rationem. Nihil tamen ex his continet contradictionem: nam ſi hoc eſſet, convinceretur manifeſtæ falſitatis, & omnimodæ impoſſibilitatis: ut ſi diceremus v. g. Deum eſſe trinum, & unum in eadem eſſentia: idem enim eſſet ac dicere, eſſe trinum, & non eſſe trinum: vel eſſe unum, & non eſſe unum in eſſentia. Nihil autem eorum, quæ credunt Chriſtiani, ullam involvit contradictionem: & hoc contra Judæos, Mahumetanos, & idololatras ipſi manifeſtiſſimè oſtendunt.

His præmiſſis, dicimus: Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium non poſſe à Mahumetanis ut falſum negari: tum quia creditur ab illa religione, quam veram eſſe, & à Deo inſtitutam, ſatis ſuperiùs probavimus: tum quia à Deo revelatum fuiſſe, infra efficaciter oſtendemus: tum denique quia nullam involvit contradictionem, aut impoſſibilitatem reſpectu infinitæ perfectionis divinæ.

Sed notandum hic eſt, neque Mahumetum, neque Mahumetanos intelligere quid veré contineat Sanctiſſimæ Trinitatis myſterium. Si enim intelligerent, fortaſsè cum Chriſtianis convenirent, vel non adeò ab illo abhorrerent. Mahumetus ſatis obſcurè de eo loquitur, ut ſuprà vidimus: ſolùm enim Sura 4. verſ. 170. monet Chriſtianos, *ne excedant in religione ſua: neque loquantur de Deo niſi veritatem: neque dicant, Tres: Deus enim unus eſt.* Sura verò 5. v. 79. vocat *infideles eos, qui dicunt, Deum eſſe tertium trium: cùm non reperiatur niſi Deus unus.* Ex quibus verbis nihil aliud colligi poteſt, niſi, illum falsò credidiſſe, Chriſtianos adorare tres Deos, dum in Deo unæ tres Perſonas confitentur. Verùm Alcorani Expoſitores perſuadent nobis, non eſſe in verbis illius quidquam, quod divinæ Trinitatis my-

Digitized by Google

mysterium damnet: sed tantummodò redargui ibi quosdam Christianos Arabiæ; qui asserebant, præter Deum verum, esse duos alios Deos, nempe Jesum, & Mariam Matrem ejus. Et re vera in ea regione vigebat tunc temporis (saltem viguerat anteà) hæresis Collyridianorum, seù potiùs Collyridianarum: constabat enim ex solis ferè mulierculis, quæ, ut scribit Sanctus Epiphanius, statâ quadam anni die, collyram, seu placentam, in sacrificium Virgini Mariæ offerebant, eandem tamquam verum Deum, superstitioso cultu venerantes. Quamobrem Gelaleddinus ita explicat verba Alcorani in Sura quarta:

لا تقولوا الاٰلـه ثلثـة اللـه ومسيح ولـده :

Ne dicatis tres esse Deos: nempe Deum, Jesum, & Matrem ejus. Neque tamen tribuit hunc errorem omnibus Christianis Arabiæ, sed subdit: وهم فرقـة

من النصارى Hæc erat secta quædam Christianorum: Eodem modo Jahias filius Salam, & Mohammed filius Abdallah, ex auctoritate Cottadæ, exponunt verba Suræ quintæ: لقد كفر الذين قالوا ان اللـه

ثالث ثلثة قال قتادة قالوا مسيح اله وامه اله واللـه اله : *Sunt infideles, qui dicunt: Deus est tertius Trium. Dixit Cottada: Dixerunt: Jesus est Deus: & mater ejus est Deus: & Deus est Deus.* Eodem modo explicant verba Suræ quartæ: لا تقولوا ثلثـة اي الهتنـا ثلثـة *Ne dicatis tres, ideſt Dii nostri sunt tres.* Consonat Beidavius celeberrimus Alcorani Commentator: لا تقولو ثلثة اي الالهة ثلثة اللـه والمسيح ومريم *Ne dicatis, Tres: ideſt tres Deos: Deum, Christum, & Mariam.* Sed postea subdit, quasi Christianos ab impositio ipsis errore purgaturus: لو الله ثلثة ان صح لهم بقولون اللـه ثلثـة اقانيـم الاب والابـن والروح القدس ويريدون بالاب الذات وبالابـن العلـم والروح القدس الحيـاة:

Vel (ne dicatis): *Deus tres* (i. trinus): *nam conſtat ipſos dicere, Deum esse tres Personas; Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum. Per Patrem autem intelligunt Eſſentiam: per Filium Scientiam: & per Spiritum Sanctum Vitam.* Loquitur ex errore Jacobitarum, vel aliorum hæreticorum Orientalium. Verùm nihil hactenùs ex Alcorano, nihil ex illius expositoribus contra Christianos; qui neque tres Deos ponunt, neque Mariam Virginem credunt esse deum, vel deam; quamvis hoc secundum aliquæ mulierculæ, vel aliqui viri in Arabia ex simplicitate, vel indiscreta pietate crediderint: sed ut sæpè monuimus, non est curandum, quid in aliqua religione nonnulli ex proprio sensu teneant, sed quid universaliter publica auctoritate teneatur, ac doceatur.

Quamvis autem Mahumetanorum, & præsertim recentiorum vulgus falsò credat, Christianos sub Trinitatis nomine tres deos colere; non defuerunt tamen aliqui ex eis doctiores, qui à Christianis Orientalibus instructi, ab hac impietatis nota eos eximerent, neque tamen ab errore absolverent: quia scilicet hoc

magnum Arcanum, non juxta Catholicam, & veram Sanctæ Romanæ Ecclesiæ doctrinam, sed juxta falsas Jacobitarum, Nestorianorum, Eutychianorum, & aliorum hujusmodi hæreticorum, explicationes excæperunt, & imbiberunt. Nihilominùs Ahmed filius Abdalhalim imponit Melkitis seu Græcis, (qui certè, si processionem Spiritus Sancti à Filio excipias, in hoc mysterio nobiscum, & cum cæteris Catholicis convenjunt) quædam falsa, & ab eorum doctrina prorsùs aliena. Ita enim scribit in principio partis 2. suæ Apologiæ. وقد اختلفوا ايضًا في الجوهر والاقانيم

فذهبت اليعقوبية والنسطورية الى ان الجوهر ليس بغير الاقانيم ولا يقال انه هي وخرجت الملكية

بانّه غير الاقانيم واخرون قالوا هو الاقانيم: قالوا: وفترقت النصارى من وجه اخر فذهبت الروم الى التصريح انهان ثلثة الهه واجتمعت اليعقوبيـة والنسطورية من ذلك في وجه والتزمته من وجه وذلك انهم قالوا الكلمة اله والروح اله واب اله والثلثة الاقانيم التي كل اقنوم اله اله.... واتفقت طوايف النصارى على ان الله ليس بجسم واتفقوا على انه جوهر احد ثلاثة اقانيم وان كل واحد من الاقانيم جوهر خاصّ يجمعها الجوهر العام ثم اختلفوا فقال بعضهم ان الاقانيم مختلفة في الاقنومية متفقـة في الجوهرية فقال اخرون ليست مختلفة في الاقنومية بل متفاوتة وقال فريق منهم ان كل واحد منها لا هـو الاخر ولا هو غيره وليست متفاوتة ولا مختلفة وزعموا ان الجوهر ليس هو غيرها الا ما ذكرته من طايفـة من الملكية فانهم قالوا ان الاقانيم هي الجوهر وان الجوهر غير الاقانيم وزعموا ان الجوهر هو الاب والاقانيم الحياة وهي روح القدس والقدرة والعلم وان الله اتحد باحد الاقانيم الذي هو الابن يعني بن مريم..... واختلفت النصاري في الاقانيم فقال قوم منهم هي جواهر وقال قوم هي خواص وقال قوم هي صفات وقال قوم هـي اشخاص واب منهم الجوهر الجامع الاقانيم والابن هـو الكلمة

Digitized by Google

الكلمة الذي انحدر عند مدا المسيح والروح هي الحياة: .... وإما تتلمذون به في اعمالكم فتقولون نؤمن بالاب والابن وروح القدس وجملكم يقولون انتهما الثلثوية ان لله علمًا وحكمة مما الابن وحياة ومي الروح قد بمُين ولعلمه وحياته ذات كذلك الله وذلك ان علم الله له علم وحياة لحياته التي هو روحه وعلم وحياة

Dissentiunt etiam in substantia, & Personis: nam Jacobitarum, & Nestorianorum sententia est, substantiam non esse sine Personis, neque tamen dicunt hanc esse illas. Melkitæ autem pronunciant, illam esse diversam à Personis. Alii verò dicunt, ipsam esse Personas. Et divisi sunt Christiani ex alia parte nam Romæi (ideſt Græci, qui ſunt iidem, ac Melkitæ) *manifeſtè confitentur esse tres Deos: à qua opinione partim abſtinent Jacobitæ, & Neſtoriani, & partim eam ſequuntur, dum dicunt: Verbum eſt Deus, & Spiritus Sanctus eſt Deus; & Pater eſt Deus: & tres Perſonæ, quarum unaquæque eſt Deus, ſunt Deus.* Et poſt pauca. *Conveniunt autem Nationes, ſeu Sectæ Chriſtianorum, Deum non eſſe corporeum. Conveniunt etiam, illum eſſe unam ſubſtantiam, tres Perſonas, & unamquamque Perſonam habere peculiarem ſubſtantiam, quæ continetur in ſubſtantia communi. In reliquis diſcordes ſunt. Quidam dicunt Perſonas differentes eſſe inter ſe in perſonalitate, convenire autem in ſubſtantialitate. Alii dicunt non eſſe differentes in perſonalitate, ſed permutabiles inter ſe. Quidam verò dicunt, unam ex illis non eſſe aliam, neque diverſam ab alia: neque eſſe inter ſe permutabiles, neque diverſas, neque exiſtimant ſubſtantiam diverſum aliquid eſſe ab illis; niſi quòd refertur de quadam Secta Melkitarum, qui dicunt, Perſonas eſſe ſubſtantiam, licet ſubſtantia non ſit Perſona. Et exiſtimant ſubſtantiam eſſe Patrem: Perſonas verò Vitam, (& hæc eſt Spiritus Sanctus): & Potentiam, & Scientiam: & Deum unitum fuiſſe eum una Perſonarum, quæ eſt Filius, in Jeſu Filio Mariæ.* Et poſt pauca. *Et diſſident inter ſe Chriſtiani circa Perſonas. Quidam enim dicunt eſſe ſubſtantias: quidam verò aſſerunt eſſe proprietates: quidam autem volunt eſſe attributa: alii demum dicunt eſſe ſuppoſita individua. Pater autem apud eos eſt ſubſtantia continens in ſe Perſonas: Filius verò eſt Verbum, quod unitum fuit Chriſto in principio eſſe illius: Spiritus autem eſt Vita.* Et nonnullis interpoſitis, apoſtrophen facit ad Neſtorianos his verbis. *Et quare ponitis in Deo Tritatem, dum dicitis in Symbolo Fidei veſtræ: Credimus in Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum? Et invenimus nos, ô Neſtoriani, dicentes: Deus habet Scientiam & Sapientiam, & utraque eſt Filius: & habet Vitam, & hæc eſt Spiritus Sanctus: & ſunt duo Æterni & Scientia ejus, & Vita ejus habent eſſentiam ſicut eſſentiam Dei: & hoc quia ſcientia Dei habet ſcientiam, & vitam: & Vita ejus, quæ eſt Spiritus ejus habet item ſcientiam, & vitam.*

Operæ pretium exiſtimavi hæc pauca ex Mahumetano Doctore in medium afferre, ut unuſquiſque intelligat, ſapientiores Moſlemos non eſſe prorsùs rudes hujus myſterii, quamvis illud ex pravis Schiſmaticorum Orientalium documentis perverſè intelligant, & exponant. Omnes tamen in hoc videntur convenire, Chriſtianos, dum Trinitatem in Deo confitentur, non ideò tres Deos credere, aut adorare, præſertim cùm illos quotidie audiant dicentes, *Credo in unum Deum*: Sed nihilominùs non eos ab impietatis, vel erroris labe purgare; dum tres in uno Deo Perſonas ponunt: & credentes unamquamque Perſonam eſſe Deum, negant tamen ſe tres Deos agnoſcere, aut colere, & unum tantùm confitentur eſſe Deum. Cùmque hoc intelligere nequeant; variis argumentis, quæ à noſtris Apoſtatis, vel à Judæis didicerunt, contra nos inſurgunt. Ego autem præcipua hoc loco ex Apologia Ahmed filii Abdalhalim producam, iiſque deinde breviter reſpondebo.

Primum eſt: nullum eſſe in Sacris Literis hujus myſterii fundamentum: & quæ pro eo aſſerendo à Chriſtianis adducuntur, falſæ interpretationi innixi, & nullius eſſe roboris aut momenti.

Secundum: ideò Chriſtiani addunt Perſonæ Patris etiam Perſonam Filii, quia in Patre eſt Scientia: & Perſonam Spiritus Sancti, quia in eodem eſt Vita: Sed in Deo non ſolùm eſt Scientia, ac Vita: ſed etiam Juſtitia, Miſericordia, Potentia, Providentia, & alia hujuſmodi attributa: ergo plures erunt in Deo Perſonæ, quàm tres: non enim major eſt ratio, cur Scientia & Vita Perſonæ dicendæ ſint, & non etiam Juſtitia, Miſericordia, Potentia, & cæteræ attributa. Itaque vel una tantùm Perſona erit in Deo, vel tot erunt aſſignandæ, quot ſunt ejus attributa, ac prædicata, quod omninò videtur abſurdum.

Tertium: ſi in Deo eſſent tres Perſonæ, cùm unaquæque Perſona ſit Deus, tres etiam darentur Dii. Hinc verò aliud magis abſurdum ſequeretur, quòd ſcilicet quælibet Perſona deberet conſtituere tres alias Perſonas, & conſequenter tres alios Deos, & ſic daretur proceſſus in infinitum.

CAPUT SEXTUM.

Reſpondetur ad primum Argumentum contra Sacroſanctæ Trinitatis Myſterium.

PRimum contra nos argumentum his verbis ab Adverſario concipitur: تعلّكم عن واحدة يجب ان تعمروا بها: اصل ما وضعتموه من عبادة الثلثة الاقانيم التي ترجع بزعكم الى جوهر واحد وهي اللاهوت ما هو وبن ابن اخذتموه وبن امركم به وفي اي كتاب نزل ولي نبي تنبأ به وأي قول للمسيح تدعونه فيه وهل تمتم امركم في ذلك الا على قول متّى التلميذ عن المسيح عمّ انه قال لتلاميذه حيث اراد ان يفارقهم اذهبوا فعمّدوا الناس باسم الاب والابن وروح القدس: قال: وهذا كلام يحتمل

Digitized by Google

يحتمل معناه ان كان صحيحاً ان يكون نصب فيه
بجميع هذه الالفاظ الي ان يجتمع لهم
بركات الله وبركة نبيه المسيح وروح القدس
التي توجد بها الانبياء والرسل:

Unum petimus à vobis, ad quod oportet vos respondere. Radix illius, quod asseritis de cultu trium Personarum, quæ juxta vestram opinionem, reducunt ad unam substantiam, & hæc est Divinitas; quænam est? & undè acceptisti illam? & quis vobis præcepit eam? & in quo libro revelata est? & quis Prophetæ meminit illius? & quod dictum Christi persuadet vobis illam? An verò aliud fundamentum illius habetis, nisi illud, quod juxta Discipulum Matthæum dixit Christus, super quem sit pax, Discipulis suis, cùm voluit separari ab eis, videlicet: Ite, & baptizate homines in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti? Horum autem verborum sensus, ad hoc ut sit sanus, exigit, ut sententia collecta ex illsdem verbis sit, quòd conferrentur illis omnes benedictiones Dei, & benedictio Prophetæ illius Christi & Spiritus Sancti, per quas confirmati sunt Prophetæ & Legati.

Respondemus primò, quamvis aliam nullam, præter illam Sancti Matthæi auctoritatem haberemus; deberet tamen sufficiens existimari: quia per ea Christi verba sacrosanctum Trinitatis Mysterium hominibus manifestari, Christianorum Magistri & Doctores ex Apostolorum, qui illa audierunt, traditione, perpetuò docuerunt. Porrò illum esse alicujus Sacrorum librorum Sententiæ legitimum sensum, quem ex constanti, & perpetua traditione Majorum semper tenuit religio illa, cui à Deo hujusmodi Sacri libri traditi sunt, nemini est dubitandum: eòque magis, quia, ut supra vidimus, Mahumetus vult Judæos de Pentateucho, & Christianis de Evangelio committi judicium. Nos quoque, si Alcoranum à Deo Arabibus traditum esse crederemus, & aliqua essent in illo obscuriora, quæ perpetua traditione à Mahumeto, vel à discipulis ejus recepta, Moslemi ipsi, tali vel tali modo intelligenda esse judicarent; licet verba alios sensus possent admittere; nullo certè modo ipsis adverfaremur. Quamobrem neque ipsi debent, aut possunt jure nobis adversari, si per verba Christi à Sancto Matthæo relata, certissimè credimus, tres Divinas Personas in unica essentia nobis proponi: quia ita Apostoli, & eorum Discipuli ex Christi ipsius documento tradidere, & Christiani omnes eorumque Doctores, & Antistites semper ita tenuere.

Respondemus secundò: non ex illo tantùm Sancti Matthæi testimonio ad hoc ineffabile mysterium credendum nos adduci: sed ex aliis multis tùm veteris, tùm novi Testamenti oraculis: & præterea ex doctrina ipsorum Hebræorum antiquiorum, qui hoc Arcanum majores suos & credidisse, & docuisse confessi sunt. Porrò ea omnia Scripturarum loca, quæ probant, Christum esse Filium Dei, & Deum verum, probant etiam Mysterium Trinitatis. Nam concessis duabus Personis, nimirùm Patre, & Filio, nulla potest esse repugnantia, vel difficultas circa Spiritum Sanctum. Cæterùm non diffitemur, Pentateuchi, ac Prophetarum de hoc mysterio testimonia obscuriora esse, neque ita obvia humanæ intelligentiæ: id autem videmus evenire etiam circa alia mysteria, quæ deindè Christus Dominus clariùs docuit, cujusmodi est animæ immortalitas, mortuorum resurrectio, æterna Cœli felicitas, æterna item Gehennæ supplicia, & alia hujusmodi, quorum rudis Judæorum populus non erat adeò capax: multòque minus capere poterat hoc altissimum divinæ Trinitatis Sacramentum: quamobrem non nisi obscurè, & quasi sub velamine illi proponebatur. In Euangelio autem, & libris Apostolicis, clariùs & apertiùs, referatur: non tamen ita, ut si quis tergiversari velit, non possit ab illorum testimoniis cavillosè effugere: quemadmodùm conantur Adversarii eludere adeò evidens testimonium Sancti Matthæi.

Afferam autem hìc aliquot loca, quæ in veteri, novoque Testamento continentur, & divinam hanc Trinitatem ita insinuant, ut non videatur posse de ea dubitari.

Primus locus est in libro Genesis cap. primo. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*: ubi, *Deus* Hebraicè est pluralis numeri אֱלֹהִים *Dii* Unio autem nominis pluralis cum verbo singulari, indicat esse in Deo cum unica essentia pluralitatem Personarum. Notant etiam Sapientes in verbo בָּרָא *Creavit*, esse tres literas initiales אב *Patris* בן *Filii*, & רוח *Spiritus*. Et idem videmus in tribus primis characteribus בראשית *In principio*. Nec refert, quòd trium divinarum Personarum nomina non servent ordinem: nam, ut scribit Sanctus Athanasius. *In hac Trinitate nihil prius est, aut posterius*. Non tamen vacat mysterio, quòd Spiritus Sanctus inter Patrem & Filium colloceur: est enim quidam veluti nexus amoris inter utrumque. Similia loca, in quibus, vel verbum singulare unitur cum nomine Dei plurali: vel è converso singulare Dei nomen cum verbo plurali, frequentia sunt in Sacris literis. Veluti cùm in eodem capite dicitur. *Et vidit Dii, quòd esset bonum. Et dixit Dii: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram: Et creavit Dii hominem ad imaginem suam: ad imaginem Deorum creavit illum*, Et Ecclesiastæ c. 2. *Nam quid est homo, qui sequatur Regem, qui fecerunt eum*. Idest Deum, qui fecit illum. Et ibidem cap. 12. *Memento Creatorum tuorum*. Idest Creatoris tui. Est autem Regula R. Eleazari, & cæterorum Doctorum Hebræorum; in his, & hujusmodi locis, *locutionem esse de Deo, & de Familia superiori, seu de Domo Judicii ejus*. Cùm autem nefas sit dicere, vel etiam cogitare, Angelos esse creatores hominum, vel Deum requirere consilium de rebus suis ab Angelis, sicut videtur velle Majemonides in *More Nebochim*, lib 2. cap. 6. necessariò pro *Familia Superiori*, vel *Domo Judicii Dei*, debemus divinas Personas intelligere.

Secundus locus est in Deuteronomio, cap. 6. *Audi Israel: Deus, Dii nostri, Deus unus*. Huic simile est illud Psal. 67. *Benedicat nos Dii, Dii nostri: Benedicat nos Dii*, & Psal. 50. *Deus Dii Deus locutus est*. In quibus locis vides ter repeti nomen Dei cum verbo, vel adjectivo singulari, ad significandam Trinitatem Personarum, & unitatem essentiæ in Deo: Et secundo loco conjungi cum secundo nomine Dei pronomen *nostrum*, ad denotandam secundam Personam, quæ nostrum assumpsit humanitatem.

Ter-

Digitized by Google

Tertius est in Isaia cap. 48. *Accedite ad me, audite ista: non à principio in occulto loquutus sum: ex tempore esse ejus ibi eram: Et nunc Dominus misit me, & spiritus ejus.* Loquitur hic Deus, ut patet ex verbis præcedentibus & subsequentibus, & ex eo quod dicitur: *ex tempore esse ejus*, scilicet tra-ditionis legis in Syna, *ibi eram*: scilicet in Syna. Ita exponit R. Salomon ex consensu Doctorum Hebræo-rum. Fallitur tamen, dum vult hæc referri ad ipsum Isaiam, quasi hic cum cæteris Prophetis fuerit præ-sens in Monte Syna, quando Lex data fuit: quod sa-né absurdum est, ac ridiculum. Certè in libro *Mechiltha*, Exodi cap. 19. & 20. R. Josè, & R. Nathan tribuunt hæc verba Deo, qui tamen asserit *se missum à Domino, & à Spiritu ejus*. In quo, ut vides, tres divinæ Personæ manifestissimè exprimuntur.

Quartus locus est in Psal. 33. *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hic etiam vides, tres divinas Personas commemorari nempe, *Dominum, Verbum, & Spiritum.* Ita ut Do-minus ad Patrem, Verbum ad Filium, Spiritus ad Spiritum Sanctum referatur. Et ita in *Bereschith Rabba*, R. Moses Hadarsan allegat R. Eliezer dicen-tem: *Non est creatus mundus, nisi per Verbum Domini, sicut dictum est Psal. 33. In Verbo Domini facti sunt cœli. R. Simeon dixit: Spiravit, vel suffla-vit Deus Spiritu oris sui, & creatus est Mundus, sicut dictum est: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.*

Conatur Ahmed eludere hanc Davidis auctoritas-tem, imò retorquet eam contra nos: ita enim scribit loco jam allegato:

هذا النبي عن داود حجة عليكم

فان داود قال بكلمة الله خلقت السموات والارض و

يقل ان كلمة الله هي الخالقة كما قلتم انتم انه

اشار بالخالق الى كلمة الله والفرق بين الخالق

السموات والارض وبين الكلمة التي بها خلقت

السموات والارض امر ظاهر معروف كالفرق بين

القادر والقدرة فان القادر هو الخالق وقد خلقت

الاشياء بقدرته وليست القدرة هي الخالقة

Hæc auctoritas Davidis est argumentum contra vos: Nam David dicit: Verbo Dei creati sunt cœli, & terra: non verò dicit: Verbum Dei creavit: quemadmodum vos asseritis, illum tribuere creationem ipsi Verbo Dei. Discrimen autem inter creantem cœlum & terram, & inter Verbum, quo hæc duo creata sunt, est manifestum ac notum, sicut discrimen inter potentem, & potentiam. Etenim potens est, qui creat, & jam creavit res potentia sua: potentia autem ipsa non creat.

Verùm hæc objectio prorsùs frivola est: Nam in Deo potentia & potens identificantur; quemadmodum etiam Verbum Dei & ipse Deus. Quamobrem in Sacris literis tribuitur actio principalis tàm Deo, quàm Verbo ejus, & aliis attributis ejus, præsertim quando attributa sunt personis appropriata, seu accipiuntur pro aliqua ex Per-sonis Divinis. Quamobrem legimus in Isaia c. 55. *Verbum meum, quod egreditur de ore meo, non redibit ad me va-*

cuum, sed faciet quæcumque volui, & prosperabitur in his, ad quæ misi illud. Et in Job cap. 26. *Pru-dentia ejus percussit superbum: spiritus ejus ornavit Cœlos.* Præterea, etiam in humanis dicimus, Regem facere aliquid per suum legatum: & tamen legatus etiam facit. Et homo operatur manu: & nihilomi-nus manus etiam operatur, quemadmodum in Divi-nis multoties legimus, manum Domini, vel bra-chium, vel dexteram ejus aliquid facere. Illud etiam negamus, quod addit ad argumentum suum contra nos confirmandum:

وكذلك الدعا والعبادة مسو

للاله الخالق لا لغيّ من صفاته فالناس كلهم

يقولون يا الله يا ربنا يا خالقنا ارحمنا اغفر لنا ولا

يقول احد يا كلام الله اغفر لنا وارحمنا ولا يا قدرة الله

ويا مشيئة الله ويا علم الله اغفر لنا وارحمنا

Et ita oratio, & cultus dirigitur ad Deum creatorem, non ad aliquod ejus attributum. Propterea omnes homines dicunt: O Deus: O Domine noster, ò Creator noster, miserere nobis, & parce nobis. Neque ullus est, qui dicat: O Sermo Dei parce nobis, & miserere nobis: vel ò Potentia Dei, sive ò Voluntas Dei, sive, ò Scientia Dei, parce nobis, & miserere nobis. Nam in Sacris Scripturis non raro invocatur Deus à Pro-phetis per ejusdem attributa, præsertim personis ap-propriata, quibus etiam operationes directè tribuun-tur: ut cùm Isaiæ cap. 51. dicitur: *Consurge, consurge, induere fortitudinem, brachium Domini: Consurge, sicut in diebus antiquis, in generationibus sæculorum. Numquid non tu percussisti superbum, vulnerasti Draconem? numquid non tu siccasti mare?* Hic certè *brachium Domini*, sive sit attributum Potentiæ, sive sit Verbum Personale, invocatur à Propheta, & tribuuntur illi operationes in recto. Et quidem cùm attributa non sint aliquid realiter distinctum à Deo, sed sint ipsemet Deus, (ut non solùm Christiani, sed Mahumetani etiam Saplentiores fatentur) idem erit dicere: ò Deus adjuva me; ac, ò Sapientia, vel ò Bonitas Dei adjuva me: Neque verum est, nullum hoc modo Deum invocare; cùm experientia, falsem apud nos, contrarium doceat.

Postremò negat Adversarius, in eo loco Psalmi 33. posse per *Verbum Domini* intelligi Christum: nam; ut ipse subdit:

للصبح عند جميع الناس هو لم

الناموت وهو متقدم لهم الناموت والناموت لما انعدم

والانعدام فعل حادث متقدم فقبل الانعدام لم يكن

هناك ناموت ولا يُسمّى معبوداً بل تلك الكلمة

التي خلقت بها السموات والارض لم يكن معها

ناموت حين خلقت باتفاق الامم والصحيح

لا بد ان يدخل فيه الناموت فعلم

انه لم يكن بالكلمة المعبود

Chri-

Digitized by Google

Christus in sententia omnium hominum est nomen humanitatis: apud Christianos tamen est nomen humanitatis, & divinitatis, postquam una alteri unita est. Porrò hoc unio apud eos censetur actio de novo producta. Itaque ante unionem non erat ibi humanitas, neque vocabatur Christus. Porrò *verbum illud, quo creati sunt cœli, & terra, non habebat adjunctam humanitatem tempore hujusmodi creationis, ex communi sententia omnium Gentium: Christus verò necessariò adjunctam habet humanitatem: patet igitur hic per Verbum non significari, neque intelligi posse Christum.*

Nimis puerile est hoc argumentum. Nam nos non dicimus, Verbum fuisse jam unitum cum humanitate, quando per illud Deus cœlum, terramque creavit. Et quamvis Christi nomen includat divinitatem, & humanitatem, non sequitur tamen, divinitatem, seu Verbum, non fuisse ante humanitatem. Nam S. Joannes cap. 1. manifestè dicit: *In principio erat Verbum, & Deus erat Verbum.* Deindè verò subdit: *Et Verbum caro factum est.* Itaque Christo prius fuit esse Verbum & Deum, quàm hominem: non tamen antequàm fieret homo, poterat propriè dici Christus: nam Christus dicit simul divinitatem, & humanitatem: in quo sensu concedi potest, cœlum, & terram non fuisse per Christum creata.

Quintus locus habetur in Genesi, cap. 18. ubi primò dicitur: *Apparuit autem Dominus Abrahæ in convalle Mambre*: & mox subditur: *cumque elevasset oculos, apparuerunt ei tres Viri stantes prope eum.* Mirum, quòd dicat, Deum fuisse tres viros: & quòd Abraham nunc loquatur cum illis tamquam cum uno, & tamquam unum adoret: nunc tamquam cum pluribus; dum subditur: *Et vidit, & cucurrit in occursum eorum ab ostio tabernaculi, & incurvavit se in terram, & dixit: Domine mi, ne quæso, transeas à servo tuo. Tolletur nunc parum aquæ, & lavate pedes vestros, & requiescite sub arbore.* De illidem etiam loquitur Moyses, nunc ut de uno, nunc ut de multis: & tamen vocat eos nomine יְהוָה, proprio, imò propriissimo unius veri Dei: & nunc habet: *& dixit*: nunc verò; *& dixerunt*: nunc, *Deus*: nunc *Viri*. Quis credat, hæc vacare mysterio? Nam aliàs videretur valde improprius loquendi modus. Quamobrem in prædictis verbis non sine magna ratione asserimus, innui mysterium Sacrosanctæ Trinitatis, in qua unus Deus in tribus Personis, atque in unica essentia adoratur. Neque obstat, quòd hodiè Hebræi legant אֲדֹנָי *Domini mei* pro אֲדֹנָי *Domine mi*, ut legerunt Septuaginta Interpretes, qui verterunt *Κύριε, Domine*: Nam cùm ibi sit vocalis *Camets*: nomen illud tribuitur tantùm uni Deo, licet sit formæ pluralis; in quo etiam elucet mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei. Et certum est, ibi nomen plurale significare singulariter, cùm statim sequatur: *Si inveni gratiam in oculis tuis, ne, quæso, transeas à servo tuo.* Nec valet effugium quorumdam, qui asserunt, Abraham tunc tamquam cum una persona fuisse locutum, cùm maximum trium illorum alloqueretur. Nam Scriptura completeretur omnes eodem nomine *Dei*, & *trium Virorum*: nec ullum ponit inter eos differimen, sed tribuit illis æqualiter omnia.

Sextus, Isaiæ cap. 6. ubi, *Duo Seraphim clamabant alter ad alterum: Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Exercituum.* Hæc trina repetitio τὸ *Sanctus* cum unico nomine *Dominus*, ostendit non obscurè Trinitatem Personarum in unica divina Essentia.

Septimus, ibidem cap. 34. ubi introducitur Deus ita loquens: *Quia os meum ipsum præcepit: & Spiritus ejus ipse congregavit ea.* Hic habemus Personam Patris loquentis: Personam Filii significatam in ore, vel verbo oris ejus: & Personam Spiritus Sancti in spiritu oris ejus expressam. Hæc pauca sufficiant, pluribus aliis omissis, ex veteri Testamento.

In Testamento novo clariora, & apertiora sunt testimonia de hoc ineffabili Arcano. Præcipua hic subjiciam.

Primum testimonium est, Matthæi cap. 3. ubi legimus: *Baptizatus autem Jesus, confestim ascendit de aqua: & ecce aperti sunt ei cœli, & vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam, & venientem super se: Et ecce Vox de cœlis dicens: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Hic expressè tres divinæ Personæ demonstrantur: nempe Persona Patris loquentis, Persona Filii dilecti, & Persona Spiritus Sancti descendentis super eum.

Secundum, ibidem cap. ult. ubi mittens Christus post resurrectionem suam Apostolos ad prædicandum, dixit eis: *Euntes ergo docete omnes Gentes, Baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.* Hic expressè tres Personæ nominantur. Quòd autem dicatur, *in nomine*, non autem *in nominibus*: innuitur in iisdem Personis unitas essentiæ. Frigidè satis, & insulsè oppugnat hoc testimonium Adversarius, ut suprà vidimus.

Tertium, Joannis cap. 14. in illis Christi verbis ad Discipulos: *Si diligitis me, mandata mea servate: Et ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Hic etiam Trinitatis mysterium manifestè agnoscitur, dum inducitur Pater, qui dat: Filius, qui rogat: & Spiritus, qui mittitur, vel datur.

Quartum, in Epist. 1. Sancti Joannis cap. 5. in illis verbis: *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus Sanctus: & hi tres unum sunt.* Nihil clariùs dici poterat.

Quintum, in Epistola 2. S. Pauli ad Corinth. cap. 13. ubi scribit: *Gratia Domini nostri Jesu Christi, & charitas Dei, & communicatio Sancti Spiritus sit cum omnibus vobis.* Hic etiam habentur distinctè tres divinæ Personæ. Nec refert, ut etiam superiùs notavi, quòd in illis recensendis ordo non servetur: nulla enim Persona est prior alia nisi ratione originis; sed omnes sunt æternæ, vel potiùs, unus Deus Æternus.

Hæc sanè, & alia hujusmodi testimonia plurimum ad hoc mysterium confirmandum conducunt, sed præcipuum, & firmissimum argumentum illud est, quòd sæpissimè in sacris literis reperiuntur nomina harum trium Personarum, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, vel sub his, vel sub aliis æquivalentibus appellationibus, vel etiam sub nomine tantùm Dei, vel Domini, per notionales operationes ab invicem distinctarum, cujusmodi sunt, gignere, & gigni: mittere, & mitti: procedere unum ab alio, & aliæ hujus generis. Et quidem juxta Philosophos, operationes dicuntur de supposito, vel persona: & consequenter operationes distinctæ ostendunt personas distinctas, ut verè notat Amed in eo, quod nos confitemur

Digitized by Google

fitemur in Symbolo, *Filium federe ad dexteram Patris*. Non tamen dicimus, ut ille nobis imponit, quòd quemadmodum cuilibet Personæ tributur operatio, ita etiam habeat propriam essentiam ab alia distinctam. Ita enim de qualibet harum trium Personarum loquuntur Scripturæ, ut de uno Deo, tribuentes illis nomina, & operationes, quæ non conveniunt nisi Deo: Deus autem non potest esse nisi unus, & per consequens unius essentiæ. Si hæc Mahumetanis difficilia videntur, Deum attendant, qui ea revelavit; non redarguant nos, qui ea Deo revelanti credimus, ac veneramur.

Porrò de prima Persona, quæ ut plurimùm absolutè *Deus* appellatur, quia est origo cæterarum divinarum Personarum (quamvis etiam Patris nomine præsertim in novo Testamento frequentissimè exprimatur) nulla potest inter nos, & Mahumetanos esse controversia. De secunda verò Persona, quæ *Filius* & *Verbum*, communioribus nominibus nuncupatur patebit infrà, cùm de Christi divinitate erit agendum. De Spiritu Sancto, qui est tertia Persona latis clara, & aperta sunt in sacris Libris testimonia, in quibus fit mentio de illo, tamquam de Persona à Patre, & Filio distincta: & tamen tribuuntur ei operationes, quæ non nisi Deo possunt convenire. Præcipua hîc ex utroque Testamento loca producam.

Primo, Job cap. 33. *Spiritus Dei fecit me: & Spiraculum omnipotentis vivificavit me*. Non est dubium, quin facere hominem, & ei vitam dare sit opus solius Dei.

Secundò, lib. 2. Reg. cap. 23. *Spiritus Domini loquutus est in me: & sermo ejus super linguam meam*. Nemo dubitat, solius Dei esse loqui per Prophetas. Quòd si respondeant Moslemi; posse hîc per Spiritum Domini intelligi Angelum: impropriè dicitur Angelus loqui per hominem, cùm rectiùs dici debeat, Deus ipse loqui per Angelum homini; vel per hominem aliis hominibus.

Tertiò, Psal. 138. *Quò ibo à Spiritu tuo, & quò à facie tua fugiam? Si ascendero in cœlum, tu illic es: Si descendero in Infernum, ades*. In his verbis fit mentio tàm Spiritus Sancti, quàm Patris, cum quo loquitur David; & Filii, qui est velut facies, & imago viva Patris: & omnibus tribuitur id, quod soli Deo convenit; nempe esse ubique, & neminem posse ab eo fugere, vel abscondi.

Quartò, Joel, cap. 2. *Effundam Spiritum meum super omnem carnem, & prophetabunt filii vestri. Et etiam super servos, & super ancillas in diebus illis effundam Spiritum meum, & dabo prodigia*, &c. Spiritus effusus à Deo super omnem carnem, per quem prophetant homines, & prodigia operantur, non potest esse nisi Deus: nulli enim Angelo, vel creaturæ ista conveniunt.

In Testamento novo sunt apertiora testimonia: ex quibus quædam præcipua recensebo.

Primò, Marci cap. 3 dixit Christus: *Qui blasphemaverit in Spiritum Sanctum, non habebit remissionem in æternum: Sed reus erit æterni delicti*. Hic sanè necessarium est fateri, Spiritum Sanctum esse Deum, cùm in sententia quoque Mahumetanorum, & ipsius Mahumeti in Alcorano, peccata irremissibilia sint ea tantùm, quæ sunt contra divinitatem.

Et ideò dicunt ipsi, peccatum الشرك *Associationis*, quo violatur unitas Dei, esse irremissibile, cùm cæterorum omnium peccatorum sint homines veniam consequuturi.

Secundò, in actis Apostolorum, cap. 5. dixit Sanctus Petrus ad Ananiam, *Anania, cur tentavit Satanas cor tuum mentiri te Spiritui Sancto? Non es mentitus hominibus, sed Deo*. Ergo Spiritus Sanctus est Deus: alioquin non esset bona illatio S. Petri. Nam posito etiam, quòd Spiritus Sanctus esset Gabriel, vel alius Angelus, ut volunt Mahumetani, & gereret personam Dei: debuisset dicere S. Petrus Ananiæ: Non es mentitus Angelo, sed Deo.

Tertiò, ibidem cap. 10. scribitur: *Quia & in nationes gratia Spiritus Sancti effusa est*. Hic si Spiritum Sanctum intelligas alium quàm Deum, ineptè, imò impiè intelliges: Solùm enim à Deo diffunditur gratia sua in homines.

Quartò, ibidem cap. 3. dicitur: *Miuistrantibus autem illis Domino, & jejunantibus; dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos, &c. & ipsi quidem missi à Spiritu Sancto abierunt Seleuciam*. Quis potest assumere homines ad Apostolatum, & mittere eos quò vult, nisi Deus?

Quintò, ibidem cap. 20. dixit S. Paulus: *Spiritus Sanctus per omnes civitates mihi protestatur dicens: quoniam vincula, & tribulationes Jerosolymis me manent*. Et post pauca: *Attendite vobis, & universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei*. Hæc sanè non sunt, quæ homini, vel Angelo conveniant, sed soli Deo.

Sextò ibidem cap. 28. dixit idem S. Paulus: *Benè Spiritus Sanctus loquutus est per Isaiam Prophetam ad Patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis*. Atqui hæc verba apud Isaiam cap. 6. inveniuntur dicta ab ipso Deo: sic enim ibi ait Propheta: *Et audivi vocem Domini dicentis: Quem mittam, & quis ibit nobis? & dixi: Ecce ego, mitte me. Et dixit Vade, & dices populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere*. Ergo Spiritus Sanctus est Deus. Et notanda sunt verba illa: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* in quibus primò tamquam unus; & deindè tamquam plures, loquitur Deus: ad indicandum mysterium Unitatis, & Trinitatis Dei: & adsentendum, omnia opera ad extra (ut loquuntur Theologi) communia esse toti Trinitati, & singulis Personis ejusdem; quamvis ex ea ratione, quam inferiùs adducam, magis suis, quàm alteri tribuantur.

Septimò, in Epistola 1. ad Corinth. cap. 2. legimus. *Spiritus enim omnia scrutatur etiam profunda Dei. Quis enim hominum scit, quæ sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? Ita, & quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*. His verbis evidentissimè convincitur, Spiritum Sanctum esse Deum: nemo enim potest penetrare & cognoscere omnia, quæ sunt Dei, nisi Deus ipse. Et sicut inter hominem, & spiritum hominis est realis distinctio; scilicet, quæ est inter partem, & totum: ita necesse est inter Personam Patris, & Spiritum ejus esse aliquam veram, & realem distinctionem: quæ sanè non potest esse inter partem, & totum, quia Deus non habet partes: quare superest, ut sit distinctio personalis, & relativa tantùm. Quòd si nulla esset distinctio inter Deum, quatenùs dicitur de Persona Patris, & inter Spiritum ejus; inepta appareret loquutio S. Pauli: esset enim dicere idem per idem.

Octavò, ibidem cap. 6. in illis verbis: *An nescitis quoniam membra vestra Templum sunt Spiritus Sancti, qui in vobis est, quem habetis à Deo, & non estis vestri?* Templum nulli creaturæ tribui potest, quæ-

Digitized by Google

quemadmodùm nec Sacrificium, quod in Templo offertur, cùm utrumque sit proprium uniùs Dei. Sequitur ergo Spiritum Sanctum esse Deum.

Nonò, ibidem cap. 12. ubi dicitur. *Et nemo potest dicere Dominus Jesus, nisi in Spiritu Sancto.* Et paulò post: *Alii quidem per Spiritum datur sermo Sapientiæ: alii autem sermo Scientiæ secundum eumdem Spiritum: alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum: alii Prophetia: alii discretio spirituum: alii genera linguarum: alii interpretatio sermonum. Hæc autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Quid clarius dici poterat ad probandam Spiritus Sancti divinitatem? Quis enim poterit hæc omnia elargiri, & impertiri creaturis sicut vult, & pro libito suo, nisi solus Deus?

Hæc pauca sufficiant ad ostendendum, quàm temerè, & falsò dicant Moslemi, & eorum Magistri, Christianos nullum habere fundamentum, vel testimonium in Sacris Scripturis veteris, ac novi Testamenti, ad Sacrosanctæ Trinitatis mysterium comprobandum.

CAPUT SEPTIMUM.

Respondetur ad Secundum Argumentum contra Mysterium Sanctissimæ Trinitatis.

ALterum contra hoc Christianæ Fidei dogma argumentum, his verbis ab adversario formatur:

فنركم لهذتم الاقنومين الذين اخذ تموهما مع الله
من جهة ان الله حكيم حي فعكمته الكلمة وحي
المسيح وحياته روح القدس وهذه صفة من صفات الله
مثلها كثيرة لانه يقال عليم سميع بصير حي
قدير وكذلك ربنا تبارك وتعالى .....
وجعلتموه اقنوم لكل من الحياة والحكمة
وباقي الصفات مثل الذي لله:

Videmus porrò, vos ideò duas personas cum Deo posuiste, quia Deus est sapiens, ac vivens: Et Sapientiam quidem ejus appellatis Verbum, quod est Christus: Vitam autem ejus, Spiritum Sanctum. Hæc porrò sunt attributa Dei: quibus multa alia similia reperiuntur: vocatur enim Mitis, Sciens, Videns, Audiens, Vivens, Potens: & similiter Dominus noster, Benedictus, Excelsus. Vos autem ponitis in eo Personas, quarum unaquæque habet vitam, & sapientiam, & cætera attributa, sicut habet ipse. Vis argumenti tota est in hoc: quòd si sapientia, & vita, cùm sint attributa, sint personæ: omnia etiam cætera attributa dicenda erunt personæ.

Hæc objectio procedit ex ignorantia, & falsa suppositione: pro qua re:

Supponò primò, in rebus ad Religionem spectantibus, non esse attendendum, quid dicant, vel quid sentiant aliqui particulares, vel aliqua secta ejusdem Religionis: sed quid dicant, & quid sentiant uniformiter Antistites legitimi, & professores orthodoxi illius. Quemadmodùm in secta Mahumetana non attenditur quid dicant, vel teneant Sciaitæ, aut Motazeli; sed quid teneant, & doceant Sonnitæ, qui censentur esse tamquam orthodoxi in eadem secta.

Supponò secundò, divina mysteria non posse humanis verbis satis explicari, aut naturalibus rationibus sufficienter probari: posse tamen ad omnia, quæ contra ea objiciuntur, & quibus, vel impossibilia, vel contradictoria esse arguere quis tentet, sufficienter responderi.

Supponò tertiò, omnes Christianos, qui verè Christiani sunt, etiamsi schismatici, aut hæretici habeantur, saltem hoc tempore, credere & confiteri unum tantùm Deum, qui creavit omnia, & omnia regit, ac moderatur, & quem ab initio Mundi usque ad Christum coluerunt Patriarchæ, Prophetæ, & cæteri, qui censebantur Populus Dei: & credere de eodem Deo omnia illa, quæ nobis Sacræ Scripturæ proponunt: quòd scilicet sit æternus, omnipotens, omnia sciens, videns, & audiens: omnibus intimè præsens, omnia regens, & gubernans. Neque de hoc poterit ulla inter nos, & Moslemos esse controversia.

Suppono quartò, Deum habere intellectum, ac voluntatem: aliquin careret scientia, & libertate, & esset omninò brutus. Hoc etiam concedunt Moslemi.

Suppono quintò, aliquos actus intellectus, & voluntatis divinæ concipi à nobis ut immanentes, & respectu sui: aliquos verò ut tendentes ad extra, & respectu creaturarum. Certum enim est, Deum cognoscere, & amare se ipsum: & cognoscere etiam, & amare creaturas. Respectu horum actuum secundorum dicuntur de Deo variæ attributa, ut Justitia, Misericordia, Scientia, Providentia, &c. respectu verò actuum immanentium oriuntur in Deo processiones, relationes, & Personæ Divinæ. Sicut enim homo cognoscendo seipsum, producit verbum, seu conceptum mentis, ideò efformat imaginem mentalem illius, quod cognoscit, nempe sui ipsius: ita Deus cognoscendo, & intelligendo seipsum, produceit verbum, seu mentalem imaginem sui ipsius, quam vocamus Filium, quia vivens oritur à vivente in similitudinem naturæ: & per hoc Deus quatenùs generat, dicitur Pater: quatenùs verò generatur, Filius. Rursum, sicut homo amando conceptum illum, seu imaginem sui ipsius, producit propensionem vitalem amoris erga illam: &, si conceptus ille esset subsistens, procul dubio produceret eandem propensionem amoris erga concipientem se, videlicet erga seipsum, ac suam essentiam, quæ est una eademque cum essentia concipientis: ita Pater & Filius mutuò se amando (suam scilicet ipsorum unam eandemque essentiam) produeunt Spiritum Sanctum, qui est propensio, seu inclinatio vitalis in essentiam amatam. Hoc verò est, inter alia, discrimen; quòd terminus, qui per intellectum, ac voluntatem produeitur, in homine est accidens, & aliquid transiens, & evanescens: in Deo autem est substantia, & aliquid permanens, idemque realiter cum ipsa essentia Dei. Ex hactenùs dictis rectè colligimus, in Deo esse duas processiones, seu emanationes: scilicet Filii à Patre, & hæc dicitur generatio, & est per intellectum: & Spiritus Sancti à Patre, & Filio, tamquam ab unico principio, quæ dicitur simpliciter processio, & est per voluntatem. Colligitur præterea, esse quatuor relationes, nempe Paternitatem, qua Pater refertur ad Filium, & fundatur in generatione activa: Filiationem, qua Filius refertur ad Patrem, & fundatur in generatione passiva: Spirationem activam, qua Pater, & Filius tamquam unicum principium referuntur ad Spiritum Sanctum; & processionem, seu spirationem passivam, qua Spiritus

Digitized by Google

tus Sanctus refertur ad Patrem, & Filium. Hæ autem relationes in Deo sunt veræ & reales; & propter has, tres divinæ Personæ realiter inter se distinguuntur. Esse autem reales patet; quia inter cognoscentem, & cognitum, & inter generantem, & genitum, & inter spirantem, & spiratum, est vera oppositio relativa.

Hæc breviter propositi ad explicandum Mahumetanis, eo modo, quo fieri potest, hoc ineffabile Mysterium. Ex his verò facilis erit responsio ad objectiones Adversarii. Dicimus enim, Personas in Deo valdè diversas esse ab attributis divinis, licet attributorum nomine quandoque Personæ appellentur; quia scilicet quædam attributa respiciunt operationem intellectus, ut Sapientia, & Scientia: ideò hæc tribuuntur Filio, qui per intellectum procedit. Quædam verò actum voluntatis, ut amor, & misericordia: & hæc tribuuntur Spiritui Sancto, qui procedit per voluntatem. Cæterùm hæc, & alia attributa communia sunt omnibus divinis Personis, quia conveniunt Deo essentialiter, nec realiter distinguuntur inter se, nec ab essentia divina, ut fatentur etiam quidam ex Moslemis. Personæ autem, quamvis non distinguantur realiter ab essentia, sed tantùm distinctione virtuali intrinseca, distinguuntur tamen realiter inter se per oppositiones relativas, ut superiùs expositum est.

Ad argumentum igitur Moslemorum directè respondentes dicimus, sapientiam, vel scientiam, quatenùs est attributum in Deo essentiale, non esse Filium, nec Verbum, neque Personam ullam, sed esse ipsammet essentiam Dei: Filium tamen Sapientiæ, vel Scientiæ nomine quandoque appellari, ex ratione superiùs allata. Et multò minùs vitam esse Spiritum Sanctum, licet Jacobitæ eo nomine illum appellent. Vita enim est una & communis omnibus tribus divinis Personis. Fieri tamen potest, ut Jacobitæ, vel alii Christiani Orientales etiam Catholici, vocent Spiritum Sanctum vitam metaphoricè, vel analogicè, quatenùs vita hominis pendet à spiritu, vel spiratione illius: vel quatenùs Spiritus Sanctus vivificat animas hominum; qua ratione etiam ab Ecclesia Catholica *Vivificans* appellatur. Denique concedimus omnia attributa, cùm accipiuntur notionaliter, seu relativè, esse Personas: sed tunc omnia attributa sunt synonyma Personæ illius, cui tribuuntur: v.g. Potentia erit idem ac Pater: Sapientia idem ac Filius: Charitas idem ac Spiritus Sanctus. Cæterùm attributa propriè sumpta, non possunt esse, neque dici Personæ, quia nulla est inter ea oppositio relativa.

CAPUT OCTAVUM.

Respondetur ad tertium Argumentum contra mysterium Trinitatis.

TErtium contra Trinitatis mysterium argumentum est hujusmodi: فان كلمة هذه الاقانيم الثلثة الهة وكل صفة لكل احد من الاقانيم الثلثة الهة مثله اذا كان من جوهر فيجتمع الامر في ذلك حتى لا يكون له غاية ولا نهاية واذا قلتم ثلثة اقانيم هي في الجملة من جوهر قديم أفليس يلزمكم الاقرار بثلثة الهة لان الاقانيم الخصائص بوًا الهها وتقع الحدّ عليها ولا فما الحجّة:

Quòd si hæ Personæ sunt Dii, certè omnia attributa erunt Dei, cùm sint ex substantia Dei. Necesse est itaque, ut unumquodque attributum singularum Personarum sit Deus sicut ipsa Persona, cùm sit ex substantia ejus. Magnus igitur hic dilatabitur campus ad multiplicandos Deos, ita ut res processura sit in infinitum. Cùm autem dicitis, tres Personas esse in cælo ex substantia æterna, nonnè cogimini fateri, esse tres Deos? Personæ enim sunt individua demonstrabilia, ac determinata. Quid verò respondere potestis in contrarium?

Respondemus: quamvis in Deo sint tres Personæ, & unaquæque Persona sit Deus: non tamen esse tres Deos, sed unum tantùm Deum: quia nimirùm ille idem Deus, qui est Pater, est etiam Filius, & Spiritus Sanctus. Non enim Persona una habet essentiam distinctam, aut diversam ab essentia alterius, sed una est ac eadem essentia trium Personarum. Personalitas quippe, seu subsistentia in rebus creatis distinguitur ab essentia, & hæc ab existentia. Essentia enim est veluti possibilitas ad esse: & ideò essentiæ à Philosopho dicuntur æternæ. Existentia autem est ipsa essentia in actu; subsistentia verò est ultimum complementum essentiæ actu existentis, quatenùs facit, non solùm rem esse in se, sed distinctam à quacumque alia. Porrò in Deo nulla datur distinctio essentiæ & existentiæ: hoc enim argueret imperfectionem: datur tamen distinctio virtualis intrinseca subsistentiæ, seu personalitatis ab existentia, seu essentia actu existente. Hæc autem virtualis distinctio intrinseca consistit in hoc, quòd independenter ab operatione nostri intellectus, aliqua simplex entitas æquivalet duabus entitatibus realiter inter se distinctis. Ponitur exemplum in puncto, quod etìm sit indivisibile, est finis lineæ antecedentis, & initium subsequentis. Initium autem, & finis realiter inter se distinguuntur, & virtualiter intrinsecè. Eodem vel simili modo, Personæ divinæ, cùm inter se realiter distinguantur, quamvis sint unum cum divina essentia, distinguuntur virtualiter intrinsecè ab illa, quia eadem essentia independenter ab omni intellectu æquivalet, seu communicatur verè & realiter iisdem Personis. Hæc autem distinctio virtualis intrinseca inter essentiam & Personas divinas, sufficit ad evitandas omnes illas contradictiones, quæ sine eadem distinctione contra hoc mysterium fieri possent: cujusmodi est illa: Quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se: sed Paternitas & Filiatio, seu Pater & Filius, sunt idem cum essentia divina: ergo sunt idem inter se: ergo non sunt Personalitates, seu Personæ distinctæ. Respondetur enim: Quæ sunt eadem uni tertio secundum totum illius esse reale, & etiam secundum illud, quod continet virtualiter intrinsecè, sunt eadem inter se: concedo. Quæ sunt eadem uni tertio secundum esse reale, quod habet, tantummodò; & non etiam secundum esse virtuale intrinsecum, sunt eadem inter se: Nego. Nam essentia divina sejuncta à Personis, habet communicabilitatem, seu est communicabilis: at cum Personis, non est communicabilis, quia jam intelligitur communicata iisdem Personis: & nihilominùs sive communicabilis, sive communicata, est realiter eadem, & ejusdem perfectionis propter divinæ ipsius perfectionis infinitatem: & ideò hæc distinctio, non potest dari nisi in Deo, propter ipsius infinitatem, neque ullo modo convenit rebus creatis, in quibus non reperitur perfectio nisi imperfecta, ac limitata, & perfectibilis per quodcumque etiam virtuale, quod illi superaddatur.

Ex dictis patet solutio ad id, quod objiciebat Adver-

versarius, nimirum; unamquamque Personam, cùm sit Deus, debere constituere tres alias Personas. Nam essentia divina jam communicata Personæ, non est ulterius communicabilis: nec tamen habet minorem perfectionem, quia semper intelligitur infinitè perfecta, sive sit communicabilis, sive jam communicata, & communicabilis. Præterea licet unaquæque Persona sit Deus: est tamen idem omninò Deus ac alia Persona: quare non bene infertur, quamlibet Personam, eò quòd sit, debere constituere tres alias Personas.

Hæc pinguiori atque hebetiori Mahumetanorum ingenio, ardua nimis erunt ac difficilia: quamobrem planioribus rationibus, & nonnullis etiam comparationibus conabor mysterii hujus possibilitatem, & quandam etiam probabilitatem illis insinuare.

Prima ratio est, quia cùm Deus sit infinitè bonus, debet etiam esse infinitè communicabilis: natura quippe boni est, esse communicativum sui. Cùm autem repugnet Deum alicui creaturæ se infinitè communicare: superest, ut communicet se ipsum in infinitum ineffabili ratione sibi ipsi: hoc autem facit, dum essentiam suam, ac naturam divinam communicat Personis divinis, eo modo, quo superiùs explicavimus.

Secunda: licet unitas seu singularitas, sit aliqua perfectio: solitudo tamen, quam fert secum, est imperfectio. Et ideò habemus in Sacris Literis, Deum noluisse ullum animal solitarium esse: & cùm creare veller hominem, dixisse: *Non est bonum hominem esse solum*. Perfectius igitur erit illud, quod cum summa unitate habet etiam aliquam societatem; quàm illud, quod manet omninò solitarium.

Tertia: legimus in Sacris Literis, Deum delectari societate hominum, & Angelorum: ita ut per Salomonem dixerit Proverb. cap. 8. *Deliciæ meæ esse cum filiis hominum*. Si ergo societas creaturarum dicitur pertinere ad Dei delicias, multò magis pertinebit societas Personarum divinarum. Ergo, si non repugnet, non est ei deneganda hujusmodi societas.

Quarta: habemus ex Pentateucho, Deum fecisse hominem similem sibi, seu ad imaginem, & similitudinem suam. Hæc autem similitudo non potest sita esse in corpore, ut omnes concedunt: erit igitur in anima tantùm. Porrò anima rationalis, cùm sit unica & simplex in essentia; habet tamen tres potentias inter se distinctas realiter, saltem quoad operationes: memoriam scilicet, intellectum, ac voluntatem: quamvis aliqui memoriam, & intellectum faciant unam tantùm potentiam. Neque tamen hæ potentiæ officiunt animæ unitati ac simplicitati, cùm juxta probabilem sententiam, non distinguantur ab ipsa animæ essentia, nisi fortè distinctione virtuali intrinseca. Hoc autem videtur esse id, in quo maximè consistit similitudo hominis cum Deo, & ociam in eo, quòd homo per intellectum format conceptum sui ipsius, & amat hunc suum ipsius conceptum actu reflexo; in quo est aliqua similitudo divinæ Trinitatis.

Præter has rationes, possunt afferri quædam comparationes, ex quibus hujus mysterii possibilitas probabiliter ostendatur. Prima est, quam suprà innuimus punctì in linea, quod cùm sit entitas indivisibilis, habet duo prædicata oppositа: est enim finis lineæ præcedentis, & initium lineæ subsequentis. Secunda, partium Metaphysicarum in homine, nempe animalis & rationalis: quæ cùm distinguantur ad invicem, saltem virtualiter, sunt tamen identificatæ in essentia hominis. Tertia, animæ ejusdem hominis, quæ cùm sit una in essentia, est tamen trina in potentia, virtualiter saltem distincta: nempe, vegetativa, sensitiva, & rationalis juxta communiorem sententiam. Quarta, graduum entis inter se distinctorum, & tamen identificatorum in ultima specie. In homine enim reperiuntur, ens, vivens, sensibile, & rationale; quæ in lapidibus, plantis, jumentis, & Angelis inveniuntur distincta. In homine verò sunt realiter distincta quoad effectus, & tamen identificata cum essentia hominis. In moralibus etiam videmus, eumdem hominem gerere varias personas realiter distinctas: v. g. Regis, Sacerdotis, & Ducis exercitus: & verum est dicere: Rex est hic homo: Sacerdos est hic homo: Dux exercitus est hic homo: non tamen verum est dicere: Persona Regis in hoc homine est persona Sacerdotis, vel Ducis exercitus. Videmus etiam eandem rem recipere prædicata opposita, quæ licet identificentur cum illa, distinguuntur tamen inter se: v. g. Hic lapis est dexter respectu Petri, & sinister respectu Pauli: & dexter & sinister prædicantur de eodem lapide realiter, cùm tamen sint inter se opposita. Alia hujusmodi adduci possent exempla, in quibus ea, quæ cum aliquo tertio realiter identificantur, sunt inter se distincta, vel opposita.

Affert Ahmedus ex doctrina nonnullorum Christianorum, & simul rejicit, tamquam ineptam, comparationem Solis, & splendoris, & caloris ejus, his verbis:

فلمّا احتجلجكم بالشمس وانها شئ واحد لوا بثلاثة

معاني في تشبيهكم ما تقولونه في الثلاثة الاقانيم

بها فان ذلك بمثله لا يصح لان نور الشمس لا يعد

يعد الشمس وكذلك حرّها لا يعد يعد الشمس ان

كان حدّ الشمس جسمًا ممتدرا مضيًا مسخنًا دايرًا

في وسط الافلاك دورانًا دايمًا ولا يتهيا ان يعد نورها

وحرّها مثل هذه الصفة ولا يقال ان نورها او حرّها

جسم ممتدر مضيّ مسخن دايم الدوران: ولو

كان نورها او حرّها جسمًا حقًا من جسم حقّ من

جوهر الشمس كما قالت الفريعة في للصبح انه اله

حقّ من اله حق من جوهر ابيه لكان ما قالتم له

مثلًا تامًا والامر مخالف لذلك فلا يشبهه ولا

يقع القياس عليه والحجة منكم فيه بالطلة.

Porrò Argumentum, quod à Sole desumitis, qui cùm sit unica res, habet tamen tria significata; & assimitis hoc in comparationem illius, quod dicitis de tribus Personis: hoc non aptè convenit. Nam lux Solis non definitur definitione Solis, sicut nec calor illius. Est enim Sol corpus sphæricum, lucidum, calidum, seu calefaciens, gyrans in medio orbium cœlestium circuitu perenni. Neque potest definiri lux ejus, aut calor ejus per hæc prædicata: neque dici potest; lucem ejus, aut calorem ejus, esse corpus sphæricum, lucidum, calidum, perpetuò sese circumgyrans. Quòd si lux & calor ejus essent Sol verus de

Sole vero ex subſtantia Solis, ſicut aſſerit Symbolum de Chriſto, quòd ſit Deus verus de Deo vero ex ſubſtantia Patris ſui, utique comparatio perfectè conveniret: ſed res eſt omninò oppoſita; neque ſimilitudo ullo modo commenſuratur: quamobrem argumentum veſtrum ex ea deſumptum, inane eſt & nullum.

Fateor & ego, comparationem non aptè convenire, ſi lux & calor accipiantur in abſtracto, ob rationem ab Adverſario prudenter allatam. Sed ſi accipiantur in concreto; eſt ſatis apta comparatio, hoc pacto: Sol eſt corpus ſphæricum, lucidum, calidum: hæc tria in concreto identificantur cum Sole: nam corpus ſphæricum eſt Sol: corpus lucidum eſt Sol: corpus calidum eſt Sol: & quidem cum hæc tria identificentur cum Sole, inter ſe tamen realiter diſtinguuntur. Nam corpus calidum non eſt idem formaliter ac corpus lucidum: & neutrum eſt idem ac corpus ſphæricum. Porrò ſi auctor comparationis accepit lucem, & calorem in abſtracto; poſuit vim comparationis in eo, quòd ſicut Sol eſt fons totius lucis, & lux emanat ab eo: ita Pater eſt veluti fons divinarum Perſonarum: nempe Verbum, & Spiritus Sanctus, emanant ab eo, & uterque in ſacris literis lucis nomine appellatur. Et ſicut calor etiam emanat à Sole, & à luce; ita Spiritus Sanctus procedit à Patre & à Filio. Et quidem Spiritus Sanctus rectiſſimè calori comparatur, cùm amoris & charitatis nomine in iiſdem ſacris literis nuncupetur. Et ſicut inter Solem, lucem, & calorem, non datur prioritas temporis, ſed ſolùm originis: ita inter tres Perſonas nulla niſi originis prioritas, quamvis infinitè perfectior reperitur. Cæterùm neque in hac, neque in alia ulla rerum creatarum comparatione poteſt eſſe adæquata menſura cum ineffabili Sacroſanctæ Trinitatis myſterio. Neque nos tantum nobis tribuimus, ut putemus, illud rationibus, aut comparationibus poſſe perfectè demonſtrare: ſed tantùm intendimus oſtendere, nullam in eo impoſſibilitatem, aut contradictionem reperiri: imò probabilitate ſua non carere.

CAPUT NONUM.

Ex veterum Hebræorum doctrina, Sanctiſſimæ Trinitatis Myſterium comprobatur.

PRæter ſuperiùs allatas rationes, & comparationes, tamquam divinæ revelationis apud infideles adminicula: placuit etiam ex antiquorum Hebræorum doctrina arcani hujus Sacramenti veritatem confirmare; quod Sanctos Patriarchas, ac Prophetas agnoviſſe, & veneratos fuiſſe, indubitatum eſt apud Chriſtianos. Veteres etiam Hebræorum Sapientes, ac Magiſtros illud ex Legis, & Prophetarum doctrina hauſiſſe ac docuiſſe, manifeſtè oſtendunt Chriſtiani Auctores; & inter alios Illuſtriſſimus, ac Reverendiſſimus D. Joſephus Ciantes Nobilis Romanus Epiſcopus Marſicanus, vir hebraicarum rerum, & ſcientiarum omnium peritiſſimus. Hic inter alia præclariſſima opera, Tractatum edidit de Sanctiſſima Trinitate, ex antiquorum Hebræorum teſtimoniis evidenter comprobatq; ex quo præcipuas auctoritates, & illuſtriora teſtimonia ab eodem Auctore ex Hebraica lingua in Latinam translata hic ego ſubjiciam.

R. Moyſes Cordoverus, Doctor apud ſuos inſignis, in libro *Pardes Rimmonim*, affirmat, *in Deo eſſe tres luces, eaſque vocat tria occulta exiſtentia in Deo, & à creaturis diſtincta.* Ad hoc probandum affert antiquorum Rabbinorum auctoritates, & in primis R. Hai Gaon, qui communi Hebræorum voce, *Sapientiæ lumen* fuit appellatus. Hic in libro citato, Tract. Tſahtſahoth cap. 1. ita diſcipulqs ſuos alloquitur: *Nunc vobis declarabo tres ſublimes luces, quæ ſupra decem Sephiroth* (ideſt intelligentias) *ſunt: quarum nomina à noſtris veteribus Sanctis accepimus; Lucem intrinſecam antiquam* (ſeu æternam): *Lucem clarificatam: & Lucem claram. Hæ tres Luces ſunt in Infinito* (ideſt Deo). Addit R. Chamai Gaon: *has tres Luces, cum tres ſint, eſſe principium, & cauſam aliorum principiorum.* R. Simeon Ben Johai loquens de his tribus Lucibus, ſcribit: *Sunt Luces unitæ in ſubſtantia radicis, quam per ſe neceſſe eſt eſſe.* Et mox: *In hoc firmantur omnia arcana Fidei.* R. Mair Gabbai in l. *Gavodath Haccodes.* cap. 3. ita loquitur: *Et occulta ſunt incluſa in numero ternario, & vocantur, Lux antiqua, lux clarificata, & lux clara, ſecundum traditionem R. Simeonis Ben Johai in ſuo lib. Ticcunim. Eadem eſt traditio R. Hai Gaon bonæ memoriæ, quòd hæc tria lumina ſunt ſupra decem Sephiroth: & pariter id invenitur in libro Unitatum R. Chamai Gaon bon. mem.* R. Jeudah Chajath in l. *Magarecheth Baelanth*: Tract. *Aſcemeth* fol. 157. ſic ſcribit: *Accipimus etiam ex hoc, quòd Aſiluth* (ideſt intelligentiæ) *procedat in tribus triumtres: & id ob eam cauſam, quòd idem Aſiluth naſcitur ex illis tribus guttis, quæ ſunt in Infinito.*

Ex his habemus, Hebræos veteres tria in Deo entia poſuiſſe, quæ *tres luces, tria occulta, tria nomina, tres guttas, tria Jod* (quæ eſt litera ſignum nominis Dei) *tria capitum capita* appellavere. Et quamvis non omnes hæ appellationes divinis Perſonis in rigore apud nos conveniant: juxta idiotiſmum tamen Hebraicum poſſunt illis commodè aptari. Nam etiamſi, *nomina*, appellentur; conſtat tamen ex cæteris, eos non intelligere pura nomina, vel meras voces; ſed nomina cum re. Hæc porrò tria entia, affirmant eſſe ſuper Sephiroth, ſeu Intelligentias; *itaut ab ipſis eædem Intelligentiæ producantur.*

Affirmant præterea, has luces, alteram ab altera emanare, & per hoc ab invicem realiter diſtingui. Ita R. Cordoverus loco citato: *Verùm* (inquit) *cauſa diſtinctionis harum trium lucum naſcitur ex diffuſione & proceſſione earumdem in propria ſubſtantia: & non ex cauſa manifeſtandi ſe alicui extra ipſum* (Deum): *quia habent ſuam originem, ſeu proceſſionem, & patefactionem in propria ſubſtantia. Et hoc eſt illud, quod dicit* (R. Hai Gaon): *Et ipſum* (Infinitum, ſeu Deus) *ſeipſum diffundit, & emanat in radice occulta.* Deindè eamdem doctrinam declarans ſubdit: *Tutavimus in hoc capite declarare Myſterium horum trium occultorum claritate congrua intellectui intelligentis. Verùm ita ſeſe res habet, quòd non ſunt cogitationes Dei cogitationes noſtræ, neque via ejus viæ noſtræ. Quia quando homo efformabit in ſuo intellectu aliquod eſſe, ut illud producat, ejus cogitatio in actu non erit, dum in eadem cogitatione perſeverat. Et licet illud eſſe formet, & effingat in ſuo intellectu: forma illius eſſe, quod producere vult, erit ac ſi non eſſet, donec ad actum id non producat, & in eſſe reperiatur, potentialitate exutum, quia nullam habet exiſtentiam & actualitatem. Actus enim eſt principalis, quia præter ſuum eſſe, nihil reperitur. Verùm non ſunt ejuſdem rationis opera, & productiones Regis Regum ſuper omnes Reges omnium Regum, (ſit ipſe benedictus:) quia quando voluit formare & producere productionem & emanationem ſanctam ac mundam* (id eſt producere

Ver-

Digitized by Google

Verbum, seu Filium) *tunc produxit, & formavit totum in sua substantia, sine aliqua mutatione in seipso (absit): sed illud esse ita sibi unitum est, ut inter producentem, & esse producti nulla sit differentia, Et ipse* (Deus) *& illæ* (tres Luces) *sunt eadem, & una substantia, unum principium.* Subscribunt se huic doctrinæ R. Hai Gaon, & R. Simeon filius Johai inter Judæos Theologorum facilè Princeps, cujus hæc sunt verba: *Et facta sunt novem Templa Templis.* Exponit R. Cordoverus: *ab earum* (trium Lucum) *splendore conjunctim producuntur ad esse proprio lumine novem solia, id est novem Sephiroth, occulta: & sunt instrumenta, & vestimenta illis Templis reconditis, quæ sunt Luces sublimes, abscondite, & quæ producuntur ab Infinito* (ideſt Deo) Pergit R. Hai Gaon: *Nos accipimus à nostris veteribus eorum nomina, quæ sunt, Lux intrinseca antiqua: & hæc extenditur & diffunditur in radicem occultam, & scintillat, profilit, & prodit vi sua diffusionis in similitudine duarum magnarum Lucum, ideſt Lucis clarificatæ, & Lucis clarè.*

Has tres Luces, cum Dei subſtantia, ſeu eſſentia, identificatas, eſſe inter ſe realiter diſtinctas, fateidebent Hebræi, niſi velint ipſi ſecum pugnare.

Primò, quia cùm una alteram producat; impoſſibile eſt, inter producentem, & productum non eſſe diſtinctionem realem: alioquin idem formaliter produceret ſeipſum, & ſeipſum ſaltem prioritate originis præcederet; quod omninò repugnat. Et ſaltem hæc productio eſſet merum ens rationis, & figmentum intellectus humani.

Secundò, quia Doctores Hebræi ideò volunt Sephiroth, ſeu Intelligentias, eſſe inter ſe realiter diſtinctas, quia una procedit ab alia. Propterea R. Chajat, lib. *Magharebeth*: ita ſcribit de primis tribus Sephiroth: *Accipient numerum, cùm sint ipsa causæ, & causata: & ita sunt duo: & hæc de causa habebunt numerum, & non alio modo: quæ veritas amplectitur etiam decem Sephiroth, quæ sunt similitudo Lucis, quæ illuminat per comparationem ad eum, qui eam recipit, & per comparationem ad eum, qui eam dat.* Et R. Cordoverus ait: *Et distinctio earum* (Sephiroth) *& processus unius ab alia est, quia una est causa alterius, ideſt per comparationem ad seipsas, & per comparationem productionis earumdem, quòd causa est supra causatum, & causatum sub causa. Et ecce intentio* (R. Chamai) *fuit distinguendi hanc ob causam tres primas Sephiroth.* Et aliquantò antè dixerat: *Et numerus earum* (Sephiroth) *est ex causa, & causato.* Porrò Doctores Hebræi, ſicut etiam Chriſtiani Græci Orthodoxi, non refugiunt nomen cauſæ, & cauſati, etiam in divinis, auferentes tamen omnem imperfectionem, quæ in rebus creatis inter cauſam, & cauſatum reperitur. Rurſum R. Cordoverus ait: *Quoniam Sephiroth distinguuntur distinctione, quæ est inter* עלה ועלול *hillah, & halul* (ita vocant cauſam, & cauſatum in divinis tantùm: nam in creaturis dicunt סבה ומסובב *Sibbah, & Mesuvan*): *& ecce causatum non est causa, & causa non est causatum. Igitur ex hoc sequitur, quòd licet ipsa sint unita perfecta unitate, tamen sunt distincta secundum hanc considerationem.*

Tertiò, ſi inter has luces nulla eſſet vera & realis diſtinctio, ſed omnes realiter eſſent una & eadem res, itaut tota diſtinctio penderet ab humano intellectu per compărationem ad res creatas: cur diceretur, eſſe in Deo potiùs tres luces, quàm quatuor, aut quinque, aut ſex, aut denique totidem, quot in illo attributa reperiuntur? nonne in Deo ſunt luces, miſericordia, juſtitia, potentia, ſapientia, ſcientia, bonitas, & alia hujuſmodi plurima? Cur verò potiùs ex his tribus lucibus, quæ juxta Doctorum Hebræorum aſſertum, in trino Dei nomine יְהוָה יְהוָה אֵל *Deus, Deus, Deus*: Exodi, c. 34. 6. fundantur, quàm ex aliis ibidem poſitis nominibus nempe רחום וחנון ארך אפים ורב חסד ואמת *Misericors, & Clemens, Longanimis, Multus misericordia, & veritate*, ternarius Sephiroth numerus eruitur? Videlicet tria illa Dei nomina ſunt ad exprimendas perſonas: cætera verò attributa ſignificant.

Quartò, ſi nulla inter has luces eſſet realis diſtinctio, ſed eſſent tantùm diverſa nomina ejuſdem rei; vel tota diſtinctio foret ſolùm qualis inter divina attributa reperitur: non eſſet cur ſapientes illi veteres Hebræorum Doctores tàm gravibus verbis myſterii hujus Arcanum proponerent, afferentes eſſe occultiſſimum, difficillimum, & imperſcrutabile; magna ſeveritate inhibentes, ne in ejus inveſtigatione mentis acies diutiùs immergeretur. Audiamus R. Hai Gaon lib. *Pardes Tsafsafoth*, cap. primum; *Sapientes Talmud* (inquit) *peculiari nota inhibuerunt, non declarari hanc sapientiam, & hunc mentis conceptum, quia est supra captum omnis creaturæ: dicendo: Altiora te ne quæsieris, neque in occultis laborabis. Neque est intellectio, quæ possit ad illa pertingere, quia nulla cognitio cujuscumque creaturæ potest ea percipere.* Idem R. Hai Gaon interrogatus ab aliis Doctoribus de tribus hiſce lucibus, dixit: *Responsio ad hanc interrogationem indiget magna profunditate, & fuit in publico proposita longè ante nos, & temporibus generationum præteritarum, & à nostris Veteribus: & ejus declaratio prolixa est, & requirit longum tempus; quia involvitur in Sapientia occulta, & in Arcanis prophetiarum, & traditionum Sapientium egregiorum.* R. Cordoverus ita ſeſe ſubjicerbit: *Hæc materia est illius generis rerum, quarum studium supra modum est vetitum, & solùm debet esse obiter, & sine ulla mora interposita.* Et poſt pauca. *ò utinam studiosus intelligeret hoc objectum! ò utinam etiam imponeret manum suam ori suo! & ò utinam ejus studium esset per transennam in hac declaratione ipsi facta; & à Deo veniam petat quòd scilicet tam alta ausus sit investigare!*

Poſtremò planum eſt ac certum, eoſdem veteres Hebræos, veram & realem proceſſionem, & productionem in Deo agnoviſſe, & conſequenter realem diſtinctionem inter producentem, & productum, ex modo ratiocinandi eorum, qui eſt hujuſmodi: *Fieri non potest ut agens producat aliquid in sua essentia receptum, & quòd essentia mutationem non patiatur. Prima lux scintillando aliam producit lucem, quæ in ejusdem primæ lucis essentia permanet: ergo essentiam permutari necesse est: cùmque lucum essentia sit ipse Deus, Deum oportebit immutari.* Ita argumentatur R. Simeon filius Johai: & reſpondet ad difficultatem à ſe propoſitam: *Eo planè modo id contingit, quo quis lumen accendit de lumine, Deus non est producens deficiens, neque*

Digitized by Google

neque mutatur (absit) ut explicuit R. Aaron, qui idem exemplum de lumine adducit. Porrò si nulla esset inter has luces realis distinctio, superflua esset hujusmodi difficultas, & argumentatio: neque ulla esset, vel leviſſima causa dubitandi de aliqua mutatione in Deo.

Concludimus igitur, Veteres Hebræos agnoviſſe in Deo tres Personas inter ſe realiter distinctas, & cum divina essentia identificatas, sub nomine trium lucum, *lucis antiquæ, lucis clarificatæ, & lucis claræ*: quæ ſi nihil aliud importarent, quàm ſimpliciter epitheta, vel attributa Dei, quid, oro, tàm arduum, & imperceptibile, atque imperſcrutabile præ cæteris attributis continerent? Nonne etiam Philoſophi multi ethnici cognoverunt Deum eſſe lucem antiquam, æternam, clarificatam, claram, & clariſſimam, eodem modo, quo cognoverunt eſſe juſtum, ſapientem, omnipotentem, omnia ſcientem, omnia videntem? Quid ergo erat, cur priſci illi Hebræorum Sapientes trium harum lucum myſterium adeò extollerent, omneſque ab eo curioſiùs inveſtigando deterrerent, tantquam nimis profundo ac ſublimi, omnemque intellectum excedente?

Quòd verò tres has luces, ſeu Perſonas, inter ſe realiter distinctas, cum divina eſſentia identificari crediderint, quamvis ſatis pateat ex eorum ſententiis ſuprà relatis; adhuc tamen clariùs oſtenditur ex aliis eorum dem teſtimoniis. R. Hai Gaon lib. *Tardes Tſabsſabath* cap. 1. *Omnes* (hæ tres luces) *ſunt una lux, una ſubſtantia, & una radix latitans in Infinito.* R. Cordoverus l. c. *Cùm hæc tria occulta ſint in Deo, non ſunt Sephiroth, ſed ſunt ſubſtantia Infiniti, neque eſt cognitio, quæ illas aſſequi poſſit.* R. Chamai l. cit. *Hæc tria nomina omnia ſunt una res, una ſubſtantia conjunctæ conjunctione fortì, ſine ſeparatione & diviſione, & ſine compoſitione in radice omnium radicum*: id eſt in eſſentia Dei. Jam ſuprà monui, ab Hebræis ſapientibus accipi hìc *nomina* in concreto, & pro re nominata. R. Aaron exponens verba R. Chamai: *Sed illa tria ſunt una ſubſtantia, una & eadem res in radice omnium radicum, & ſunt ejuſdem ſubſtantiæ, ſive eſſentiæ. Et benè intelligè, quòd non dixit, ex radice, & ex fonte omnium radicum: ſed in radice omnium radicum; ut ſignificaret magnam unitatem, quam habent in ſubſtantia & natura Dei Benedicti, & ſubſtantia & natura ejus in ipſis.* R. Simeon: *Fontes* (nempe hæ tres luces) *unjuntur cum ſubſtantia, & cum eſſe Principii* (ideſt Dei): *verè ipſi ſunt principia inſtrumentorum; ſed non ſubſtantiæ* (ideſt itaut unuſquiſque habeat peculiarem ſubſtantiam) *quia ipſa ſubſtantia & ipſi totum unum ſunt.* Et paulò poſt: *itaut ipſi* (fontes) *ſint ejus ſubſtantia, aut eſſentia propriè, & totali prorſus identitate, & ſint ſubſtantia radicis* (ideſt Dei). *Et hæc res eſt illius generis rerum, quod ſtudium præſtans in eo, & magna ſpeculatio eſt res ita: ſed debet eſſe curſim, & breviter attingendo, & ſine mora ſuperadhibenda.* Omitto alia teſtimonia Doctorum Hebræorum, quæ poterit Lector in ſuprà laudato Domino Joſepho Ciantes hebraicè, ac latinè relata videre. Unum addo dictum R. Aaron loc. cit. cap. 4. nimirum לטה שהדבר קשה להצטייר שתהייני ג והכל ענין אחר: *Res ſiquidem eſt perdifficilis intellectu, quòd ſint tres, & omnes ſint res una.* Ita eſt, ò Judæi: Ita eſt, ò Mahumetani. Res eſt verè perdifficilis intellectu myſterium hoc altiſſimum, ac diviniſſimum. Sed Deus illud revelavit, & dixit eſſe verum: neque exigit ut intelligatur, vel ut capiatur, ſed tantùm ut credatur.

Neque aliquid refert, quòd hi Doctores Hebræi in nomine trium Perſonarum non utantur vocibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: ſatis enim eſt, ut hæ in ſacris literis expreſsè reperiantur, & in ſubſtantia Sapientes illi nobiſcum conveniant, fatentes in Deo eſſe tres Perſonas (nam & ipſi in Libro *Porta Juſtitiæ*, vocant tres illas Luces פנים הפנימיים *Facies*, ſeu, *perſonas intrinſecas*,) realiter inter ſe diſtinctas, & cum divina eſſentia identificatas. Ad quam veritatem teſtificandam, cùm Summus Sacerdos benediceret Populo, trina benedictione eum trina divini nominis invocatione uttebatur, ut præcipitur in lib. Numer. cap. 6. ubi dixit Deus Moyſi: *Loquere ad Aaron, & ad filios ejus, dicens: Sic benedicetis filiis Iſrael, dicentes eis: Benedicat tibi* יְהוָה *Deus, & cuſtodiat te: Illuminet* יְהוָה *Deus faciem ſuam ſuper te, & miſereatur tui: Elevet* יְהוָה *Deus faciem ſuam ad te, & det pacem tibi.* Sed illud notatu dignum eſt, ut obſervat Petrus Alphonſi in *Dialogo adverſus Judæos*, cap. 6. quòd quoties ſummus Sacerdos in hac benedictione proferebat nomen יְהוָה *Dei*: tres digitos, pollicem, indicem, & medium in utraque manu erectos altiùs efferebat: & deindè, ut prius fuerant, remittebat.

Hinc puto eveniſſe, numerum ternarium non ſolùm in ſacris literis, ſed etiam communiter apud omnes mortales, tamquam myſticum ac ſacrum habitum fuiſſe, præſertim in rebus divinis: cujus rei, quia omnibus notiſſima eſt, hìc teſtes non refero.

Præterea ex hac Hebræorum doctrina exiſtimo priſcos Gentium Philoſophos aliquid profundiſſimi hujus myſterii hauſiſſe: ut ſapienter probat inter alios R. P. Athanaſius Kircherius è Societate Jeſu, vir, & nomine, & re immortalis, & toto penè notus in orbe, in præclariſſimo opere, quod edidit de Obeliſcis; in Obeliſco Pamphilio: in quo explicans primam illius figuram, nempe globum, ſeu circulum alatum, è cujus medio ſerpens erumpit; exiſtimat, in ea Divinæ Triados ſacramentum adumbrari. Idque ut probet, allegat auctoritatem Aben-Ephi Arabis, qui in libro de Religione Ægyptiorum, hæc ſcribit: فلما كانوا يريدون ان يعبروا على الحق وصفة الله مثلثة ويصوروا الدايرة مع جناحين ومنها تخرج الحية وصورة الدايرة تكونوا يدلون على الطبيعة الله غير مدركوكة وغير مفرقة وهي الزلية وغير مبدية وغير عدوبة وصورة الحية للحكمة الله الذي خلق فيه كل ما براه وصورة الجناحان القوة التي هي بحركته تعطي الحياة لكل ما في الدنيا:

Cum

Digitized by Google

Cùm vellent trinam Dei virtutem, & proprietatem indicare, formabant circulum cum duabus alis, ex quo serpens egrediebatur: & per figuram circuli ostendebant naturam Dei incomprehensibilem, inseparabilem, & æternam, sine principio, & fine. Per figuram serpentis significabant sapientiam Dei, qua creavit omnia, quæ sibi visum est creare. Per figuram verò duarum alarum, virtutem Dei motricem, qua dat vitam omnibus, quæ sunt in Mundo. Videtur Auctor non multùm calluisse idiomæ Arabicum; quamobrem fateor, me de illius fide dubitare: & fuspicor esse Auctorem fictum, & P. Kircherio, utpotè viro animi ingenui, pro legitimo, veroque vendito. Allegat etiam fragmentum Sanchuniathonis Syri de Religione Phœnicum in hæc verba: שס רו אספירא אבראיתא כנה ארץ חיא אספירא רו כינא דאלהא דילה לא שורא ולא שולטא ואברא הי מדעה. ורוא רו רוחא דאלהא רכתוא טל עלמא: *Juppiter* (id est, supremum Numen) *sphæra est alata, ex qua producitur serpens. Sphæra divinam naturam ostendit sine principio, & fine. Ala sunt mens ejus: serpens autem Spiritus Dei, qui vivificat omnem Mundum.* Nec multum refert, quòd in harum trium Dei proprietatum explicatione sit apud ethnicos Auctores aliquod discrimen, dum omnes in ternario earum numero assignando conveniant. Mercurius etiam Trismegistus, quem Abrahæ coætaneum fuisse ferunt, aliquid divinæ hujus Triadis ex ejusdem Abrahæ, vel aliorum hebræorum documento fuboluisse videtur: ita enim loquitur in Pimandro: ὁ δὲ νοῦς θεὸς ἄρρενθῆλυς ὤν, ζωὴ καὶ φῶς ἐστὶν ἐξ οὗ ἄνθρωπος ἐγένετο τὸν δημιουργόν, *Mens illa, quæ Deus est, utriusque sexus vim habens, cùm sit vita, & lux, produxit verbo aliam mentem operatricem.* De Trismegisto verò ita scribit Suidas: *Dictus est ter maximus, quia de Trinitate loquutus est dicens; in Trinitate unam esse Deitatem, sic: Erat lumen intelligibile prius lumine intelligibili: Et erat semper mens à mente lucens, ac nihil aliud erat hujus unitas, quàm spiritus omnia circumplectens. Extra hoc non est Angelus, non substantia quadam alia. Omnium enim Dominus, & Pater, & Deus: & omnia sub ipso, & in ipso sunt. Nam Verbum ejus absolutissimum est, ac fœcundum, & opifex in natura fœcunda.* Habentur etiam in Pimandro ex eodem Trismegisto hæc alia verba tamquam à Deo prolata: *Lumen illud ego sum, mens, Deus tuus: mentis verò germen, Verbum lucens, Dei Filius, quorum unio vita est.* Ecce hic Pater, *Mens*: Filius, *Verbum*: Spiritus Sanctus, *Vita*: quem nos etiam *vivificantem* appellamus. Zoroastres quoque Trismegisto coævus vocat Deum πατρικὴν μονάδα *Paternam unitatem*: Et addit hæc verba: πατρικὴ δὲ μονὰς ἢ δύο γεννᾷ, δυὰς γὰρ ἤδη τῷ κάτω. *Extensa est unitas, quæ duo generat: dualitas enim apud eandem* (Unitatem) *sedet.* Omitto alias sententias veterum Philosophorum, & præsertim Platonicorum, à quibus expressissimè in Deo Unitas cum Trinitate collocatur. Neque dicere possunt Mahumetani, has Hebræorum, & Philosophorum auctoritates à Christianis fuisse confictas. Nam quòd ad Hebræos attinet ipsi testes erunt, le esse eorum, quæ illis tribuimus veros auctores. Trismegisti verò, Zoroastri, & cæterorum Philosophorum libros, Christianis esse antiquiores, & in eis illa, quæ allegavimus, contineri, nemo nisi impudentissimus poterit negare, cùm apud alios Philosophos Ethnicos allegata reperiantur. Ingenuè tamen fatemur, in hujus mysterii explicatione tàm Hebræos, quàm Philosophos Ethnicos, aliqua impropria habere, quæ cum doctrina Catholica non conveniunt, nisi benignius explicentur.

CAPUT DECIMUM.

Ex Mahumetanorum principiis probatur Sanctissimæ Trinitatis mysterium.

EX iis, quæ Moslemi de Deo, vel in Deo, credenda esse affirmant, licet percommodè adversus ipsos probare, Sacrosanctæ Triadis mysterium, neque idololatriam, neque ullum absurdum ex iis, quæ nobis objiciunt, continere: imò ex eorumdem principiis posse illius saltem possibilitatem demonstrari.

Sciendum est autem, duas apud Mahumetanos celebcerrimas sectas, inter se omninò oppositas, reperiri

Prima est المعتزلة *Motazelitarum*, ideòt *Separatorum*; quos Pharisæos idcircò rectè possumus appellare.

Secunda est الصفاتية *Saphatitarum*, ideòt, *Attributariorum*. De prima ita scribit Gregorius Abul-Pharegus in libro de Historiis Arabum: اما المعتزلة فالذي يعتمهم من الاعتقاد القول بنفي الصفات القديمة عن ذات الباري تعالي مربًا من قاليم النصاري فمنهم من قال انه تعالي عالم بذاته لا بعلم وكذلك قادر وحي: ومنهم من قال انه عالم تعلم هو ذاته وكذلك قادر وحي: فلاول نفي الصفة رلنًا والثاني ثبت صفة هي بعينها ذات والجملة نفي الصفات متفيش من النلمئة الذين اعتقدوا ان ذات الله تعالي واحدة لا كثيرة فيها بوجه:

Motazelitæ conveniunt universaliter in removendo attributa æterna ab essentia Dei, ut fugiant distinctionem Personarum, quam tenent Christiani. Nonnulli tamen ex illis dicunt, Deum scire non per scientiam sed per propriam essentiam: & ita potentem esse & vivere per propriam essentiam. Alii verò dicunt, illum scire per scientiam, quæ est essentia ipsius: & eodem modo esse potentem, & viventem. Primi negant omninò attributa: secundi concedunt, sed itaut sint idem cum essentia: Omninò autem negatio attributorum desumpta est à Philosophis, qui affirmarunt, Dei essentiam esse unam, nullamque in ea multiplicitatem reperiri. De Secundis verò hæc habet: وبارة المعتزلة الصفانية وهم يثبتون الله صفات ازلية من العلم والقدرة والحياة وغيرها ويلبغ بعضهم في اثبات الصفات كالجميع والبصر والكلام الي حد التجسيم فقال لا بد من اجرا الايات الدالة عليها كالاستوا

Digitized by Google

والمعتزلي بالانتقال الى القلوب والاذان:
ipsum esse aternum, subsistentem in essentia Dei, neque ab ea dividi, aut separari, dum in corda, vel chartas transfertur. Atqui petimus à Sonnitis, utrum Alcoranus ille idealis distinctus sit realiter ab ipsa essentia, nec ne? si non est realiter distinctus, ergo identificatur cum illa, & est ipsamet essentia Dei, & per consequens est Deus; & tantùm nomine, vel per ens rationis est, seu dicitur Alcoranus. Addo, non solùm ab essentia, sed à cæteris etiam attributis, debere realiter distingui hunc Alcoranum: aliquin verè dici poterit, illum esse potentiam, vel scientiam, vel auditum, vel visum Dei.

Hùc accedit, quòd licet Sonnitæ pro hæreticis habeant Saphatitas, conveniunt tamen cum eis in hoc: quòd omnia, quæ de Deo dicuntur in Alcorano, ut audire, videre, sedere, habere manus, oculos, pedes, &c. dicantur de eo, eique competant proprié, & verè, sed ratione prorsùs diffimili ac competant creaturis; in quo diffentiunt sùltem à quibusdam Saphatitis Anthropomorphitis. Ita affirmat Algazelus in Professione Fidei. *Credendum est* (inquit) *quòd*

يري من غير حدقة ولحفان ويسمع من غير

الصمخة واذان كما يعلم بغير قلب ويطش بغير

جارحة ويخلف بغير آلة اذا لا تتصم صفاته صفات

الخلق كما لا تتصم ذاته ذات الخلق: وله تعالى

متكلم امرنا‌هي واعد متوعد بكلام ازلي قديم قايم

بذاته لا يتصم كلام الخلق فليس يصوت يحدث من

اتصال موا وحركات احرام ولا يحرق بتقطع بانطباق

هنة او تعرك لسان وان موسى سمع كلام الله

بغير صوت ولا حرف كما يري الابرار ذات

الله من غير جوهر ولا عرض:

videat sine pupillis, & palpebris, & audiat sine aurium meatu, quemadmodùm scit sine corde, & molitur sine membris, & creat sine instrumentis: cùm non sint similia attributa ipsius attributis creaturarum, nec essentia ipsius essentiæ creaturarum. Præterea credendum est, quòd Deus loquatur, jubeat, prohibeat, promittat, comminetur sermone æterno sempiterno, qui subsistit in essentia ejus, nec similis est sermoni creaturarum, nec consistit voce, quæ oriatur è commotione aeris, & collisione corporum; neque litteris, quæ formentur concursu labiorum, aut motione linguæ. Præterea quòd Moyses audierit sermonem Dei sine voce, & literis, sicut vident Justi essentiam Dei sine substantia, & accidente. Et paulò superiùs loquens de sessione Dei super Thronum, credendum esse ait, انه مستو

على العرش على الوجه الذي قالته والمعنى

الذي اراده لمتوا منزهاً عن الماسة

والاستقرار

كالاستواء على العرش والخلق باليد وغيرهما مما

ظاهرها من غير تعرض للتاويل الا ان قوماً منهم كرهوا

الحس الاعمري وغيره لما ياموا علم الكلام منعوا

التشبيه وما ذلك مذهباً لاهل السنة والجماعة:

Oppositi Motazelitis sunt Saphatitæ, qui statuunt attributa æterna in Deo, scientiæ, potentiæ, vitæ, &c. Quidam verò eorum eò processerunt, ut ponerent in eo attributa visus, auditus, sermonis, qualia sunt in corpore humano: affirmantes verba Alcorani, quæ dicunt, Deum sedere super Thronum, creare manu, &c. accipienda esse propriè, & prout sonant, nec aliter exponenda. Quidam tamen ex illis, sicut Abulhasan Scearienfis, & alii, tractantes Theologiam scholasticam prohibuerunt, fieri in his similitudinem, vel comparationem: & hæc est sententia Sonnitarum, & aliorum Mahumeti: Nimirum sententia apud Moslemos orthodoxa, & Mahumetanica fide firmiter tenenda, quemadmodùm habetur ex professione ejusdem fidei, conscripta ab Algazelo Tusino patre Hamedi, filio Mohammedi, his verbis: ولذا

كانت له هذه الصفات كان حيا عالما قادرا مريدا

مبصرا بصيرا متكلما بالحياة والعلم والقدرة والارادة

والسمع والبصر والكلام لا بمعنى الذات:

*Cùmque competant illi (*ideſt Deo*) hæc attributa; est tamen vivens, sciens, potens, volens, audiens, videns, loquens, per vitam, scientiam, potentiam, voluntatem, auditum, visum, sermonem, non per simplicem essentiam.*

Per hoc manifestum est, Mahumetanos legitimos ponere distinctionem realem inter attributa Dei, & ejus essentiam. Nam si esset tantùm distinctio rationis, vel per solum intellectum, approbarent sententiam Motazelitarum, quam tamen, ut falsam & hæreticam rejiciunt. Porrò idem est si dicas, Deum v. g. scire non per scientiam, sed per essentiam: ac dicere, Deum scire per scientiam, quæ sit ipsa essentia. In hoc enim secundo modo dicendi solùm potest concipi aliqua distinctio rationis inter essentiam, & attributa. Si enim esset distinctio realis, jam Motazelitæ convenirent cum Sonnitis. Et ideò Sonnitæ utrumque dicendi modum æquè rejiciunt. Porrò si attributa Dei prædicta identificarentur cum illius essentia: malè dicerent Moslemi, Deum velle, scire, vel posse per voluntatem, scientiam, & potentiam, non per simplicem essentiam. Itaque velint, nolint, coguntur ponere in Deo distinctionem veram & realem inter attributa, & essentiam illius.

Magis ostenditur vis argumenti ex eo; quòd Sonnitæ, seu Moslemi Orthodoxi, eodem modo volunt subsistere in essentia Dei hæc attributa, ac subsistat Alcoranus. Est enim fidei dogma inter eos, Alcoranum esse increatum, & subsistere in essentia Dei, eodem modo quo subsistunt attributa. Ita Algazelus in Professione Fidei: *Credere* (inquit) *oportet de Alcorano,* انه قديم قايم بذات الله لا يقبل الانفصال

Digitized by Google

والامتقرار والتمكن والحلول والانتقال:

Quòd Throno insideat, eo modo quo ipse dixit, & in eo sensu, quem ipse intendit, sessione remota à contactu, & insidentia, & situ locali, & existentia in altero, & motu locali. Itaque concedunt Sonnitæ, Deum audire, videre, sedere, loqui, &c. per aliquid distinctum à simplici essentia. Atqui hoc, si benè res perpendatur, coincidit cum sententia mitiori Saphatitarum, quam tenuit Abul-hasan, aliique doctiores Mahumetanorum: imò Sonnitæ ipsi tamquam orthodoxam profitentur. Dummodò enim nulla fiat comparatio, vel affimilatio ad creaturas, intelligenda esse ad literam, quæ de Deo Alcoranus habet, affirmant. Quomodò autem hæc fieri possent, neque intelligunt, neque curiosiùs exquirunt. Dicunt enim (teste Sciaher Settanio, quem citat Pocokius in suis notis ad Abulpharegum) مرفنا بمقتضى العقل ان

الله ليس كمثله شئ فلا يشبه شيا من المخلوقات:

Nos scimus ex dictamine judicioque intellectus, nullam rem esse similem Deo, nec Deum ulli rei creatæ esse similem. Quo posito nihil aliud curabant, nisi firmiter credere, انه لا عديل له ولا يكون كمثله ش:

nullum Deo esse socium, aut consortem, & nihil esse simile illi. Quamobrem refertur de Malec filio Anas, quòd dixerit, الاستواء مجهولة والايمان به واجب

والسوال عنه بدعة: *Quomodò Deus sedeat super Throno, ignotum est: sed hoc credere, est necessarium: curiosiùs autem de eo inquirere, hæresis est.*

Dicant nunc nobis Mahumetani Sonnitæ, quid sint attributa ista in Deo, realiter distincta ab ejus essentia, quamvis in illa subsistant: sunt ne substantia, an accidens? Non possunt respondere, esse accidens, quia in prædicta eorum fidei professione excluduntur à Deo accidentia: dicitur enim in ea: لا تحله

الحوادث ولا تعتوره العوارض: *Non subsistunt in eo contingentia, neque adveniunt ei accidentia:* imò aliquid majus additur, nimirum credendum esse, انه ليس بجوهر ولا تحله الجواهر ولا بعرض ولا تحله

الاعراض *illum non esse substantiam, neque subsistere in eo substantias: neque esse accidens, neque subsistere in eo accidentia.* Hoc autem est contra omnem Philosophiam: quidquid enim est, vel est substantia, vel accidens. Ergo si ista attributa non sunt in Deo accidens, in quo omnes conveniimus, erunt substantæ. At nulla potest esse in Deo substantia, quæ non sit identificata cum essentia (alioquin Deus esset divisibilis in partes: & præterea substantiæ subsisterent in illo, quod est contra jam asserta): Ergo, velint, nolint, Mahumetani coguntur ponere in Deo distinctionem realem inter attributa, & essentiam, & inter ipsa attributa ad invicem. Atque ita si Christiani per eos sunt infideles, quia ponunt in Deo tres personas, seu proprietates, distinctas quidem realiter inter se, sed identificatas cum essentia: ita ut non resultet nisi unus Deus: quomodò non erunt magis infideles Mahumetani, dum ponunt in Deo tot attributa realiter distincta inter se, & ab essentia illius? hoc Sonnitis objiciebant Motazelitæ, prout refert Auctor libri: الواقف *Almazakeph* his verbis: كفروا النصارى بقولهم الثلثة فكيف الجمعة او لكثر

Infideles sunt Christiani, eo quòd ponant tria æterna: quantò magis erunt illi, qui ponunt septem, vel plura? Neque dicere possunt Sonnitæ, non posse de attributis illis prædicari Deum, ita ut unumquodque eorum sit Deus, sicut Christiani asserunt unamquamque personam esse Deum. Nam quidquid est in Deo, cùm non possit esse accidens, etiam juxta ipsorum sententiam, & per consequens sit substantia, vel essentia (nam pro eodem hæc duo accipimus in Deo) necessariò est Deus: & hoc cognoscunt omnes ferè mortales lumine naturæ: alioquin Deus esset divisibilis in partes, quod absurdum, & impium est vel cogitare. Coguntur igitur Sonnitæ, vel amplecti doctrinam Motazelitarum, negando in Deo omnia attributa, quod ipsi tamquam hæresim detestantur: vel fateri, plures esse Deos inter se distinctos unà cum illo Deo, quem nos Christiani unicum fatemur. Quòd si respondeant, se quidem credere omnia attributa illa esse Deum, quamvis distincta sint realiter inter se, & ab essentia; nec tamen esse plures Deos, sed unum tantùm Deum: se tamen non posse, nec teneri hoc intelligere, neque hujus rei reddere rationem: cur igitur tam acriter insurgunt in Christianos, si Trinitatis à se creditæ mysterium non possint plenè intelligere, vel rationibus evidentibus demonstrare?

Hoc Argumento convicti, ut opinor, Margitæ Kadrienses (qui sunt una ex sectis Mahumetanorum) ut refert Ismael filius Aly in sua Historia, cap. de sectis Moslemorum, dixerunt: ان قول القايل ثالث

ثلثة ليس بكفر لكنه لا يظهر الا من كافر:

Dictum dicentis, Tertius trium, non est infidelitas: licet non usurpetur palàm nisi ab infideli. Quod idem est, ac dicere: Asserere tres Personas in Deo, ita ut Christus sit tertia earum (Syri enim Christiani vocant Christum tertium Trinitatis) non est sententia, quæ contineat aliquid contra veram Fidem, licet talis modus loquendi non usurpetur palàm, nisi à Christianis: Quin etiam Garabitæ (est alia secta Mahumetanorum, de qua idem Ismael ibidem) asserebant, الالهة

لخمس لشاس اصحاب الكساء وهم محمد وعلي وفاطمة والحسن والحسين وقالوا خمستهم هي واحد:

Divinitatem habere quinque Personas gloriosas; nempe Mahumetum, Aly, Phateman, Alhasan, & Alhoseïn: & has quinque, esse rem unam.

Præterea reperitur inter recentiores Mahumetanorum Sonnitarum sectas, quædam eorum, qui apud Turcas vocantur *Efcraki*, idest *Illuminati*: de quibus Auctor Historiæ Imperii Othomannici hodierni, testis oculatus, lib. 2. cap. 12. hæc habet: *Secta eorum, qui vocantur Efcraki, seu Illuminati, est merè Pythagorica. Qui eam profitentur, in contemplatione divinæ Ideæ, & numerorum, qui in Deo sunt, præcipuè versantur. Quamvis enim Deum*

Digitized by Google

unum esse credant, non tamen negant illius Trinitatem: eam quippe velut numerum considerant, qui ab unitate procedat. Et ut melius sententiam hanc suam persuadeant, utuntur plerumque comparatione trium flexurarum, seu plicarum, quæ sunt in sudariolo, seu linteolo, quod potest benè admittere denominationem ternarii numeri, quamvis re vera sit unum tantùm cùm explicatum, extensumque fuerit. In hujus sectæ hominum laudes latè diffunditur Auctor. Ex quibus patet Mahumetanos sapientiores, & qui rem non ex Mahumeti crassitie, sed ex ratione, ac veritate metiuntur, non solùm à Sacrosanctæ Triados mysterio non esse alienos, sed etiam illud approbare, & amplecti. Neque prætereundum est, Ahmed Ebn-Edris Doctorem Mahumetanorum insignem (quem alium ab Ahmed filio Abdalhalim esse puto) ab ipsa veritate convictum, ultrò concedere, omnia Dei attributa, quæ septem ipse enumerat; nempe

العلم المعبر المجمع القدرة الكلام الارادة الحياة:

Scientiam, Visum, Auditum, Potentiam, Sermonem, Voluntatem, Vitam; posse verè appellari, immò esse Deum: ait enim:

كل احد من التسعة الـــه

لان كل واحد منها معاو لكل واحد الثلثـة الاولى:

Unumquodque ex novem (attributis) *est Deus: quia quodlibet ex eis æquale est uniciuique ex tribus primis.* Quidquid sit de ratione allata, nobis satis est, illum approbare, quodlibet attributum esse Deum: & per consequens, cùm attributa juxta ipsum sint ab essentia, & inter se realiter distincta; in uno Deo non solùm plures Personæ, sed etiam plures reperientur Dii: quod nemo non videt quantum sit absurdum. Nam, ut benè ratiocinatur Maimonides Judæus in Prologo *Tirkę*, valet consequentia *ad asserendos plures æternos à positione attributorum*. Hoc non sequitur in mysterio Trinitatis, in quo Personæ identificantur cum una eademque essentia.

Omitto hìc recensere fabulam, qua fingit Ahmed, invectum esse post mortem Christi inter ejus asseclas mysterium Trinitatis, cùm nonnisi mendacia, & nugas risu tantùm explodendas contineat.

CAPUT UNDECIMUM.

Refellitur quarta causa allata à Mahumeto mutatæ Christianæ Religionis, quæ est Christi Divinitas.

HOc ferè unum molitus est Diabolus per Mahumetum, ejusque Alcoranum, Christo divinitatis gloriam auferre; id quod per Arium minus feliciter ipsi successerat: persuadendo rudioribus populis, præsertim Arabibus, illum neque Deum, neque verum Filium Dei esse, aut dici debere. Sed videamus primò, quibus argumentis probet id Mahumetus in Alcorano: cùmque ad illa respondemus; aliis, quæ contra Christi divinitatem Mahumetani objiciunt, satisfaciemus.

Primum Argumentum est in Sura 5. للمائدة *de Mensa*, vers. 78. hujusmodi لقد كفر الذين قالوا ان الله هو المسيح ابن مريم وقال المسيح يا بنى اسرائيل اعبدوا الله ربى وربكم انه من يشرك بالله فقد حرم الله عليه الجنة:

Infideles porrò jam sunt, qui dicunt Deum esse Christum Filium Mariæ. Christus enim dixit: O Filii Israel, servite Deo Domino meo, & Domino vestro. Porrò qui tribuerit Deo socium excludet illum Deus à Paradiso.

Respondetur facilè, Christum non solùm esse Deum, sed etiam hominem. Cùm igitur vocat Deum, *Dominum*, vel *Deum suum* (nam non negamus illum ita vocasse, quamvis non iis verbis, quæ mendaciter allegat Mahumetus) loquitur non ut Deus, sed ut homo: Aliquandò enim Christus gerebat se ut Deum, aliquandò ut hominem. Ita quippe erat verè Deus, sicut erat verè homo: neque ut Deus erat Filius Mariæ, sed ut homo: quod in sequentibus probandum, nunc supponimus. Ad illud quod additur, excludendum esse à Paradiso eum, qui tribuit Deo socium, respondetur: Christum ita esse Deum, ut non sit Deus alius à Patre; imò est ipse Deus cum Patre. Quare cùm dicimus, Christum esse Deum, non propterea socium in divinitate Deo tribuimus. Hæc duo responsa sufficiunt ad dejiciendas, prorsùsque infringendas omnes Mahumetanorum machinas contra Christi divinitatem.

Secundum Argumentum est in eadem Sura, vers. 81. his verbis: ما المسيح ابن مريم الا رسول قد خلت من قبله الرسل وامه صديقة كانا يأكلان الطعام:

Non est Christus Filius Mariæ, nisi Legatus: jam præcesserunt ante eum cæteri Legati: & Mater ejus fuit verax: ambo comedebant cibum.

Respondemus, Christum fuisse sanè Legatum, missum à Deo sicut Moysem, & alios Legatos, quamvis multò excellentiori, & nobiliori modo: non tamen fuisse Legatum quatenùs Deus, sed quatenùs homo erat. Quòd Mater ejus fuerit verax, nos quoque confitemur, præsertim in eo sensu, in quo vocat eam Mahumetus veracem; quia scilicet nunquam dixit, vel credidit, se esse Deum, vel Deam, qualem fuisse Collyridiani, ut suprà vidimus, contendebant. Denique quòd Christus, quemadmodùm etiam mater ejus, comederet cibum, non probat illum non fuisse Deum: hoc enim faciebat ut homo, non ut Deus; eo ferè modo, quo homo, qui est animal rationale, comedit, & bibit, non ut rationale, sed ut animal: & crescit atque adolescit non quoad animam spiritualem, sed quoad corpus materiale. Ut enim homo constat partibus metaphysicis; ita etiam partibus physicis, quarum operationes sunt realiter distinctæ:

Tertium Argumentum sit ibidem, vers. 19. ita: لقد كفر الذين قالوا ان الله هو المسيح ابن مريم قل فمن يملك من الله شيئا ان اراد ان يهلك المسيح ابن مريم وامه ومن في الارض جميعا ولله ملك السموات والارض:

Infideles sunt qui dicunt, Deum esse Christum Filium Mariæ. Dic illis: Et quis posset Deum impedire, si vellet perdere Christum Filium Mariæ, & matrem ejus, & omnes terrigenas? Dei enim est regnum Cælorum, & Terræ.

Re-

Digitized by Google

Respondemus: si Deus vellet perdere, & ad nihilum redigere Christum quoad humanitatem, & matrem ejus, omnesque terrigenas quoad totum esse illorum: posset sine dubio id facere, nec ullus valeret eum impedire. Non tamen perdere posset Christum quoad divinitatem, neque possibile est cadere in Deum talem voluntatem, quia perderet seipsum & essentiam suam, quod omninò repugnat. Fatemur verò & nos, Deum esse Dominum Cœli, & Terræ, & rerum omnium, quæ sunt in eis; & consequenter etiam Christi; sed quatenùs homo est: nam quatenùs est Deus, est unus atque idem Dominus cum Patre Cœli, & Terræ, omniumque rerum creatarum.

Quartum habetur Sura 4. النساء *Mulieres*. vers. 170. hoc modo: انما الله اله واحد سبحانه ان يكون

لـــه ولـــد لـــه مـــا فى السموات وما فى الارض:

Certè Deus est Deus unicus. Absit ut sit illi Filius. Illius est quidquid in Cœlis, & in Terra reperitur.

Respondemus, Deum esse unicum, & tamen habere Filium. Non enim repugnant hæc duo in Deo: Filius quippe non est Deus aliius à Patre, licet sit alia Persona: sed est ipsemet Deus unus cum Patre, cùm habeat eandem essentiam, & eadem attributa essentialia.

Quintum, Sura 5. المائدة *Mensa* v. 122. his verbis:

قال الله يا عيسى ابن مريم أانت قلت للناس اتخذونى

وامّى الهين من دون الله: قال سبحانك ما يكون

لى ان اقول ما ليس لى بحقّ ان كنت قلتُه فقد

علمتـــه: *Et* (memento) *cum dicet Deus* (Christo in die Judicii): *O Jesu fili Mariæ, tu ne dixisti hominibus; accipite me, & matrem meam in duos Deos præter Deum? Respondebit*: *Laus tibi*: (ideſt absit hoc): *Non est meum ut dicam de me id quod mihi non convenit. Si hoc dixissem, tu utique scires.*

Certè ita est: numquam dixit Christus hominibus, ut colerent se, & Matrem suam tamquam duos Deos, præter unum Deum. Sæpè tamen dixit, se esse Filium Dei, & Deum, sed non præter Deum: verùm unum eundemque Deum cum Patre, ut inferiùs latè probabimus.

Sextum, Sura 39. الزمر *Caterva*, v. 5. ubi dicitur.

لو اراد الله يتخذ ولدًا لاصطفى مما يخلق ما يشاء

سبحانه هو الواحد القهار خلق السموات والارض:

Si voluisset Deus habere Filium, elegisset sine dubio ex creaturis suis eam, quæ sibi placuisset. Sed absit hoc: ipse enim est unicus, omnibus superior. Creavit cœlos & terram. Explicat Gelaleddinus. ما يشاء

اى غيـــر مَن قالوا للملائكة بنات الله

وعزيـــر ابـــن الله والمسيـــح ابن الله:

Eam, quæ sibi placuisset: ideſt, præter eas, quas dixerunt: nempe Angeli sunt filii Dei: Ezra est filius Dei: Et Christus est Filius Dei: ideſt præter Angelos, ut volebant, Meceani; & Esram, ut Judæi, & Christum, ut Christiani afferebant.

Sed neque Mahumetus, neque Gelaleddinus sciunt quid blaterent. Nam si loquamur de filiatione Dei adoptiva; potest utique Deus eligere in filium quem voluerit: & hoc modo elegisse Christum, quemadmodùm etiam alios Justos, concedunt Mahumetani: imò omnes Angeli, & omnes homines justi, dici possunt verè filii Dei adoptivi, confirmantibus id Sacris Scripturis. Si verò loquamur de filiatione Dei naturali, nullo modo potest Deus eligere in Filium aliquam creaturam: filius enim naturalis, debet procedere vivens à vivente in similitudinem naturæ, itaut sit ejusdem substantiæ cum patre. Repugnat igitur, ut qui est Filius Dei naturalis, sit creatura, & ut Deus eligat sibi Filium naturalem pro arbitrio, quem voluerit; cùm sicut necessariò cognoscit, & intelligit seipsum, ita necessario producat conceptum sui, quem nos Filium Dei naturalem esse affirmamus.

Septimum, Sura 21. الانبياء *Prophetæ*, v. 22. ita:

لوكان فيهما آلهـــة الّا الله لفسدتـــا:

Si essent in iis (scilicet cœlo, & terra) *alii Dii præter Deum, certè corrumperentur.* Explicat Gelaleddinus:

خرجتا عـــن نظامهـــا المشاهـــد لوجـــود

التمانع عـــلى وفق العادة عند تعدد الحاكـــم

من التمانـــع فى الســـى وعدم الاتفاق عليـــه:

Exirent (cœlum, & terra) *ab ordine suo præsenti? eo quòd alii alios impedirent in convenienti conservatione confuetudinis ob multitudinem gubernantium, ex mutuo impedimento in rebus disponendis, & ex defectu concordiæ circa eas.*

Verùm hoc argumentum non militat contra Christi divinitatem, sed contra pluralitatem Deorum: imò neque contra plures Deos: nam si per impossibile plures darentur Dii, quilibet eorum esset infinitè sapiens, justus, providus, &c. & ita convenirent inter se in omnibus, nec alii aliis ulla in re adverfarentur. Hoc tamen non facit ad rem nostram. Nos enim cum dicimus Christum esse Deum, non ponimus plures Deos, cùm sit unus atque idem Deus cum Patre, à quo generatur.

Octavum, Sura 10. يونس *Jonas*, v. 67. قالوا اتخذ

الله ولدًا سبحانه هو الغنـــى لـــه ما فى السموات

وما فى الارض ان عندكـــم من سلطان بهـــذا

أتقولـــون عـــلى الله مـــا لا تعلمـــون:

Dicunt: Genuit Deus Filium. Absit hoc ab eo: ipse enim est ille dives, cujus est quidquid in cœlis, & in terra reperitur. Nullam habetis hujus rei probationem. An loquimini de Deo id, quod ignoratis?

Argumentum est duplex. Primum: Deus est dives omnium rerum, Dominus cœli, & terræ, nec indiget ulla re, neque filio, qui ipsum adjuvet, vel ipsi succedat. Secundum: Absque ulla auctoritate, vel fundamento affirmant Christiani, Deum habere Fi-

Digitized by Google

Filium. Ad primum respondemus, magnum esse hac in re inter Deum, & homines discrimen. Homines enim cupiunt habere filios, ut habeant adjutores, & successores, quia ipsi imbecilles sunt, & defectibiles: Deus verò genuit Filium, quem neque adjutorem habet, quia est ejusdem secum essentiæ, & potentiæ: neque successorem, quia est cœternus: neque gignendo filium, acquirit aliquid, quod ante non haberet. Quòd si objeciant Mahumetani: Quæ ergo est causa Deo gignendi filium? Respondebimus, gignere filium esse in Deo proprietatem naturalem, & necessariam: sicuti naturale, & necessarium est homini esse rationalem: neque hujus rei ulla requiritur causa. Quòd spectat ad secundum argumentum, vel ad secundam partem ejusdem argumenti, paulò inferiùs respondebimus.

Nonum, Sura 23. المؤمنون *Fideles*, v. 92. his verbis:

ما اتخذ الله من ولد وما كان معه من

اله اذا لذهب كل اله بما خلق ولعلا بعضهم

على بعض سبحان الله عما يصفون:

Non genuit Deus ullum filium, neque fuit unquam cum eo alius Deus: alioquin quilibet Deus abstulisset sibi id, quod creasset, & unus insurrexisset super alium. Absit hoc, quod illi attribuunt.

Argumento huic suprà satis jam responsum est. Addo hic, aliud esse, Deum gignere, vel habere filium; aliud verò habere alium Deum socium; cum Pater & Filius sint unus atque idem Deus, & unus creator omnium rerum. Quamobrem nulla est ratio, quòd unus vel auferat sibi id, quod creavit, vel insurgat supra alterum. In eo etiam casu, in quo per impossibile essent plures Dii, ut superiùs ostendimus, non sequerentur absurda illa, quæ supponit Mahumetus.

Decimum, Sura 72. الجن *Dæmones*, v. 2. Ubi Dæmones ita colloquentes inducuntur:

لن نشرك

بربنا احدا وانه تعالى جد ربنا ما اتخذ صاحبة ولا ولدا:

Numquam ponemus ullum socium cum Domino nostro. Absit hoc à Majestate Domini nostri. Non accepit uxorem, neque habuit filium. Et Sura 6. الانعام *Pecora*, v. 96. بديع السموات والارض انى يكون له ولد ولا

تكون له صاحبة: *Creator cælorum & terræ, quomodò habebit filium, cùm non habeat uxorem?*

Hoc argumentum meritò ex ore Dæmonum, & ex Sura illa, in qua agitur de pecoribus, eruitur. Nullum enim meretur habere, qui illud proponat, quàm Dæmonem; & nullum auctorem, quàm illum, qui pecuinum, prorsùs brutale habuit ingenium; & qui cùm totus esset mulieribus & libidini addictus, nunquam putavit, posse sine adjutorio fœminæ haberi filium. Primi illi naturalis Theologiæ Magistri, qui arcana ejus mysteria, sub fabularum velamine proposuerunt, Palladem Sapientiæ Numen è Jovis capite sine fœminæ opera prognatam esse tradiderunt: per quod posse Deum ex seipso sine alieno concursu aliquid progignere significaverunt. Verùm quid opus est fabulis? divina ipsa Sapientia, se genitam & natam ex Deo testatur, nec tamen fœminam ullam Dei sociam commemorat. Sic enim loquitur in Proverbiis Salomonis, cap. 8. *Dominus possedit me* (Hebraicè קנני *acquisivit me*: quo verbo usa est Heva, quando peperit Cain, ut sit idem, ac *peperit me*) *in initio viarum suarum, antequam quidquam faceret à principio. Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram: ante colles ego parturiebar.* Et in libro Ecclesiastici, cap. 24. sic loquitur de se eadem divina Sapientia: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Quid respondebit ad hæc Mahumetus? negabitne divinam Sapientiam ex Deo conceptam ac natam, quia Deus non habet uxorem? Sed relinquendus homo carnalis, & mulierosus in ganea, non in schola, nisi fortè ferula, vel fuste erudiendus.

CAPUT DUODECIMUM.

Argumenta Mahumetanorum contra Christi divinitatem.

PRimum contra Christi divinitatem argumentum sit à Mahumetanis ex absurdo, quod sequeretur, quòd si Christus esset Deus, Deus natus fuisset ex muliere, & prætereà, crucifixus, passus, ac mortuus: quæ de Deo asserere, summam continet impietatem. Urget argumentum Ahmed filius Abdal-halim ex doctrina Jacobitarum, & Melkitarum: quorum primi comparabant unionem humanitatis, & divinitatis in Christo, commixtioni lactis, & aquæ: Secundi verò, ferro ignito, & unioni animæ cum corpore: quibus comparationibus admissis, ita contra nos paralogizat:

ومعلوم انه لا يصل اي الى شي

الا وصل اي الذين فانه لا يميز احدهما عن الاخر

وكذلك النار التي في الحديد مي طرق الحديد والصف

عليه بعنف ذلك النار التي فيه والمدن اذا ضرب

وعذب بعنف الم الضرب والعذاب للنفس وكان حقيقة

تمسهم بنقيض ان اللاهوت اصابه ما اصاب الناسوت

من اهانة البهتان وتعذيبهم واللامهم له

والصلب الذي ادعوه وهذا لازم على القول بالاتحاد

فان الاتحاد لو كان ما يصاب احدهما لا يشركه

الاخر فيه لم يكن هذا اتحاد بل تعدد:

Certum est nihil pertingere ad aquam, quod non pertingat ad lac cum ea mixtum: non enim distinguitur unum ab alio. Et ita ignis, qui est in ferro, penetrat totum ferrum, & conjungitur illi, itaut quidquid accidit ferro, partiepetur ab igne. Corpus etiam cùm percutitur, & torquetur, dolor percussionis, & cruciatus sentitur ab anima. Exigit igitur veritas harum similitudinum, ut quod evenit humanitati de injuriis, tormentis, & crucifixione Judæorum, quam ipsi credunt, evenerit etiam divinitati: & hoc necessario exigit

git ratio unionis: Nam ſi in unione id, quod contingit uni unito, non participetur ab altero, jam non erit unio, ſed numerica diſpoſitio.

Reſpondemus, in comparationibus non exigi adæquatam veritatem rei comparatæ ad illam, cum qua comparatur; ſed ſatis eſſe, ut verificetur illud, quod præcipuè intenditur probari. Optimè congruunt tres propoſitæ ſimilitudines, quatenùs ſicut in lacte aquæ commixto, nulla pars ſenſibilis aquæ poteſt aſſignari, quæ non ſit lacti conjuncta: & in ferro ignito nulla pars ferri, cui non ſit adjunctus ignis: nulla etiam pars in corpore humano, quæ non informetur ab anima: ita nulla pars humanitatis Chriſti erat in corpore, ſive in anima illius, quæ non eſſet unita divinitati. At verò dici non poterat, quòd quidquid uni parti unitæ eveniebat, eveniret etiam alteri: non enim hoc eſt neceſſarium: imò falſum eſt abſolutè hujuſmodi principium, quòd ſcilicet quidquid uni parti unitæ, vel uni unito evenit, debeat neceſſariò etiam alteri evenire. Pro quo notandum eſt, duobus præcipuè modis fieri poſſe duarum rerum unionem. Primo modo, ita ut ex duobus fiat unum tertium, & nihil realiter remaneat de utroque unito. Et in hoc caſu verè quidem, ſed impropriè dicetur: quidquid evenit uni unito, evenit etiam alteri. Dico impropriè, quia jam non ſunt duæ res realiter diſtinctæ, ſed una tantùm. Porrò unio humanæ, divinæque naturæ in Chriſto, non fuit hujus generis. Secundo modo fieri poteſt unio duarum rerum, ita ut realiter unaquæque ſuum eſſe retineat: & talis eſt unio lactis, vel vini cum aqua (ſaltem in communi ſententia), ignis cum ferro, & animæ cum corpore. Quòd enim hæc retineant ſuum eſſe, licet unita, patet, quia poſſunt ab invicem ſeparari etiam poſt unionem, ut patet in anima & corpore, & in aliis duobus exemplis allatis. In hoc verò ſecundo genere unionis, falſum eſt, quidquid contingit uni unito, alteri etiam contingere debere. Nam certum eſt multa accidere in corpore, quæ nihil animam afficiunt: & è converſo. Neque etiam dubitandum eſt, lac, vel vinum aquæ commixtum, recipere poſſe aliquid ab extrinſeco agente, vel etiam habere in ſe aliquam activitatem, quorum neutrum aquæ conveniat. Et licèt aliquis pervicaciter aſſereret, in unione duarum rerum materialium, præſertim ſymbolarum, ut aquæ & lactis, verificari illud principium; non tamen curreret paritas in unione duarum rerum, quarum una eſſet materialis, altera verò immaterialis: cujuſmodi ſunt humanitas ratione corporis, & divinitas Chriſti. Ita, licet Deus ſit intimè præſens, & unitus omnibus rebus, non tamen obnoxius eſt accidentibus, & paſſionibus earumdem rerum.

Secundum argumentum deſumit Adverſarius ex eo, quòd Chriſtus in Cruce dixerit: *Deus meus, Deus meus, quare dereliquiſti me.* Quibus verbis abutitur ad Chriſti divinitatem oppugnandam, hoc modo.

نم للصلوب هو اللاهوت هو المتعنين المتضرع وهو
المتعنات به: وايضاً فهم يقولون ان اللاهوت
والناسوت شخص واحد فمع القول بانه شخص واحد
لما ان يكون مختلفين ولما ان يكون مختلفاً به
ولما ان يكون داعياً ولما ان يكون مدعواً فاذا
قالوا ان الداعي غير المدعو لزم ان يكونا اثنين لا
واحد واذا قالوا مما واحد فالداعي هو المدعو

Et ipſi dicunt; illum, cujus audiebant homines ſermonem, fuiſſe Divinitatem, ſicut audiebat Moyſes verba Dei ex rubo; & dicunt; ambæ (divinitas nempe, & humanitas) ſunt perſona una. Et quidam eorum dicunt: ſunt ambæ voluntas una, & natura una. Et ſermo quidem eſt in voluntate loquentis: unde neceſſariò ſequitur, ut is, qui loquitur, ſit precans & auxilium petens: & denique ille, qui crucifixus eſt, ſit divinitas, quæ ſimul auxilium petit, & ſupplicat, & ſimul ab ea petitur auxilium. Præterea dicunt: divinitas, & humanitas ſunt perſona una: & cum hoc quòd ſint perſona una, vel eſt ſupplicans & rogans, vel eſt ſupplicata & rogata. Si dicant rogantem eſſe diverſum à rogato; neceſſariò ſequitur, ut ſint duo, non unus. Quòd ſi dicant eſſe utrumque unum: idem erit rogans, & rogatus.

Ex hoc Doctoris Mahumetani paralogiſmo patet, hominem animalem, qualis erat ille, non percipere ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Inſtruendus tamen eſt, & erudiendus faciliori, qua fieri poſſit, ratione. Reſpondemus itaque, Filium Dei, vel Deum, fieri hominem, ſeu incarnari, nihil aliud eſſe, quàm illum aſſumere naturam humanam, eamque in ſua perſona unire cum natura divina, cum qua eadem perſona realiter identificatur: & hoc ſine ulla prorsùs mutatione in ipſo Deo, & ejus perſona, vel natura. Ex hac unione duarum naturarum in una perſona, vel ſuppoſito, conſtituitur Chriſtus, qui propterea habet unicam perſonam, ſeu ſuppoſitum divinum; & duas naturas, divinam, & humanam. Unicuique autem naturæ remanet ſua voluntas, ſuæque proprietates; ita ut in Chriſto ſint duæ voluntates, divina ſcilicet, & humana: & ita duo intellectus, &c. Et quamvis ſit vera duarum naturarum unio, nulla tamen eſt permixtio, vel confuſio illarum. Porrò quia actiones, & paſſiones dicuntur de ſuppoſitis, & in Chriſto eſt unicum divinum ſuppoſitum utriuſque naturæ, ideò naturæ communicant ſibi mutuò actiones, & paſſiones ratione ejuſdem ſuppoſiti. Et ita verè dicimus: Deus eſt homo, Deus natus eſt, Deus paſſus eſt, ac mortuus: ideſt: ille, qui eſt Deus, nempe Chriſtus, eſt homo, natus eſt, paſſus eſt, ac mortuus, non quatenùs eſt Deus, ſed quatenùs eſt homo. Malè verò diceretur: divinitas eſt homo, nata eſt, paſſa eſt, ac mortua: quia Divinitas non includit formaliter ſuppoſitum, vel perſonam. Ita è converſo dicimus: Homo eſt Deus, homo eſt æternus, homo eſt omnipotens: ideſt, ille idem Chriſtus, qui eſt homo, eſt etiam Deus, æternus, & omnipotens. Præterea verè dicimus: Chriſtus eſt Deus, & Chriſtus eſt homo: & Chriſtus eſt finitus, & Chriſtus eſt infinitus: Chriſtus eſt

æqua-

وهم يقولون الذي كان يسمع الناس كلامه هو
اللاهوت كما سمع موسى كلام الله من الشجرة
ويقولون مما شخص واحد ويقول بعضهم مما مشيئة
واحدة وطبيعة واحدة والكلام لما يكون بمشيئة
المتكلم فيلزم ان يكون المتكلم الداعي المتضرع

Digitized by Google

æqualis Patri, & Christus est minor Patre: & alia hujusmodi, ratione diversarum naturarum in Christo. Hoc verò non esse aliquid absonum, vel contra divinæ Majestatis honorem, facilè intelligemus, si consideremus, non raro referri in Sacris literis, Deum assumpsisse figuram hominis, non quidem veri, sed aerei & apparentis: & tamen sub ea figura, licet non hypostaticè unita divinæ naturæ, prædicari quædam de Deo, quæ illi re vera non conveniunt, immò sunt aliquandò indecora. Nam quando Deus creavit Adam, constat ex sacræ paginæ verbis, illum figuram aliquam visibilem hominis assumpsisse, in qua posset manibus limum terræ pertractare, & corpus plasticum ex illo formare; itemque ore insufflare in faciem ejus, & pedibus ambulare ad auram post meridiem: manibus item tunicas pelliceas Protoplastis conficere: humanas etiam voces formare, quas illi audirent, quæ omnia Deo tribuuntur, & ab eo facta esse dicuntur: licet re vera essent actiones non Dei, ut Dei, sed quatenùs erat sub illa figura, quam assumpserat. Eodem modo quando apparuit Abrahæ sub figura trium virorum, legitur comedisse, & bibisse, & alia fecisse, quæ Deo, ut Deo, minimè conveniunt. Quid ergo magnum est, si cùm Deus idem naturam suam cum humana hypostaticè univit in Christo, prædicentur de illo ea, quæ ipsi, ut Deo, minimè conveniunt? Neque verò credant Mahumetani, Christianos esse tàm stupidos, ac stipites, ut credant Deum, quatenùs Deus est, aliquid per incarnationem passum fuisse, aut mutationem aliquam, vel minimam in se recepisse, & multò minus, Deum esse desiisse:

Per hæc, quæ diximus, patet responsio ad ea, quæ nobis Ahmed objiciebat. Hic porrò cùm in multis hallucinetur, in eo etiam turpiter errat, quòd commune Christianorum Orthodoxorum dogma, cum particularibus quorundam Hæreticorum erroribus confundat. Nam licet Eutyches, & Dioscorus, unam tantùm in Christo naturam ex unione divinæ, & humanæ conflatam posuerint: Nestorius verò duas personas (personam cum natura confundens) in eodem constituerit: Severus autem Antiochenus, & Petrus Gnapheus, & cæteri Monothelitæ, seu Monophysitæ, unam tantùm esse in Christo voluntatem asseruerint: Christiani tamen Orthodoxi, atque etiam Melkitæ, & cæteræ ferè omnes nationes Christianorum firmissimè credunt, & profitentur, in Christo esse unam tantùm personam, eamque divinam: duas verò naturas, & duas voluntates, duasque operationes, humanam, & divinam. Quamobrem non debet mirum videri Mahumetanis, si idem Christus erat rogans, & rogatus: rogabat enim in eo natura & voluntas humana naturam, & voluntatem divinam. Quid verò magnum, aut paradoxum est hoc, si in nobis eadem voluntas sæpè scinditur *in* varios, & contrarios affectus, & quodammodò secum ipsa pugnat, & nititur à se ipsa obtinere aliquid, quod ipsamet refugit, & non vellet. Audiat Magister Mahumetanorum magnum Christianorum Doctorem Augustinum lib. 8 Confess. cap. 9. ita scribentem: *Unde hoc monstrum? & quare istud? Imperat animus corpori, & paretur statim. Imperat animus sibi, & resistitur. Imperat animus, ut velit animus, nec alter est: nec facit tamen. Imperat, imquam, ut velit, qui non imperaret, nisi vellet; & non fit, quod imperat.* Poterat etiam Augustinus addere: *obsecrat, supplicat, precatur.* Nam ita etiam precabatur & orabat David se ipsum in Psal. 41. *Ad me ipsum anima mea conturbata est. Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? spera in Deo*, &c. ¶ anima, seu voluntas David orabat, & hortabatur se ipsam; quid mirabimur, si in Christo voluntas humana orabat, & precabatur divinam? Ergo (inquit Ahmed) idem erat orans, & oratus. Ita est, si loquamur ratione suppositi: sed ratione diversarum naturarum ac voluntatum, non erat idem.

Tertium argumentum: ex Symbolo Niceno, vel Constantinopolitano desumptum, coincidit cum secundo jam allato. Libet tamen Adversarii verba referre, quia non parum favent causæ Christianorum contra Mahumetanos. Sic igitur ille:

وهن تقسيم عليهم

فاما من انعمهم لا يمكنهم دفعه: وذلك ان مريم امهم التي آمنوا بها من المطارنة والطمارسة والاساقفة والاحبار في دينهم وذوي العلم منهم بعضر الملك عند اجتماعهم من اقاصي الارض بمدينة قسطنطينية وكانوا ثلاث مائة وثمانية عشر رجلاً يعنون انهم اطلعوا بها بروح القدس وهي التي لم تختلف جماعتهم عند اختلافهم في المقالات فيها ولا يتم لهم قربان الا بمطعون بها على هذا النعت الذي نعتناه: نؤمن بالله الاب مالك كل شيء صانع ما يرى وما لا يرى: وبالرب الواحد يسوع المسيح ابن الله الواحد بكر الخلائق كلها وليس بمصنوع الله حق من الله حق من جوهر ابيه الذي بيده انقنت العوالم وخلق كل شيء الذي من اجلنا معشر الناس ومن اجل خلاصنا نزل من السماء وتجسد من روح القدس وصار انسانا وحمل به وولد من مريم البتول وألم وصلب في ايام فنطوس بن بيلاطوس ودفن وقام في اليوم الثالث كما هو مكتوب وصعد الى السماء وجلس عن يمين ابيه وهو معتمد لمجيء ثانية لحرى للقضاء بين الاموات واحياء: وروح برنح القدس الواحد روح الحق الذي يخرج عمتة وجمعوية واحدة لغفران الخطايا وجماعة قديسة جاثوليقية وقيامة الجسد والحياة الدائمة الى ابد الابدين: فهذا الشريعة يشتمل على الايمان

Digitized by Google

الايمان بها وتبدل للنهج فيها ولخرج الانفس من دونها
جماهيرهم من الملكية واليعقوبية والنسطورية وقد
اعترفوا فيها جميعا بان الرب المسيح الذي هذه صفته
علي ما اقتصصناه منها الاله الحق من الاله الحق نزل
من السماء وتجسد من روح القدس وصار انسانًا وحُبل
به ووُلد من مريم البتول وأُلم وصُلب: قال: فهل في
هذا الاقرار شبهة او علقة يتعلق بها الغيث للدافع
من الحجة فتدبروا هذا القول يا معشـــر النصاري
فانه لا يمكن ان يخرج عنه ولا ان يدفع ما صرح
به فانكم ان قلتم ان المقتول المصلوب هو اللـــه
فمريم علي قولكم ولدت اللـــه سبحانه وتعالي عما
تقولون: وان قلتم انه انسان فمريم ولدت انسانًا وفي
ذلـــك لجمع بطلان شريعة ايمانكـــم فاختروا اي
القوليـــن شيتـــم فان فيـــه نقض الديـــن:

Nos porrò statuimus contra eos (Christianos) *testem desumptum ex ipsis, quem non possunt rejicere: & hic est Symbolum Fidei eorum, quod composuerunt Principes religionis eorum, videlicet Patriarchæ, Archiepiscopi, Episcopi, & Sacerdotes, & Sapientes, & Doctores eorum coram Imperatore, cùm convenissent simul à Finibus Terræ in Civitatem Constantinopolitanam. Erant autem trecenti decem & octo viri, qui protestati sunt, se pronunciasse illud Symbolum in Spiritu Sancto. Et hoc est, in quo numquam dissensit universus cœtus eorum, licèt diversi fuerint in explicandis propositionibus ejus. Neque celebrant unquam Sacrificium, nisi recitent illud eo ordine, quem nunc referimus. Credimus in Deum Patrem omnipotentem, factorem visibilium, & invisibilium. Et in Dominum unum Jesum Christum filium Dei unicum, primogenitum omnium creaturarum, qui non est factus: Deum verum de Deo vero, ex substantia Patris sui, per quem fundata sunt secula, & creatæ res universæ. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlo: & incarnatus est de Spiritu Sancto, & factus est homo: & conceptus est, & natus de Maria Virgine, & passus, & crucifixus est in diebus Pontii filii Pilati, & sepultus est. Et resurrexit tertia die, juxta id, quod scriptum erat, & ascendit in Cœlum, & sedit ad dexteram Patris sui, & ipse venturus est iterùm ad judicandos mortuos, & vivos. Et credimus in unum Spiritum Sanctum, Spiritum veritatis, qui procedit à Patre ejus, Spiritum charitatis ejus. Et in unum baptisma in remissionem peccatorum. Et in unam Ecclesiam Sanctam Apostolicam, & Catholicam. Et in resurrectionem corporum nostrorum. Et in vitam duraturam in secula seculorum. Hoc Symbolum complectitur id, quod credendum est. Sed immutaverunt rectam viam illius, & averterunt homines ab eo Primores eorum ex Melkitis, & Jacobitis, & Nestorianis. Et jam confessi sunt in eo omnes, Dominum Christum, (qui in hoc Symbolo, quemdamodùm narravimus, dicitur esse Deus verus de Deo vero), descendisse de Cœlo, & corpus accepisse de Spiritu Sancto, & factum fuisse hominem, & conceptum, & natum de Maria Virgine, passumque esse & crucifixum. An verò est in hac confessione aliqua similitudo, vel parabola? vel inhæret illi aliquod occultum, vel arcanum, quod non admittat manifestam demonstrationem? Versate verba hujus Symboli quaquaversùm, ò Christiani: nam non potest aliquis vestrum egredi, vel discedere ab eo, neque rejicere illud, quod in eo clarè prædicatur. Si enim dixeritis, illum, qui occisus, & crucifixus fuit, esse Deum: sequitur per vos, Mariam peperisse Deum, quod nullo modo dici potest. Si autem dixeritis, esse hominem: ergo Maria peperit hominem. Et in hoc maximè conspicitur vanitas hujus Symboli Fidei vestræ. Eligite ergo utram responsionem vultis ex his duabus: nam in ea semper erit destructio religionis.*

Pergit deindè argumentari contra Christi divinitatem ex eo, quod Euangelistæ referunt de magno timore, ac mœrore, & angustia illius in horto Gethsemani pridiè quàm crucifigeretur: ubi etiam Deum oravit, ut à morte liberaretur: & inter alia habet hæc verba: هل نال احداً من الجزع والهلع والغـــمّ
والقلق والتضرّع الي الله في ازالة ما حلّ به مثلمـــا
يحكي في الانجيل انه قاله ووجدنا الكتب تنبّا بانّه
نيل من جرجس احد من كان علي دين المسيح عمّ من
العذاب الشديد بالقتل والحرق والنشر بالمناشر ما لم
نسمع بمثله في احد من الخلـــق ونال خلقًا كثيرًا
من تلاميذه ايضًا عذابٌ شديـــد وقتل لمـــا كان الملوك
المحاربون لهم يسومونهم اياه من الرجوع من اديانهـــم
الي الكفر الذي كان اوليـــك الملوك عليـــه فصبروا
علي ذلك واحتسبوا انفسهم فلـــم يهربـــوا من الموت:

An verò fuit aliquis, quem invaserit tantus timor, pavor, anxietas, & perturbatio animi, & ita supplicaverit Deo, ut posset liberari ab eo, quod sibi acciderat, quemadmodùm narratur in Euangelio, ipsum de se confessum fuisse? Et quidem legimus in Historiis, quàm gravia tormenta passus sit Georgius, unus ex professoribus Christianæ religionis, per necem, combustionem, & sectionem membrorum: itaut nullum hominem audierimus tanta passum fuisse. Plurimi etiam ex discipulis ejus atrocia tormenta, & mortem passi sunt, eo quòd Reges inimici vellent eos cogere ad deserendam fidem, & amplectendam infidelitatem, quam ipsi profitebantur. Et tamen sustinuerunt omnia patienter, & constanter: nec fugerunt mortem.

D Cram-

Crambem perpetuò recoquit Ahmed: quamobrem ad id, quod objicit ex symbolo Fidei, idem respondemus, quod suprà respondimus ad primum, & secundum argumentum. Ad illud verò, quod objicitur, de magno illo timore, quem Christus præsentit, propinquæ mortis in horto Gethsemanis, quam fugere velle visus est, dum Deum supplex oravit, ut se ab ea liberaret; cum Sanctus Georgius, & alii Christi discipuli tàm constanter atrocissima tormenta subierint, & morti vultu imperterrito occurrerint: facilè respondetur, Christum ultrò timorem illum & angorem in se admisisse, tùm ut ostenderet, se verum hominem esse, tùm ut magis pro hominum salute ac bono patereturr. Poterat enim, si vellet, ab illo se timore eximere (& de facto exemit, cùm Judæis ad se capiendum venientibus, intrepidus occurrit, illisque, ut se caperent, permisit) sed pro aliquo tempore noluit, ob causam, quam dixi. Id patet manifestè, quia Petrum volentem eum ab inimicis defendere, inhibuit, dicens: *Mitte gladium tuum in vaginam: nonne possum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modo plusquam duodecim legiones Angelorum?* Qui ergo poterat se liberare à suppliciis externis, poterat etiam se eximere à doloribus & angustiis internis. Id magis patet ex hoc, quia & ex sacris historiis, & ex ipso Euangelio habemus, Christum ipsum dedisse robur & fortitudinem assectis suis ad supplicia pro se perferenda: & in Euangelio Lucæ cap. 21. dixit discipulis suis: *Ego dabo vobis os, & sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri.* Qui ergo aliis robur & vires ad supplicia pro se perferenda, mortemque subeundam tribuebat, poterat etiam ita seipsum roborare, ut nullum atrocissimæ mortis timorem experiretur.

Cæterùm gratissimum nobis est, Mahumetanos fateri, uniformem esse, semperque fuisse fidei regulam omnibus Christianæ religionis professoribus: eamque non ab aliquo privato, ac vulgari homine, sed à Principibus, Capitibus, & Magistris totius religionis ex universo Orbe collectis, atque in Urbe regia coram Romano Imperatore congregatis, propositam, & confirmatam, eo tempore, quo, etiam in sententia Mahumetanorum, Christiani erant in vera religione: atque in ea regula contineri, Christum esse verum Deum de vero Deo: crucifixum fuisse: venturum esse ad judicandum vivos & mortuos, & alia plura, quæ Mahumetus impietatis & infidelitatis damnat in Alcorano. Confirmat hoc idem insignis Chronologus inter Mahumetanos Ismael filius Aly, in cap.

في امة النصارى :*De gente Christianorum*: Ubi refert idem Symbolum iisdem penè verbis. Neque verò credi potest ab ullo sanæ mentis, tot tantosque viros, tàm sanctos, ac doctos, & ex tàm diversis regionibus totius orbis coram potentissimo, ac prudentissimo Imperatore, aliquid novi confinxisse, aut aliquid eorum corrupisse, quæ antèà in Christiana religione tenebantur, & credebantur. Præsertim quia, ut etiam Mahumetani Historici narrant, hujusmodi Concilium celebratum fuit ad confutandum errorem, & damnandam novitatem Arii, qui Filium Dei asserebat factum esse, vel creatum, neque Patri æqualem confitebatur. Audiamus laudatum Ismaelem:

وحرموا لزوم لما قال القديم هو الله تعالى والمسيح

مخلوق واجتمعت البطارقة والطاريسة والاساقفة

بالقسطنطينية بحضرة من قسطنطين ملكهم

وكانوا ثلثمائة وثلثة عشر رجلا واتفقوا على هذه

الكلمة اعتقادا وديعة وذلك قولهم: نومن

بالله الواحد الاب مالك كل شيء &c.

Et excommunicaverunt Arium, eo quòd dixisset, Deum (solum) *esse æternum: Christum verò esse creatum. Et convenerunt simul Patriarcha, Archiepiscopi, & Episcopi Constantinopolim coram Constantino Imperatore ipsorum; & erant trecenti, & tredecim viri: & communi consensu statuerunt hanc fidei professionem. Credimus in unum Deum Patrem, omnipotentem, &c.* Sed fallitur uterque, licèt in re, quæ ad subsistantiam facti non pertineat. Fallitur, inquam, dum asserit, hoc Concilium Constantinopoli celebratum fuisse, & Symbolum Constantinopolitanum ponit pro Niceno. Porrò à Concilio Niceno ad Constantinopolitanum primum fluxerunt anni ferè sexaginta. Illud sub Constantino, & Silvestro, circa annum Domini 325. hoc sub Damaso, & Theodosio, circa annum 381. celebratum fuit. Illud trecentos decem & octo Patres: hoc ducentos quinquaginta tantùm habuit. Uterque etiam in aliquibus, vel addendo, vel demendo, vel mutando, Symbolum depravat: sed nihil videtur ad subsistantiam pertinere.

Concludimus igitur, distinguendas esse in Christo duas naturas, divinam scilicet, & humanam; & unicuique naturæ tribuendas esse proprias operationes, quæ tamen ratione unius personæ de Christo per communicationem idiomatum indifferenter dicuntur, licèt formaliter operationes unius naturæ alteri tribui non possint.

Quòd si Mahumetanis arduum videtur, quòd Christo, etiam ut homini, ea tribuantur, quæ illum à Judæis passum fuisse, vel etiam spontè pertulisse, Euangelistæ testantur: meminerint, multa tribui Deo à Sacris Scripturis, hominum causa, quæ illo prorsus videntur indigna: ut patet in creatione Adæ: & in iis verbis, quæ de eo dicuntur Gen. cap. 3. *Tactus dolore cordis intrinsecus dixit: Pœnitet me fecisse hominem.* Et Isaiæ cap. 1. loquitur Deus Judæis: *Kalendas vestras, & solemnitates vestras odivit anima mea: facta sunt mihi molesta: laboravi sustinens.* Et c. 43. *Verumtamen servire me fecisti in peccatis tuis: præbuisti mihi laborem in iniquitatibus tuis.* Et alia hujusmodi, quæ Deo proprié non conveniunt.

CAPUT DECIMUMTERTIUM.

Alia Argumenta è Sacris Scripturis desumpta, quibus Mahumetani Christi divinitatem oppugnant.

VIx credi potest, quàm multa è Sacris Scripturis à se malè intellectis, congerant Moslemi Doctores argumenta contra Christi divinitatem. Breviter hic ea recensebo ex Apologia Ahmed filii Abdal-halim pag. mihi 690.

Primum desumitur ex verbis Angeli Gabrielis ad Mariam, quibus annunciavit ei æterni Verbi incarnationem. Hæc fingillatim expendens Adversarius, ait:

فلم نرَ للملك قال ان الذي تلدين هو خالقك

وو

وهو الربّ كما مهتمم بل زال الخلاف فى ذلك بان

قال ان الله الرب يعطيه كرسى ابيه داود ويعظمه

ويكرمه وان داود النبى ابو ولده يسمّى ابن الله وما

قال ابدًا له يكون ملكًا على الارض ولـه جعـل

له للملك على بنـى اسرائيـل فقـط:

Non legimus, Angelum dixisse Mariæ: Ille, quem paries, est Creator tuus, & est Dominus, sicut vos nominatis eum: imò sustulit omnem dubitationem de hoc, cùm dixit: Deus Dominus dabit illi sedem patris ejus David, & eliget eum, & honorabit eum. Et vocavit David Propheta patrem ejus: & prædixit vocandum esse Filium Dei. Præterea non dixit illum futurum Regem super universam terram: sed limitavit illi Regnum super filios Israel tantùm.

Respondetur; ex eo quòd Angelus non dixerit aliquid Mariæ, non potest inferri, illud non esse, vel non fuisse. Qui enim tacet, absolutè nec negat, nec affirmat. Quòd verò Angelus vocaverit eum filium David, rectè vocavit: talis enim fuit secundum humanitatem. Neque Angelus prædixit illum regnaturum super filios Israel tantùm, hoc enim falsum est: & quamvis non dixerit eum futurum regem super universum Orbem, non tamen id negavit. Imò dum prædixit illum *regnaturum super solium David in Domo Jacob in æternum*: implicitè prædixit etiam super universum Orbem illum regnaturum. Ita enim prophetaverat David Psal. 2. & alibi invenitur in sacris literis. Imò hæc erat fama vulgata inter ipsos Ethnicos, ut constat ex Suetonio, Cornelio Tacito, & Josepho Hebræo. Ne verò objicere possemus Adversario, Angelum vocasse illum non solùm *filium David*, sed etiam *filium Dei*, occurrit dicens: وقد علمتم ان من يسمى بابن الله كثيـرًا لا

يحصون فمن ذلك اقراركم بالكم جميعًا ابناء اللـه

بالجملة: *Jam nostis vocatos fuisse filios Dei alios multos sine numero: & vos ipsi confitemini, vos esse filios Dei per obaritatem.* Sed ad hoc infrà fusiùs respondebimus.

Urget argumentum Ahmed ex illis verbis, *Spiritus Sanctus superveniet in te*, falsò existimans ad Christum referri, ac nos per ea velle divinitatem illius probare: وان حلول الروح عليه على الجهة التى

قالها متى التلميذ للشعب عن المسيح فى الاصحـاح

لستم انتم متكلمون بل روح الله ابيكم يتكلم فيكم

فاخبر ان الروح يعلّ فى القوم ليعمين ويتكلم فيهم:

Descensus porrò Spiritus super eum fuit eo modo, quem dixit Discipulus Matthæus. Christum dixisse populo in Evangelio: Non eritis vos, qui loquemini, sed Spiritus Dei veniet ad vos, & loquetur in vobis. Per quæ verba prædixit, Spiritum descensurum in omnem populum, & in omnibus ipsis loquuturum.

Etiamsi concederemus, Gabrielem dixisse Virgini, Spiritum Sanctum descensurum super Christum: & Christum dixisse, eumdem descensurum esse super omnem populum; quod falsum est: nihil tamen esset contra Christi divinitatem. Verum enim est, Spiritum Sanctum descendisse super Christum, & super omnem populum (scilicet Collegium Apostolorum:) sed super Christum descendit, non quatenùs Deus erat (nam ita erat unum identique cum Spiritu Sancto, quemadmodùm cum Patre): sed quatenùs erat homo; longè tamen excellentiori, & digniori modo, quàm super alios Justos, & Prophetas: quemadmodùm ut homo, erat omnium Justorum, & Prophetarum dignissimus, & excellentissimus.

Secundum argumentum desumit ex verbis, quæ audita sunt è cœlo à Deo in baptismo Christi, nempè: *Hic est filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui*: quæ tamen ipse parum fideliter refert, scribens هذا ابنى الحبيب الذى اصطفيته: *Hic est Filius meus dilectus, quem elegi*. Sed nihil officit veritati: nam etiam apud Isaiam cap. 42. Christus vocatur electus, illis verbis: *Ecce servus meus, suscipiam eum: Electus meus, complacuit sibi in illo anima mea.* Ex his ita contra nos paralogizat: وقد علمنا وعلمتم ان للمصطفـا منعـوتٌ وللمعـمول

مخلوق وليس يمتنـع فى الصحـيح عمّ مـن

الاعتـراض بذلـك فى كل كلامـه:

Et jam scimus, & vos etiam scitis, Electum, esse passivum, & per consequens creatum; neque abstinuit Christus ipse à confitendo hoc in omnibus sermonibus suis.

Uno verbo respondemus, Christum fuisse electum à Deo, & creatum non quoad divinitatem, sed quoad humanitatem.

Tertium Argumentum ducitur ex eo, quòd Christus voluerit à Joanne baptizari, de qua re ita: وقد وجدنا للصحيح عمّ احتاج الى تكمـل لمـر

بمعمودية يحيى له فصار اليه ويأمـه اياه فليـس

مرتبة للقضن بدون مرتبة الفاعـل الرفيـع.

Jam verò inveniemus, Christum egisse, ad perfectionem operis sui, baptismo Joannis: propterea abiit ad eum rogans illum, ut se baptizaret. Non est autem ordo, seu dignitas illius, quod intenditur (idest causæ finalis) *infra ordinem agentis, & operantis propter finem.*

Negamus, Christum egisse baptismate Joannis: ultrò enim voluit ab eo baptizari, ut ostenderet perfectissimæ humilitatis exemplum, & ob alias sibi notas rationes. Sed ut concederemus, Christum Joannis ministerio egisse, quemadmodùm egebat cibo, & potu; deberet hoc tribui ejus humanitati, non autem divinitati.

Quartum argumentum concipit ex eo, quòd Joannes in carcere constitutus, dubitavit de Christo quisnam esset: propterea misit ad eum duos Discipulos, ut rescisceret ab illo, utrùm ipse esset, qui venturus erat. Ita igitur Adversarius: وقال لوقا التلميذ فى انجيله

Digitized by Google

لعيله ان يعيى المعمدانى ارسل الى المسيح بعد
ان عمد وسأله انت ذلك الذي يعيى او نتوقع غيرك
وكان جواب المسيح لرسله ان ارجعوا فاخبروه بما ترون
من عيان يبصرون وبين يتهضون وصم يسمعون وطويى
لمن لم يعثر بى ولا يشك فى امرى: قال: فوجدنا يعيى
مع عظمه وجلالة قدرة عند الله مزدجل ثم ما شهد
به المسيح من انه ما قام الشاهر مثله قد مالك فيه
فاحتاج الى ان يسأله عن عاده ثم لم يكن من جواب
المسيح له بنى مما نصنون من الربوبية ولا قال انى
خالقك او خالف كل نبى كما فى شريعة اسماعيل بل
حذر الغلط فى امره والاعتقار ولا كان من قوله اكثر مما
ذكرناه الظهر بنصنه من هذه الايات التي تنصنون الى
مثلها لكثر الانبياء: قال: ولا رايتا يعيى رك فى
وصنه اياه لما قوله واعلا ذكره مع تشككه فى امره
وحاجته الى مسألته عن حاله على ان قال هو انتى
منى وانى لا استحق ان احل معقد حذائه وما يقل
انه خالقى وقد يقول الرجل الخير فيمن دونه مثل
الذي يعيى فيه تواضعا لله وخضوعا كما قال المسيح
فى يعيى انه ما قام الشاعر مثله:

Dixit autem Discipulus Lucas in Euangelio suo, quòd Joannes Baptista misit ad Christum, postquam baptizaverat eum, & interrogavit eum dicens: Tu es ille, qui venturus est, an alium expectamus? responsum autem Jesu ad eos, qui missi fuerant, fuit hujusmodi: Revertimini, & nunciate Joanni id, quod videtis: cæci vident, claudi ambulant, surdi audiunt: & beatus, qui non scandalizatur in me, aut errat in eo, quod spectat ad me. Invenimus autem Joannem ornatum tanta gloria, & potestate apud Deum, habere præterea testimonium à Christo, non surrexisse patrem similem illi: & nihilominùs hæsitare de eo, & opus esse illi interrogare eum de statu, & esse ipsius. Præterea non fuit responsum Christi de ullarum rerum, quas vos jactatis de ejus Dominatione, neque dixit: Ego sum creator tuus, & creator omnium rerum, sicut vos dicitis in Symbolo fidei vestræ: quia potiùs præmonuit, ne quis exerraret, & scandalum pateretur in rebus suis. Neque aliquid plus habetur ex dictis ejusdem Christi, quàm quod ipse manifestavit de munere prophetico suo per ea miracula, quibus similia plerique Prophetæ patraverunt. Neque videmus Joannem addidisse in eo, quod prædicavit de illo, postquam fuit præcursor ejus, & exaltavit commemorationem ejus, cùm dubitasset de eo, & opus habuisset interrogare eum de statu illius: nisi quòd dixit: Ipse est fortior me: Et ego non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus. Neque dixit: Ipse est creator meus. Jam porrò vir præstantior dicit inferiori se id, quod Joannes dixit de eo, humilians se Deo, & devotè fubiciens: sicut dixit Christus de Joanne, quòd non surrexisset vates similis illi.

Sed facilè ad hæc, quæ non apud Lucam, sed apud Matthæum habentur, respondemus: Joannem non dubitasse de Christo: certissimè enim sciebat, quis esset, ut constat ex aliis Euangelii locis: sed voluisse discipulos suos, qui fortasse dubitabant de eo, esse oculatos testes divinitatis illius. Itaque missio illa & interrogatio discipulorum, non fuit propter Joannem, sed propter discipulos ipsos. Neque verò ex eo, quòd Christus non dixerit illis, se esse Deum, vel Dominum, vel Creatorem, rectè arguitur illum hoc negasse, vel verè non fuisse talem. Etenim, ut jam dixi, ex pura reticentia, nihil intelligitur affirmari, vel negari. Nihilominùs ea, quæ fecit Christus coram illis, satis demonstraverunt illum esse plusquam hominem. Eorum verò verborum: *Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me*, non est sensus; qui non erraverit in æstimando me Deum, vel Creatorem: sed prorsus oppositus: nimirùm: Qui videns me ita humilem, & contemptibilem, non deiexerit me, neque crediderit me non esse verum Messiam; Deum scilicet simul, & hominem. Hunc sensum exigit locus Isaiæ: & ita semper expositus fuit à Doctoribus Christianis, quibus, juxta superius dicta, standum est. Falsum porrò est, Joannem nihil dixisse in laudem Christi, quod excedat consuetudinem etiam superiorum erga inferiores: neque Christum minùs honorificè loquutum esse de Joanne, quàm Joannem de Christo. Nunquam enim dixit Christus, se esse indignum solvere calceamenta Joannis, procumbendo ante eum: neque Joannem esse Agnum Dei, qui tolleret peccata Mundi, vel esse filium Dei, fortiorem se factum ante se; & fuisse priorem se, quæ verba ostendunt Christi divinitatem. Non enim potuit Christus factus esse, vel fuisse ante Joannem, qui concepeus, & natus est sex mensibus ante Christum, nisi quatenùs erat Deus. Tollere etiam peccata Mundi, proprium est Dei. Nihil verò eorum, quæ dixit Christus de Joanne, probat illum fuisse aliquid supra hominem.

Quintò argumentatur Ahmed contra Christi divinitatem, ita alloquens Christianos: وتقولون لى هو
الذي نزل لخلاصنا ونعتقدون سبب نزوله من السماء
انه اراد ان يخلصكم ويعتمل الخطية وربط
الشيطان فقد وجدنا الخلاص لم يقع والخطية قايمة
لم يزل والشيطان لعنا ما كان لم يربط بسلطة
الله عليه على ما تقولون بعضه
فى الجبل ويعين يوما بعد يوم:

Vos verò dicitis: Ipse est, qui descendit propter nostram salutem: & profitemini, causam descensionis ejus

Digitized by Google

ejus de Cælo fuisse, quòd voluerit salvare vos, tollere peccatum, & ligare Satanam. Nec tamen videmus advenisse salutem: videmus autem peccatum perseverare, & Satanam non esse alligatum, sed solutum, & protervum quantum unquam fuerit. Immò dedit ei Deus potestatem super illum, juxta id, quod vos dicitis, dum esset obsessus ac detentus ab eo in Monte per quadraginta dies, ubi tentavit eum. Respondemus, Christum non semel in Euangelio confessum esse, se descendisse de Cœlo. Quòd autem descenderit propter salutem hominum, testatus fuit Angelus, Matthæi cap. 1. cum dixit Josepho: *Vocabis nomen ejus Jesum: ipse enim salvum faciet Populum suum à peccatis eorum.* Quòd etiam hoc fecerit, ut tolleret peccata Mundi; testatus est Joannes Baptista illis verbis: *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum Mundi.* Denique quòd Satanam alligaverit; id-est vires ejus, & potentiam, quam anteà habebat, repressérit, affirmavit ipse Christus, Joannis cap. 12. illis verbis. *Nunc judicium est Mundi: nunc Princeps hujus mundi ejicietur foras.* Et apertè expressit apud Lucam cap. 11. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt omnia, quæ possidet. Cùm autem fortior illo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Et Matthæi cap. 12. idem confirmat dicens: *Si autem ego in Spiritu Dei ejicio Dæmones, igitur pervenit in vos regnum Dei. Aut quomodò potest quispiam intrare in domum fortis, & vasa ejus diripere, nisi priùs alligaverit fortem? & tunc domum illius diripiet.* Innumera sunt testimonia in Sacris utriusque Testamenti literis, quibus hæc eadem confirmantur. At enim, neque videmus hanc salutem, neque peccata cessaverunt: & Satanas solutus est, ac violentus ut priùs. Respondemus, hanc salutem esse spiritualem, neque corporeis oculis posse videri: Sita est enim in emundatione animarum à peccatis, in acquisitione divinæ gratiæ, & in adeptione gloriæ æternæ: quæ omnia Christus nobis contulit, dummodò illius legem servare velimus. Peccata verò à Christo sublata fuisse & auferri: Primò per baptismi Sacramentum: Secundò per Sacramentum pœnitentiæ; si quis hujusmodi Sacramentis uti veller: Tertiò, quia post Christi adventum plurima in Mundo, gravissimaque peccata cessaverunt: vel imminuta sunt per Idololatriæ abolitionem, & veræ fidei propagationem: Quartò, quia per mortem suam abstulit pœnam peccati, quæ etiam in animabus justis locum habebat: dum peccati reatu per pœnitentiam expiato, adhuc justorum animæ à cœlesti gloria exclusæ in sinu terræ veluti in carcere, detinebantur. Postremò Satanas ita alligatus fuit, non ut ideò nullam amplius haberet facultatem homines etiam justos tentandi: sed ut potestatem illam, & tyrannidem amitteret, quam in universum humanum genus exercebat: vires que ejus ita infringerentur, ut non nisi volentes, seque illi ultrò offerentes lædere posset. Neque enim negari potest, post Christi adventum homines Dei cognitione & gratia illuminatos & roboratos, faciliùs dæmonum fraudes, ac tentationes superare, ac Satanæ regnum per veram Christi religionem, & Euangelicam prædicationem, in toto ferè orbe imminutum, ac debilitatum fuisse. Cæterùm, ut dixi, non est prorsus inhibita ei facultas homines tentandi, atque etiam vincendi, si ipsi per ignaviam & socordiam se vinci permittant, malè utentes libero arbitrio, quod illis ad bonum & malum Deus reliquit. Quod verò addit Adversarius, dæmonem in Christum potestatem habuisse, itaut illum in deserto tentaret: nullius est momenti. Illa enim tentatio fuit tantùm apparens, & extrinseca, & à Christo ipso permissa ad exemplum fiorum fidelium: neque ex ea motum ullum, vel excitationem expertus est ad ea, quæ dæmon illi suggerebat. Ridiculum verò est id, quod fabulatur hic Ahmed dum subdit: تم بعث الله ملكا

فتنع العدو من مكانه ورمى به فى البحر والملك السبيل للجميع: قال: أفلا يعلم من كان فى مقامه انني معلة ان هذا الفعل لا يكون من شيطان الى الله ولو كان الها لازاله عن نفسه قبل ان يأتيه الملك من عند ربه وكيف لم يربط الشيطان من نفسه قبل ان يربط عن امته:

Deindè misit Deus Angelum, qui exturbavit inimicum de loco, in quo erat, & projecit eum in mare: & liberum reliquit aditum Christo. Nunc dico: Est ne ullus tam exigui intellectus, qui non cognoscat, hæc non potuisse fieri à Satana erga Deum? & quòd, si fuisset Deus, certè abegisset illum à se, antequàm veniret Angelus ad eum missus à Domino suo? Quid ad has ineptias respondeas? Venerunt sanè Angeli ad Christum, non ut liberarent eum à Satana, projiciendo ipsum in mare: sed ut ei cibum afferrent. Cæterùm Christus ipse à se Satanam abegit verbis illis: *Vade Satana, &c.* Ipse verò Satanas tentavit Christum, ut hominem, non ut Deum: & nihilominùs in Sacris literis Deus sæpè conqueritur, se tentari ab hominibus. Et in libro Job, redarguit Satanam, quòd *se frustrà commovisset* (quod idem est, ac tentasset) *adversus Job.* Si Ahmed non erat prorsus stipes, debebat nosse, in quo sensu hæc essent accipienda: neque in eo rem esse adeò absurdam, ut ipse existimat, Deum tentari à Satana, præsertim quoad humanitatem; atque etiam in montem excelsum, & supra Templi pinaculum ab eo asportari.

Sextò probare contendit, non potuisse illum esse Deum, qui usque ad annum trigesimum vitam traduxit similem cæteris hominibus. Et quamvis post hoc tempus multa miracula fecerit, non tamen ea fuerunt talia, ut illum Deum esse probarent, cùm plures Prophetæ non solùm similia, sed etiam majora prodigia patraverint: tum subdit: فان كان للجميع

الاول المخالف او كل متعمدا به فكيف لم يرى بين يديه الجبال ولم ينصرف عن معه النهار والبحار وكيف لم نظهر منه ايات باهرات لحل من ايات الانبياء قبله مثل التي على متون الهوا والاضطجاع على اكتاني الرياح والاستغنا عن الماكل والشارب واحراق من قرب منه من الشياطين والجن كما احرق ابليسا من قرب منه

مئة من جند اعدائي الملك وجميع الامميين
من نفسه وما فعلوا على زكم بجمعه
يعلم الغائب انه خالقهم وله ميكل الخالق:

Si Christus erat Deus, æternus, & Creator, vel saltem unitus erat cum eo; quomodò coram illo non commovebantur montes, neque flumina & maria retrò revertebantur, ne tangerent eum? & quomodò non sunt facta ab eo miracula insignia, & magis illustria, quàm miracula præcedentium Prophetarum? cujusmodi fuissent, ambulare supra dorsa aeris, & sedere super pennas ventorum, & non indigere cibo & potu, & comburere appropinquantes sibi Dæmones, sicut combussit Elias milites Regis Achab appropinquantes sibi: & removere homines à se, ne facerent in corpore suo id, quod vos prædicatis, notificando illis se esse Creatorem eorum, & Templum Creatoris.

Ad has nugas breviter respondemus: primò, falsùm esse, quòd Christus usque ad annum trigesimum nihil fecerit, nihilque ei evenerit præter cæterorum hominum consuetudinem, etiam ex Mahumetanorum ipsorum confessione, qui non solùm ejus conceptioni, ac nativitati, sed etiam pueritiæ, & adolescentiæ plura, magnaque miracula attribuunt. Nobis autem satis sunt ea, quæ de illo ab Evangelistis ante trigesimum annum referuntur. Secundò, nihil refert, quòd Christus non fecerit quædam miracula, quæ Moyses & alii Prophetæ fecerunt: satis est, ut ea patraverit, quibus divinitatem suam sufficienter probaret. Possemus verò & nos petere à Mahumetanis, eur Mahumetus, cùm & Moyse, & Christo, & cæteris Prophetis major ab eis habeatur, nullum mortuum suscitaverit, nullum verè cæcum illuminaverit, numquam flumina, aut maria regredi imperio suo coegerit? cur etiam usque ad annum circiter quadragesimum, juxta veridicas eorum historias, non solùm nihil miri gesserit, sed peccator etiam, & Idolorum cultor fuerit? Posttremò ad id, quod additur: si Christus erat Deus, eur coram eo non trepidabant montes? eur non regrediebantur maria, & flumina? cur non incedebat supra dorsum aeris? cur non comburebat accedentes ad se? facilè respondetur, Christum, ut jam dixi, fecisse ea, quæ satis erant ad manifestandam divinitatem suam. Cæterùm cùm vellet etiam se verum hominem agnosci, & homines ad sese allicere, non deterrere; eosque humilitatem, patientiam, modestiam docere, noluit ea miracula facere, quæ jactantiam, & ostentationem, ac terrorem præferrent; præsertim quia hæc illius passioni, ac morti procul dubio obstitissent. Poterat verò, si voluisset, cibo & potu non indigere, cùm potuerit per quadraginta dies, ac noctes jejunus permanere. Poterat super aerem, & ventos ambulare: & certè Hebræi in Thalmud singunt illum per aerem volasse, qui super aquas marinas incessit. Poterat efficere, ut flumina ac maria retrocederent, qui imperavit ventis & mari, & eorum impetus ac furores uno verbo sedavit. Poterat volentes se lædere, igne cœlesti absumere, qui armatam cohortem duobus tantùm verbis, *ego sum*, prostravit in dorsa super terram; & qui, ut ipse testatus est, poterat habere ad defensionem suam *plusquam duodecim legiones Angelorum*. Poterat demum montes commovere præsentia sua, qui moriens totum concussit, ac trepefecit orbem. Hæc tamen non fecit, non quia non potuit, sed quia noluit: noluit autem, quia ita convenire judicavit.

Septimum Argumentum fit ad negandam non tàm Christi divinitatem, quàm illius filiationem à Patre.

Est autem hujusmodi:

وجدناكم تقولون ان الابن
انما يسمّى ابن الله وكلمته لانه بزله من الاب وظهر
منه فلم يتق على معنى ذلك لان في شريعتكم
ايضاً ان الروح ايضاً يخرج من الاب فان كان
الامر كما تقولون فالروح ايضاً ابن لانه
يخرج من الله تعالى ولا فرق بينهما:

Invenimus autem vos dicere, Filium ideò vocari Filium Dei, & Verbum ejus, quia genitus est à Patre, & prodiit ab eo. Hoc verò non potest subsistere; quia habetur in Symbolo fidei vestræ, Spiritum quoque procedere à Patre. Quòd si ita est sicut dicitis, Spiritus etiam erit Filius, cùm procedat à Deo. Alioquin assignate discrimen inter utrumque.

Credo, Christianus aliquis apostata, scholasticis scientiis superficie tenus imbutus, hujusmodi argutias Mahumetanum hunc edocuit. Quidquid sit, breviter respondetur, tàm Filium, quàm Spiritum Sanctum, à Patre procedere: neque tamen Spiritum Sanctum esse Filium, quia non procedit à Patre per generationem, nempe per actum intellectus, sicut procedit Filius. Non enim omnia, quæ procedunt à vivente, habent rationem filii, sed tantùm ea, quæ procedunt à vivente per generationem in similitudinem naturæ ipsius genecrantis. Hoc satis fit respondisse Mahumetano in re alioqui difficillima, de qua scribens excellentissimus Doctor S. Augustinus ad Maximum lib. 3. cap. 23. hæc habet: *Distinguere inter illam generationem, & hanc processionem nescio, non valeo, non sufficio.* Et lib. 5. de Trinitate cap. 17. *Difficillimum est, generationem à processione distinguere.* Sed quod intelligere non possumus, credere tenemur, quia ita Deus revelavit.

Octavum Argumentum est contra id, quo Christi divinitatem probamus; quia sustulit peccata mundi: peccata enim tollere, etiam ex dicto Christi, est solius Dei. Sic igitur arguit:

ان كانت الخطية بطلت
بمجيئه فالذين قتلوه اذاً ليصيروا خاطئين ولا مأثومين
لانه لا خاطي بعد مجيئه ولا خطية وكذلك ايضاً الذين
قتلوا حواريه واحرقوا اسفاره فيصير خاطئين:

Si peccatum cessasset propter adventum ejus, illi, qui occiderunt eum, non peccassent, neque deliquissent. Non enim superest peccatum post adventum ejus, neque peccator. Similiter illi, qui occiderunt Apostolos ejus, & combusserunt libros ejus, non peccassent. Hinc concludit, posse per nos, unumquemque, si ita attibuerit, occidere, furari, fornicari, & quodvis aliud nefarium facinus perpetrare absque ulla culpa & peccato: quod est contra doctrinam ipsius Christi in Evangelio, & etiam Sanctorum Patrum, & Doctorum Christianorum.

Scurrili hoc & nugatorio argumento ostendit Ahmed, vel se stultum esse, vel velle nos omnes stultos face-

Digitized by Google

facere: Quasi verò quando dicitur, medicus aliquis peritissimus tollere morbos & infirmitates, sit aliquis tàm stipes ac stolidus, qui sibi persuadeat, vel jam cessasse infirmitates omnes ac morbos; vel epidemiam v. g. aut podagram, aut febrim, non esse ampliùs epidemiam, vel podagram, aut febrim: vel demum, hominem aliquem à morbo suo convaliturum, etiam si nolit præscriptis à Medico remediis uti. Cæterùm, Christum peccata tollere, idem est ac parcere, eorumque indulgentiam largiri iis, quos verè eorum pœniteat, & qui uti velint remediis ab eo præscriptis; sacramentis scilicet, fide, ac bonis operibus.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Alia Argumenta contra Christi divinitatem è Sacris Scripturis à Mahumetanis petita.

SUmmatim tantùm, ac brevissimè hæc recensebo, atque ea paucis verbis dissolvam.

Primò, universaliter objicit nobis Ahmed cum Mahumetanis, quòd contra omnia Sacrarum Scripturarum testimonia Christo divinitatem tribuamus. Euangelistæ enim, & Apostoli ita semper de Christo loquuntur, ac de homine puro, non autem Deo: vel homine simul & Deo:

Respondemus primò, falsum esse, non reperiri in Euangeliis, & libris Apostolorum, atque etiam in antiquis Prophetis, testimonia clara & evidentia de Christi divinitate, ut posteà probabimus.

Respondemus secundò, frequentiùs, & fortasse clariùs Scripturas loqui de Christo tamquam de homine, quàm tamquam de Deo: quia intentio earum erat ostendere illum esse verum hominem, & enarrare ea, quæ spectabant ad eum, non tàm quatenùs erat Deus, quàm quatenùs erat homo, vel, ut Græci dicunt, Θεάνθρωπος Deus-Homo: itaut in iisdem rebus, in quibus describitur homo, semper appareat aliquid supra hominem. Multa enim data sunt ei etiam quatenùs homini, ut Regnum, ac potestas omnis in Cœlo, & in Terra (sicut habetur in Euangelio Matthæi cap. 28.) ratione adjunctæ divinitatis: & hæc eadem non obscurè ostendunt illum esse Deum.

Respondemus tertiò: Non ita semper apertè, sed aliquandò, imò plerumque, Sacras Scripturas obscuriùs loqui de divinitate Christi, quia erat mysterium nimis arduum ac difficile, & homines egebant purgatiori intellectu ad illud percipiendum, vel credendum. Mysteria verò graviora, & arcaniora, non ita apertè obtrudenda sunt, sed veluti sub velamine proponenda, ut patulatim homines ea intelligere, & credere assuescant. Hoc, ut suprà vidimus, docuerunt etiam veteres Hebræi in Mysterio trium Lucum, seu trium Personarum Sanctissimæ Trinitatis.

Postremò retorquebimus argumentum ad hominem contra Mahumetanos. Credunt ipsi firmissimè, Mahumetum suum esse omnium Prophetarum maximum: & fundant hanc suam credulitatem in auctoritate Pentateuchi, & Euangelii. Et tamen videt unusquisque, quàm non dico dubia & obscura, sed inania ac frivola sint testimonia illa, quæ ad hoc probandum afferunt: & quàm multa clara, & evidentissima sint, quæ Mahumetum, non prophetam, sed impostorem ac mendacem esse convincunt. Cur igitur contra nos insurgunt, dum certa quidem, sed non tàm clara, ut ipsi vellent, de Christi divinitate è Sacris Scripturis oracula illis producimus? Sed videamus jam, quæ sint hæc, quæ ex Euangelio, aliisq; Sacris libris contra Christi divinitatem adducunt:

Primum: Ex Euang. Joan. cap. 11. ان الانجيـــل بعمربان للمسح لرك ان يعيبي رجلاً يقال لـه العازر فقال يا ابي ادعوك كما كنـــت ادعوك من قبـل فتعجبني وتحبب لي وانـا ادعوك من اجـــل هـــؤلاء القيـــام ليعلمـــوا:

Commemorat Euangelium, cùm Christus resuscitare vellet hominem quemdam, nomine Lazarum, dixisse: O Pater mi, rogo te, sicut rogabam antea; nam amas me, & exaudis me. Et ego rogo te propter hos adstantes, ut sciant, &c.

Respondeo, Christum se ostendisse Deum, vocando Deum patrem suum: simulque hominem, eundem Patrem suppliciter rogando.

Secundum: Ex Euangelio Matthæi cap 27. & Lucæ cap. 23. وقال بزعمكم وهو على الخشبة الهي الهي لما تركتني; وقال يا ابـي اغفر لليهود مـا يعملـون.

Et dixit, dum juxta opinionem vestram esset in cruce: Deus meus, Deus meus, quare dereliquisti me? & Pater mi, ignosce Judæis id, quod faciunt.

Respondemus, hic etiam Christum ostendere se hominem, rogando Deum suum; & Deum, vocando illum Patrem suum.

Tertium: Ex Euang. Joan. cap. 5. & 14 وقـــال ايضًا انا ذهب الي الهي هو اعظم منّي وقال لا لمتطيع ان اصنع شيًا ولا انكرفيه الاّ باسم ابـــي:

Dixit etiam: Ego vado ad Deum meum, qui est major me. Et præterea dixit: Nihil possum facere, neque cogitare, nisi in nomine Patris mei.

Non sincerè verba Euangelii referuntur: Sed tamen respondemus, hæc omnia verè dici potuisse à Christo, ut homo erat.

Quartum. Ex Euang. Joan. cap. 13. وقال ايضـــي ليس لا يمنبغي للعبد ان يكون اعظم من ارسلـــه من سيده ولا للرسول ان يكون اعظم من ارسلـــه:

Dixit etiam, loquens de seipso; Non convenit servo, ut sit major Domino suo: neque legato, ut sit major eo, qui misit illum.

Falsum est, Christum hæc verba de seipso protulisse: dixit enim ea de discipulis suis respectu sui, ut patet ex contextu Euangelii. Imò iisdem verbis non obscurè innuit, se esse Deum; cujus proprium est esse Dominum, & mittere legatos, & Prophetas.

Quintum Ex Euangelio fictitio. وقال ان اللـــه بلـد ولم يولد ولم ياكـــل ولم يشرب ولم ينـــم ولم يمـــر احـــد من خلقـــه ولا يراه احـــد الاّ مات:

Et dixit (scilicet Christus): Deus non genuit, neque genitus est: neque comedit unquam, neque bibit, neque

Digitized by Google

que dormivit; neque vidit unquam eum ulla ex creaturis: neque videbit eum ullus, nisi moriatur.

Priora verba sunt in Alcorano, non in Euangelio: & ipse Adversarius à Christianis communitis, cognovit se erraſſe. Reliqua etiam in Euangelio non reperiuntur. Chriſtus porrò comedit, bibit, ac dormivit, non ut Deus, ſed ut homo. Ideò autem non moriebatur, qui eum videbat, quia videbat humanitatem, non divinitatem ejus.

Sextum. Ex Euangelio Joan. cap. 8. قال تعالي في

لعجيل يوحنا لكم حقي وقدمتم ابن البشر فحينئذ تعلمون اني انا هو وبتيا من قبل نفسي لا افعل لكن كل ممي كالذي علمني ابي:

Dixit Altiſſimus in Euangelio Joannis: Vos certè cùm exaltaveritis filium hominis, tunc cognoſcetis, quia ego ipſe ſum, & à me ipſo nihil facio: ſed omnia facio, ſicut docuit me Pater meus.

Hæc verba, quæ Ahmed tribuit Altiſſimo, nempe Deo, mirè probant Chriſti divinitatem. Nemo enim dicere verè poteſt abſolutè, *Ego ſum*, niſi Deus, prout de ſeipſo Deus ad Moyſem teſtatus eſt in Exodo cap. 3. Neque obſtant, imò favent verba ſequentia: *Et à me ipſo facio nihil, ſed ſicut docuit me Pater, hæc loquor* (ita enim habetur in Euangelio). Nam Chriſtus etiam ut Deus, nihil facit à ſemetipſo, quia accipit ſuum eſſe & operari à Patre, quatenùs ab illo gignitur, ac procedit: ideò Chriſtus ipſe dixit in eodem Joannis Euangelio cap. 5. *Non poteſt filius à ſe facere quidquam, niſi quod viderit Patrem facientem. Quæcumque enim ille fecerit, hæc & filius ſimiliter facit.* Quibus verbis Chriſti divinitas manifeſtiſſimè declaratur.

Septimum. Ex Euangelio Joan. cap. 5. وقال يوحنا

كما للاب حياة في جوهرة كذلك اعطي الابن ان يكون له حياة في اقنومه:

Et dixit Joannes: Sicut Pater habet vitam in ſubſtantia ſua: ita dedit Filio habere vitam in Perſona ſua. Qui dat (inquit Ahmed) major eſteo, cui datur. Id conceditur, quando datur per creationem; non autem quando datur per generationem æternam, per quam Pater ab æterno dedit Filio habere vitam in ſemetipſo, ſicut habet ipſe Pater. Nulli autem creaturæ poteſt convenire, habere vitam in ſemetipſa, ſicut habet Deus, & Creator. Itaque argumentum facit contra Mahumetanos, non contra nos.

Octavum. Ex Pſalmo 110. وقال داود في مزمور مائة

وعشرة قال الرب لربي اجلس عن يميني حتي اضع اعدائك موطيا لرجليك هما العظمة بعث الرب من صهيون: وقد ابان داود في محاطبته ان ربه الذي ذكره انا هو لعظم مده واعلي اعطاه ما حكيناه ومنعه ذلك وعهد عليه ان هما العظمة بعث ربه

هذا من صهيون وسماه صيتا محققا لقوله لاول اليوم ولدتك وصفا على اول كلامه وهو ربه وصف انه الكلمن للوحد الذي بسمني ملك الدر.... ولما كان للصحيح متشبها به مع تضمنه كاملا

كان ذلك من اعظم الادلة على انه مخلوق:

Et dixit David in Pſalmo centeſimo decimo: Dixit Dominus Domino meo: ſede à dextris meis; donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum. Virgam magnitudinis mittet Dominus ex Sion, &c. Jam verò clarè monſtravit David in collocutione ſua, quòd Dominus ſuus, cujus mentionem fecit, haberet Dominum majorem, & ſublimiorem ipſo, qui dederat ei id, quod diximus, & donaverat ei hoc. Et teſtatus eſt de eo, quòd virgam magnitudinis mitteret hic Dominus ejus ex Sion. Et vocavit eum puerum, juxta quod primò dixerat: ego bodiè genui te, & in ordine ad prima verba: & ipſum eſſe Dominum ejus. Et prædicavit de eo, quòd eſſet Sacerdos conſtitutus in æternum, cujus nomen erat, Rex Juſtitiæ. Et cùm Chriſtus fuerit aſſimilatus huic ſacerdoti (nempe Melchiſedech) *cum denominatione Sacerdotis; hoc eſt unum ex validiſſimis argumentis, quo probatur Chriſtum eſſe creatum.*

Una in re ſapit Doctor Mahumetanus, dum cenſet, Davidem in illo Pſalmo loquutum eſſe de Chriſto: & quamvis verba ejus parùm ſincerè referat, nihil tamen officit ſententiæ veritati. In cæteris errat, quia nimirum non animadvertit, in hoc Pſalmo, ſicut in cæteris ſcripturis, agi de Chriſto, ut Deo, & homine. Quòd David appellet illum *Dominum ſuum*, dum loquitur de illo ſociatim cum Deo: quòd dicat ei Deus: *Sede à dextris meis: &, ex utero ante Luciferum genui te*: Quòd dicat de eo David, vel Deus: *judicabit in nationibus, implebit ruinas*; & alia hujuſmodi: manifeſtè oſtendunt illum eſſe Deum. Quòd verò Deus largiatur illi, *virgam magnitudinis*: quòd dicatur de eo: *de torrente in via bibet*: quòd appellatur *Sacerdos*, & etiam *Puer*, (quemadmodùm vocatur à Sancto Epiphanio ex quodam textu Septuaginta Interpretum), oſtendunt ipſius humanitatem. Itaque Ahmed allegans hoc Davidis teſtimonium contra Chriſti divinitatem, ſuo ſe gladio jugulavit.

Nonum. Ex Actis Apoſtolorum c. 2. وقال معهون حواري

الصفا رئيس الحواريين في الفصل الثاني من قصصهم يا رجال بني اسرايل اسمعوا مقالتي ان ليسوع الناصري رجل ظهر لكم من عند الله بالقوة والايد والعجايب التي اجراها على يديه ... فاني شهادة اليقين واوضح من هذا القول هو اوقف التلاميذ عندكم بضركما ترون ان المسيح رجل ارسله من عند الله: وقال ايضا في هذا الموضع اعلموا ان الله

Digitized by Google

اللّٰه جعل اهوع الذى تكلّموا رسلًا
وصيحبنا .... والمجعول مخلوق مفعول.

Et jam declaravit verbis suis universaliter, nullam creaturam habere scientiam hujus rei. Deinde addidit: neque filius, quamvis ipse habeat virtutem super alios: & testatus est hoc dicto suo apertissimè, se nescire omnia, quæ scit Deus. Et paulò post: *Quòd si esset Deus, sicut vos dicitis, certè sciret omnia arcana, & omnes res, quas scit Deus.*

Videtur argumentum non ita facilè solvi posse. Nihilominùs, cùm Christus in Euangelio dicatur nunc *Filius Dei*, nunc *Filius hominis*, nunc simpliciter *Filius* absque alio additamento: in hoc tertio casu, benè potest nomen *Filii* esse indifferens ad humanitatem, vel divinitatem, itaut possit ad alterutram, juxta exigentiam sententiæ, præcisivè referri. Quòd verò hoc loco significet tantùm humanitatem, etiam consentiente adversario, patet, quia Christus, ut Deus, omnia novit, quæ novit Pater, cùm una eademque sit utriusque scientia. Sed ut homo, vel filius hominis, per se nesciebat diem Judicii, quamvis sciret ut Deus, atque etiam ut homo ratione divinitatis unitæ. Nonnulli ex nostris Doctoribus volunt hoc loco, nescire, esse ita scire, ut nulli velit, vel debeat revelare. Atque adeò licet humanitas Christi sciat illum diem, non tamen potest hominibus manifestare: & ideò respectu ejus idem est, ac si nesciret. Cæterùm ex aliis Sacrarum Scripturarum testimoniis apertissimè constat, Christum esse Deum, & omnia scire, quæ scit Pater, imò esse unum Deum cum Patre. Quamobrem debemus accipere hunc locum, tamquam unum ex illis, qui Arabicè dicuntur متشابهة, *assimilati*: idest metaphorici, obscuri, & explicationis egentes, quales plures sunt in Sacris Scripturis (& Mahumetani asserunt esse in suo Alcorano) in quibus Deo ipsi alicujus rei scientia videtur denegari. Exempli causa: quando Deus dixit Gen. cap. 18. *Clamor Sodomorum, & Gomorræ multiplicatus est: descendam, & videbo, utrùm clamorem, qui venit ad me, opere complevierint, an non est ita, ut sciam.* Et cùm capite 11. dicitur. *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem, & turrim, quam ædificabant filii Adam.* Sed possunt etiam alio modo prædicta Christi verba explicari. Nimirum, cùm Christus, etiam ut Deus, nullam habeat scientiam, nisi scientiam Patris; verè dici potest, solum Patrem scire diem Judicii, quatenùs Pater est veluti fons scientiæ divinæ, quam communicat Filio. Et ideò alibi dixit Christus: *Mea doctrina non est mea; sed ejus qui misit me.* Ubi doctrinam suam dicit non esse suam, quia, ut exponit Sanctus Augustinus, *doctrina Patris non est nisi Verbum Patris. Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus: & suam doctrinam dixit seipsum: & non suam, quia Patris est Verbum. Quid enim tàm tuum, quàm tu? & quid tàm non tuum, quàm tu, si alicujus est, quod es?* Idem potest hoc loco dici. Cùm enim filius sit scientia Patris, potest eodem modo dicere: Scientia mea non est mea: & propterea cum veritate asserere, se diem Judicii nescire, & solum Patrem illum scire. Alios similes loquendi modos habemus in Euangelio, in quibus Christus videtur idem de seipso affirmare, & negare.

Subjiciam his argumentis alia nonnulla, quæ è Sacris Scripturis desumpsit الحسن ابن ايوب: *Alhasam filius Job*, apostata à Christiana fide, à quo Ahmed filius Abdalhalim sua arma accepit, ad oppugnandam Christi divinitatem: quorum

Primum

وقد قال
السيد للمسيح لتلاميذه في الانجيل لما مُلِئ عن
الساعة والقيمة ان ذلك اليوم وتلك الساعة لا
يعرفه احد ولا للملائكة الذين في السماء ولا
الابن ايضًا ولكن الاب وحده يعرفه فهذا اقرار منه
بانّه منقوص العلم وان الله تبارك وتعالى لعرف
علم منه وقد بيّن بقوله احدا عمومه بذلك
الخلق جميعًا: .... ثم قال ولا الابن وله من القوة
ما ليس لغيره وبهذ قوله هذا شهادة واضحة عليه
بانّه لا يعلم كل ما يعلمه الله ولو كان الهًا كما تقولون
لعلم ما يعلمه الله من مايرى الاشياء ومدابر الامور

Et jam dixit Dominus Christus in Euangelio Discipulis suis, quando interrogaverunt eum de die Judicii & Resurrectionis; diem illum, & horam, neminem scire, neque Angelos, qui sunt in Cœlo, neque etiam Filium; sed Patrem solum nosse illum. Porrò hæc est confessio ipsius, quòd ipse sit imperfectus scientia: & quòd Deus est scientior, & habet majorem cognitionem ipso, & est creator ejus, & sublimior illo.

Digitized by Google

Primum est: Ex Euang. Marci c. 10. لما خاطبه الرجل على ما كُتب فى الانجيل فقال له ايها المُعلّم فقال ليس للخير الاّ اله واحد: قلت: وبعضهم يترجمه ايها الصالح فقال ليس الصالح الاّ الله واحد:

Cùm alloqueretur illum quidam homo, juxta id, quod scriptum est in Euangelio, ac diceret ei: ò optime: respondit ei: Nullus est optimus, nisi solus Deus. Quidam verò eorum vertunt: ò bone: & ille respondit: Nullus est bonus, nisi solus Deus. Ex hac responsione puto, velle Apostatam evincere, Christum non esse Deum, quia visus est reprehendisse hominem illum, à quo vocatus fuerat optimus, vel bonus, cùm nemo sit bonus, vel optimus, nisi solus Deus. Sed ex hoc loco maximè probatur divinitas Christi. Cùm enim non semel idem Christus seipsum bonum appellaverit, dicens: *Ego sum Pastor bonus*: nunc, dum asserit, nullum esse bonum, nisi solum Deum, manifestè infert, se esse Deum. Et ideò adolescenti vocanti ipsum bonum, nec tamen credenti esse Deum, respondit: *Cur me dicis bonum, cùm nullus sit bonus nisi solus Deus, & tamen non credis me esse Deum?* Nec dicat Alhasan, aliud esse, *bonum*, absolutè, & simpliciter; aliud verò *Pastorem bonum*: Nam homo ille non dixit Christo simpliciter, *ò bone*, vel, *ò optime*: sed *ò Magister bone*, ut conflat ex Euangelio.

Secundum deinde ex eo, quòd in Symbolo Christus dicatur, *sedere ad dexteram Patris, & judicaturus esse homines in die judicii*. Ita igitur paralogizat: فان كان هذا الجالس المحكومة بين العالم الدين والقاعد من يمين ابيه ومرتفعٌ قايم بذاته لا يشك فيه هو الجسد الذي كان في الارض للتوحد به البرويية فقد فصلتم بين الله تبارك وتعالى وبينه ويعتمد باجتماعهما في السماء مختلفين متباينين احدهما عن يمين صاحبه وهذا كفر وشرك بالله عزّ وجلّ فان كان جسداً حالياً في الالهية وهي الكلمة وقد عادت الى الله كما بدات منه فقد زال عنه حكم البرويية التي تتعلق بها:

Quòd si hic, qui sedebit ad judicandum sæculum in die judicii ad dexteram Patris sui, est persona subsistens in esse suo, & sine dubio est corpus illud, quod fuit in terra unitum cum divinitate: jam distinctionem ponitis inter Deum, & inter illum: & partimini eum per aggregationem amborum in cælo in duas personas distinctas, quarum una sedet ad dexteram alterius; quod est infidelitatis & idololatriæ scelus. Quòd si hic est tantùm corpus vacuum divinitate, quæ est Verbum, quæ redierit ad Deum, à quo primò advenerat: jam recessit ab eo judicium supremi dominii (seu divinitatis) *quod ei tribuitis.*

Nimis crassi, ac propè pecuini ingenii est Alhasan, qui putet, sessionem Christi ad dexteram Patris esse materialem, & non mysticam, &, ut Arabes dicunt, متمثلة *assimilatam*, seu metaphoricam. Non datur in Deo dextera, vel sinistra: & sedere Christum ad dexteram Dei, nihil aliud est, quàm eundem, ut hominem, supra omnes tàm Angelicas, quàm humanas creaturas excellentissimum gloriæ, & majestatis, potentiæque gradum apud Deum obtinere. Cæterùm Christus, ut homo, seu humana natura in Christo, est procul dubio distincta à natura divina; & Persona divina in Christo est realiter distincta à Persona Patris: neque in hoc ulla continetur infidelitas, aut idololatria. Posstremò respondemus, divinitatem nunquam recessisse à corpore, aut anima Christi: ac propterea Christum nunquam amisisse judicium supremi dominii, ut malè arguebat Alhasan, qui si bonus Theologus, & Christianus fuisset, non ita facilè Mahumetanica libertate inclsatus, ad Saracenicam superstitionem defecvisset,

Tertium Argumentum ex eo conficit Alhasan, quòd cùm Christus, ut refert S. Matthæus cap. 16. veniffet in Urbem Cæsaræ Philippi, & ibi interrogasset discipulos suos, quem dicerent homines esse filium hominis; respondit ei Petrus (quem vocat Principem Apostolorum:) *Tu es Christus Filius Dei vivi*, seu ut habet S. Lucas cap. 9. *Tu es Christus Dei*: idque Christus summoperè probavit. Ita igitur paralogizat Apostata: فهذا كلام تلميذ الرييس فهم وارشاد ما قال وقوله انه لم ينطق بذلك الاّ بما اوحاه الله في قلبه ولا تدفعكم قط عن انه مسيح وعن ان نقول في لغتكم انه ابن بالرحمة والصفوة وسع هذا الاختلاق الواقع في ذلك في الانجيليين:

Hæc fuerunt verba prolata à discipulo, qui erat Princeps inter eos; & approbavit ea Christus, asserens illum non protuliffe ea, nisi per divinam revelationem. Nos verò nunquam negabimus vobis illum esse Christum: neque refugimus dicere, in idiomate vestro vocandum esse filium per misericordiam, & adoptionem etiam non obstante hac diversitate, quæ apparet inter duo Euangelia.

Sed hoc est præclarissimum testimonium divinitatis Christi: neque refert quòd Euangelistæ in verbis Petri referendis non sint uniformes, dummodò nulla in re sibi adversentur, vel unus neget, quod alter affirmat: hoc enim in Sacris literis frequentissimè contingit. Infrà videbimus, quantum hæc Petri responsio confirmet Christi divinitatem.

Argumentatur quartò ex duabus Euangelii historiis, quarum prima habetur Matthæi cap. 14. Ubi cùm Petrus petiisset à Christo, ut concederet sibi super aquas ambulare, super quas videbat eum incedere, Christus illi annuit. Sed cùm cœpisset super undas gradi, ventorum vi ingruente, cœpit mergi. Christus verò manu sustinuit eum, redarguens defectum fidei illius, ob quem ita periclitatus fuerat. Hinc concludit Apostata: فبان بذلك عجز الصحب عن اتمام ما مله معهن الضعا

Per hoc manifestè apparet defectus potentiæ in Christo, cùm non potuerit per-

Digitized by Google

perfectè præstare id, quod ab eo Simon Cephas postulaverat. Secunda refertur à Sancto Marco cap. 9. ubi homo quidam attulit filium suum (non filiam, ut scribit Alhafan) dæmoniacum ad Christum. Cum autem ipsum non invenisset, rogavit discipulos ejus, ut à dæmone liberarent eum, sed non potuerunt.

Hinc concludit: وقد حمل لهم ذلك وعجزوا فاخرجه

هو منهما : *Et jam concesserat eis, ut possent facere hoc, & alia miracula. Itaque ipse ejecit dæmonem ab ea.* Inferens ex hoc etiam, eundem potentiæ defectum in Christo, quòd non potuerit tribuere perfectè discipulis suis eam potestatem patrandi miracula, quam intendebat.

Verùm spontè, & malignè cæcutit homo impius, dum tribuit potentiæ Christi defectum illum, quem Euangelistæ manifestè declarant fuisse fidei Petri, & cæterorum discipulorum. Quemadmodùm enim Deus ita vult homines salvare, ut ipsi mala opera fugiant, ac benè operentur, rectèque credant: nec argui potest defectus potentiæ in Deo, si hi malè operantes, fidemque deserentes pereant, quos ille, quantum in se erat, cupiebat, & volebat salvos fieri: ita Christus ea conditione miracula patrare decreverat, saltem in aliquibus casibus, ut ii, pro quibus patranda erant, haberent fidem; qua si caruissent, ex defectu ipsorum, non ex Christi impotentia, miracula non fiebant. Innumera sunt, quæ Deus in Sacris literis promittit se facturum, quæ tamen minimè facit ob defectum conditionum appositarum, ex parte hominum: neque tamen inde ulla Dei impotentia, aut defectus ullus potest deduci.

Quinta Argumentum desumit ex eo, quod refertur Matthæi cap. 20. ubi matri filiorum Zebedæi postulanti à Christo, ut concederet filiis suis primas sedes, nempè ad dexteram & ad sinistram suam, in Regno suo; respondit ipse: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Hoc loco ita argumentatur homo vesanus:

نعما يكون يا مولاه انصح او ابين

او اوضح من احتجاج هذه الشواهد لكم في كتبكم ما رضيتم بقوله في نفسه ولا يقول تلاميذه فيه ولا يقول من نبيا عليه من الانبياء وتركتم كلهم واخترتم بارلا قوم تاولوا لكم على ملكم فانهم قد اختلفوا ايضا في الراي فقال كل قوم في الصحيح ما اختاروا واتبع كلامهم ثم ملك من بعدهم مبيل الاباء في اختراقهم فتفرقوا لنا حجتكم في ذلك وبيناك من حجة

Et quid est, heus vos, clarius, aut apertius, aut evidentius collectione horum testium, quos habetis in Scripturis vestris? sed vos non acquievistis in eo, quod dixit Christus de seipso, neque in eo, quod dixerunt discipuli ejus de illo, neque in verbis Prophetarum, qui vaticinati sunt de eo: & relinquentes hoc totum adhæsistis sententiis hominum, qui inter-

pretes fuerunt scientiæ vestræ: qui etiam mox in eo, quod senserant, discordes fuerunt inter se, & dixit unusquisque de Christo, quod sibi visum fuit: & sectati sunt dictum eorum quidam, qui locuti sunt juxta id, quod ipsi dixerant. Deindè ambulaverunt post eos per viam majorum in divisione eorum. Confirmate ergo nobis probationem vestram in hoc. At nimis infelix erit probatio.

Ut respondeamus ad argumentum, non ad ineptias & maledicta: dicimus, nequaquam Christum asseruisse, se non posse dare filiis Zebedæi sedes in Regno suo: imò ostendit, suum esse dare illas, verùm non cuilibet, sed iis tantùm, quibus paratæ essent à Patre suo, nempè merentibus illas: nam talibus parantur sedes à Deo in Cœlo: & repugnat divinæ justitiæ indignis illas tribuere. Cæterùm etiamsi Christus dixisset absolutè, non esse suum sedes illas dare; potuisset hoc verè dicere de se, quatenùs homo erat, non verò quatenùs erat Deus.

Secundò argumentatur contra nos ex verbis Christi, quæ dixit discipulis suis, Lucæ cap. 22. *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus Regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in Regno meo.* his verbis:

وهذا ما لا عذر لكم فيه

وهو يخالف لقولكم فيما تصير اليه و في الاكل والشرب والنعيم هناك

Et hoc est id, de quo vos non dubitatis: & tamen adversatur dicto vestro circa locum, in quem translatus est, & circa comessionem, bibitionem, & delicias in illo. Non planè assequor quid sibi velit hic nugator: sed videtur probare velle, Christum non esse Deum, quia à Deo translatus est è terra in Paradisum, ubi cum discipulis suis comedit, bibit, ac deliciatur, quod Deo repugnat. Verùm hoc loco comedere, bibere, ac deliciari, non materialiter intelligenda sunt, quemadmodùm intelligunt Mahumetani in Alcorano: sed metaphoricè, ac spiritualiter sumenda. Patet enim ex aliis Scripturæ locis, excludi à Regno Dei omnem cibum, & potum. At Alhafan confundit Euangelium cum Alcorano.

Septimò argumentatur ex eo, quòd Christus in Symbolo dicatur المولود, *Genitus*, seu *natus*. Per hoc enim putat, se evincere, illum non esse æternum, ac genitori æterno coævum: Ita igitur contra nos insurgit:

ان كان هذا الابن ازليا على ما في شريعة ابيكم فليس بمولود وان كان مولودا فليس بازلي لان اسم الازلية انما يقع على من لا اول له ولا اخر ومعنى المولود انه حادث مفعول وكل مفعول فله اول

Si hic filius est æternus, sicut dicitur in Symbolo fidei vestræ: ergo non est genitus, aut natus: & si est genitus, aut natus, non est æternus: quia nomen æternitatis cadit super eum, qui caret principio, ac fine. Genitus verò significat recenter productum, & factum; omne autem factum habet principium, seu aliud prius se, & anterius.

Respondemus, non esse idem, imò esse valdè diversum, *genitum*, ac *factum*. Nam *factum* supponit suum agens prius tempore: *genitum* autem non ita; suffi-

sufficit enim inter generans & genitum prioritas originis, quæ nullam importat temporis prioritatem. Sed homo hebes & carnalis mensuravit divinam generationem cum humana, & putavit, Deum Patrem non potuisse gignere Filium, nisi post aliquot annos ætatis suæ. Pater ab æterno seipsum intellexit, suique esse conceptum habuit: quamobrem etiam Filius fuit æternus. Poterit comparatione res explicari. Sol gignit, seu producit lucem, & ignis calorem, & tamen nec lux est tempore posterior Sole, nec calor igne. Et si, juxta nonnullorum Philosophorum fallam opinionem, sol esset æternus, lux quoque ejus esset æterna, licèt quoad originem intelligeretur prior esse Sol, quàm lux: qua ratione etiam in Patre datur prioritas respectu Filii.

Octavò ita argumentatur: بيا مبيتم الاب ابنا

والابن ايضا فان كان وجب للابن لسم الابوة لقدمه والابن ايضا بعتعف هذا الاسم بعينه ان كان قديما مثلـه وان كان الاب عالما مزيزا فهو ايضا عالم عزيز وان كان الاب والابن متكافيين فى القدم والقوة فباى فضيل وسلطان للاب عليه امره ونهاه فصار الاب باعثا والابن مبعوثا والاب متبوعا مطاعا والابن تابعا مطيعـا:

Quare vocatis Patrem patrem, & Filium filium? Nam si convenit Patri esse patrem ratione æternitatis: etiam Filio convenit idem, cùm sit ipse quoque æternus. Et, si Pater habet scientiam, & potentiam, Filius etiam est sciens, & potens sicut ille. Porrò si Pater & Filius æquales sunt in æternitate & potentia; ob quod privilegium, vel potestatem, Pater exercet supra Filium jus præcipiendi, & prohibendi; & Pater mittit, Filius verò mittitur: & Filius sequitur Patrem, & obedit illi; non autem è converso?

Respondemus, eumdem Deum, quatenùs intelligit seipsum, & format conceptum sui, esse Patrem: quatenùs verò est conceptus sui, esse Filium: & quatenùs est amor sui ipsius conceptus, esse Spiritum Sanctum. Quamobrem non solùm non repugnat, sed necessarium est, tàm Patrem, quàm Filium, atque etiam Spiritum Sanctum, habere eamdem æternitatem, scientiam, potentiam, cùm sint unus idemque Deus. Quòd verò dicimus, Patrem mittere Filium, id est ratione originis; quòd autem dicimus, illi præcipere, & Filium obedire Patri, non verò è converso, intelligimus de Filio ratione humanitatis, non verò divinitatis.

Nonò, arguit, Christum non esse Deum, quia appellatur in Sacris literis بكر الخلايف *Primogenitus creaturarum*. Nam, inquit ille, بكر الخلايف لا يكون الا من الخلايف كما ان بكر الرجل والمرأة لا يكـون الا من جنسها ويكـون الثمار لا تكون الا ثمـرة:

primogenitus creaturarum, non est nisi ex creaturis: sicut primogenitus viri, & mulieris, non est nisi ex eodem genere: & primogenita palmæ, non est nisi palma.

Nos etiam assentimur, Christum non dici *primogenitum creaturarum*, nisi quatenùs est homo, & creatus. Non tamen ita appellatur ratione temporis, sed dignitatis, & excellentiæ, cùm innumeri homines nati fuerint ante illum. Nihilominùs potest etiam, ut Deus, dici *primogenitus omnis creaturæ*, quemadmodùm vocat eum Sanctus Paulus, ad Colos. cap. 1. ideòque genitus à Patre ante omnem creaturam, scilicet ab æterno. Ita in libro Ecclesiastici, cap. 24. Sapientia Dei, nempè Filius, dicit de se: *Ego ex ore Altissimi prodivi primogenita ante omnem creaturam.* Sed tunc, *genitus*, non accipietur univocè, sed analogicè: itaut uno modo intelligatur de Christo, alio de creaturis. Neque hoc est alienum à modo loquendi Scripturarum, in quibus apud Job cap. 38. dicitur Deus, *Pater pluviæ, & gignere stillas roris.* Et Israeliticus populus dicitur *primogenitus Dei*, Exodi cap. 4. Nimirùm in primo loco, *gignere*, est producere, seu creare: in secundo, est eligere, & specialiter amare. At in Christo intelligitur strictè & propriè. Et ita idem erit hìc: *Primogenitus omnis creaturæ*, ac genitus, & dilectus à Patre ante omnem creaturam, nimirùm ab æterno. Ad illam paritatem, quòd unumquodque dicatur primogenitum in genere, vel specie sua: respondemus, id verum esse, cùm, *genitus*, fumitur univocè, non autem cùm fumitur analogicè, ut dictum est.

Decimò, ineptè argumentatur ex eo, quòd Christus dicatur in Symbolo, *natus ex Patre ante omnia sæcula*; his verbis: قليس بخلـوق الاب من ان يكـون اولد شيأ موجودا او غير موجود فان كان لم يزل موجودا فان الاب لم يلد شيأ وان كان غير موجود ولما صـار حادث لم يكن فهـو مخلوق كمـا قلنـا:

Necessariò Pater genuit, vel aliquid, quod existebat, vel aliquid, quod non existebat. Si dicatur primum: Pater nihil genuit. Si secundum: genuit aliquid de novo, quod non erat: ergo illud erit aliquid creatum; id quod nos affirmamus.

Jam suprà diximus, calorem produci ab igne, & lucem à Sole: & tamen certum est, calorem non esse priorem, aut posteriorem igne, sicut neque lucem sole, si loquamur de prioritate, & posteritate temporis: quemadmodùm inter Patrem, & Filium, datur prioritas originis. Quamobrem id, quod Pater genuit, semper extitit ab æterno cum ipso Patre.

Post hæc, & alia hujusmodi ineptissima argumenta contra Christi divinitatem, ita Thrasonicè concludit Apostata: واذا نظرنى الانجيل وكتـب بولس وغيره من يحتج به النصارى وجد نحو من عشرين الـف انة كلها تنطق بعبودية المسيح وانـه مصنوع مربوب وان الله اختصه بالكرامة ما حلا ابان بعيرة مشكك قد تاولها كل فريق اوليك الذين وضعوا الشريعـة على مواهم فاخذوا بذلك التاويل الفاسـد وتركـوا لمعظـم الـذي ينطـق بعبوديـــــــــــة:

Cum

Digitized by Google

Cùm autem benè quis inspexerit Euangelium, & Epistolas Pauli, & libros aliorum Scriptorum, quibus utuntur Christiani ad dogma suum comprobandum; inveniet circa viginti millia testimonia de esse Christi creato & servili respectu Dei; & quòd ipse missus est, & subjectus illius dominio; & quòd Deus speciali honore decoravit illum: exceptis paucis locis dubiis, quæ unaquæque secta eorum, qui composuerunt Symbolum Fidei, interpretati sunt ad libitum suum, & amplexi sunt interpretationem hujusmodi corruptam; & reliquerunt loca præcipua, quæ clarè loquuntur de esse Christi creato & servili. Succinit Magistro malo malus discipulus Ahmed, & Alhafani insanize his verbis patrocinatur:

ومن اعجب للعجب لى تكون

امة كتابها وعمودها واحداً يتمسكون بامر

المسيح عم وتلامذته ولجيله وسبيله وشرائعه وهم مع

ذلك يختلفون فيه لعد الاختلاق فمنهم يقول انه

اقنومان وطبيعتان وكان منهم يكفر صاحبه ويكون

ان الخف فى يده وكلهم لا ياتى بين الكتاب بحجة

واضحة يثبت بها دعواه ولا من قيامه لنفسه وتاويله

بما يصح له عند الظاهر وانما يرجع فى يده واعتقاده

الى ما تاولـه المتاولون بما يخالف اقاويلهم

كتبهم بالهوا والعسف من بعضهم:

Maximæ verò admirationis est, quòd una gens habeat easdem Sacras Scripturas, idem prædicet, idem colat, & mordicùs teneat religionem Christi, & discipulorum ejus, & Euangelium ejus, & statuta ejus, & leges, ac sanctiones ejus: & nihilominùs discordes sint in hoc ipso inter se, quantum dici possit. Itaut nonnulli ponant in eo duas personas, & duas naturas: & alii appellent alios hæreticos & infideles; asserente unoquoque fidem suam veram esse. Nemo tamen ex eis profert è Sacris Scripturis probationem claram & evidentem, qua confirmet id, quod dicit, neque ullam regulam ejus, aut analogiam, aut interpretationem, qua id verum ostendat apud disputantes. Sed recurrit in religione sua, & in professione fidei sua, ad interpretationem eorum, qui interpretati sunt contraria Euangelio suo, & Scripturis Sacris suis, ex libidine & cultu quorumdam ex ipsis.

Non negamus, in Euangeliis, & Epistolis S. Pauli, aliisque Sacris libris, multa esse, quæ apertè demonstrant humanitatem Christi. Et quamvis hæc essent viginti millia (ut hyperbolicè asserit Alhafan) nihil tamen concluderent contra ejusdem Christi divinitatem, quæ, ut videbimus, apertissimis eorumdem Sacrorum librorum auctoritatibus demonstratur. Hæ autem non sunt paucæ, ac dubiæ, quemadmodùm fingit Apostata, sed plurimæ, & ab omni dubio remotæ.

Porrò admiratio Ahmedi miram ostendit in illo stoliditatem. Nam si Christiani omnes habent (ut ipse affirmat) easdem Sacras Scripturas: si idem prædicant, idem colunt, & mordicùs tenent omnes Religionem Christi, & Discipulorum ejus, & Euangelium ejus, & statuta ejus, & leges, ac sanctiones ejus: & in hisomnes conveniunt, & convenerunt semper, ut cons vincitur ex Symbolo illo, quo in Concilio Niceno Principes omnes, Patres, & Doctores Christianæ Religionis ex universo orbe collecti, declaraverunt Fidem, quam Christiani omnes profitebantur: & damnarunt Arium, quia contra sensum omnium Christianorum, æternam Christi divinitatem negabat: & hoc eo tempore contigit, cùm Christiana Religio esset vera (nam alia nulla Religio reperiebatur in Mundo nisi falsa): hoc manifestissimum argumentum est contra Mahumetanos, Christum esse verum Deum, ut habetur in eodem Symbolo fidei; & Christianam Religionem etiam veram esse, cùm semper Euangelium, & Leges à Christo traditas eodem modo servaverit. Neque obstat, quòd circa unam, vel duas Christi naturas, aut personas, schismata inter Christianos orta sint, dummodò omnes conveniant, Christum esse verum Deum, Patrique coæternum, consubstantialem, & in omnibus æqualem. Porrò hæc schismata orta sunt, & hodie quoque vigent aliqua in parte, ex æquivocatione verborum. Nam ego ipse certò novi plures, qui in Oriente asserunt, in Christo esse duas personas, & unam naturam; accipere naturam pro persona, & personam pro natura: idque ipsi mihi confessi sunt, dum peterent, & optarent cùm Romana Ecclesia reconciliari. Sed hæc illos admittere noluit, nisi clarè, & propriis verbis, duas in Christo naturas, & unam personam confiterentur. Verùm sint hæc, vel alia inter Christianos schismata, vel hæreses (quæ sanè ad fundamenta Religionis, quæ Mahumetani الاصول *Radices*, appellant, non videntur pertinere: sed ad eos articulos, qui الفروع *Rami*, ab iisdem vocantur, & sunt veluti secundarii, neque ab omnibus necessariò explicitè sciendi, ad salutem æternam consequendam: dummodò, ubi quis noverit eos ab Ecclesia proponi, non neget illos; sed firmiter credat): schismata, & hæreses, religionis veritati, & bonitati præjudicium nullum afferre, jam alibi diximus, & infrà ex professo probabimus.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

Probatur Christi Divinitas ex Sacris Scripturis.

UT omnes agnoscant, quàm impudenti mendacio Mahumetani Doctores asserant, in Sacris Scripturis quæcdam tantùm pauca, eaque obscura, ac dubia, pro Christi divinitate statuenda, testimonia reperiri; cùm pro humanitate ejus affirmanda, innumera sint, omnique dubitatione, atque obscuritate carentia: præcipua hic loca producam ex utroque Testamento, quæ ita apertè Christum verum Deum esse testantur, ut nemo de his possit dubitare, nisi velit Sacrorum Librorum auctoritatem impiè negare. Ut igitur à Testamento veteri exordiar;

Primum Testimonium produco ex *Psal.* 2. quem tàm Judæi, quàm Mahumetani, & Christiani de Christo vaticinari fatentur. Ita autem Christus ipse in eo loquitur. *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu: ego hodie genui te.* In quæ verba hæc scribit Mohammed filius Jacob Phiruzbadiensis in suo القاموس

قوله عزوجل لعيسى صلى الله عليه وسلم *Camus*:

Digitized by Google

انت نبي ولنا ولدتك ايي ربيتك فقالت النصاري ان

يعني ولنا ولدتك تعالى الله عن ذلك علوًا كبيرًا.

Dictum Dei Potentis & Glorioſi ad Jeſum, cui ſint benedictiones Dei, & pax: Tu es Prophetа mens, & ego genui te, ideſt enutrivi te. Sed Chriſtiani legunt: Tu es Filius meus, & ego genui te. At verò longiſſimè abeſt Deus ab hac re. Sed audiatur alius Auctor, nomine ابن الاثير *Ebnol-Athir*:

قال الله لعيسي انا ولدتك اي ربيتك فكفته

النصاري وجعلوه ولدًا سبحانه وتعالي

عما يقولون علوًا كبيرًا.

In Euangelio dixit Deus ad Jeſum: Ego feci naſci te ideſt nutrivi te. Sed Chriſtiani legunt in prima conjugatione, genui te; volentes, illum eſſe Filium Dei. Ab hoc autem longiſſimè abeſt Deus. Verùm originale Hebraicum: בְּנִי *filius meus*: & יְלִדְתִּיךָ *genui te*, cui conſonant Septuaginta Interpretes Græci, & omnes alii Interpretes tàm Græci, quàm Latini, & Syri, atque etiam Textus Arabici antiquiſſimi, manifeſtè detegunt utriuſque Expoſitoris fraudem, ac mendacium. Simile eſt huic id, quod legitur in Pſal. 110. in quo loquitur Deus cum Chriſto: *Tecum principium in die virtutis tuæ: in ſplendoribus Sanctorum ex utero ante Luciferum genui te.* Ita enim verterunt ſeptuaginta Interpretes verba hebraica, quæ hodie nonnulli vertunt. *Populus tuus ſponte veniet in die fortitudinis tuæ: in ſplendoribus Sanctitatis ex utero ab aurora tibi rosnativitatis tuæ.* Sed magis ſtandum eſt interpretationi eorum, qui Spiritu Sancto afflati erant, quàm Interpretum modernorum: quamvis utraque interpretatio in idem recidat.

Secundum eſt Iſaiæ cap. 48. in illis verbis Dei, *Accedite ad me, & audite hoc: Non à principio in abſcondito loquutus ſum: ex tempore antequam fieret, ibi eram. Et nunc Dominus Deus miſit me, & Spiritus ejus.* Hic manifeſtè apparet, Deum (nempè Chriſtum, in quo Deus erat carni hypoſtaticè unitus) afferere ſe miſſum fuiſſe à Domino Deo, qui in verbis ſequentibus dicit eidem Chriſto: *Ecce dedi te in lucem gentium, ut ſis ſalus mea uſque ad extremum terræ.* Nihil autem horum poteſt Iſaiæ convenire, ut contendunt Hebræi: & patet manifeſtè ex contextu ſermonis, hæc omnia dici à Deo, & de Deo. Vide, quæ ſuprà diximus, ubi pro Sacroſanctæ Trinitatis myſterio hæc ipſa verba allegavimus.

Tertium, Iſaiæ cap. 35. *Deus ipſe veniet, & ſalvabit nos: tunc aperientur oculi cæcorum, & aures ſurdorum patebunt: tunc ſaliet ſicut cervus, claudus; & ſoluta erit lingua mutorum.* Hæc ſive literaliter, ſive allegoricè myſticèque ſumantur, nulli niſi Chriſto poſſunt convenire; qui hìc *Deus ipſe* appellatur.

Quartum Zachariæ cap. 2. *Hæc dicit Dominus Exercituum*: Poſt *gloriam miſit me ad gentes, quæ ſpoli averunt vos: qui enim tetigerit vos, tanget pupillam oculi mei: quia ecce ego levo manum meam ſuper eos, & erunt prædæ his, qui ſerviebant ſibi: & ſcietis, quia Dominus Exercituum miſit me. Lauda & lætare Filia Sion, quia ecce ego veniam, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et applicabuntur gentes multæ ad Dominum in die illo, & erunt mihi in populum; & habitabo in medio tui: & ſcies, quòd Dominus Exercituum miſerit me ad te.* Videmus hìc apertè, Dominum Exercituum aſſerere ſe miſſum fuiſſe à Domino Exercituum. Cùmque vaticinium de Chriſto accipiendum ſit, non poteſt is, qui miſſus eſt, eſſe niſi Deus, atque etiam homo, quatenùs miſſus eſt. Fateor, ſi (quod Deus avertat) Mahumetanus eſſem, vel Judæus, me ignoraturum, quid contra hoc tàm elarum divinitatis Chriſti teſtimonium reſponderem. Verùm ſit in jam allegatis ex veteri Teſtamento auctoritatibus aliquod Adverſariis dubium, vel ſubterfugium: erit ne etiam in illis, quæ à Chriſto, & Apoſtolis in novo Teſtamento de ipſius Chriſti divinitate exponuntur? has itaque audiant Doctores Moslemi.

Quintum ergo teſtimonium ex Pentateucho eſt in lib. Numeri cap. 21. *Loquutus eſt Populus contra Dominum, & Moyſen: Quamobrem immiſit Dominus in Populum ignitos ſerpentes.* S. Paulus ad Corinthios Epiſtola 1. cap. 10. *Neque tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentaverunt, & à ſerpentibus perierunt.* Dominus ille, quem tentaverunt Hebræi, erat verus Deus Iſrael: & tamen Sanctus Paulus ſcribit, hunc fuiſſe Chriſtum. Chriſtus itaque erit verus Deus.

Sextum Exodi cap. 20. loquitur Deus: *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti.* Hunc Dominum Deum, affirmat S. Judas in ſua epiſtola, fuiſſe Jeſum Chriſtum, dicens: *Jeſus populum de Ægypto ſalvans, ſecundò eos, qui non crediderunt, perdidit, Angelos verò, qui non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Nihil apertius & clarius dici poterat pro Chriſti divinitate aſſerenda. Sed objicient Mahumetani, in codicibus Græcis hodie non legi, ὁ Ἰησοῦς, *Jeſus*: ſed ὁ Κύριος, *Dominus*. Ita eſt: ſed non poteſt referri niſi ad Chriſtum. Immediatè enim præceſſerat: ἓν τῷ μόνῳ θεῷ καὶ δεσπότῃ τὸν Κύριον ἡμῶν Χριστὸν ἀρνούμενοι: *& ſolum Deum & herum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum negantes.* Cur igitur non referemus *Dominum*, ſecundo loco poſitum, ad *Deominum*, qui immediatè præceſſit?

Septimum eſt in Pſalmo 67. ubi David alloquens verum Deum ait: *Aſcendiſti in altum; cepiſti captivitatem; accepiſti dona in hominibus.* Hæc verba S. Paulus ad Epheſios cap. 4. tribuit Chriſto, ita ſcribens: *Unicuique autem noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. Propter quod dicit: Aſcendens in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primùm in inferiores partes terræ?* Hinc patet manifeſtè, Chriſtum eſſe verum Deum.

Octavum in Pſalmo 96. in illis verbis, *Adorate Deum omnes Angeli ejus*: quæ S. Paulus ad Hebræos, cap. 1. tribuit Patri reſpectu Filii, dum ſcribit: *Et cùm iterum introducit Primogenitum in Orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ergo Chriſtus eſt Deus.

Nonum eſt in Pſalmo 44. *Sedes tua, Deus, in ſeculum ſeculi: virga directionis virga regni tui. Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ conſortibus tuis.*

Hæc

Hæc verba S. Paulus explicat de Christo; qui primò Deus appellatur, dum dicitur *Sedes tua Deus*, &c. Deindè asseritur *unctus fuisse à Deo suo*, nimirùm secundum humanitatem; ut intelligatur simul Deus esse, & homo. Neque respondeat Mahumetanus, prima illa verba, *Sedes tua Deus*, &c. esse apostrophen ad Deum, abruptam ab antecedentibus, & consequentibus, quemadmodùm maliliosè explicat Interpres Chaldæus. Nam primò obstat auctoritas S. Pauli. Secundò importuna omninò, & impropria esset hujusmodi apostrophe in medio alterius apostrophes, ad diversam personam. Tertiò, quia Hebræi ipsi non agnoscunt hujusmodi apostrophen. Quamobrem R. Abraham Aben Ezra ita scribit in hunc locum: *Torrò qui dicit, quòd verba illa, Sedes tua Deus, &c. sunt referenda ad Deum: attendat quòd sequens versus hoc denegat, qui ait: Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te Deus, Deus tuus.* Et addit hunc Psalmum convenire Messiæ magis, quàm Davidi.

Decimum, sunt illa verba Psalmi 101. *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cœli*, &c. Hæc enim S. Paulus in eadem Epistola vult intelligenda esse tanquam dicta ad Christum: & per consequens hic erit Deus cœli, terræque creator.

Undecimum, Isaiæ cap. 6. Ubi dicit Propheta. *Vidi Dominum sedentem super Solium excelsum, & elevatum, & plena erat omnis terra majestate ejus*, &c. *& dixit Dominus ad me: Dic populo huic: Excæca oculos ipsorum, & cor eorum aggrava.* In hoc loco pro, *Domino*, intelligi Christum, constat ex eo, quod scribit S. Joannes in Evangelio cap. 12. allegans enim verba illa, *excæca oculos eorum, & cor eorum aggrava*, subdit: *Hæc dixit Isaias, quando vidit gloriam ejus, & loquutus est de eo.* Nec dicant Mahumetani hæc verba Evangelii referri ad verba Isaiæ præcedentia. Primò enim impertinens est referre ad anteriora, quod est connexum immediatè cum posterioribus. Deindè in capite Isaiæ 53. ex quo desumuntur prima verba, Propheta non vidit gloriam Christi, sed ignominias, & pœnas ejus, quæ per totum caput illud referuntur.

Duodecimum, ibidem cap. 8. *Dominus Exercituum, ipsum sanctificate: ipse pavor vester: & ipse terror vester: & erit vobis in sanctificationem: in lapidem autem offensionis, & petram scandali duabus domibus Israel*, &c. Hæc verba exponunt de Christo S. Lucas c. 2. ubi Simeon vaticinatur de illo: *Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israel.* Et S. Petrus, Epist. 1. cap. 3. dicens: *Timorem autem eorum ne timueritis, & non conturbemini: Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris.* Et cap. 2. loquens de Christo: *Vobis honor credentibus: non credentibus autem, lapis offensionis, & petra scandali.* Denique S. Paulus ad Romanos cap. 9. loquens de Judæis negantibus Christum, scribit: *Offenderunt in lapidem offensionis, sicut scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offensionis, & petram scandali.*

Decimum tertium, ibidem cap. 40. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domini: rectas facite in solitudine semitas Dei nostri.* Omnes Evangelistæ testantur, hæc verba prophetiæ dicta fuisse de S. Joanne Baptista, qui præivit adventum Christi, ut pararet vias ejus: per quod patet, Christum ab Isaia, Dominum, & Deum nostrum vocari. Confirmant hoc verba illa Zachariæ patris ad filium Joannem: *Tu puer, Propheta altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus.* Atque etiam verba illa Dei apud Malachiam cap. 3. *Ecce ego mitto Angelum meum, & præparabit viam ante faciem meam.* Loquitur hic Christus de eodem Joan. Baptista, quem habuit præcursorem, & veluti præparatorem viæ suæ, ut constat ex Evangelio Matthæi, cap. 2.

Decimum quartum, ibidem cap. 45. loquitur Deus: *Ego Deus, & non est alius: in memetipso juravi, quia mihi curvabitur omne genu.* Hæc verba S. Paulus ad Romanos cap. 14. exponit de Christo, dicens: *Omnes stabimus ante Tribunal Christi. Scriptum est enim: Vivo ego, dicit Dominus, quia mihi flectetur omne genu.*

Decimum quintum, ibidem cap. 4. & 44. & 48. ubi dicit Deus de se: *Ego sum primus, ego novissimus.* Eadem verba dicit de se Christus in Apocalypsi cap. 1.

Jam satis apparet impudentissimum Alhafani, & discipuli ejus Ahmedi mendacium, qui pauca tantùm, eaque dubia, & obscura, de Christi divinitate loca in Sacris literis reperiri tàm audaciter affirmabant: sed magis apparebit ex iis testimoniis, quæ nunc ex novo Testamento producam. Præcipua, & quidem non multa allegabo: nam totum novum Testamentum nihil aliud propè est, quàm apertissima demonstratio divinitatis, & humanitatis Christi.

Primùm igitur testimonium sit illud idem, quod Adversarii pro se adduxerant ex cap. 16. Matthæi, ubi S. Petrus dixit Christo: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; quibus verbis apertissimè Christum Deum Princeps Apostolorum confitetur. Neque obstat Mahumetanorum responsio, nempè alios etiam in Sacris literis filios Dei nominari, quos neque veros Deos esse, neque veram habere divinitatem ullus sibi persuasit. In hoc enim malitiosè hallucinantur, dum non vident, alia ratione vocari Christum Filium Dei, & alia cæteros homines, vel Angelos, quicumque tandem illi fint. Patet quippe ex Sacris literis; hoc nomen, *Filii Dei*, non esse univocum, sed vel æquivocum, vel analogum: sicuti etiam nomen *Messiæ*, seu Christi, quod uni tantùm proprie, specialique ratione convenit: aliis autem per analogiam tantùm tribuitur. Idem in ipso *Dei* nomine contingit, quòd cùm unius tantùm proprium sit; analogicè tamen dicitur de multis.

Quòd autem nomen *filii Dei*, diversò modo conveniat Christo ac aliis, sive Angelis, sive hominibus, itaut illi competat per naturam, cæteris autem per gratiam, patet primò ex Proverbiis Salomonis, cap. 30. ubi dicitur de Deo: *Quod est nomen ejus, & quod nomen filii ejus, si nosti?* Certè si hic, *Filius* nihil aliud importaret, quàm gratuitam adoptionem, vel electionem; responsio esset tàm facili: cùm tamen tamquam res difficillima proponatur. Secundò, quia nullus particularis homo, vel Angelus reperitur in Scripturis, qui absolutè, *Filius Dei*, appelletur, nisi Christus. Quamvis enim Israel vocetur à Deo filius: non est tamen ibi sermo de Israel, seu Jacob, tamquam persona particulari: sed de integro Populo Israelitico, quem satis constat non potuisse esse Filium Dei naturalem. Salomon autem nunquam vocatus fuit Filius Dei absolutè: sed tantùm dixit de illo Deus lib. 1. Paralipomenon, cap. 20. antequam nasceretur: *Ipse erit mihi in filium, & ego ero illi in patrem.* Quæ verba manifestè ostendunt filiationem tantùm adoptivam. Tertiò, quia nemo, nisi Christus, tanquam proprio, & usitato nomine vocatur *Filius Dei*.

Digitized by Google

Græcè ſemper cum articulo proprietatis, & ſingularitatis, ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ. Hoc non indiget probatione, nam omnes Euangeliſtæ, & cæteri Auctores novi Teſtamenti per omnes paginas manifeſtiſſimè oſtendunt. Quartò, ex ipſo modo loquendi Scripturarum hoc patet: nam ſi, *Filius Dei*, tribueretur Chriſto more uſitato, communique reliquis juſtis, nulla eſſet cauſa, cur magis diceretur ille *Filius Dei*, quàm vel Joannes Baptiſta, vel S. Petrus, vel quilibet homo ſanctus, etiamſi de Chriſto excellentiùs, ſed non naturaliter, hoc diceretur. At nullus unquam particularis hoc nomine abſolutè vocatur præter Chriſtum; ergo hinc rectè arguitur, illum eſſe Filium Dei naturalem. Quintò, quia nulla eſſet cauſa, cur iidem Euangeliſtæ ponerent tamquam rem novam, & divinitùs revelatam, quòd aliquis eum agnoſceret, & fateretur, atque etiam adoraret ut Filium Dei. Sextò, quia non ſolùm dicitur *Filius Dei*, ſed etiam *Filius Dei vivi*: quod ſine dubio oſtendit, illum eſſe Filium Dei naturalem, & ab eo genitum. Generatio quippe, ut jam diximus, eſt proceſſio viventis à vivente in ſimilitudinem naturæ. Septimò, quia non ſolùm dicitur *Filius Dei*, ſed *Filius Dei unigenitus*: & additur à S. Joanne cap. 1. *Unigenitus filius, qui eſt in ſinu Patris*: per quæ verba clariùs oſtenditur, illum ſolùm eſſe Filium Dei verum, & naturalem. Octavò, quia Judæi ipſi cognoſcebant manifeſtè, Chriſtum facere ſe Filium Dei naturalem, & conſequenter æqualem Deo; & Deum verum. Hoc patet ex Joan. cap. 5. ubi cùm dixiſſet Chriſtus; *Pater meus uſque modò operatur, & ego operor*: ſubjicit Evangeliſta: *Propterea ergo magis quærebant eum Judæi interficere, quia non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed & Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. Et cap. 10. Cùm Chriſtus iterùm dixiſſet, Deum eſſe Patrem ſuum, & conſequenter ſe eſſe Filium Dei: *ſuſtulerunt lapides Judæi, ut lapidarent eum*. Conquerenti verò de hoc Chriſto, reſponderunt: *de bono opere non lapidamus te, ſed de blaſphemia: & quia tu homo cùm ſis, facis te ipſum Deum*. Certè Chriſtus non dixerat ſe eſſe Deum, ſed Filium Dei, ut conſtat ex eo, quod ſequitur: *Vos dicitis, quia blaſphemas, quia dixi, Filius Dei ſum*. Intelligebant ſcilicet, eſſe *Filium Dei* abſolutè & ſimpliciter importare filiationem Dei naturalem, & conſequenter æqualitatem cum Deo. Propterea etiam Caiphas Pontifex, ſedens pro Tribunali, tàm ſtudiosè exquirebat ab eo, utrum eſſet Filius Dei vivi. Cùmque id ille confeſſus eſſet, Pontifex ſcindens veſtimenta ſua, eundem blaſphemiæ condemnavit, quod certè non feciſſet, ſi putaſſet, illum intellexiſſe de filiatione Dei adoptiva. Judæi etiam dixerunt ad Pilatum: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit*, Joan. cap. 19. In lege autem nunquam cenſetur reus mortis ullus, qui putet, aut dicat, ſe eſſe Filium Dei, ſolùm per gratiam, vel adoptionem. Nonò quia Chriſtus ſolus, *proprius*, & *verus* Dei Filius appellatur. S. Paulus ad Romanos cap. 8. *Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit*. S. Joannes Epiſtola 1. cap. 5. *Dedit nobis ſenſum, ut cognoſcamus, Verum Deum, & ſimus in Vero filio ejus. Hic eſt Verus Deus, & vita æterna*. Nullus autem poteſt eſſe *Filius verus, proprius, naturalis, & unigenitus* alterius, quin ſit ex illius ſubſtantia. Subſtantia autem Dei non poteſt eſſe niſi Deus; quod proculdubio omnes fatentur. Pro plena autem reſponſione ad id, quod pro ſe allegabant Moſlemi ex verbis S. Petri, addo; ipſam Chriſti interrogationem, *Quem dicunt homines eſſe filium hominis*; oſtendere intentionem illius fuiſſe, reſcire à diſcipulis, utrum homines ſentirent de ſe aliquid amplius homine. Id magis cognoſcitur ex Græco originario: τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι, τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου; *Quem me dicunt homines eſſe filium hominis?* Idem eſt autem Syriacè ܒܪ ܐܢܫܐ *filius hominis*, ac ſimpliciter ܐܢܫ *homo*. Dum ergo petit Chriſtus, utrum homines dicant, ſe eſſe hominem: monſtrat, ſe non eſſe tantùm hominem illum, qui ab hominibus videbatur, ſed aliquid etiam aliud, quod non videbatur; nempè filium Dei naturalem; qualem vidit Petrus ex æterni Patris revelatione.

Secundum eſt Lucæ cap. 1. ubi dixit Gabriel de Joanne Baptiſta: *Multos filiorum Iſrael convertet ad Dominum Deum ipſorum: & ipſe præcedet ante illum in ſpiritu, & virtute Eliæ*. Manifeſtum eſt autem, Joannem non præceſſiſſe niſi ante Chriſtum, quamobrem Præcurſor Chriſti appellatur. Et S. Paulus in Actis Apoſtolorum, cap. 13. dixit: *Eduxit Deus Iſrael ſalvatorem Jeſum, prædicante Joanne ante faciem adventus ejus Baptiſmum pœnitentiæ*. Neque pronomen demonſtrativum, *illum*, in verbis Gabrielis, poteſt referri ad alium, quàm ad *Dominum Deum ipſorum*: quod confirmant verba illa Zachariæ: *Præibis enim ante faciem Domini parare vias ejus*. Ergo Chriſtus eſt Dominus Deus Iſrael.

Tertium eſt Joannis cap. 5. in illis verbis: *Propterea magis quærebant eum Judæi interficere, quia non ſolùm ſolvebat ſabbatum, ſed etiam Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe faciens Deo*. De hoc loco jam ſuprà ſatis dictum eſt: ſolùm hic addo: verba illa, *æqualem ſe faciens Deo*, non videri dicta à Judæis, ſed addita ab Evangeliſta, ex mente tamen Judæorum, qui in hoc non errabant, dum credebant, Filium Dei naturalem, eſſe æqualem Deo. Quòd ſi in hoc erraſſent, eorum errorem Evangeliſta non diſſimulaſſet, quemadmodùm non diſſimulavit, quando cap. 2. loquente Jeſu de Templo corporis ſui, Judæi putaverunt, eum loqui de Templo Jeroſolymitano, & cap. ult. dicente Chriſto de Joanne: *Sic eum volo manere donec veniam*: Apoſtoli falsò exiſtimaverunt, Chriſtum dicere voluiſſe Joannem non eſſe moriturum. Et cap. 11. cùm dixiſſet Jeſus; *Lazarus amicus noſter dormit*, intelligens de dormitione mortis, Apoſtoli crediderunt illum loqui de dormitione ſomni. Ut enim hos omnes errores Evangeliſta correxit: ita hic etiam Judæorum errorem detexiſſet, addens: & non dixit Jeſus, ſe eſſe æqualem Deo. Vel igitur Evangeliſta ipſe addidit hæc verba: vel Judæorum dictum tacendo confirmavit.

Quartum eſt Joannis cap. 10. ubi Chriſtus dixit: *Ego, & Pater unum ſumus*. Quòd autem loqueretur hic de unitate naturæ divinæ cum Patre, patet primò ex ipſo Judæorum teſtimonio, qui his verbis auditis, *ſuſtulerunt lapides, ut eum lapidarent, eo quòd* (ſubdit Evangeliſta) *cùm eſſet homo, faceret ſe ipſum Deum*. Secundò, quia Chriſtus ipſe oſtendit manifeſtè, ſe loqui de unitate naturæ, cùm dixit: *Si non facio opera Patris mei* (quæ ſcilicet ſunt propria Dei) *nolite credere mihi; & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, ut cognoſcatis, & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre*. Neque reſpondit: Ego non facio me ipſum Deum: ſicut aliàs, cùm dixiſſent ei Judæi, *Dæmonium habes?* reſpondit eis: *Ego Dæmonium non habeo*: imò ratum habuit quod ipſi dixerant, ſubdens: *Nonne in lege veſtra ſcriptum eſt: quia, Ego dixi, Dii eſtis? Si illos dixit Deos, ad quos ſermo Dei factus eſt; quem Pater ſanctificavit, & mi-*

Digitized by Google

& misit in mundum, vos dicitis, quia blasphemas, quia dixi, Filius Dei sum? Idem enim est esse Filium Dei, ac esse Deum, sive per gratiam, sive per naturam, diversa tamen ratione; ut patet ex loco Psalmi allegato: *Ego dixi, Dii estis: & filii Excelsi omnes.* Ubi illi idem, qui vocantur *Dii*, vocantur etiam *Filii Excelsi*, seu Dei. Sed illi sunt Dii, & filii Dei solùm per gratiam, quia *tantùm fermo Dei factus est ad eos*: Christus autem est Deus, & Filius Dei per naturam, quia *Pater sanctificavit eum, & misit in mundum.* Et hoc apertè intelebant Judæi, Christum de se affirmare: quamobrem fustulerunt lapides, ut eum tamquam blasphemum lapidarent.

Contra prædicta Christi verba, *Ego & Pater unum sumus*, objicit Alhafan alia verba Christi, quibus orans Deum pro Apostolis suis, dixit: *Pater sancte custodi eos in nomine tuo, quos dedisti mihi, ut sint etiam ipsi unum, sicut nos unum sumus.* Ait enim قوله ليكونوا شيأ واحدا كما انا واياك شيء واحد اي انا موافقك في امرك ونهيك وعبادتك ومرضاتك فبرد بذلك انعطاء ذاته به كما فبرد ذوات بعضهم ببعض او يكون ذهن فيه تخيف لا تعرفه:

Verba illa Christi: ut sint unum, sicut ego, & tu unum sumus: ideſt, sicut ego consentio tibi, & conformis sum in eo, quod mihi præcipis, aut prohibes, & in amando te: & placendo tibi: non significant unitatem essentiæ ejus cum illo, sicut non significant unitatem essentiæ aliquorum ex ipsis discipulis cum aliis. Vel habent aliquam aliam significationem subtiliorem, quam nos ignoramus. Sed respondemus, alio modo intelligendam esse hanc unitatem respectu Christi, & Patris, & respectu discipulorum ejus inter se. Non enim in comparationibus requiritur identitas, atque omnimoda correspondentia, sed sufficit aliqua analogia, proportio, ac similitudo. Dixit enim idem Christus Discipulis suis: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Et tamen quantacumque sit perfectio creaturæ, semper infinitè distat à perfectione Creatoris. Cùm ergo orat Christus, ut discipuli sint unum inter se, sicut ipse est unum cum Patre: intelligendus est loqui de unitate analogica, non univoca, respectu discipulorum. Et ita verissimè quis dixerit: sicut Deus regit & gubernat orbem, ita Rex gubernat, & regit Regnum suum: etiamsi infinita sit inter regimen Dei, & regimen hominis distantia: eodem modo intelligere debemus ea verba, quæ dixit discipulis: *Pater meus est in me, & ego in vobis.* Et: *sicut Pater dilexit me, & ego dilexi vos.* Semper enim supponenda est analogia, & aliqua tantùm similitudo, non perfecta identitas: quod patet ex aliis scripturæ locis.

Quintum, Joannis cap. 16. ubi dixit Christus: *Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* At quis unquam dicere poterit, omnia, quæ habet Deus, mea sunt, nisi etiam sit Deus? Certè si quis diceret: omnia, quæ habet Rex, mea sunt; apertè ostenderet, se etiam esse Regem, vel æqualem Regi. Confirmavit hoc idem, cùm dixit Patri, Joan. cap. 17. *Et mea omnia tua sunt, & tua mea sunt.* Si omnia Patris sunt Filii, & omnia Filii sunt Patris; impossibile est, Filium non esse æqualem Patri, & eundem Deum cum illo. Dixit etiam Matth. cap. 11. *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo: & nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, & cui voluerit Filius revelare.* Estne ulla creatura, quæ sine impietate dicere possit: Deus mihi tradidit omnia, & per consequens, ego habeo omnia, quæ habet Deus: & nemo novit me, nisi Deus; & nemo novit Deum, nisi ego: & ego manifesto Deum cui volo? Hæc sanè nemo dicere potest, nisi sit Deus.

Sextum, Joan. cap. 20. ubi Thomas Apostolus dixit Christo: *Dominus meus, & Deus meus*: & notandum est, Græcè poni tàm *Dominum*, quàm *Deum* cum articulo: ὁ Κύριός μου, καὶ ὁ Θεός μου. Quod ostendit, Thomam agnovisse, & confessum fuisse Christum, ut verum Dominum, & verum Deum. Christus verò non solùm de hoc illum non redarguit, sed etiam laudavit, & commendavit, dicens: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt.* Neque respondeant Moslemi, hæc verba dicta fuisse ab Apostolo non Christo, sed Deo: nam Euangelista nimis clarè loquitur: *Respondit Thomas, & dixit ei* (nempè Christo) *Dominus meus, & Deus meus.* Dicetne hic Alhafan, vel Ahmed, hunc locum esse dubium aut obscurum?

Septimum est in Epistola ad Romanos, cap. 9. in illis verbis: *Ex quibus* (nempè Judæis) *est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Græcè ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων Θεὸς εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας. *Ex quibus Christus, quantum ad carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Interpretatio Syra, quæ est antiquissima, magnæque auctoritatis, ita se habet: ומנהון אתחזי משיחא בבסר דאיתוהי אלהא רעל כל דלה משבחן וברכן לעלם עלמין אמן. *Et ex ipsis revelatus fuit Christus in carne, qui est Deus, qui est super omnia: cui laus, & benedictio in sæcula sæculorum: Amen.* Quid clarius dici poterat pro Christi divinitate? Contendent ne Moslemi, hic illum Deum appellari, quemadmodùm Moyses appellatus fuit Deus Pharaonis? Poterunt fortasse se tueri impietate Erasmi Rhoterodami, qui contra omnium Patrum, & Ecclesiæ Catholicæ sensum, & contra apertissima Græci textus, & omnium Interpretum verba, hunc locum perversissima interpretatione depravare conatur. Mahumeti scilicet, & Mahumetanorum partes tuebatur, dum se Divinitatis Christi hostem tàm infensum offendebat.

Octavum est in Epistola ad Philipp. cap. 2. ubi loquitur S. Paulus de Christo: *Qui, cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus, ut homo.* Porrò forma rei, est esse ipsius rei. Ergo si Christus erat in forma Dei, habebat essentiam, seu esse ipsius Dei: quemadmodùm *esse in forma servi*, ideſt hominis, erat illum habere essentiam, seu esse servi, vel hominis. Neque potest hic recurri ad formam accidentalem, quæ in Deo non potest dari. Confirmatur primò, quia si, cùm esset in forma Dei, accepit formam hominis, & factus est homo; ergo antè non erat homo: sed neque erat Angelus. Quid ergo erat, quando erat in forma Dei? certè non poterat esse nisi Deus. Confirmatur secundò ex illis verbis: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Si enim Christus non est arbitratus, ideſt non putavit, neque credidit (hoc enim so-

græcum verbum ἁρπάγμον) esse rapinam, assumere sibi æqualitatem cum Deo: ergo eam sibi justè tribuebat. Ergo erat revera æqualis Deo. Non est hic dissimulanda impudentia, & insicitia Erasmi, qui prædictum verbum græcum *ἁρπαγμὸν ἡγήσατο, arbitratus est*, interpretatur, *speculatus, ac meditatus est*: itaut, juxta illum, sensus horum verborum sit: Christus non est molitus & meditatus in animo suo rapinam, usurpandi sibi æqualitatem cum Deo; sensu prorsus veritati contrario. Sed ablegandus est Erasmus in scholas puerorum, ut ibi discat veram græcarum vocum significationem, non ab Hæreticis congerronibus suis, sed à S Joanne Chrysostomo, aliisque Sanctis Patribus, & Doctoribus Græcis, quibus tàm stultè, & audacter audet se præferre, ad rapiendam Christo æqualitatem cum Deo.

Nonum est Joannis Epistola 1. cap. 5. in illis verbis. *Et scimus, quoniam Filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus: Hic est verus Deus, & vita æterna.* In originali græco ita legimus: εἰδέναμεν δὲ ὅτι, ὧν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἥκει, καὶ δέδωκεν ἡμῖν διάνοιαν, ἵνα γινώσκωμεν τὸν ἀληθινὸν Θεὸν, καὶ ἐσμὲν ἐν τῷ ἀληθινῷ, ἐν τῷ υἱῷ αὐτοῦ Ἰησοῦ Χριστῷ, τοῦτόν ἐστιν ὁ ἀληθινὸς Θεὸς καὶ ζωὴ αἰώνιος. *Scimus autem quoniam filius Dei venit, & dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in Vero, in Filio ejus Jesu Christo. Hic est verus Deus, & Vita æterna.* Hic apertè Christus vocatur verus Deus, & Vita æterna. Neque enim pronomen demonstrativum, *Hic*, potest referri nisi ad filium Dei, qui immediatè antè nominatur: quem etiam sæpè S. Joannes, in hac eadem Epistola, vocat *Vitam æternam*: & in prædictis verbis appellat antonomasticè, *Verum*, quemadmodùm vocat ipsum Deum.

Decimum est in illis verbis Euangelii S. Joannis, cap. 1. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*: Græcè καὶ Θεὸς ἦν ὁ λόγος. *Et Verbum illud erat Deus.* Multa possunt Mahumetani, & Ariani speculari, & cavillari. Sed verba sunt nimis clara, & aperta: & confirmantur ex sequentibus: *Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, &c.* Hæc sanè, si de alio, quàm de vero Deo dicantur, falsò & impiè dicentur. Nam, ut sapientissimè notat S. Augustinus: Si omnia, quæ facta sunt, per Verbum facta sunt, non potest ipsum Verbum esse factum; alioquin per se ipsum factum fuisset, quod repugnat. Nec dicant Mahumetani, particulam, *per*, ostendere causam instrumentalem: nam causæ etiam principali tribuitur, itaut idem sit *per ipsum*, ac *ab ipso*. Patet hoc ex multis testimoniis Scripturæ, ut ex Epist. ad Rom. cap. 11. ubi dicitur de Deo: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Hic sanè, *per*, non potest significare causam instrumentalem. Et ex cap. 1. Oseæ, ubi dicit Deus ipse: *Et domui Juda miserebor, & salvabo eos per Dominum Deum suum, & non salvabo eos per arcum, & per gladium.* Quamvis enim hic particula, *per*, vel, ut habent vulgatæ latinæ, *in*, significet in cæteris instrumentum: non potest tamen significare illud in verbis *per Dominum Deum suum*. Quòd si quærant Moslemi, unde habeamus, particulam, *per*, cùm dicitur de Christo, non significare causam instrumentalem: respondemus; quia, cùm omnia facta sint per ipsum, & nihil sine ipso factum sit, atque inde necessariò sequatur, ipsum non posse esse factum, neque creatum; sequitur etiam necessariò esse Deum ex Patre ab æterno genitum, & eundem Deum cum Patre. Et quia, ut suprà diximus, est Verbum Patris, & Persona ab illo procedens, dicitur Pater operari per Filium, licèt re vera filius etiam operetur. Ita dicitur homo intelligere per intellectum, quamvis intellectus etiam ut causa principalis intelligat: & operari per brachium, licèt brachium etiam ut causa principalis operetur, cùm motu proprio, & ab intrinseco moveatur. Confirmatur hæc veritas ex Euangelio Joan. cap. 5. ubi dixit Christus: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* Et paulò post: *non potest Filius à se facere quidquam* (quia scilicet cùm accipiat esse à Patre per generationem, accipit etiam operari) *nisi quod viderit Patrem facientem, Quæcumque enim ille fecerit, hæc & Filius similiter facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit: & majora his demonstrabit opera, ut vos miremini. Sicut enim Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.* Hùc accedit, quòd in Scripturis habetur, non solùm omnia facta esse per Christum, sed etiam facta esse in Christo, idest per virtutem, & omnipotentiam ejus. Hinc in Epist. ad Colossˢ. cap. 1. *In ipso condita sunt universa in cælo, & in terra, visibilia, & invisibilia; sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates: omnia per ipsum, & in ipso creata sunt, & ipse est ante omnia, & omnia in ipso constant.* Si Mahumetani his tàm claris, apertisque testimoniis, & argumentis non convincuntur, in meridiana luce sponte cæcutiunt.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

Aliis Argumentis Christi divinitas probatur.

PRæter ea, quæ hactenùs dicta sunt, probatur etiam Christi divinitas aliis validissimis argumentis, quæ nobis à Sacris Scripturis suppeditantur.

Primò ex nominibus veri Dei, quæ Christo tribuuntur, inter quæ

Primum ac præcipuum est ipsum nomen *Deus*, quod absolutè, & simpliciter uni vero Deo convenit, ac tribuitur. Christum autem hoc nomine appellari, jam ostendimus: & ulterius probatur ex verbis Isaiæ cap. 9. *Et vocabitur nomen ejus admirabilis, Deus, fortis, &c.* ubi Hebraicè est אֵל *El*, quod uni tantùm Deo tribuitur. Et in Actis Apostolorum cap. 20. scribitur: *Spiritus Sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* & Epistola 1. Joan. cap. 3. *In hoc cognovimus charitatem Dei, quia ille animam suam pro nobis posuit.*

Secundùm est, *Dominus*, qui absolutè in Scripturis dicitur de Deo solo: & ubi Hebraicè est nomen Dei tetragrammaton יְהוָה Interpretes Græci, Latini, & alii, semper vertunt, *Dominus*. Græcè Κύριος: Syriacè ܡܪܝܐ Arabicè الرب: Christum autem hoc nomine vocari absolutè, certissimum est, ut patet Jerem. cap. 23. *Et hoc est nomen, quod vocabunt eum, Dominus justitia nostra*, ubi Hebraicè est יְהוָה Et Isaiæ cap. 40. *Vox clamantis in deserto: parate viam Domi-*

Digitized by Google

Domini: Hebraicè יהוה Hæc autem verba ad Christum spectare, jam suprà probavimus. Demum in novo Testamento, passim Christus absolutè, & sine ullo additamento *Dominus* appellatur.

Tertium est *Altissimus*, Hebraicè עליון: Arabicè العلى : quo nomine Christus à Zacharia Patre Joannis Baptistæ appellatus fuit illis verbis: *Tu puer Propheta Altissimi vocaberis*. Et cùm Sanctus Paulus in Epistola ad Philip. cap. 2. dicat, *nomen Christi esse super omne nomen*: & ad Rom. cap. 9. *Christum esse super omnia*: manifestè ostendit, illi nomen *Altissimi* jure deberi.

Quartum nomen est, *Invisibilis*: non tantum quia nemo potest Deum oculo corporeo videre: quantum, quia nulla est creatura, quæ etiam oculo intellectuali, sine speciali ipsius auxilio & lumine, eum clarè cognoscere possit. Christus autem dixit de seipso, Matth. 11. *Nemo novit filium nisi Pater: neque Patrem quis novit nisi filius*. Et Joannis cap. 14. dixit Christus Philippo, *Qui videt me, videt & Patrem*: ostendens per hoc, tàm sibi, quàm Patri invisibilitatem convenire.

Quintum nomen est, *Rex Gloriæ*, vel, *Dominus Gloriæ*. Hoc autem Deo in Scripturis passim tribuitur: sicut etiam Christo à S. Paulo Epist. 2. ad Corinth. cap. 2. ubi dicit: *Si enim cognovissent, nunquam Dominum Gloriæ crucifixissent*. Et in Psalm. 23. verba illa: *Attollite portas, Principes, vestras: & introibit Rex Gloriæ &c.* de Christo omninò sunt intelligenda, nam de alio non verificantur.

Sextum nomen est, *Rex Regum*, & *Dominus Dominantium*: quod licut S. Paulus Epist. 1. ad Timoth. cap. 6. ubi verò Deo competere affirmat: ita Sanctus Joannes in Apocalypsi, cap. 17. & 19. Christo tribuit expressiùs verbis dicens: *Agnus vincet illos, quoniam Rex Regum est, & Dominus Dominantium*: Et: *in femore scriptum habet: Rex Regum, & Dominus Dominantium*.

Septimum nomen est, *Sum*, vel, *Ens*, aut, *Qui est*. Ita habetur Exodi cap. 5. *Dixit Deus ad Moysem: Ego sum qui sum*: Hebraicè, אהיה אשר אהיה: *sum, misit me ad vos*, Græcè dicitur εἰμὶ, *Sum*: vel ὢν, *Ens*, Arabicè هو *ipse*: vel الكائن *Ens*. Apud Joannem cap. 8. legimus, Christum dixisse Judæis: *Si non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccatis vestris*, & cùm respondissent Judæi: *tu quis es?* Ille *sit*: *Principium, qui & loquor vobis*: Græcè: τὴν ἀρχὴν ὃτι καὶ λαλῶ ὑμῖν: id est, Ego sum ille, qui à principio loquitus sum vobis. Et paulò post: *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum*. Et in Apocalypsi Joannis, cap. 1. *Gratia vobis, & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*. Græcè ἀπὸ ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος. *Ab Ens, & Erat, & Venturus*. Cùm autem, *venturus*, non sit nisi Christus, hæc verba de illo tamquam de Deo dicta esse intelligenda sunt. Neque obstat, quòd mox, tamquam de alio, dicatur; *Et à Jesu Christo, qui est Testis fidelis, &c.* Nam hæc secunda verba referuntur ad eum respectu humanitatis.

Tribuuntur etiam Deo in Scripturis nomina, seu epitheta: *Magnus, Unus, Verus, Solus, Vita, Veritas*, & alia similia, quibus omnibus Christus quoque passim nuncupatus invenitur. Epist. 1. ad Corinth. cap. 8. *Nobis est unus Dominus Jesus Christus*. Epist. 1. Joan. cap. 5. *Ut simus in Vero Filio ejus: Hic est Verus Deus*. In Epist. Judæ. *Solum Dominatorem, & Dominum nostrum Jesum Christum negantes*. In Epist. ad Titum cap. 2. *Expectantes beatam spem & adventum gloriæ Magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi*. Ne quis autem putet, *solum Dominatorem, & Magni Dei*, non referri ad Filium, sed ad Patrem, obstat Græca loquutio originalis, quæ sub eodem articulo collocat antecedentia & sequentia, ut non nisi innaturaliter negari possit, omnia ad Christum referri. Porrò si ipse non esset Deus, nunquam Scripturæ appellarent illum, *solum*, vel *unicum Dominum, & Dominatorem* (quemadmodùm etiam in Symbolo Fidei appellatur) esset enim blasphema loquutio, & injuriosa Deo, qui solus est unicus Dominus & Dominator omnium.

Secundò, idem probatur ex Attributis quibusdam, quæ sunt propria Dei; & tamen tribuuntur etiam Christo.

Primum est *Æternitas* (quamvis Sapientes Moslemi negent hoc esse attributum, ponentes illud tanquam radicem essentiæ, quod mulrò magis nobis favet). Hanc primò sibi ipse adstruit Proverb. cap. 8. dicens: *Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis*: quæ verba cùm ex ore Sapientiæ proferantur, non possunt intelligi de Sapientia creata; quia nihil creatum est ab æterno. Neque de Sapientia essentiali, quæ est communis Patri & Spiritui Sancto; quia dicit, *se genitam, & egressam ex ore Altissimi*, & loquitur tanquam persona distincta à persona Patris, cum tamen sibi tribuat communia cum Deo. Ergo hic fermo est de Christo, qui est Sapientia genita à Patre.

Secundò, in Evangelio Joan. cap. 8. cùm dixisset Christus Judæis, *Abraham exultavit, ut videret diem meum*: illique respondissent: *Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidisti?* dixit: *Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret, Ego sum*. Quibus verbis apertissimè ostendit suam æternitatem; præsertim quia non dixit, *Ego fui*: vel *Ego eram*, sed *Ego sum*, quod est proprium æternitatis Dei. Sed quomodocumque fuerit Christus ante Abraham, peto à Mahumetanis, quidnam fuit? certè, neque homo, neque Angelus: superest igitur, ut fateantur fuisse Deum: quod confirmant ipsa verba Christi: *antequam Abraham fieret, ego sum*: nam, *fieri*, est proprium creaturæ, & ideò dicitur de Abraham: *esse* autem est proprium Dei, & ideò dicit de seipso. Ridiculum verò est effugium Alhafani, dum ad infirmandum hoc testimonium ita scribit:

هذا ملحوس

بن داوود يقول في حكمته انا قبل الدنيا وكنت

مع الله حين مدّ الارض وقد قال داوود ايضاً بالزبور

لكرسيك من المدي وهذيست كل ليالك.

Ecce Salomon Filius Davidi dicitur in Sapientia suaz Ego fui ante mundum; & fui cum Deo, quando Ego fui ante terram. Et David etiam dicit in Psalmis: Memor fui tui à principio; & meditatus sum in omnibus operibus tuis. Nam Salomon non loquitur de seipso, quando dicit, *Ego fui ante mundum* &c. sed de Sapientia Dei, quam introducit ita loquentem. David verò non dicit, se fuisse à principio, vel ab æterno: sed memorem fuisse operum Dei, quæ fecit à principio usque ad finem.

Ter-

Digitized by Google

Tertiò, probant Christi æternitatem verba illa Michææ cap. 5. *Et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis*; quæ certè nulli nisi ipsi conveniunt.

Quartò, invictissimè convincitur ex jam allegatis verbis S. Joannis: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*, & reliquis sequentibus. Omitto alia loca, quæ efficaciter probant, Christum esse æternum.

Secundum attributum est *Immensitas*. Hæc autem illi tribuitur in lib. Baruch, cap. 3. *Magnus est, & non habet finem, Excelsus, & immensus*. Hic autem sermonem esse de Christo, patet ex verbis sequentibus: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*. Probatur etiam ex cap. 3. Euangelii Joannis. *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Filius hominis qui est in Cælo*. Erat itaque Christus, dum hæc loquebatur, simul in Cœlo, & in Terra: in Cœlo quidem ut Deus: in Terra autem ut Deus, & homo: ut Deus, ubique: ut homo, ubi ipse volebat. Patet etiam, illum, ut hominem, posse dici quodammodo immensum, cùm eodem tempore possit esse simul ubicumque ipse voluerit: ut patet ex verbis illius apud Matth. cap. 18. *Ubi fuerint duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum*. Et cap. ult. *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem sæculi*. Quod non solùm de divinitate, sed de humanitate quoque verificari, maximè patet ex mysterio Eucharistiæ. Negamus tamen absolutè, Christum, ut hominem, esse ubique, ut quidam Hæretici contendebant.

Tertium est, *Omnipotentia*. Christus ipse dixit Matthæi cap. ult. *Data est mihi omnis potestas in cælo, & in Terra*. In Apocalypsi etiam cap. 1. verba illa: *Ego sum Alpha & Omega, Principium & Finis, dicit Dominus Deus, qui erat, qui est, & qui venturus est, omnipotens*: competunt Christo (esto etiam aliis divinis Personis conveniant): ipsum enim venturum esse, manifestè habetur ex multis locis ejusdem Apocalypsis.

Quartum est *Sapientia*. Nam S. Paulus Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. vocat Christum, *Dei virtutem, & Dei Sapientiam*. Et quidem Dei virtus & Sapientia, non potest esse nisi Deus. Et ad Colos. cap. 2. scribit: *In Christo sunt omnes thesauri Sapientiæ, & Scientiæ Dei*. Quæ verba probant manifestè, illum esse Deum. Salomon quoque in lib. Proverb. præsertim cap. 8. semper loquitur de Christo sub nomine *Sapientiæ*. Quod enim Rabbini volunt, ibi Sapientiæ nomine Legem Moysi intelligi, quæ duobus millibus annis ante Mundum creata fuerit, delirium est, & infania manifesta.

Quintum est, *Scientia omnium rerum*. Jam vidimus ex S. Paulo, *in Christo esse omnes Thesauros Scientiæ Dei*. Et S. Joannes in Euangelio, cap. 2. scribit de eo: *Eo quòd ipse nosset omnes: ipse enim sciebat, quid esset in homine*.

Sextum est, *Veritas*: quo nomine Mahumetani absolutè Deum vocant. Christus ipse de se dixit, Joannis cap. 14. *Ego sum Via, Veritas, & Vita*. Omitto alia, ne prolixior fiam.

Tertiò probatur ex operibus, quæ sunt propria Dei.

Primum horum est creatio, quæ Christo manifestè tribuitur etiam ab ipso Alcorano, cujus tamen testimonium non curamus, præsertim cùm ibi خلق *creare*, explicari possit pro *facere*, vel *producere*: dicitur quippe, illum *creasse avem ex luto*: quod propriè non est creare. At verò ex Sacris literis satis constat, illum verè creasse universa. Joannis cap. 1. *Omnia per ipsum facta sunt*. Si omnia, ergo ex nihilo. Quamobrem subditur: *Et sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Hoc autem propriè est creare; nempè aliquid ex nihilo producere. Epist. ad Hebr. cap. 1. *Et tu in principio, Domine, terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt Cæli*. Quæ verba S. Paulus de Christo dicta intelligit. Proverb. cap. 8. *Quando præparabat Cælos aderam, &c. Et cum eo eram cuncta componens*. Joan. cap. 5. *Quæcumque Pater facit, hæc & Filius similiter facit*. Sed Pater creat: ergo & Filius creat. Quod verò objiciunt Moslemi, non dici, Christum fecisse omnia, sed omnia facta fuisse per Christum: jam suprà probavimus, per particulam, *per*, dici etiam de causa principali: ut patet, præter suprà allata exempla, ex Epist. 1. ad Corinth. cap. 1. *Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus*. Ubi nemo non videt, idem esse *per quem*, ac, *à quo*.

Secundum est, *Conservatio omnium rerum*; quæ Christo tribuitur à S. Paulo in Epist. ad Colos. cap. 1. *Omnia in ipso constant*. Et ad Hebræos cap. 1. *Qui portat omnia verbo Virtutis suæ*.

Tertium est: *Salvatio*; quæ ita propria est Dei, ut ipsemet dicat Isaiæ cap. 43. *Ego sum Dominus, & non est absque me salvator*. Et cap. 45. *Deus justus, & salvans non est præter me*. Atqui ita proprium est Christi salvare: ut *Jesu*, ideò *Salvatoris* nomen propterea illi impositum fuerit. Loquimur autem hic præcipuè de salute æterna, ratione cujus nemo esse potest, vel dici Salvator, nisi Deus.

Quartum est, *Præscientia, & Prædictio futurorum, & cognitio cordium*. Hæc etiam Christo tribuitur Joannis cap. 2. *eo quòd ipse nosset omnes, ipse enim sciebat quid esset in homine*. Et multoties scribitur ab Euangelistis, non solùm illum multa prædixisse, sed etiam vidisse cogitationes eorum, cum quibus versabatur. Et Apocal. cap 2. Christus ipse dicit de se: *Et scient omnes Ecclesiæ, quia ego sum scrutans corda, & probans renes*. Quæ verba dixit David de Deo Psal. 7. *Scrutans corda, & renes Deus*. Et quamvis etiam alii viri Sancti multa prædixerint, & cogitationes quoque nonnullorum cognoverint: hoc tamen erat ex peculiari Dei revelatione. At de Christo, in quo erant omnes thesauri Sapientiæ & Scientiæ Dei, id dici non potest.

Quintum, sunt *Miracula*, quæ Deus solus propria virtute facere potest. Porrò Christum hæc propria virtute fecisse, jam suprà in secunda parte demonstravimus. Apostolos autem, & alios, miracula fecisse in virtute Christi, planum est ex Euangelio, & actis Apostolicis.

Postremò probatur Christi divinitas ex cultu proprio Dei, quo Apostoli, cæterique Fideles illum venerabantur, adorantes eum, ut Matthæi cap. 28. *Et videntes illum, adoraverunt*. Et adhuc infantem, *Magi procidentes adoraverunt eum*. Et in Euangeliis passim legimus, illum ab aliis etiam, & quidem primariis viris adoratum fuisse. Præterea vocabant eum absolutè *Dominum*. Quare ipse dixit Joan. cap. 13. *Vos vocatis me Magister, & Domine, & benè dicitis: sum etenim*. Et cap. ult. *Nemo audebat eum interrogare, scientes, quia Dominus est*. Præterea appellabant se servos, & Apostolos, & ministros ejus: ut patet ex inscriptionibus Epistolarum S. Pauli ad Ro-

Digitized by Google

ad Romanos, & ad Philippenſes: S. Jacobi: S. Petri, & S. Judæ, & ex aliis Sacris libris.

Præterea probatur Chriſti divinitas ex perpetua traditione. Semper enim Chriſtiani Jeſum Chriſtum, ut Deum, agnoverunt, & coluerunt, quamvis identidem contra ejus divinitatem nonnullæ ſectæ inſurrexerint, quæ tamen à Chriſtianis Orthodoxis, eorumque Principibus, ac Doctoribus ſemper rejectæ, damnatæque fuerunt: quod in Concilio Niceno contra Arium, ejuſque aſſeclas, ab univerſis Chriſtiani orbis Epiſcopis factum fuiſſe, Mahumetani ipſi teſtantur. Fingunt ſanè nonnulli eorum neſcio quas fabellas, quibus hanc veritatem vel evertere, vel infirmare nituntur. Unam ex his referam ex quodam Doctore, nomine عمرو Amru, qui multos pro ſe Auctores, & præſertim Ebn-Abbas omnium celeberrimum, his verbis allegat: واختلف الذين نقلوا من اصحابه عيسى فاجتمعوا على ثلثة منهم فادخلوهم بيتا وقالوا لا تخرجوا منه حتى تخبروا خبر عيسى فتجتمع قال فمكثوا ما شاء الله ان يمكثوا ثم انهم خرجوا اليهم جميعا على شبه واحد فجعلوني فقال بعضهم هو الله لا الله الا هو صعد الى ملكه حتى ينزل في جوف مريم ثم خرج منها فاراك انى بوزى الملك قد زنم فانتهم على هذا القول قبايل من الناس: وقال الاخر ليس كما تقول ولكني اقول هو ابن الله فانتهم ناس كثيرون وقال الاخر ليس كما تقول ولكنه عبد الله وكلمته القاها الى مريم وروح منه فلم يجتمعوا على هذا القول الا ناس قليل ووثبوا عليهم وعلى الذين اخبروا فقالت الفرقتان لتقتلنكم او ترجعوا فاولوا عليهم ويهودا ان عيسى بن مريم كلمة الله وروحه خلقه الله من غير اب:

Diſcordes autem fuerunt inter ſe ii, qui remanſerunt ex aſſeclis Jeſu. ſimulque congregati elegerunt tres ex ſuis, & incluſerunt eos in quadam domo, dicentes: Non egrediemini hinc, donec indicetis nobis, quid ſequi debeamus circa Jeſum. Permanſerunt autem ibi tres quamdiu voluit Deus: deinde egreſſi ſunt, ſed non convenerunt in eadem ſententia, diſſidentes inter ſe. Primus eorum dixit: Ipſe eſt Deus, præter quem nullus eſt Deus; deſcendisque à Regno ſuo, & ingreſſus eſt in uterum Mariæ: ex quo egreſſus, voluit manifeſtare creaturis potentiam ſuam. Sequuti ſunt igitur hujus primi ſententiam plures homines. Secundus verò dixit primo: Non eſt ſicut tu dicis. Ego dico, illum eſſe Filium Dei. Hunc etiam ſequuti ſunt multi mortales. Tertius autem dixit ſecundo: Non eſt ſicut tu dicis; Ipſe enim eſt ſervus Dei, & Verbum ejus, quod immiſit in Mariam, & Spiritus procedens ab eo. Sed hujus ſententiam non ſequuti ſunt niſi pauci: cæteri verò inſiliuerunt in eum, & in eos, qui adhæſerant illi, dixerunque eis: Profectò occidemus vos, niſi adhæreatis nobis. At illi eis obſequi recuſaverunt, perſiſtentes in aſſerendo, Jeſum Filium Mariæ, eſſe Verbum Dei, & Spiritum ejus, quem Deus ſine Patre creaverat. Hactenùs fabula: quam etiamſi veram hiſtoriam eſſe concederemus, eſſet tamen potiùs pro noſtra, quàm contra nos. Nulla enim ratio affertur, cur potiùs tertius ille verum dixerit, quàm duo priores: majoremque fidem mereantur duo, quàm unus: præſertim quia hunc unum pauci ſequuti ſunt; illis autem duobus ferè omnes adhæſerunt. Neque verò probabile eſt, permiſiſſe Deum, dum de Religione vera promulganda ageretur, ut non ſolùm in ea ſuſcipienda, ſed etiam proponenda ferè omnes errarent. Præterea, ſi res rectè perpendatur, ſententia ſecundi aſſerentis, Chriſtum eſſe Filium Dei, non eſt diverſa à ſententia primi, affirmantis eſſe Deum. Vel enim intelligebat de filio Dei naturali: & hic, ut ſuperiùs probavimus, neceſſariò eſt Deus. Vel intelligebat de Filio Dei per gratiam, & adoptionem. Hoc autem eſſe non potuit, quia coincidiſſet cum tertia ſententia: omnis enim ſervus Dei, & juſtus, qualis erat Chriſtus, eſt etiam filius Dei per gratiam, ut concedunt ipſi Mahumetani. Hùc accedit, tertiam etiam ſententiam cum prima, & ſecunda convenire, dum affirmat, Chriſtum eſſe non ſolùm ſervum Dei, & Filium Mariæ, creatum ſine Patre, quod non eſt contra veritatem: ſed etiam, eſſe Verbum Dei, & Spiritum ejus: quod neceſſariò probat, illum eſſe Deum, ut in verbis Alcorani explicandis demonſtrabimus. Vides igitur, Mahumetanorum fabulas & commenta in caput ipſorum recidere, ſeque ipſos gladio ſuo jugulare, dum volunt ſententiam de Chriſti divinitate Chriſtianæ religioni eſſe contrariam.

Sed ut id, quod propoſui, ſeriò agam; dico, irrefragabile eſſe divinitatis Chriſti teſtimonium, perpetuam Chriſtianorum traditionem, ac fidem, totiuſque mundi ſenſum, & conſenſum de illa.

Primò enim, Euangeliſtæ, cæterique Apoſtoli, qui ſacros Teſtamenti novi libros ſcripſerunt, quos etiam Mahumetani venerantur, Chriſtum verum eſſe Deum, Deique proprium ac naturalem Filium, manifeſtè docuerunt: ut modò videmus.

Secundò, Scriptores Chriſtiani, qui Apoſtolos ſubſequuti ſunt uſque ad hæc tempora, & per ſingula ſæcula plurimi floruerunt, ſemper Chriſtum verum Deum, verumque Dei Filium appellaverunt, & talem credendum eſſe docuerunt: (quamvis aliquos Heterodoxos ab hac veritate diſſenſiſſe non negemus.) Non eſt quòd in iis recenſendis immoremur: extant enim eorum libri, & poſſunt Mahumetanis facilè oſtendi.

Tertiò, Concilia omnia generalia (& præterea particularia multarum Provinciarum) ex toto terrarum orbe collecta, in quibus Principes, & Doctores Chriſtianæ Religionis unà cum Pontifice Romano, vel illius Legatis convenere, Chriſti divinitatem ſemper profeſſa ſunt, & propugnaverunt. Et quidem de primo Concilio Niceno, in quo Chriſtianæ Fidei Symbolum pro Chriſti divinitate manutenendâ contra Arium, Epiſcopi totius Orbis propoſuere, Mahumetani ipſi nobiſcum conveniunt.

Quartò, omnium gentium à Chriſti fide alienarum ſemper fuit, & hodie etiam eſt communis ſenſus, Chriſtianos credere, & colere Chriſtum, ut Filium Dei naturalem, & verum Deum. Mahumetus ipſe in Al-

Digitized by Google

in Alcorano ſæpè Chriſtianos redarguit ob hanc ipſam cauſam. Neque loquitur de aliqua peculiari eorum ſecta, ſed de Chriſtianis univerſis in genere. Porrò ſi interrogentur, non ſolùm Mahumetani, ſed etiam Judæi, & Ethnici totius orbis de hac Chriſtianorum fide, omnes ultrò fatebuntur, rem ita eſſe.

Habemus præterea veterum, non ſolùm Hebræorum, ſed etiam Idololatrarum teſtimonia, ut Cornelii Taciti, Suetonii, Plinii, & aliorum, qui primis Chriſtianæ Religionis ſæculis ſcripſerunt. Hi omnes uniſomiter teſtantur, Chriſtum à Chriſtianis, ut verum Deum, cultum fuiſſe: & propter hanc fidem ſuppliciis, & nece eoſdem fuiſſe mulctatos.

Poſtremò, ſi interrogentur hodie omnes Judæi, cur Patres eorum Jeſum Nazarenum occiderint, omnes uno ore reſpondebunt, quia Deum, & Filium Dei ſe faciebat: & id acceptiſſe ſe à ſuis majoribus, & ex libris eorum ipſorum, qui vel Chriſti ætate, vel non multò poſt, hoc idem teſtati ſunt.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Meſſiam, nempè Chriſtum, futurum eſſe Deum veterum Judæorum teſtimoniis oſtenditur.

QUamvis hodie Judæi Meſſiam, quem fruſtrà expectant, futurum eſſe Deum negent: antiqui tamen Magiſtri, & Doctores eorum aliter ſenſerunt, & docuerunt, ut patet ex eorumdem teſtimoniis, quæ in libris Thalmudicis continentur. Hic ego præcipua referam.

Primò, in *Midràs Tehillim*, ſuper Pſalmum 36. v. 10. *Quoniam apud te eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen.* Dixit R. Johanan: *Dece laſſati ſumus captivitatibus, & redemptionibus* (id eſt multorties captivati, & redempti ſumus à variis ex noſtris Ducibus): *non quærimus ultrà ut illuceſcat nobis caro & ſanguis, ſed Deus ipſe: ſicut ſcriptum eſt in Pſalmo 118. Dominus Deus, & illuxit nobis. Et dicitur Iſaiæ cap. 45. Iſrael ſalvatus erit in Domino, vel per Dominum, ſalvatione æterna.* Conſonat huic R. Abba in *Bereſcith Rabba*, ſuper illud Geneſis cap. 1. *In principio creavit Deus Cælum, & Terram*, dicens: *Hoc eſt quod ſcriptum eſt in Daniele cap. 2. Et lumen cum eo eſt. Hoc eſt lumen Regis Meſſiæ. Et ſic etiam dicitur Pſal. 36. v. 10. Quia tecum eſt fons vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen: Hoc eſt lumen Regis Meſſiæ.* Vides hic Meſſiam apertè prædicari ut Deum, cùm ab eo ventura ſit ſalus æterna Iſraeli, quæ tamen à Deo ventura eſſe dicitur: quemadmodùm dixit R. Ammi in *Midras Vajicrà*, introducens Deum ita loquentem cum Judæis: *In futuro ego ſalvabo vos in ſubſtantia mea, ſicut dictum eſt Iſaiæ cap. 45. Iſrael ſalvatus erit in Domino ſalvatione æterna.* Porrò ſi Meſſias futurus erat purus homo, ſicut cæteri, qui redemerant Iſraelitas à captivitatibus: ſtultè precati fuiſſent iidem, ne ultrà illuceſceret eis caro & ſanguis, ſed Deus ipſe.

Secundò, in *Midràs Scir Haſcirim*, ea verba cap. 1. *Exultabimus, & lætabimur in te.* R. Abbin vult dicta fuiſſe à Jeruſalem, quando audivit illa alia verba apud Zachariam cap. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi juſtus, & ſalvatus. Et ſcriptum fuit* (inquit) *Zachariæ cap. 2. Canta, & lætare Filia Sion, quia ecce ego veniens habitabo in medio tui, ait Dominus: & congregabuntur gentes multæ ad Dominum in die illo: & erunt mihi in Populum. & habitabo in medio tui; & ſcies quia Dominus exercituum miſit me ad te. In illa hora dixit ipſa* (ideſt Jeruſalem): *Gaudens gaudebo in Domino; & exultabo in Deo meo. Iſaiæ cap. 6. Et hoc eſt, exultabimus, & lætabimur in te.* Hucuſque Gloſſa R. Abbin. Gloſſa autem R. Salomonis ſuper illud Zachariæ cap. 9. v. 9. *Ecce Rex tuus veniet tibi*: eſt hæc: *Non poteſt hoc exponi niſi de Rege Meſſia.* Et R. Abbù in *Midràs Vajicrà*, aſſerit, hæc verba Zachariæ reſpondere illis Iſaiæ cap. 62. *Dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit.*

Ex dictis horum Doctorum ſimul collatis, ſole clarius eſt, Meſſiam eſſe Deum, nec poſſe ab iiſdem ullo modo negari. Cùm enim dicat R. Abbin, Regem illum, quem expectabat Jeruſalem, eſſe Deum Dominum exercituum, & ad hoc probandum afferat verba Zachariæ cap. 2. ubi ſine dubio ſermo eſt de Deo vero: & verba ejuſdem cap. 9. quæ, ut pronunciat verè R. Salomon, non poſſunt intelligi niſi de Meſſia, manifeſtè ſequitur Meſſiam eſſe Deum Dominum exercituum.

Tertiò, in *Midràs Tehillim*, Pſal. 21. ſuper verba illa: *Domine in virtute tua lætabitur Rex*: dixit R. Chaninà in nomine R. Achà: *Ipſe Deus Sanctus, Benedictus, tribuit Meſſiæ de gloria, vel honore ſupremo: & hoc eſt: Domine in virtute tua lætabitur Rex.* Dixit R. Nachaman: *Quis eſt iſte Rex gloriæ? Dominus exercituum ipſe eſt Rex gloriæ. Et dixerunt Magiſtri noſtri: Rex carnis & ſanguinis; nullus induitur corona ipſius: Deus verò ſanctus donabit eam Regi Meſſiæ. Rex carnis & ſanguinis; nullus induitur purpura ejus. Et quæ eſt purpura Dei? Confeſſio, auctoritas, reverentia, laus, & decor. Et de Rege Meſſia ſcribitur: Magna eſt gloria ejus in ſalvatione tua: reverentiam, & decorem pones, vel coæquabis ſuper eum. Rex carnis & ſanguinis; nullus de ſubditis ejus vocatur Cæſar Auguſtus: & Deus vocabit Meſſiam, Regem nomine ſuo. Et quod eſt nomen ejus?* יְהוָה *Jehovàh* (Deus). *Et de Rege Meſſia ſcriptum eſt Jerem. cap. 23. Et hoc eſt nomen ejus, quo vocabunt ipſum: Jehovàh Juſtitia noſtra.* Siautem objiciant moderni Judæi, etiam Jeruſalem, Montem Moriam, Altare, vel alia loca vocata fuiſſe hoc nomine: reſpondetur, non ſimpliciter, ſed ſemper cum aliquo addito ita vocata fuiſſe, itaut manifeſtè appareat, nomen Jehovàh tribui his rebus non in rectò, quaſi ipſis conveniat eſſe Deum; ſed in obliquo, quatenùs Deus in iiſdem locis ſeipſum, vel aliquod opus ſuum peculiariter manifeſtavit. Cæterùm nemo tàm hebes, ac ſtolidus eſt, qui putet civitati, vel templo, aut altari poſſe divinitatem convenire, ſicut convenit Chriſto, in quo divinitas cum humanitate hypoſtaticè uniebatur.

Quartò, R. Abraham Aben Ezra, exiſtimat verba Pſalmi 44. *Sedes tua, Deus, in ſæculum ſæculi*; intelligenda eſſe de Meſſia. Scribit enim: *Torrò qui dicit verba illa, ſedes tua, ò Deus, in ſæculum ſæculi, referenda eſſe ad Deum; attendat quòd ſequens verſus hoc denegat, qui ait: Dilexiſti juſtitiam, & odiſti iniquitatem: propterea unxit te Deus, Deus tuus.* Ergo neceſſe eſt fateatur, Meſſiam eſſe Deum, cujus ſedes manet in ſæculum ſæculi.

Quintò, verba illa Zachariæ cap. 12. *Et reſpicient ad me, quem transfixerunt*: In *Maſſeheth ſuccà*, diſtinctè quæ incipit, *Hachalil chammiſciàh*, exponuntur de Meſſia: & tamen ibi ille, qui ea profert, voca-

Digitized by Google

vocatur in principio capitis, *Dominus extendens Cælum, & fundans terram, & fingens ſpiritum hominis in eo*. Quòd verò ibidem dicatur, Meſſias iſte futurus Filius Joſeph; commentum eſt Rabbinicum. Unum enim tantùm Meſſiam, non ſolùm Chriſtiani, ſed Judæi ſapientiores in Sacris Scripturis agnoſcunt, eumque ex Tribu Juda, & filium David. Et ita verba prædicta Zacharïæ tribuuntur Meſſiæ filio David, in *Bereſcith Rabbâ*. Nonnulli ad hoc teſtimonium tùm clarum obſcuratum, ſacrum textum corrumpere auſi ſunt, ſcribentes pro והביטו אלי: & *aſpicient ad me*: והביטו אלו: *aſpicient ad eum*. Hos tamen legitimi textus Hebraïci, & translatio ſeptuaginta Interpretum, atque etiam Targum, manifeſtæ fraudis redarguunt.

Alia Hebræorum de Chriſti divinitate teſtimonia prætermitto, contentus uno argumento, quod ex eorumdem doctrina deſumptum efficaciſſimè tractat Illuſtriſſimus Dominus Joſeph Ciantes Romanus, Epiſcopus Marſicenſis ſuprà laudatus, in Tractatu de Sanctiſſima Incarnatione divini Verbi contra eoſdem Hebræos. Probat in hoc brevi quidem, ſed eruditiſſimo opuſculo, ex Thalmudicis doctrinis, non repugnare, Deum naturam humanam aſſumpſiſſe, & in unica perſona divina duas naturas ſimul unitas fuiſſe, itaut idem Chriſtus, Deus ſimul eſſet, & homo. Veteres enim Hebræi docent, & ut rem divinitùs revelatam firmiſſimè credunt, Deum ab initio decem Spiritus, ſeu intelligentias creaſſe, quas ipſi vocant סְפִירוֹת *Sephiroth*. His ita Deus unitus & conjunctus fuit, ut ex Deo & Sephiroth reſultet unum totum; ſicut ex corpore & anima unus homo: ex radice, ſeu trunco & ramis una arbor, ex prunis & flamma unus ignis: & quidquid dicitur de Deo, dicatur de Sephiroth: & è converſo, quidquid de Sephiroth, de Deo; ita tamen ut omnia, quæ dicunt imperfectionem, cadant ſupra Sephiroth: quæ verò perfectionem, Deo tribuantur. Hanc autem unionem ajunt eſſe omnium unionum perfectiſſimam: quæ ſanè non poteſt eſſe, niſi quæ ſit duarum naturarum in uno ſuppoſito. Ideò autem volunt, Deum ita cum Sephiroth conglutinatum fuiſſe, ut iis, tamquam inſtrumentis, uti poſſet ad creationem, conſervationem, & gubernationem rerum. Cùm enim ad hæc requiratur mutatio in operante, Deus verò ſit immutabilis: oportuit, ut ita ipſe influeret in hæc omnia, ut omnis mutatio, & imperfectio caderet in naturam Sephiroth. Aſſerunt pro exemplo: Quando radii Solis tranſeunt per diverſa vitra diverſorum colorum; exeunt varii inter ſe; ſed tota varietas tenet ſe ex parte vitrorum, cùm Sol eodem modo omnes radios producat. Ita Deus in ſe manet ſemper unus & idem, licet operationes ejus ſint diverſæ, & ſæpè etiam oppoſitæ: ſed tota diverſitas & oppoſitio tenet ſe ex parte Sephiroth. Hoc modo ſalvantur multa, quæ in Scripturis dicuntur de Deo, minimèque illi conveniunt: ut quòd doleat, irascatur, pœniteat, laboret, affligatur, & alia hujuſmodi, quæ, cùm de Deo dicuntur, ſemper cadunt ſuper Sephiroth, per quas Deus eadem patitur, vel operatur. Imò mordicùs tenent Rabbini, Deum ipſis Sephiroth unitum, & velut incluſum, morari cum illis in captivitate, quam Judæi patiuntur, & cum iiſdem Judæis pati, & affligi: & afferunt teſtimonia Scripturarum, quibus hoc ipſum videtur non obſcurè ſignificari.

Hæc Judæorum doctrina, quamvis falſa ſit, poſſunt Mahumetani intelligere, non eſſe impoſſibile, Chriſtum Deum ſimul eſſe atque hominem, non ſolùm in ſententia Chriſtianorum, qui id certiſſimè credunt; ſed etiam Hebræorum, quorum majores expreſsè Meſſiæ divinitatem tribuerunt. Et recentiores, dum hæc de Sephiroth affirmant, hoc Chriſtianæ fidei myſterium non eſſe impoſſibile fateri coguntur.

Verùm quid opus nobis eſt ad Thalmudiſtarum deliria ac fabulas recurrere? jam ſuperiùs diximus, ſæpè Deum in Sacris Scripturis, ut hominem nobis repræſentari, & ea, quæ ſunt propria hominis, nec Deo ullo modo conveniunt, exercere: & nihilominus ea ipſa Deo tribuuntur. Quid igitur repugnat, ne hæc eadem illi tribuantur, ſicut æereo, & phantaſtico, ita humano corpori conjuncto? Neque enim quia huic hypoſtaticè uniatur, non autem illi, ideò ſequitur in Deo ulla mutatio, cùm corpus ipſum mutatur. Denique cùm Sacræ literæ paſſim dicant, Deum habere manus, brachia, pedes, caput, oculos, aures, ſedere, ſtare, ambulare, & alia hujuſmodi facere, quæ ſunt propria hominis; neque hæc, quamvis metaphoricè dicta, Deum dedecere exiſtimentur: non poteſt ut error, vel abſurdum damnari, ſi hæc eadem propter unionem hypoſtaticam cum natura humana illi tribuantur, quamvis non ab ipſo, ſed à natura humana, cui unita eſt, exerceantur.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Mahumetanorum quoque teſtimonio Chriſti divinitas comprobatur.

CErtum eſt, Mahumetanos univerſaliter Chriſti divinitatem negare: nonnulli tamen ſapientiores inter eos, qui rem attentiùs conſideraverunt, eandem aſſerere non dubitaverunt. De his ita ſcribit Iſmael filius Aly, in cap. *De commemoratione Gentis Moslemorum*:

في ذكر امة المسلمين الخاطية والخمسة
هم اصحاب احمد بن حابط واصحاب الفضل ابن
الدمي كانا من اصحاب النظام وكانا كتب
النظامية وخلطوا كلامهم بكلامهم ولهم ثلاث بدع
الاولى انهما حكم من احكام الالهية في المسيح وقالوا
ان المسيح بعامسب الخلق في الاخبار:

Hajetienſes, & Hadiemienſes fuerunt aſſectæ Ahmedi filii Hajeti, & Phadeli filii Hademi, qui ambo fuerunt diſcipuli Alnodami, & legerunt libros Philoſophorum, & commiſcuerunt ſermones eorum cum ſermonibus ſuis, & habuerunt tres novas opiniones, quarum prima fuit, ſtabilire ſententiam de Chriſti divinitate, quem dixerunt futurum eſſe Judicem creaturarum in noviſſimo die. Idem confirmat Sciaher Settanius, relatus à Gregorio Abul-Pharego in Hiſtoria ſua de rebus Arabum. Imò addit Ebnol-Keſſæus, illos exiſtimaſſe, Chriſtum eſſe Deum, ſed novum, & recentem, & à Deo æterno diſtinctum.

Neque verò magnum, aut mirum eſt, ſi hi tribuant Chriſto divinitatem, cùm alii etiam aliis eam attribuant. De his ita ſcribit idem Iſmael ibidem:

اوما

Digitized by Google

ولما الغلاة وقال العالية فهم الدين غلوا في حق ائمتهم حتى حكموا فيهم باحكام الالهية والخروهم من حد الخليقة فربما صعدوا واحدا بالاله ونعتوا الاله بالخلق: ومنهم العباية اصحاب عبد الله بن معاوية الذي قال لعلي انت انت يعني انت الاله واجتمعت عليه جماعة كثيرة ومن الذين يقولون بتقاسم الجزو الالهي في الائمة بعد علي: ومنهم البعلبكية اصحاب العلياء ابن الذراع الاسدي وقيل الدوسي وكان يفضل عليا على نبي ﷺ ويسميه الها ويزعم انه هو الذي بعث محمدا ليدعوا لعلي فدعا لنفسه: وتسمى هذه الفرقة الذمية ومنهم من يقول بالهيتهما جميعا ويقدمون محمدا في الالهية وتسمى هذه الفرقة اليمية ومنهم من يقول ان جبرائيل اخطاه في الرسالة الى محمد وانما ارسل لعلي فاخطاه لان محمدا وعليا كان اشبه من الغراب بالغراب وتسمى هذه الفرقة الغرابية ومنهم من قال الالهية لخمسة اصحاب الكساء وهم محمد وعلي وفاطمة والحسن والحسين وقالوا خمستهم شيء واحد:

Porrò Galatæ, seu Galienses (ideſt Excedentes) ſunt illi, qui exceſſerunt modum in veneratione ſuorum Antiſtitum, itaut attribuerint illis divinitatem, & exemerint eos è numero creaturarum; nunc ſimilem facientes creaturam Deo, nunc Deum creaturæ. Inter hos ſunt Sebaitæ affectæ Abdallah filii Sebæ, qui dixit ad Aly: Tu es tu: ideſt, Tu es Deus. Et ſequuti ſunt eum plurimi, qui tenebant ſententiam de tranſmutatione particulæ divinitatis in Antiſtites ſuccеſſores ipſius Aly. Ex his etiam ſunt Albaneuſes affectæ Albæ filii Dharai Afadienſis (vel juxta alios, Duſienſis) qui præferebat Alym Prophetæ Mahumeto; & vocabat eum Deum, & exiſtimabat, illum eſſe, qui miſerat Mahumetum, ut vocaret homines ad ſequendum ipſum Alym: ſed Mahumetum obtruſiſſe ſeipſum pro Aly. Et vocata fuit etiam hæc ſecta, Dhamienſium; inter quos quidam tribuebant tam Mahumeto, quàm Aly divinitatem; in quo tamen primas partes Mahumeto concedebant. Et hi vocati ſunt Mimienſes; inter quos quidem dixerunt, Gabrielem erraſſe, dum annunciavit Legationem Mahumeto: nam miſſus fuerat, ut annunciaret eam Aly: ſed erravit etiam in Aly, quia Mahumetus & Aly erant inter ſe magis ſimiles, quàm corvus corvo. Quamobrem hi vocati ſunt Gorabitæ (ideſt Corvini), inter quos quidam attribuebant divinitatem quinque Perſonis glorioſiſſimis: nempè Mahumeto, Aly, Thateme, Haſano, & Hoſeino: & aſſerebant, hos omnes quinque eſſe rem unam. Quamvis autem Mahumetani has opiniones univerſaliter non probent: ſufficit tamen nobis, fuiſſe plures, & quidem doctrina præcellentes inter eos, qui divinitatem cum humanitate in eodem homine perſonaliter, ſeu in una perſona, unitam fuiſſe, & conſequenter uniri poſſe affirmaverint.

روي عنبر ايضا: نعيم وابو الشيخ وغيرهما عن ابن عباس ان الله ارسل الى نبيه ستين ملكا من الملائكة معه جبرائيل فقال الملك ان الله خيير بين ان يكون عبدا نبيا وبين ان يكون ملكا نبيا: قال: فالتفت رسول الله ﷺ الى جبرائيل كالمستشير فاشار جبرائيل بيده ان تواضع فقال رسول الله ﷺ لا بل اكون عبدا نبيا:

رواه البخاري والبخاري في تاريخه.

Neque verò negare hoc idem poterunt Moſlemi ipſi Sonnitæ, ſi graviſſimis rerum ſuarum Auctoribus fidem habendam eſſe exiſtiment. Refert enim Ahmed filius Abdal-Halim in ſua Apologia pag. mihi 333. id quod, ut ipſe inquit:

narravit Ambar Abu-Naim Abul-Seich, & alii ex auctoritate Ebn-Abbas (Doctoris inter eos irrefragabilis auctoritatis) Deum legaſſe ad Prophetam ſuum Mahumetum, quemdam ex Angelis unà cum Gabriele. Dixitque Angelus ei: Deus dat tibi optionem, ut eligas, utrum velis eſſe homo propheta, an Angelus propheta. Tunc Mahumetus converſus eſt ad Gabrielem, tamquam conſilium ejus circa hoc petiturus. Gabriel verò innuit ei manu ſua, ut ſeſe humiliaret. Reſpondit itaque Angelo: Nequaquam: ſed ero homo propheta. Referunt hoc Albaſciarius, & Albacharius in ſua Hiſtoria. Peto hic à Doctoribus Moſlemis; quæ ratione poterat Mahumetus Angelus fieri? An ita, ut ipſe non remaneret omninò, totuſque deſtrueretur? an verò ita, ut aliquid de eo ſupereſſet? Si primum: nimis ſtultus fuiſſet Mahumetus eligendo deſtructionem ſui ipſius. Quid enim profuiſſet illi eſſe Angelum, ſi nihil de hac re erat ſciturus, vel ſenſurus, non magis, quàm ſi aſinus factus fuiſſet? Si verò remanſurus erat Mahumetus; qua ratione poterat etiam eſſe Angelus, & cognoſcere, ſe eſſe ſimul Angelum, & Mahumetum? Certè non alio modo, niſi ut vel ipſe aſſumeret ad ſuam naturam in ſua perſona naturam Angeli: vel contrà, Angelus aſſumeret ad ſuam naturam in ſua perſona naturam illius: itaut in una perſona duæ ſimul naturæ, angelica, & humana, reperirentur. Aliàs prorſus eſt intelligibile, quomodò poſſet Mahumetus Angelus fieri. Per hoc igitur coguntur Mahumetani fateri poſſibile eſſe id, quod de Chriſti incarnatione & divinitate Chriſtiani confitentur.

Hodie quoque plures reperiuntur inter Mahumetanos Sonnitas, & quidem ex nobilioribus, & ſapientioribus, qui Chriſtum Deum eſſe conſtanter affirment. Referam hic verba Auctoris aliàs laudati Hiſtoriæ ſtatus præſentis Imperii Othomanici: qui lib. 2. cap.

Digitized by Google

lib. 2. cap. 12. hæc habet: *Paucis abhinc annis nova opinio introducta est, quam sequuntur, & cui præcipuè adhærent modestiores, & temperatiores Regalis Curiæ, & valdè communis est Constantinopoli. Qui eam profitentur, Chap Messahi, boni scilicet Discipuli Messiæ appellantur. Hi constanter propugnant, Jesum Christum esse Deum, verumque Mundi redemptorem. Juvenes, qui liberaliorum studiorum causa in Regia detinentur, hunc opinioni mordicùs inhærent; sed præcipuè honestiores, ac civiliores, & quos natura melioribus dotibus ornavit: adeò ut, cùm laudare aliquem inter se volunt, qui hujusmodi qualitatibus universis ornatus sit, unico verbo omnia exprimentes, Chap Messahisen illum appellent; ideest bonum Messiæ Discipulum. Constantinopoli ingens est hujusmodi hominum numerus, inter quos quidam hanc sententiam tàm constanter retinuere, ut mortem pro ea libenter sustinuerint. Neque id prohibet, quin omnes illi, qui cydari alba utuntur, eandem sententiam occultè retineant.* Hactenùs Auctor, testis oculatus.

Postremò fieri potest argumentum satis validum, quamvis ad hominem, pro hac ipsa veritate asserenda contra Mahumetanos, ex ipsis verbis Alcorani, in quo non semel Christus dicitur: كلمة الله, *Verbum Dei*, & روح الله *Spiritus Dei*, vel روح من الله *Spiritus ex Deo*. Nam (ut de primo loquamur) *Verbum Dei*, juxta Algazelum in professione Fidei Eslamiticæ, duplex est: alterum: الهي قديم قايم بذات الله *Æternum, sine principio, subsistens in essentia Dei*, Alterum مقرو بالالسنة مكتوبي في المصاحف محفوظ في القلوب: *Quod legitur linguis, scribitur in libris, & custoditur in cordibus*. Christus autem non fuit Verbum Dei secundi generis, ut patet: ergo necessariò sequitur, fuisse primi generis, & consequenter fuisse Deum. Nam quidquid est æternum, atque adeò increatum, & subsistit in essentia Dei, non potest non esse Deus.

Respondet Gelaleddinus: معنى كلمة الله لانه مخلوق بكلمة كن: *nominatus est Verbum Dei, quia creatus est (à Deo) per verbum, Esto*. Sed hoc modo omnia dici poterunt Verbum Dei: *ipse enim dixit, & facta sunt omnia*: neque Christus per hoc excellentior erit quolibet alio homine, vel etiam bruto. Præterea, si ex eo, quòd creatus sit per Verbum Dei, Verbum Dei appellandus est: eadem ratione, qui per aquam mundatur, aqua dicendus erit: & qui per ignem calefit, ignis: & qui per pharmacum sanatur, pharmacum appellandus erit.

Beidavius aliam affert rationem: معنى بذلك عيسى لانه وجد بامر الله تعالى دون اب: *Ita vocatus fuit Jesus, quia extitit per imperium Dei sine patre*. Sed etiam primus equus extitit ad imperium Dei sine patre, atque etiam sine matre. Ideòne vocabimus equum, Verbum Dei?

In quodam Lexico Arabico, cui titulus est الجامع

اللغة, affertur hæc alia ratio: معنى كلمة الله لانه التبع في الدين كما قيل فلان مبتى الله لهذه الامة: *Nominatus fuit Verbum Dei, quia* (verbis suis) *profuit Religioni; sicut aliquis dicitur Gladius Dei, Leo Dei*; quia scilicet strenuè pugnaverit pro religione. Sed, præterquamquòd hæc explicatio est valdè frigida; plures alii verbis suis religioni profuerunt, nec tamen ullus vocatus est, *Verbum Dei*, nisi Christus, in quo hoc nomen ostendit aliquid novum, ac singulare.

Neque minus ostendit, Christum esse Deum, quòd in Alcorano vocetur روح الله *Spiritus Dei*, vel من الله *à Deo*. Nam cùm Spiritus Dei debeat esse in Deo, nec possit esse accidens, necessariò erit substantia, & per consequens Deus. Hic etiam Mahumetani varia quærunt subterfugia. Gelaleddinus affert, Christum dici Spiritum Dei, quia conceptus fuit opera Gabrielis, quem Mahumetani vocant, sicut alios Angelos, Spiritum Dei. Quamobrem verba illa Suræ 66. التحريم Prohibitio: v. 14. ومريم بنت عمران التي احصنت فرجها فنفخنا فيها من روحنا: *Et Maria filia Amran, quæ custodivit virginitatem suam: & insufflavimus in ea de spiritu nostro*: ita explicat: من روحنا جبرائيل حيث نفخ في جيب درعها بفلق الله فعله الولد الي فرجها فحملت بعيسى: *De spiritu nostro, nempe Gabriele, cùm insufflavit in aperturam tunicæ ejus* (1. Mariæ) *ad collum, efficiente Deo, ut flatus ejus perveniret ad vulvam ejus, & ex eo conciperet Jesum*. Sed verba Suræ 4. النساء *Mulieres*, vers. 107. مريم رسول الله وكلمته القيها الى مريم وروح منه فامنوا بالله ورسله: *Certè Christus Jesus filius Mariæ, est Legatus Dei, & Verbum ejus, quod immisit in Mariam, & Spiritus ab eo. Itaque credite in Deum, & Legatos ejus*: ita exponit: وروح منه اي ذو روح منه اضيف اليه تعالى تشريفا له وليس كما زعمتم ابن الله او الها معه وثالث ثلاثة لان ذو الروح مركب والاله متبرء عن التركيب وعن نعمة الاركان اليه: *Et spiritus ab eo: idest habens spiritum ab eo: & refertur ad ipsum Deum, ad denotandam nobilitatem & excellentiam ejus: non autem, sicut vos putatis, est filius Dei, aut Deus simul cum eo, & tertius trium* (idest una ex tribus Personis divinis) *Nam habens Spiritum, est quid compositum: absit autem, ut sit in Deo ulla compositio, vel aliquid compositum de illo prædicetur*. Eodem ferè modo exponit وقيل له روح الله وروح منه لذلك Zamchaserius:

لانه ذو روح وُجد من غير حرف من ذي روح كالنطفة
المنفصلة من الاب الحي وانما اخترع اختراعاً
منه عند الله وقدرته خالصة:

Dictus autem fuit Spiritus Dei, & Spiritus ex Deo, quia habens spiritum habuit esse sine literis ab habente Spiritum: sicut semen, quod abscinditur à patre vivo. Et quidem nova productione creatus est à Deo, & potentia ejus absoluta. Non multum capio sensum verborum, & suspicor de aliquo scripturæ mendo. Verùm quidquid sit, si ex eo, quòd Christus habuit spiritum, seu animam à Deo, vocandus est Spiritus Dei: omnes homines, atque etiam jumenta omnia dici poterunt Spiritus Dei. Prætereà is, qui habet potentiam à Deo, rectè vocabitur Potentia Dei: atque aliæ hujusmodi ineptiæ sequentur. Quamvis autem admitteremus hujusmodi expositiones, non tamen ex illis probaretur, Christum non esse Deum. Nam ratio allata ab Ahmed, quia *habens Spiritum*, est quid compositum: Deus verò non admittit compositionem: primò quidem in sententia Sonnitarum nihil probat, cùm ipsi admittant compositionem in Deo ex essentia & attributis, ut vidimus. Secundò, quia hæc compositio non esset in Deo, sed in Christo, qui constat ex humanitate, & divinitate: neque ideò prohiberet, quin Christus esset Deus: idem quippe esset, habens spiritum à Deo, ac habens naturam divinam à Deo: itaut, *habens*, non includat divinitatem, sed tantùm humanitatem, seu naturam humanam, tamquam terminum assumptum à persona divina.

Verùm insurgit contra nos Ahmed argumento non contemnendo, dicens: ولم يكن ادم بما نفخ الله فيه
من روحه لاهوتاً وناسوتاً بل كله ناسوت
فلذلك المسيح كله ناسوت:

Non fuit Adam, eo quòd Deus insufflaverit in eo de spiritu suo, Deus, & homo; sed totus homo: ita etiam Christus erit totus homo.

Respondeo primò, comparationem non benè currere: nam non dicit Alcoranus, Deum inspirasse in Christum de spiritu suo: sed inspirasse de spiritu suo, vel spiritum suum, & verbum suum in Mariam. Deinde, non dicit Moyses, Deum inspirasse in Adam de spiritu suo, sed *inspirasse in faciem ejus spiraculum vitæ:* & ideò Adam non factum fuisse, seu evasisse Deum & hominem, sed hominem tantùm, habentem animam viventem. Certum est enim apud omnes, Deum non communicasse Adæ spiritum suum, vel aliquid de suo esse, sed tantùm creasse in eo animam viventem, & rationalem: hoc verò facit quotidie cum omnibus hominibus, qui tamen non propterea dicuntur Spiritus Dei.

Jahias filius Salàm putat, Christum vocari Spiritum Dei, انه كان من غير بشر: *quia ipse fuit sine carne*, idest creatus fuit sine concursu viri, seu opera carnali: quasi per hoc debeat spiritus appellari. Sed eodem modo, imò multò magis etiam Adam dici posset Spiritus Dei: creatus enim fuit à Deo sine opera non solùm viri, sed neque fœminæ. Christus porrò fuit verus homo sicut cæteri, constans corpore & anima. Quòd si ratione animæ vocandus esset Spiritus Dei: etiam cæteri homines ita essent appellandi.

Ahmed filius Mohammed Thalebiensis, magnus Alcorani commentator, & commentorum, ac fabularum insignis architectus, affert alias aliorum explicationes, cur Christus in Alcorano dicatur *Spiritus Dei*, vel *Spiritus à Deo*. قيل معناه ونفخة منه
وذلك ان جبرايل عم نفخ في درع مريم فحملت
باذن الله تعالي فقال وروح منه وذلك ان جبرايل
عم روح والنفخ انه ريح يخرج عن الروح: وقال ابو
عبيده معناه انه كان انساناً حياً باحيا الله تعلي اياه
يدلّ عليه قول السدّي وروح منه اي
مخلوق منه من عنده: وقيل معني وروح منه
رحمة منه جعل الله تعالي عيسي عم رحمة لمن تبعه
وامن به يدلّ عليه قوله في المجادلة وايّدهم بروح منه
اي قوّاهم برحمة منه: وقيل الروح الوحي اوحي الله
تعالي الي مريم بالبشارة واوحي الي جبرايل بالنفخ
واوحي اليه ان كن: وقيل اراد بالروح جبرايل عم
معناه وكلمته القاها الي مريم والقاها ايضاً روح
منه وهو جبرايل عم: وقيل اراد الروح الذي تحيّي
به ادم عم فخلق الله تعالي روحاً. وصوّرها وارسلها
الي مريم فدخلت في فمها فصيّرها الله تعلي روح
عيسي: قال أُبيّ واذا اخذ ربّك من بني ادم الاية قال
اخذهم ثم جعلهم ارواحاً في صدورهم
واستنطقهم فكان روح عيسي من تلك الارواح
التي اخذ عليها العهد فارسل ذلك
الروح الي مريم فدخل فيها:

Nonnulli explicant spiritum ab eo, sufflationem ab eo: quia scilicet Gabriel sufflavit in interulam Mariæ, & concepit, ita volente Deo. Dicit igitur & Spiritus ab eo: & hoc quia Gabriel est Spiritus, & sufflatio est ventus egrediens à Spiritu. Et dixit Abu Obeida: Christus fuit homo vivens per vivificationem factam à Deo. Ostendit hoc dictum Alsadii: Et Spiritus ab eo, idest creatus ab eo, de apud se. Alii dicunt, Spiritum ab eo, significare misericordiam ab eo. Constituit enim Deus Jesum misericordiam sequentibus eum, & credentibus in eum. Ostendunt hoc verba Suræ de Disputatrice: & roboravit eos

Digitized by Google

eos Spiritu ex se, ideſt fortes reddidit eos miſericordia ex ſe. Alii dicunt, ſpiritum ſignificare revelationem, quia revelavit Deus Mariæ fauſtum nuncium: & Gabrieli inſpiravit, ſeu revelavit inſuſſitationem: ipſi verò Jeſu revelavit; ſeu dixit, Eſto, & fuit. Alii volunt, ſpiritum ſignificare Gabrielem; ut ſenſus ſit: & Verbum ejus, quod ipſe immiſit in Mariam, & immiſit etiam illud in eam ſpiritus à ſe: nempe Gabriel. Alii dicunt, ſignificare Spiritum, quo vivificatus fuit Adam. Creavit enim Deus ſpiritum, & formam dedit illi, miſitque illum ad Mariam, & ingreſſus eſt in os ejus, feciteque illum Deus ſpiritum (ſeu animam) *Jeſu. Dixit Obajus explicans verba Alcorani: Et cùm accepiſſet Dominus tuus à filiis Adam, &c. accepit eos, deinde poſuit ſpiritum in pectoribus eorum, & reddidit eos loquentes, ac rationales. Fuit autem Spiritus Jeſu unus ex illis Spiritibus, quos comprehendit pactum Dei: miſitque illum ad Mariam, & intravit in eam.*

Non eſt, quòd his tot ineptiis reſpondeam: nemo enim erit, qui non apertè videat, nihil ad rem facere, & eſſe nimis miſeram effugia Sapientium Moſemorum. Quamvis enim Mahumetus ſæpè & rotundis verbis neget in Alcorano, Chriſtum eſſe Deum, vel Filium Dei; nihilominùs, dum illum, Verbum Dei, & Spiritum Dei appellat, ſibi ipſi contradicit, & quemadmodùm confueverunt Impoſtores, minimè advertens quid dicat, invitus veritatem confitetur. Velit enim, nolit; ſi Chriſtus eſt Verbum Dei, & Spiritus ejus, ſeu procedens ab eo, non poteſt non eſſe Filius Dei, & Deus.

Hanc veritatem fatetur Thalebienſis agnitam fuiſſe à quodam adoleſcente Chriſtiano, qui erat ſub poteſtate ſupremi Arabum Principis Aaronis Raſeidi, qui regnavit anno Chriſti 786. de quo ita ſcribit: سمعت القسم الخنبي يقول كان لهرون الرشيد

غلام مقطيب نصراني احسن خلق الله وجها

ولكملهم ادبا ولجمعهم الخصال التي يتمول بها الي

الملوك وكان الرشيد مولعا بان يعلم وهو يمتنع:

Audivi Alcaſemum Gennabienſem ita narrantem. Habebat Aaron Raſcidus adoleſcentem Chriſtianum, odoribus aromatum perfuſum, & pulcherrimum vultu omnium creaturarum Dei: & erat perfectiſſimus diſciplina, & præditus omnibus illis partibus, quibus ſibi quilibet adiutor facere poſſit ad Reges. Summoperè autem cupiebat Raſcidus, ut adoleſcens fieret Mahumetanus, ſed ipſe hoc recuſabat. Pergit Auctor referre, quo pacto curaret Imperator adoleſcentem omnibus blanditiis, & deliciis ad ſectam ſuam attrahere. At ille ſemper conſtantior in fide ſua apparebat. Interrogatus à Principe, quid ipſum detineret, ne Moſemus fieret: reſpondit; in Alcorano eſſe argumentum probans illud ipſum, quod Mahumetus negat in eo: vocatur enim ibi Chriſtus Verbum Dei, quod immiſit in Mariam, & ſpiritus ab eo. *Non ne*, inquit, *hæc eſt fides Chriſtiana, quòd ſcilicet Jeſus eſt pars ex eo*, (nempe Deo)? Hoc audiens vehementer doluit Raſcidus: cùmque vocaſſet Sapientes, & Doctores, nullus ex eis potuit adoleſcentis argumentum ſolvere. Advenerat tunc fortè ex regione Charaſana vir quidam doctus in Alcorano, nomine Aly filius Hoſeini. Hic juſſu Imperatoris loquutus eſt cum adoleſcente Chriſtiano, ejuſque argumento audito, neſcivit ſtatim reſpondere, ſed juravit per Deum, ſe nihil guſtaturum, donec reſponſum ad argumentum adoleſcentis inveniret. Ingreſſus igitur domum obſcuram & tenebroſam, clauſit oſtium, & cœpit legere Alcoranum attentè, donec pervenit ad Suram المائدة *Genuſteſſa*, in qua ſunt ea verba: ومغر لكم

ما في السموات وما في الارض جميعا منه:

Et ſubjecit vobis ea, quæ ſunt in cœlis, & quæ ſunt in terra, omnia ab ipſo. Tunc exclamavit elata voce, ut aperirent portam: & egreſſus legit hæc verba adoleſcenti coram Raſeido, & ait: *Si ex eo, quòd Jeſus eſt Verbum Dei, & Spiritus ab eo, eſt pars illius: ſequitur, quòd omnia, quæ ſunt in cœlo, & in terra, cùm ſint ab eo, ſint pars illius.* Hoc argumento convictus adoleſcens, Mahumeti legem amplexus eſt. Hæc ex Thalebienſi.

Ego ſanè legi vitam Raſeidi, ſed nihil in ea reperi de iſto Ganymede. Obſervavi ibi tantummodò, Chriſtianum quemdam mediocrem juvenem ingenioſiſſimum, fuiſſe huic Imperatori in magno pretio, eo quòd per venæ ſectionem illum ab apoplexia liberaſſet. Verùm quidquid ſit de hoc; ineptiſſima fuit Doctoris hujus Charaſani reſponſio, etiam admiſſo craſſiſſimo illo errore, in quo verſabatur adoleſcens, quì putabat, Chriſtum eſſe partem Dei, quaſi Deus poſſet in fruſta ſecari. Etenim non omnia ſunt à Deo eodem modo. Quædam enim ſunt ab intra, ut cognitio, & amor: quædam verò ad extra, quales ſunt omnes creaturæ, de quibus loquitur Alcoranus. Igitur non valet argumentum: Quæ ſunt in cœlo, & in terra, ſunt à Deo, & non ſunt pars Dei: ergo Verbum, & Spiritus Dei, licet ſint à Deo, non erunt pars illius. Sicut non valeret, ſi quis diceret: Imago picta, eſt ab homine; & non eſt pars illius: ergo manus, quæ abſcinditur ab homine, licet ſit ab homine, non erit pars illius. Diverſo enim modo eſt ab homine imago picta, & manus abſciſſa.

Verùm, reſicto hoc adoleſcentis illius errore, quo nullum unquam Chriſtianum laboraſſe puto: dico Chriſtum vocari ab Alcorano, & Mahumetanis Verbum Dei, & Spiritum Dei, & his nominibus oſtendi non eſſe à Deo, ut opera ad extra, ſed ut actus vitales ad intra: Spiritus enim, & loquutio, ſeu Verbum, ſunt actus vitales in hominibus, & multò magis in Deo: non ita extera opera ad extra. Etiam diximus, non poſſe intelligi Chriſtum eſſe Spiritum, aut Verbum Dei extra ipſum Deum: neque opus eſt hic id iterùm probare.

CAPUT DECIMUM NONUM.

Reſpondetur quintæ Mahumetanorum objectioni contra Chriſti paſſionem, & crucifixionem.

CErtiſſimum eſt, Diabolum in Alcorano omnium præteritarum hæreſeon fœcem per Mahumetum congeſſiſſe: & quemadmodùm Chriſti divinitatem cum Ario oppugnavit: ita veram ejuſdem paſſionem & mortem per crucem, cum Manichæis, Marcionitis, & aliis hujuſmodi monſtris impudenter, impiéque negavit. Hanc ego hæreſin ita ſtultam & irrationabilem judico, ut vix credere poſſim, aliquem inter mortales repertum fuiſſe, qui illam non ſolùm verbis proferre, ſed ne mente quidem concipere potuerit. Pugnat e-

Digitized by Google

nim contra apertissimam veritatem, nulloque fundamento penitùs innititur. Sed antequam ad eam confutandam aggrediar, referam, quid de hac re Mahumetani sentiant; ita enim facilius erit, vanissima eorum deliria refutare. Omnes verò Alcorani Expositores fundant ineptias suas in illis verbis Suræ 4. النساء *Mulieres*, vers. 155. quibus asseritur, Judæos à Deo punitos fuisse, بكفرهم وقولهم على مريم بهتانًا عظيمًا وقولهم انّا قتلنا المسيح عيسى بن مريم رسول الله وما قتلوه وما صلبوه ولكن شُبِّهَ لهم وان الذين اختلفوا فيه لفي شكّ منه ما لهم به من علم الّا اتباع الظنّ وما قتلوه يقينًا بل رفعه الله اليه وكان الله عزيزًا حكيمًا:

Propter perfidiam eorum, & eò quòd dixerint contra Mariam mendacium magnum: & eò quòd dixerint: Nos sanè occidimus Christum Jesum, filium Mariæ Legatum Dei: sed non occiderunt eum, neque crucifixerunt eum: verùm objecta est eis similitudo ejus. Et profectò, qui discordes fuerunt in eo, dubitaverunt de hoc. Non erat illis de eo ulla scientia; sed solùm sectati sunt opinionem: neque occiderunt eum verè; sed Deus elevavit eum ad se. Nam Deus est potens, sapiens.

Gelaleddinus ita glossat hæc verba: بكفرهم بعيسى وقولهم على مريم بهتانًا عظيمًا حيث رموها بالزنا: شُبِّهَ لهم للقتلة والصلوب وهو صاحبهم يعني اي القي عليه شبهه فظنوا اياه: وان الذين اختلفوا فيه اي في عيسى لفي شكّ منه من قتله حيث قال بعضهم لما راوا القتول الوجه وجه عيسى والجسد ليس بجسده فليس به وقال آخرون بل هو هو وما لهم به بقتله من علم الّا اتباع الظنّ الذي تخيلوه:

Propter perfidiam eorum, quia scilicet noluerunt credere in Jesum, & eò quòd dixerunt contra Mariam mendacium magnum, cùm de adulterio accusaverunt eam. Sed objecta est eis similitudo ejus (nempe Jesu) in eo homine, quem occiderunt, & crucifixerunt, qui fuit unus ex sociis eorum. Idest: posuit Deus similitudinem Jesu in eo, & existimaverunt esse Jesum: & profectò, qui discordes fuerunt in eo, idest in Jesu, dubitaverunt de hoc, nempe de occisione ejus: dicebant enim quidam eorum, postquam viderunt illum, qui occisus fuerat: Facies est facies Jesu, sed corpus non est corpus ejus: itaque non est ipse. Alii verò dicebant: Nequaquam; sed est ipsemet. Et non erat illis de eo, idest de occisione ejus, ulla scientia; sed tantùm sectabantur opinionem circa id, quod imaginabantur.

Sed audiamus alios Expositores, quorum verba, ut Lectori fastidium, & mihi, ac Typographis laborem minuam, non Arabicè, sed latinè ex Arabicis summa fide translata referam.

Ebno-Said Mogrebiensis, & Ebnol-Athir, relati ab Isnasele filio Aly in cap. في عيسى ابن مريم

De Jesu filio Mariæ, ita fabulantur: *Quærebant autem Judæi summo studio comprehendere eum. Et venit quidam ex Apostolis ad Herodem Judææ Judæorum, & ad Collegium Judæorum, & dixit: quid dabitis mihi, si ostendero vobis Christum? & dederunt ei triginta denarios: quos cùm accepisset, ostendit eis ubi ille esset. Dixit Ebnol-Athir in sua Historia: Variæ sunt Doctorum opiniones circa mortem ejus, antequam assumeretur in Cœlum. Dicunt nonnulli, assumptum fuisse absque eo quòd moreretur. Alii verò dicunt, Deum immisisse illi mortem per tres horas: alii autem per septem: & deindè restituisse eum vitæ, & quidem Auctores hujus secundæ sententiæ habent pro fundamento ea verba Dei in Alcorano:* اني متوفيك ورافعك اليّ: *Certè ego defungi faciam te, & elevabo te ad me. Cùm autem apprehendissent Judæi hominem quemdam, qui erat similis Christo, ligaverunt eum, & cæperunt attrahere eum funibus, & dicebant ei: Tu resuscitabas mortuos, an non salvabis teipsum ab his funibus? Et expuebant in faciem ejus; & conjecerunt super eum spinas, & crucifixerunt eum: & permansit in cruce sex horas. Deindè petiit corpus ejus Joseph faber lignarius ab Herode, qui erat Judex Judæorum, & cognominabatur Pilatus: & sepelivit illud in sepulchro, quod sibi ipsi idem Joseph præparaverat. Descendere autem fecit Deus Christum de Cœlo ad matrem ipsius Mariam, quæ flebat eum, & dixit ei: Deus assumpsit me ad se, neque contigit mihi nisi optimum. Et præcepit ei, ut congregaret ad ipsum Apostolos, & constituit eos in Terra Legatos Dei, & præcepit eis, ut prædicarent ex parte sua id, quod sibi mandaverat Deus. Et divisi sunt Apostoli unusquisque in eam regionem, quam constituerat eis. Dixit Kessaus: Et ingressi sunt Apostoli per portas civitatum, ad quas missi fuerant: & unusquisque eorum loquebatur lingua illius gentis, ad quam missus fuerat.*

Alius Auctor, nomine Amru, ex relatione Asbath, qui id acceperat ab Alfaddi, hoc ipsum alio modo enarrat, dicens: *Tunc Judæi congregaverunt turbam adversus Jesum filium Mariæ, & concluserunt eum intra quamdam domum: atque ibi superveniente illis nocte, pernoctaverunt custodientes eum. Revelavit autem Deus illi ea verba Alcorani: Ego sanè defungi faciam te, & exaltabo te ad me, & liberabo te ab Infidelibus (ideſt à Judæis): & ponam affectus tuos (ideſt Mahumetanos, & Romanos) super infideles usque ad diem resurrectionis. Trædixit autem Jesus sociis suis, se esse fato functurum, & elevandum in Cœlum, & dixit: Quis vestrum vult, ut Deus ponat in eo figuram meam, & ut propterea Judæi occidant illum: & Deus collocabit eum mecum in die resurrectionis? respondit quidam ex illis: Ego. Impressa igitur fuit illi figura Jesu: Jesus autem raptus est, & assumptus in Cœlum. Mane autem facto,*

Digitized by Google

factio, inventi sunt assecla Jesu esse novendecim, deficiente uno (nam antea cum Jesu erant viginti). Et dixerunt: Quid sibi vult, quòd heri erant viginti? & invenerunt inter eos hominem illum, qui habebat figuram Jesu, nec dubitaverunt esse Jesum. Sed subiit eos dubitatio ante defectum numeri vicenarii. Acceperunt igitur illum, cui inerat figura Jesu, & occiderunt, & crucifixerunt eum, & ipsi putabant eum esse Jesum. Et discordes fuerunt, qui remanserunt de sociis Jesu; & congregati simul, elegerunt tres ex ipsis, &c.

Thalebiensis in Suram quartam النساء *Mulieres*, versf. 155. fabulam adornat, & auget ex auctoritate Ebn-Abbas, quæ apud Moslemos irrefragabilis censetur. Ita igitur hic Auctor: *Et dixit Ebn-Abbas: Cùm obvium habuisset Jesus cœtum Judæorum, dixerunt: Ecce Magus filius Magæ, & Præstigiator filius Præstigiatricis: & alia convicia & scommata conjecerunt in eum, & in Deum. Cùmque hæc audisset Jesus, ita imprecatus est eis: ò Deus, tu es Dominus meus, & ego à Spiritu tuo processi, & tu verbo tuo creasti me: neque veni ad eos à me ipso. Maledic ergo eis, qui conviciati sunt mihi, & Matri meæ. Exaudivit autem eum Deus, & transmutavit in porcos conviciatores illius. Cùmque vidisset hoc Judas, caput & dux Judæorum, timuit, & territus est ob imprecationem ejus. Convenerunt igitur Primates eorum, ut occiderent Jesum, & dixerunt: ò Judæi, sanè Deus odio habet vos. At illi irati sunt, & insurrexerunt, ut interficerent eum. Misit autem Deus Gabrielem, qui immisit eum intra fenestellam domus cujusdam, in qua erat alia fenestella subtectio ad excipiendum lumen: & inde Deus elevavit eum in Cœlum. Præcepit autem Judas cuidam ex suis assecla, qui vocabatur Titianus, ut intraret in illam fenestram, & occideret eum. Ingressus Titianus intra fenestram, non invenit Jesum: Deus autem imposuit illi similitudinem Jesu: itaque occidunt, & crucifixerunt eum.* Mokatel autem ita rem narrat: *Misernunt Judæi exploratorem quendam, qui observaret, ubi esset Jesus, & quò se reciperet. Ascendit autem Jesus in montem, & veniens Angelus accepit eum duobus digitis, & elevavit in cœlum; conjecitque Deus in exploratorem illum figuram Jesu: & exiftimantes Judæi, illum esse Jesum, occiderunt, & crucifixerunt eum: ille verò dicebat: Ego non sum Jesus, sed sum talis filius talis. At illi non præstantes ei fidem, occiderunt eum.* Dixit Alsaddi: *Concluserunt eum, & decem ex Apostolis in quadam domo: & quidam ex illis ingressus est ad eos, conjecitque in eum Deus similitudinem Jesu: Jesum verò elevavit in Cœlum ex fenestra illius domus: ingressique sunt ad eum, & occiderunt illum, exiftimantes esse Jesum.* Cottada autem dixit: *Relatum est nobis, quòd Propheta Dei Jesus; super quem sit pax, dixerit assectis suis: Quis ex vobis vult suscipere similitudinem meam, & occidi? respondit quidam illorum: Ego suscipiam, ò Legate Dei. Occisus itaque est homo ille, & Deus servavit Jesum immunem, & elevavit eum ad se. Cùmque elevassset eum, vestivit illum alis, & circumdedit eum luce, & constituit ei cibum & potum ad delicias. Volaverunt-que cum eo Angeli circa Thronum Dei, & factus est simul homo, & angelus; cœlestis simul, & terrestris.* Dixit Vaheb filius Mambah: *Revelationem fecit Deus Excelsus ad Jesum, super quem sit pax, cùm perveniisset ad annos triginta. Deinde, cùm esset triginta ac trium annorum, elevavit eum ad se. Et ipsi certè fuerunt in dubitatione circa eum.* Dixit Alkalebi: *Dissensio eorum erat in hoc, quod Judæi dicebant: Nos occidimus, & crucifiximus eum. Christianorum autem pars dicebat: Nequaquam: sed nos occidimus, & crucifiximus eum. Alii verò dicebant: Neutri occiderunt eum, sed Deus elevavit eum ad se in Cœlum, & nos vidimus eum dum elevaretur. Qui verò viderant occidi Titianum, dicebant: Nonne vidistis illum occidi, & crucifigi? Et hæc fuit dubitatio & dissensio eorum circa hoc.* Dixit Mohammed filius Merwân: *Dicitur etiam, quòd Deus conjecit similitudinem vultus Jesu in Titianum, nec tamen dedit ei, ut esset similis in reliquis membris, & in constitutione corporea. Cùmque occidissent eum, attentiùs inspicientes, dicebant: Vultus quidem est vultus Jesu: corpus autem est corpus Titiani. Dicitur porrò, illum, in quo posita fuit similitudo Jesu, fuisse Israelitam, nomine Albinh filium Keidiræ.*

Ismael filius Aly in suo Chronico, agens de Festis Christianorum, rem totam, aliquanto cæteri fusior, vel potiùs, minùs infansus, ita refert. *Deinde celebravit Christus Paschæ feria quinta cum pane, & vino, & abiit in domum cujusdam ex sectatoribus suis. Deinde exiit nocte sextæ feriæ sequentis in montem. Unus autem ex Discipulis ejus, Judas nomine, festinavit ad Magnates Judæorum, & accepit ab eis triginta numos pro pretio, & indicavit eum illis. Deus autem posuit similitudinem Christi in eodem Juda. Acceperunt ergo eum, & ligaverunt, & percusserunt, atque attraxerunt eum, & posuerunt super caput ejus coronam de spinis, & exercuerunt contra eum omnia odibilia, & excruciaverunt eum in reliquo illius nocte: ante feriam sextam, donec factò mane, crucifixerunt eum, exiftimantes esse Christum, hora tertia prædicta diei, quæ dicitur Feria sexta crucifixionis. Et crucifixi sunt cum eo duo latrones super montem, qui dicitur Calvaria, Hebraicè autem Golgotha; & mortui sunt, ut putaverunt, hora nona. Deinde Joseph faber lignarius, qui erat paruelis Mariæ, corpus Christi à Præside Judææ Herode, qui vocabatur Pilatus, postulavit. Habebat autem Joseph prædictus habitationem, & locum suum prope eum. Donavit ergo illi Præses corpus ejus, & sepelivit illud Joseph in sepulchro, quod sibi præparaverat. Putant autem Christiani illud manisse in sepulchro nocte ante Sabbatum, ipsa die Sabbati, & nocte præcedente diem Dominicam: & in matutino Dominicæ surrexisse.*

Exiftimabis, Lector, hæc Mahumetanorum commenta ex Plauti Amphitryone, vel alia veteris Poetæ Comœdia furto sublata fuisse; & tamen operæ pretium duxi ea referre, ut intelligas, quibus fundamentis nitantur, dum Christi passionem, & mortem ejus in Cruce inficiantur. Dixi, mortem in Cruce: nam de morte ejus naturali non omnes inter se conveniunt: res est inter eos adiaphora. Dissensioni causam dedere verba Alcorani jam allegata, quæ Deus Christo dixisse fingitur: يا عيسى انى متوفيك *ò Jesu ego sanè defungi faciam te, & elevabo te ad me:* nam توفي patitur varias significationes præter mortem; sicut apud Latinos *defungor*. Quidam enim hic accipiunt pro قبض *sumere*, seu

Digitized by Google

seu prehendere manu. Quidam pro تعلّم, *servare immunem*. Quidam pro نوم *somno consopire*. Quidam denique accipiunt in vero & proprio significatu, pro مميت *tradere morti*. Sed libet hic proferre verba Thalebicnsis in hunc locum Alcorani: لـــه علي هذا القول تاويلان احدهما ما قاله وهب توفي الـــه تعالى عيسى ثلاث ساعات من النهار قبل دخول اليهود عليه ثم رفعه اليه: وقال ابـــن اسحاق النصارى يزعمون ان الله توفاه مع ساعات من النهار ثم احياه ورفعه اليه: والاخـــر ما قالـــه الضحاك وجماعة منه اهل المعاني ان في الكلام تقديمـــاً وتاخيراً معناه اني رافعك ومطهرك ومتوفيك بعـــد انزالك من السماء لاجتماع المسلمين ان الله تعالى رفع عيسى ولا يقتله اليهود وقبل الموار لا تقتضـــي الترتيب فهو يتوفيه ورفعه ولكن التوفي يكـــون بعد نزوله كقوله تعالى خلق السموات والارض واجعوا انه خلق الارض قبل السموات: وقيل للمحسن بن الفضل هل بعد نزول عيسى من السماء في القرآن قال نعم وقوله وكهلاً وهو لم يكتهل في الدنيا ولما معناه وكهلاً بعد نزوله من السماء: قال الميمانـــي الشيعاني كان عيسى عم علي طورزيتـــا فهبت ريح فهربوا عيســـى فرفعـــه الله تعالى في مرولـــه وعليـــه مدرعـــة من شعـــر:

Duplex est hujus loci expositio. Prima est Vahebi; Mori fecit Deus Jesum, ac mortuum servavit per tres horas diei, antequam venirent Judæi ad eum, comprehendendum: deinde elevavit eum ad se. Dixit Ebn-Isaac: Christiani censent, Deum morti eum subjecisse per septem horas diurnas, deinde eum vitæ restituisse, & ad se sublevasse. Altera expositio est Aldahaki, & communis expositorum: nempe in verbis Alcorani esse تقديم وتاخير: itaut intelligendum sit, Deum prius elevaturum Jesum ad se, & ab Infidelibus liberaturum, deinde eum mori subjecturum: quod fiet, quando è cælo redibit in mundum ad Muslemos simul congregandos: nam Deus elevavit Jesum, neque occ derunt eum Judæi: & consequenter asserunt, particulam conjunctivam, &, nullum importare ordinem in illis verbis: Defungi te faciam, & elevabo te: itaut defunctio intelligi debeat post elevationem, quando iterùm redibit in Mundum. Quemadmodum dicitur in Alcorano, quòd Deus creavit cælum, & terram; cùm communis sententia sit, prius creatam fuisse terram, quàm cælum. Interrogatus fuit Hosein filius Obadel, an inveniret in Alcorano reditum Jesu è Cælo in Mundum. Respondit, se invenire in Sura 3. Familiæ Amran, ubi dicitur, Christum allocuturum esse homines jam senem. Porrò cùm non pervenerit ad senectutem ante assumptionem in Cælum, consequens est, ut rediturus sit in Mundum, quò senex evadat. Dixit Albajenanius: Cùm esset Jesus in monte Oliveti, excitatus fuit ventus vehemens: cùmque ille incitato gressu ferretur, in eo cursu elevatus fuit à Deo in cælum: erat autem indutus thorace ex pilis confecto.

Hæc Mahumetanorum figmenta refellere atque explodere facillimum est.

Primò enim, Euangelistæ omnes clarissimè, apertissimè, & absque ulla verborum ambage, Christum Jesum passum, crucifixum, ac mortuum fuisse affirmant. Alium pro eo suppositum fuisse, ne suspicandi quidem ansam ullam nobis reliquerunt. Idem patentissimè, ac meridiana luce clariis testantur libri omnes Testamenti novi à Christi Discipulis scripti, in quibus nihil frequentius, nihil clarius, nihil certius, quàm illius passio, crucifixio, & mors, nobis proponitur: itaut summæ dementiæ, & insaniæ sit de hac veritate vel tantillum dubitare.

Secundò, præter Sacras Scripturas, Auctores omnes cujuscumque nationis, qui inter Christianos floruere, & præsertim SS. Patres ab ipso Apostolorum ævo ad hæc usque tempora, Christum veré passum, veré crucifixum, & veré in cruce mortuum fuisse affirmant.

Tertiò, indubitatum etiam hoc fuit semper apud omnes Christianos (si Manichæos, & paucos eorum asseclas excipias) & hodie nulla Christianorum natio, vel Secta etiam hæretica, aut Schismatica, in dubium revocat. Id affirmat, & confirmat Ismael filius Aly de ætate sua in cap. في امة النصارى de *Gente Christianorum*, his verbis: واتفقت النصارى على ان المسيح قتلته اليهود وصلبوه وانه بعد ان قُتل وصُلب وات عاش ورفي شخصه ممعون الصفا وكلمه واوصى اليه ثم رفي الدنيا وبعد الى السماء:

Et conveniunt Christiani in hoc, quòd Christus occisus sit, & crucifixus à Judæis: & postquam occisus, crucifixus, & mortuus fuit, revixerit, & apparuerit Simoni Petro, & alloquutus fuerit eum, & tradiderit ei Testamentum suum (ideft fecerit eum Vicarium suum) deinde discesserit ab hoc mundo inferiori, & ascenderit in cælum. Hæc teftis Mahumetanus. Et sanè in Symbolo fidei, quod Apostoli ipfi tradiderunt, & Christiani omnes per totum terrarum orbem ab eo tempore usque ad hanc diem tenuere, hodieque profitentur; inter alia habetur de Christo: *Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.* Idem habetur in Symbolis Nicæno, & Constantinopolitano, quæ, utpote ab Episcopis, & Magistris Christianorum totius Orbis propofita, omnes recipiunt, ac venerantur.

Quartò, hoc ipsum testatur, quod Christiani omnes sem-

semper Crucem in honore habuerunt; & Christi crucifixi imagines perpetuò in Ecclesiis, in domibus, & aliis locis conspicuis collocatas coluere. Quin & primi Imperatores, & Reges Christiani, ut videre est in eorum antiquis numismatibus, crucem in diademate semper gestavere, qui mos usque ad hanc nostram ætatem perseverat. Hoc autem nunquam fecissent, aut facerent, si Judam, vel Titianum, vel alium nescio quem è vulgo sub imagine Christi, non autem Christum ipsum, veré crucifixum, ac mortuum esse existimarent.

Quintò, accedit testimonium omnium Judæorum, qui, ut Alcoranus ipse affirmat, sese Christum Jesum Filium Mariæ legatum Dei crucifixisse, & occidisse fatebantur. Hodie quoque si interrogentur Judæi, quotquot in toto terrarum orbe dispersi reperiuntur, utrum majores eorum Jesum Nazarenum, quem Christiani, & Mahumetani omnes ut verum Messiam cognoscunt, ac venerantur, crucifixerint, & occiderint: omnes uno ore fatebuntur, rem ita esse, & se ita credere, semperque omnes majores suos idem credidisse: & ita Doctores suos scriptum reliquisse: inter quos R. Moyses filius Maimonis in lib. Judicum cap. 11. scribit: *Jesus Nazarenus visus est esse Messias, & occisus est per Domum Judicii: & ille causa fuit, ut Israel destrueretur in gladio, & dispergerentur reliquiæ ipsorum, & deprimerentur.* Et in libro Sanhedrin distinct. *Nigmar Hadin*: dixit Ula: *Jesus Nazarenus propinquus fuit Regno* (ideſt fuit è familia Regia) *& in vespere Paschæ crucifixerunt eum.*

Sextò, cæteræ etiam Gentes, præter Christianos, & Judæos, hoc idem tamquam certissimum semper habuere. Cornelius Tacitus inter Romanos Scriptores celeberrimus, lib. 5. Annal. loquens de Christianis à Nerone interfectis, scribit: *Auctor nominis ejus Christus, qui, Tyberio imperitante, per Procuratorem Pontium Pilatum supplicio affectus erat.* Alios Auctores Ethnicos hujus veritatis testes afferre, supervacaneum existimo. Admiranda est igitur stupiditas, seu potiùs stultitia Mahumeti, & Moslemorum, qui rem eàm certam, & ab universo orbe testatam, absque ulla prorsùs ratione, aut fundamento, negare non verentur. Porrò si eam negant, quia indecens erat Christo crucem ac mortem subire: ita deberent negare, tot Prophetas à Judæis occisos, variisque supplicüs affectos fuisse: & Mahumetum suum tàm indigna à Corasinis, & aliis Meccanis sustinuisse, tandemque veneno à fœmina Judæa propinato periisse. Nullus vir prudens censet, pœnam dedecus afferre, quamtumvis turpis sit & ignominiosa; si non propter culpam, sed propter virtutem inferatur. Imò nihil glorioſius est, quàm propter religionem, vel propter communem Reipublicæ salutem supplicia etiam atrocissima, ac scelerosissimorum propria, innocenter perferre. Hic est sensus omnium hominum prudentium, & ipsorum etiam Mahumetanorum. Si verò eam negant præcisè, quia Jesus erat Messias, sive Christus: neque hoc poteſt aliquid subsidii illorum errori afferre; præsertim quia ipsi credunt, Christum fuisse hominem tantummodo, nec Mahumeto suo superiorem. Nos verò in oppositum, ex hoc ipso, quòd erat Christus, contendimus, illum pati, ac mortem subire debuisse; quia id in Pentateucho ac Prophetis prædictum, & ab antiquis Hebræis traditum fuerat, ut in sequenti capite ostendemus.

CAPUT VIGESIMUM.

Christum multa passurum, ac violenter moriturum Prophetæ prædixerunt: veterumque Hebræorum dicta idem confirmant.

NOn licet de hac veritate dubitare, cùm Christus ipse sæpissimè in Euangelio, ejusque Apostoli in suis libris eam testentur. Lucæ cap. 24. duobus Discipulis cuntibus in Emmaus, dixit Christus: *ò stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?* Porrò pronomen *hæc*, refertur ad verba præcedentia: *tradiderunt eum Summi Sacerdotes, & Principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum.* Et ibidem loquens cum omnibus discipulis simul congregatis: *Quoniam* (inquit) *sic scriptum est, & sic oportebat Christum pati, & resurgere à mortuis tertia die.* In Actis Apostolorum, capite 3. dixit S. Petrus Judæis: *Deus autem, qui prænunciavit per os omnium Prophetarum pati Christum suum, sic implevit.* Et cap. 13. S. Paulus dixit de iisdem Judæis: *Nullam causam mortis invenientes in eo, petierunt à Pilato, ut interficerent eum: cumque consummassent omnia, quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento.* Alia plura sunt in novo Testamento loca, quæ idem confirmant. Et, ne Moslemi putent, falsò in illis Prophetarum testimonia allegari; nonnulla hic de Christi passione, ac morte vaticinia recensebo, quæ cum Christi, & Apostolorum interpretatione conveniunt.

Primò, per immolationem Agni in vespere Paschatis, & per sacrificia cruenta animalium, quæ volebat Deus sibi offerri, significatam, & præfiguratam fuisse Christi passionem, & mortem per crucem, expressè habetur ex eo, quòd Christus ipse voccetur in Euangelio S. Joannis cap. 1. *Agnus Dei, qui tollit peccata Mundi*: & in Apocalypsi cap. 5. *Agnus occisus ab origine Mundi.* Et ex eo etiam, quod in eodem Euangelio cap. 19. scribat S. Joannes, non fuisse Christo in cruce crura confracta, sicut duobus latronibus, quia scriptum erat: *Os non comminuetis ex eo*: quæ verba de Agno illo Paschali dicta fuisse, patet. Sanctus autem Paulus in Epistola ad Hebr. cap. 9. & alibi, manifestè ostendit, victimas illas in sacrificium oblatas, & tot aspersiones ex earum sanguine, quibus Sacerdos populum lustrabat, nihil aliud, quàm Christi occisionem, & sanguinem pro humano genere effusum significasse: *Christus* (inquit) *assistens Pontifex futurorum bonorum, per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa, &c.*

Secundò, Psalm. 2. prædicit David passionem Christi illis verbis: *Adstiterunt Reges terræ, & Principes convenerunt in unum, adversus Dominum, & adversus Christum ejus.* Id patet ex Actis Apostolorum, cap. 4. in illis verbis. *Convenerunt enim verè in civitate ista adversus sanctum puerum tuum Jesum, quem unxisti, Herodes, & Pontius Pilatus cum Gentibus, & Populis Israel, facere, quæ manus tua, & consilium decreverunt fieri.* Hic autem agitur de crucifixione, & morte Christi.

Tertiò, Psalmus 21. ferè totus pertinet ad ea, quæ passus fuit Christus. Id patet ex testimoniis ex eodem Psalmo desumptis, quibus quatuor Euangelistæ utuntur in Christi passione, & morte per crucem enarranda.

Quar-

Digitized by Google

Quartò, Isaiæ caput 53. quod incipit: *Quis credidit auditui nostro?* est verius historia, quàm prophetia de passione, & morte Christi. Quamobrem non solùm ab Euangelistis allegatur: sed etiam Hebræi veteres asserunt, totum ad Messiam pertinere.

Quintò, Danielis capite 9. prædicitur mors Christi cruenta illis verbis: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus*. Hoc autem prædici de Christo proprio, & non de aliquo alio, cui hoc nomen per participationem tribuatur, patet non solùm ex testimonio Euangelistarum, sed etiam ex Hebræorum ipsorum confessione.

Sextò, Zachariæ cap. 12. prædicitur crucifixio, & transfossio lateris Christi, illis verbis: *Et aspicient ad me, quem confixerunt: & plangent eum planctu quasi super unigenitum*. Nam non solùm S. Joannes in Euangelio, cap. 19. sed etiam veteres Judæi testantur, hæc ad Christum pertinere. Alia plura ex veteri Testamento de hac re testimonia prætermitto.

Cùm igitur tàm Prophetæ, quàm Euangelistæ conveniant, Christum verè passum, mortuum, & crucifixum fuisse, imò Christus ipse non semel prædixerit in Euangelio, se à Judæis flagellandum, illudendum, crucifigendum, & occidendum esse; infinitum omninò, ac delirant Mahumetani, dum blaterant, hæc non Christo, sed Judæ, vel Titiano, vel nescio cui alii, similitudinem Christi gerenti, contigisse. Hac ratione, omnia, quæ de Adam, de Abraham, de Noe, de Moyse, de David, de Salomone, & aliis referunt Sacræ literæ, dicere poterimus, non ipsis, sed aliis illis similibus evenisse. Porrò cùm non solùm Euangelistæ, & cæteri Apostoli, sed etiam Prophetæ, & præsertim Isaias, ut vidimus, constanter affirment, Christum pro peccatis hominum, & pro salute æterna humani generis passum, ac mortuum fuisse, & sanguinem suum fudisse: si ille neque verè passus, neque mortuus est, neque sanguinem suum effudit, sed pro eo, Judæ, vel Tiziano hæc omnia contigere; his duobus, non Christo, redemptio, & salus æterna generis humani tribuenda erit.

Quæret aliquis curiosius, quidnam movere potuerit Mahumetum, ut tàm insanam, tàm stultam, tàm mendacem, tàm impiam opinionem effutiret.

Respondeo, Impostorem audivisse, nonnullos in Christiana Religione, nempè Manichæos, hujusmodi errorem, Diabolo suggerente, suscitasse: & cùm Christo honorificentius esse putaret, si à passionis & crucis ignominia eximeretur, & in cœlum vivus translatus esse prædicaretur: eundem errorem obviis ulnis amplexus est. Non enim ignorabat, utpote ad omne malum sagacissimus, *prædicare Christum crucifixum, Judæis quidem esse scandalum, Gentibus autem stultitiam*. Usus est igitur medio illo, quod plausibilius, & efficacius existimavit ad superstitionem suam, & impietatem infinuandam, ac propagandam. Diabolus verò id totis viribus, atque omni astu conatus est, ut memoria dominicæ passionis, & salutiferæ crucis, per quam Regnum illius destructum fuerat, ab hominum animis prorsus aboleretur.

Quod pertinet ad veteres Hebræos; hi manifestè ex Sacris Scripturis cognoverunt, & confessi sunt, Messiam multa passurum, mortemque cruentam subiturum. Plura sunt in Thalmude loca, quæ id testantur. Verùm Recentiores figmentum magnum circa hoc excogitavere: nempè duos futuros esse Messias: alterum ex Tribu Juda, & filium David: alterum ex Tribu Josephi. Ad priorem volunt referri omnia gloriosa & honorifica, quæ Prophetæ de Messia prædixerunt: in posteriorem autem omnia ab iisdem prædicta, quæ ad ignominiam, dolorem, paupertatem, cruciatus, ac necem spectant, convenire contendunt. Verùm jam suprà vidimus, absque ullo fundamento hos duos Messias ab Hebræis confingi, & hoc ipsum fatentur, qui inter eos prudentiores, & sapientiores habentur. Inter hos R. Nahman in *Midras Thehillim*, super illa verba Num. cap. 1. *Vir, caput domui patrum suorum ipse*; dixit: *Non est vir dictus in hoc loco, nisi Messias filius David. Et sic dixit Isaias cap. 53. Virum dolorum, & scientem infirmitatem*. R. Moyses, Hebræorum sapientissimus, in *Jad Chazacha*, tract. de Reg. cap. 11. Agnoscit quidem duos Messias: unum veluti figuram, nempè David filium Jesse: alterum autem verum & proprium, qui ab eodem David erat oriturus: illum scilicet, quem tàm Christiani, quàm Mahumetani jam advenisse credunt. Sic enim ibi loquitur R. Moyses, exponens vaticinium Balaam. *Hic prophetia est de duobus Messiis: de Messia primo, nimirum de Davide, qui salvavit Israel de manu hostium suorum: & de Messia ultimo, qui de filiis ejus futurus est, qui salvabit Israel de manu filiorum Esau*. Et cap. 12. asserit, Judæos sine ulla traditione, nodum Scriptura, ponere hunc Messiam filium Joseph. Ait enim: *Non habent Sapientes traditionem de his, nisi quatenùs colligitur necessariò ex Scripturæ verbibus*. Hoc dicit R. Moyses, quia de eodem Messia videntur in Scripturis contraria prædicari. Nunc enim asseritur fore pauper, afflictus, humilis, passurus dolores, vulnera, mortem: nunc autem dives, gloriosus, felix, victor, Rex maximus, cujus vita, & Imperium finem nullum habitura sint. Hoc cogit nonnullos ex Judæis stultè sapientibus, ad duos Messias excogitandos: non animadvertentes, vel nolentes animadvertere, unum eumdemque Messiam in duplici statu à Prophetis prædici: nempe in statu vitæ mortalis per tres ac triginta annos: & in statu immortalitatis, in quo semper erat perfecturus. In primo quidem humilem, pauperem, afflictum, & doloribus, necique subjectum: in secundo verò, gloriosum, excelsum, dominantem, & immortalis Regni possessorem. Hanc veritatem Mahumetani ipsi cognovere, qui Christum Jesum, dum viveret, pauperem, à Judæis vexatum, sine Regno, sine potentia, sine opibus fuisse fatentur: rediturum tamen in Mundum, gloriosum, omnium Gentium Regem futurum, & undequaque dominaturum certissimè credunt.

CAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

Respondetur sexto Mahumetanorum objectioni circa cultum Pontificum, & Monachorum.

JAm vidimus, Mahumetum objecere Christianis, atque etiam Judæis, cultum idololatricum erga Monachos, & Pontifices suos. Non repeto hic verba Alcorani jam allata. Solùm existimo inquirendum, quo fundamento hoc nobis scelus Impostor objiciat. Id autem ex Mahumetanorum Interpretum glosis facilè assequemur. Gelaleddinus ita explicat verba Alcorani: إتخذوا احبارهم وربانهم من دون الله والمسيح ابن مريم وما امروا الا ليعبدوا الها واحدا لا اله الا هو سبحانه عما يشركون تحليل ما حرم الله وتحريم ما احل

Acce-

Acceperunt Pontifices suos, nempe Sapientes Judæorum; & Monachos suos, Religiosos scilicet Christianorum, in Dominos; dum sequuti sunt eos in concedendo illis, quæ prohibuit Deus, & in prohibendo, quod ipse concessit. Eodem ferè modo exponit Jahias, qui etiam refert id, quod per traditionem multorum habebatur, dixisse Odeimum filium Chatemi: nimirùm:

جئت الي النبي ص وفي عنقي صليب فقال يا عديّ القِ هذا الوثن من عنقك فالقيت فانتهيت اليه وهو يقرء سورة براءة فلما انتهي الي قوله تعالي اتخذوا احبارهم ورهبانهم اربابًا من دون الله قال قلت يا رسول الله والله ما نتخذهم اربابًا من دون الله قال بلي اليسوا يحلّون لكم ما حرّم الله عليكم فتحلّونه وتحرّمون ما احلّ الله فتحرّمونه قلت بلي قال فتلك عبادتكم:

Veni ad Prophetam Dei Mahumetum, & habebam crucem collo appensam, dixitque mihi: ò Odeime, projice vinculum illud à collo tuo. Ego verò, cruce projecta, accessi ad eum, & ipse legebat Suram Pœnitentiæ. Cumque pervenisset ad ea verba: Acceperunt Pontifices suos, & Monachos suos in Dominos præter Deum: Ego dixi: ò Legate Dei, certè nos non accipimus eos in Dominos, præter Deum. Respondit ille: Utique accipitis: etenim nonne licitum faciunt vobis id, quod Deus prohibuit, & vos licitam censetis concessionem ejus: & prohibent vobis, quod concessit Deus, vos verò prohibitionem ejus admittitis? Respondi: Ita est. At ille: Hæc est, inquit, Religio vestra. Sed fusiùs explicat hæc Alcorani verba Thalebiensis.

فقالت اليهود ما تريد الّا ان نتخذك ربًا كما اتخذ النصاري عيسي ربًا فقالت النصاري ما تريد الّا ان نقول فيك ما قالت اليهود في عزير فانزل الله تعلي يا اهل الكتاب تعالوا الي كلمة سواء عدل بيننا وبينكم الّا نعبد الّا الله ولا نتخذ بعضنا بعضًا اربابًا من دون الله كما فعلت اليهود في عزير والنصاري في المسيح قال الله تعالي اتخذوا احبارهم ورهبانهم اربابًا من دون الله والمسيح ابن مريم الي الحاموم في للعاصي: وقال عكرمة معوهم بعضهم لبعض وقيل معناه لا تطيعوا احدًا في للعاصي وفي الخبر من طلع محلوقًا في معصية الله فكانما عبد معبودة لغير الله وقد قيل ولا تتخذ

بعضنا بعضًا اربابًا من دون الله لا نعتقد الانبياء بغير احلال الله ولا تحرّمها بتحريم غير الله ولا نجعل لغير الله الخضوع والتعظيم ما يجب لله وذلك ان اهل الكتاب كانوا يحلّون ويحرّمون بقول الاحبار والرهبان ما لم يحرّمه الله ولا حلّله ويجعلون هذي لانفسهم طاعتهم ويحرمون امرهم في ذلك ويفهم عن الله تعالي ويهيء

Dixerunt Judæi Mahumeto: Tu aliud non vis, nisi, ut accipiamus te in Dominum, sicut Christiani acceperunt Jesum in Dominum. Christiani verò dixerunt ei: Tu aliud non vis, nisi ut dicamus de te id, quod dicunt Judæi de Ezra. Et tunc revelavit Deus ei hæc verba (quæ sunt in Sura tertia, vers. 62.) *ò Scripturales, venite ad pactum justum, & æquum inter nos, & vos: videlicet, ut non colamus nisi Deum, neque accipiant alii nostrum alios in Dominos, præter Deum, sicut faciunt Judæi circa Ezram, & Christiani circa Christum. Dixit Deus Excelsus. Acceperunt Pontifices suos, & Monachos suos in Dominos, præter Deum, & Christum filium Mariæ. Ideòque obedierunt illis in prævaricationibus legis. Et dixit Ecrama: Hæc est adoratio eorum, qua alii alios adorant. Alii dicunt, sensum esse: Non obediamus illi in transgressionibus legis divinæ. Et celebris est illa sententia: Qui obedierit creaturæ alicui in transgressione legis divinæ, idem facit, ac si adoraret aliquem, præter Deum. Alii sic explicant: Et non accipiamus alii alios in Dominos præter Deum: ideòque non concedamus tamquam licitas res, quas Deus licitas non fecit: neque prohibemus eas, nisi Deus prohibuerit; neque exhibeamus ulli, præter Deum, subjectiones, & magnificentiam, quæ conveniat Deo. Hoc autem dicitur, quia Judæi, & Christiani concedebant, & prohibebant ad dictum Pontificum, & Monachorum id, quod neque concesserat, neque prohibuerat Deus: & credebant necessarium fibi esse illis obedire: & ponebant in æquali gradu præceptum, & prohibitionem eorum cum præcepto, & prohibitione Dei.*

Bené est, quòd Mahumetus conjungit causam Christianorum cum causa Judæorum: nam ita duos testes habet impudentiæ suæ, & multiplicis mendacii sui. Etenim quandonam, vel Judæi Pontifices suos, vel Christiani Monachos suos ita acceperunt in Dominos, ut Deo illos æquarent, vel in cultu, & adoratione; vel in subjectione, & obedientia? Quandonam vel isti, vel illi docuerunt populos, ut leges divinas transgrederentur, & suas observarent? Quandonam licitum fecerunt id, quod Deus illicitum pronunciavit; vel illicitum, quod ille concessit? Quando denique vel Judæi Ezræ divinitatem tribuere: vel Christiani eodem cultu, quo Christum, aut Deum, Monachos suos honoraverunt?

Cæterùm non negamus, Christianos (nam de Judæis nihil attinet ad nos, & fortasse non injuria notat eos Mahumetus, quòd velint præferri præceptis Rabbinorum suorum præceptis Dei,) honorare, semperque honorasse Monachos, & multò magis Episcopos, &

Digitized by Google

Antiſtites ſuos, & præſertim Romanum Pontificem, magno quidem honore, ſed humano, & hieropolitico, non divino: neque illos, ut Dominos, vel Deos, ſed ut Domini ac Dei Vicarios, & Miniſtros agnoſcere: quemadmodùm Mahumetani olim Chaliphas ſuos, nunc verò Emamos, & Mophtinos venerantur. Quòd ſi aliqua illis exhibent, quæ Deo etiam tribuuntur, qualia ſunt genua illis flectere, thuris ſuffitum præbere, & alia hujuſmodi: non propterea divinitatem illis ineſſe exiſtimant: nam multa Deo tribuuntur, quæ etiam hominibus in Sacris Scripturis tribui non ignoramus, in quibus Reges, & Principes, deorum, ac Dominorum nomine cenſentur, illiſque non ſolùm geniculationes, ſed etiam totius corporis proſtrationes, abſque ullo piaculo à fidelibus factas, & expreſsè *adoratos* fuiſſe legimus. Alcoranus ipſe affirmat, Angelos Dei, juſſu adoraſſe Adamum; & quia Eblis noluit illum adorare, ſeveriſſimè punitum fuiſſe: neque tamen Angeli Adamum, ut Deum, vel Dominum agnoverunt. Hujuſmodi exterioris cultus ſigna, ex intentione exhibentium illa, atque etiam ex communi hominum uſu, & æſtimatione dignoſcuntur, utrum ad cultum latriæ Dei proprium ſpectent, an verò ad humanam tantummodò venerationem. Sed hæc nimis trita ſunt, & univerſis hominibus nota.

Quod verò aſſeritur, Chriſtianos agnoſcere Monachos, ſeu Antiſtites ſuos, tanquam Dominos, ac Deos, quia illis obediant, dum aliquid contra Deum, & leges illius præcipiunt, impoſtura eſt, & mendacium apertiſſimum: niſi forte intelligat Mahumetus de quibuſdam legalibus præceptis merè cæremonialibus circa res indifferentes, quæ Deus dedit Moyſi pro Judæis in Pentateucho. Verùm hæc non Monachi Chriſtianorum, ſed Chriſtus ipſe, etium ex confeſſione Mahumetanorum, abrogavit. Neque de hoc poteſt inter nos, & Mahumetanos ulla eſſe diſſenſio, præſertim cùm ipſi etiam pleraque Moſaïcæ legis præcepta cæremonialia rejecerint.

Denique, ſi ex eo, quòd Monachi, & Epiſcopi, & præſertim Pontifex Romanus, quædam circa divinas, ſeu morales leges dubia vel obſcura declarent, & interpretentur, cenſet Mahumetus, illos concedere, quod Deus prohibuit, & prohibere, quod ille conceſſit: valdè rudem, atque ignarum ſe eſſe demonſtrat: cùm non ſolùm Chriſtianis, ſed etiam Judæis, & cæteris Gentibus, atque etiam ipſis Mahumetanis commune ſit, dubiorum, quæ in legibus tàm divinis, quàm humanis oriuntur, explicationem, & ſolutionem ab iis, qui Religioni, rebuſque ſacris præſunt, requirere. Imò hoc præcipitur ab ipſo Deo in Pentateucho, Deuteron. cap. 17. his verbis: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium eſſe perſpexeris inter ſanguinem, & ſanguinem, cauſam & cauſam, lepram & lepram; & Judicum intra portas tuas videris verba variari: ſurge, & aſcende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus. Venieſque ad Sacerdotes Levitici generis, & ad Judicem, qui fuerit illo tempore: quæreſque ab eis, qui indicabunt tibi judicii veritatem, & facies quodcumque dixerint, qui præſunt loco, quem elegit Dominus, & docuerint te juxta legem ejus, ſequeriſque ſententiam eorum.*

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

Reſpondetur Septimæ objectioni circa cultum Sacrarum Imaginum.

QUamvis, ut anteà dixi, nihil in Alcorano contra Sacrarum Imaginum cultum iiſdem à Chriſtianis exhibitum, expreſsè reperiatur: conſtat tamen, Mahumetum, atque illius aſſeclas, earumdem Imaginum infenſiſſimos hoſtes ſemper fuiſſe, quorum impietatis imitatores fuerunt primò Leo Iſauricus Imperator, & Conſtantinus Copronymus ejus filius, cæterique illius ætatis Iconoclaſtæ, contra quos Concilium generale Nicenum ſecundum celebratum fuit: deinde noviſſimis his temporibus Calviniſtæ, & Sacramentarii, genuini Mahumetanorum filii, ac diſcipuli. Hunc itaque cultum, tanquam idololatricum, & à Deo prohibitum Mahumetus, & Moslemi Chriſtianis objiciunt. Verùm neque idololatriam ullam continere, neque ex Dei vetito illicitum eſſe; imò & licitum, & bonum cenſendum, multis rationibus; & Mahumetanorum ipſorum teſtimonio facilè probatur.

Nullum porrò poteſt argumentum afferri, quo ſacrarum Imaginum uſus & cultus illicitus eſſe convinceatur. Hoc enim vel à jure naturæ, vel à lege divina petendum eſſet. Sed nullum naturæ jus imaginum uſum dictat eſſe rejiciendum: imò oppoſitum docet. Videmus enim primò, tàm hominem, quàm cætera animalia, ad imitationem, & ad productionem alicujus ſibi ſimilis naturaliter inclinari. Pictura autem, & ſculptura, ſunt quædam præcipuæ imitationis ſpecies: & inter artes illas enumerantur, quas naturæ obſervatione ad publicum bonum homines invenere; quamobrem nullo modo malæ cenſeri debent. Præterea nullus eſt, qui ignoret, ab ipſo Orbis initio ad hanc uſque ætatem, nationes omnes majorum ſuorum, atque illuſtrium virorum imagines, ac ſtatuas efformare conſueviſſe: illud autem, quod eſt apud omnes gentes uſitatum, ac probatum, neque convinci poteſt eſſe malum; neceſſe eſt proculdubio à lumine naturæ provenire. Quòd verò Judæi, & Mahumetani imagines, quibus aliquandò uſi ſunt, poſteà rejecerint, non illis à natura dictatum, ſed à propria ſuperſtitione perſuaſum fuit. Hùc accedit, Hiſtorias, quibus inſigniùm virorum vitæ, & res geſtæ ad vivum referuntur, parum, vel nihil ab imaginibus diſtare. Natura demùm ipſa in ſuis operibus, veluti ſcalpro, vel penicillo utitur ad exprimenda Dei optimi maximi præclariſſima attributa, & ad res ſuperiores, ac cœleſtes inferioribus, & terreſtribus aſſimilandas.

Si verò de lege divina loquamur, non ſolùm ab ea imaginum uſus non improbatur, ſed etiam apertiſſimè comprobatur. Deus ipſe imaginum ſe auctorem oſtendit, dum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam creaſſe perhibetur. Deinde, Exodi cap. 25. ipſe juſſit fieri ſimulacra Cherubim ſuper Arcam teſtamenti. Et Numer. cap. 21. præcepit Moyſi, ut ſerpentem æneum efformaret, & in ſignum ſalutis coram Populo erigeret. Præterea lib. 3. Reg. cap. 6. & 7. Cherubim, boves, leones, & alia ſimulacra voluit in Templo ſuo collocari. Poſtremò tàm Deus, quàm Angeli, ſub variis formis, ſeu imaginibus, ſeſe hominibus conſpiciendos in Sacris Scripturis frequentiſſimè exhibuerunt.

Obji-

Digitized by Google

Objicitur Mahumetani & Judæi, Dei Optimi Maximi vetitum de imaginibus, vel statuis faciendis, Exodi cap. 20. *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem, quæ est in cœlo desuper, & quæ in terra deorsum, nec eorum, quæ sunt in aquis sub terra.*

Respondetur primò, hic non prohiberi simpliciter imagines, sed idola, nempè figuras cujuscumque rei, quæ fiant ad tribuendum illis indebitè divinos honores. Hoc patet ex verbis sequentibus: *Non adorabis ea, neque coles.* Et ante verba præcitata dixerat Deus: *Non habebis Deos alienos coram me*: & statim subjicit: *Non facies tibi sculptile, &c.* Porrò hæc omnia pertinere ad unum idemque præceptum de unico Deo colendo, patet: quia alioqui, si præceptum de non faciendis imaginibus, esset aliquid distinctum, jam non essent decem, sed undecim præcepta Decalogi. Clarius id patet ex cap. 26. Levitici, ubi dicitur: *Ego Dominus Deus vester: Non facietis vobis idolum, & sculptile, nec titulos erigetis, nec insignem lapidem ponetis in terra vestra, ut adoretis eum: Ego enim sum Dominus Deus vester.* Et ex cap. 4. Deuter. *Non vidistis aliquam similitudinem in die, qua loquutus est vobis Dominus in Horeb de medio ignis: ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem, aut imaginem masculi, vel fœminæ: similitudinem omnium jumentorum, quæ sunt super terram, vel avium sub cœlo volantium, atque reptilium, quæ moventur in terra, sive piscium, qui sub terra morantur in aquis. Ne forte elevatis oculis ad cœlum videns solem, & lunam, & omnia astra cœli, & errore deceptus adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in ministerium cunctis gentibus, quæ sub cœlo sunt.* Ex quibus patet, Deum non prohibere simpliciter imagines, sive sculptas, sive pictas, sed tantùm earum cultum illicitum; & ne colantur, tamquam divinitas aliqua in is contineretur. Alioquin nec titulos ullos, nec lapides insignes erigere fas esset, nec Deus ipse imagines, ac figuras fieri jussisset.

Respondetur secundò. Etiamsi daremus his in locis Deum imagines Judæis prohibuisse ob proclivitatem eorum ad idola colenda: cùm hæc in Christianis, & in Mahumetanis ipsis non reperiatur, neque tantæ impietatis in illis suspicio ulla appareat: nullo modo ad eos hoc præceptum spectare censendum esset. Nam cessante fine legis, lex etiam cessare intelligitur. Neque tunc hoc præceptum pertinuisset ad jus naturale, sed tantùm ad cæremoniale, cujusmodi erat observatio Sabbati, Paschæ celebratio, abstinentia ab animalibus immundis, & alia hujusmodi.

Objicitur secundò. Etiamsi imaginum usus licitus esse concederetur: negari tamen non posset, earum cultum illicitum esse, cùm dicat Deus: *Non adorabis ea, neque coles.*

Respondeo primò; illicitum esse absque dubio imagines, vel statuas, ut Deos colere, sicut quamlibet aliam rem: & hoc propriè Deum prohibere, qui solus est Deus. Patet hoc ex ipsius legis verbis jam allatis.

Respondeo secundò; illicitum etiam esse quemcumque cultum adhibere deorum, seu potiùs dæmonum, simulacris: aut imagines obscœnas & profanas, vel figuras rerum nullum cultum merentium, revereri.

Respondeo tertiò; non esse illicitum colere imagines Sacras; nempè Christi Domini, Beatæ Virginis, & Sanctorum hominum, quatenùs cultus refertur ad eos, quos imagines illæ nobis repræsentant. Hoc verò multis rationibus probatur.

Primò, quia apud omnes Gentes consuetum semper fuit, Regum ac Principum suorum imaginibus honorem exhibere. Et piaculum magnum, ac scelus morte dignum, illas violare, vel contemnere, semper habitum fuit.

Secundò, quia nullus negare potest, licitum, imò præceptum esse cultum, ac veneration em Templis, Aris, Sanctorum virorum reliquiis, aliisque rebus sacris: neque de hoc potest esse quæstio inter nos & Mahumetanos, qui lapidem quemdam nigrum in angulo Delubri Meccani locatum, tanta pietate osculantur, ac venerantur: & præterea sepulchra eorum, quos ipsi Sanctos existimant, & præsertim Mahumeti, eorumque ossa, ac cineres in maxima habent reverentia. Ergo etiam eorum imaginibus hæc eadem præstare licitum erit: neque enim major ratio est de his, quàm de illis.

Tertiò, quia in Scripturis Sacris habemus, Arcam Testamenti, in qua erant simulachra duorum Cherubim, maximo semper, prorsusque divino honore cultam fuisse. Templum etiam Salomonis, & Altare, & Sancta Sanctorum in summa erant veneratione. Quin & serpens ille æneus, quem Moyses erexit in Eremo, & qui Christum figura sua præsignabat, aliquo cultu honorabatur, quippe cum fide ac pietate in eum à serpentibus læsi aspicientes, & in illius intuitu à morte liberabantur. Excesserunt tamen in hoc deinde Hebræi, dum illum tamquam Deum adorave re.

Quartò, quia Prophetæ, & viri Sancti, Deum, & Angelos libi sub variis imaginibus demonstratos, adorabant: eorum autem adoratio eatenùs imagines illas respiciebat, quatenùs Deum, vel Angelos repræsentabant: quo pacto nos etiam dicimus, Christi, Sanctorumque imagines, & reliquias, seu res ad eos spectantes, esse colendas: & consequenter idem cultus imaginibus, & reliquiis exhibendus est, qui debetur ei, cujus sunt reliquiæ, & imagines. Quòd si admitteremus cum aliquibus, etiam imagini ipsi honorem aliquem deberi, esset procul dubio hic honor inferioris ordinis. Sed hæc quæstio nihil facit ad rem nostram.

Noto hic obiter, Christianos nullam Dei imaginem propriè habere, aut venerari. Quòd si ad significandam Personam Patris, hominem senem effingunt; & Personam Spiritus Sancti columbam designant, hæc potiùs tanquam symbola, & hieroglyphica ex sacris literis desumpta, quàm veras imagines agnoscunt. Et idem de Angelorum, seu substantiarum intellectualium imaginibus dicendum est.

Ne verò patent Mahumetani, Sacrarum imaginum cultum recentem esse, atque in Christianam Religionem, postquam secundùm ipsos abolita fuerat, invectum: certissimis argumentis demonstratur hujusmodi cultum, ab ipso Christianæ Religionis exordio à fidelibus probatum, ac frequentatum fuisse: cùm hoc antiquissimæ imagines, quæ adhuc extant, & omnium nationum Christianarum historiæ, & omnium Auctorum testimonia id confirment. Quin & ipsi iidem narrant in cœnobio Bahiræ Sacras imagines, vel figuras depictas, aut sculptas fuisse: & nihilominus Bahiras, qui eas venerabatur, & eas in cœnobio suo retinebat, tamquam Sanctus, & Prophetа ab illis habetur. Præterea refert Auctor Mahumetanus in historia de Gente Othomanica, in Templo Sanctæ Sophiæ Constantinopoli, aureas Christi, & Apo-

Digitized by Google

& Apoſtolorum figuras è cœlo delapſas, antequam Urbs illa à Mahumeto Secundo expugnaretur, ſummo honore coli conſuevisſe. Porrò ſi Sacræ imagines, & earum cultus, eſſent aliquod malum, nunquam Deus eas è cœlo demiſiſſet, ut à Chriſtianis colerentur.

Poſtremò non alia ratione Chriſtiani Sacras imagines, & reliquias colunt, eiſque genua flectunt, vel caput inclinant, niſi qua Moyſes, Joſue, David, & reliquus Hebræorum populus Arcam ligneam auro tectam, & Cherubim ſuper eam collocatos colebant, & ſeſe proſternentes venerabantur.

Quamvis autem Mahumetani adeò ab imaginibus abhorreant, retinent tamen adhuc Conſtantinopoli in Templo S. Sophiæ tres imagines Chriſti Domini, tres Deiparæ Virginis, & unam S. Joannis Baptiſtæ, cum figuris aliquot crucum, & aliquorum Angelorum: quod miraculi loco habendum eſſe videtur.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

Reſpondetur ultimæ Mahumeti objectioni, quæ eſt multitudo ſchiſmatum in Chriſtiana Religione.

NIhil frequentiùs Mahumetus in Alcorano, & in libris ſuis Mahumetani Chriſtianis objiciunt, quàm hæreſes, ſchiſmata, & diſſidia inter ſe circa propriam Religionem: itaut Ahmed filius Abdal-halim, non dubitaverit ſcribere: اذا اجتمع عشـــرة نصارى ليفترقوا على احد عشر قولاً

Si decem Chriſtiani: ſimul congregarentur, certiſſimè diſcinderentur in undecim ſententias. Sed hyperbolicè nimis, ac thraſonicè loquitur nebulo. Huic objectioni ſatis ſuprà reſponſum eſt: iterùmque nunc reſpondeo, nullo modo probari poſſe, Religionem veram, aut bonam non eſſe, eò quòd in ea ſchiſmata, & hæreſes reperiantur; dummodò pars præcipua, illa nimirùm, in qua eſt Caput Religionis, & communiter cenſetur nomine ejuſdem Religionis, inter ſe conveniat, & conſentiat, & eandem fidei regulam perpetuò ſervet, & cuſtodiat. Neque Chriſtus, & Apoſtoli unquam prædixerunt, Chriſtianam Religionem ſchiſmatibus, & hæreſibus, ac ſciſſuris cariturum: imò oppoſitum omninò docuerunt, ut conſtat ex Euangelio, & cæteris libris novi Teſtamenti. Quamobrem etiam viventibus adhuc Apoſtolis, plures inter Chriſtianos fuere, qui falſis dogmatibus, & erroribus, veritatem fidei fœdare, & veros fideles in ſectas ſcindere conati ſunt: idque illis, juſtè Deo permittente, aliquandiù feliciter ſucceſſit.

Porrò certiſſimum eſt, inter Hebræos, etiam dum veram Religionem tenebant, plura ſchiſmata, & hæreſes fuiſſe: neque negare poſſunt Mahumetani, hoc etiam inter ſuos contigiſſe, cùm ex oraculo Prophetæ ſui, ut refert Iſmael filius Aly, in cap. de Gente Moslemorum, habeant; افترقت اليهود على احد وسبعين فرقة

معين فرقة والنصارى على اثنين ومعين فرقة

والملمون على ثلاث ومعين فرقة:

dividendos fuiſſe Magos in ſeptuagintà ſectas: Judæos verò in ſeptuagintà & unam: Chriſtianos autem in ſeptuagintà ac duas: Mahumetanos denique in ſeptuagintà ac tres. Itaque ſi ex multitudine ſectarum rectè probatur falſitas Religionis, Mahumetica erit omnium falſiſſima.

Neque ullius momenti cenſenda eſt reſponſio Sapientum Moslemorum, qui dicunt, ſchiſmata, & hæreſes in religione Eſlamitica, non verſari circa veritates illas, quæ dicuntur الاصول, ideſt *Trunci*, ſeu *Radices*: ſed circa eas, quæ appellantur الفروع, ideſt *Rami*. Omnes enim credunt, Deum eſſe unum, & Mahumetum miſſum fuiſſe à Deo cum Alcorano; quæ ſunt radices fidei: in cæteris autem unuſquiſque ſentit, & credit, quod vult; neque ullus propterea hæreticus, aut infidelis exiſtimatur. Jam enim diximus ſuprà, etiam Chriſtianos omnes in primariis, & veluti capitalibus fidei ſuæ articulis convenire. Quòd ſi aliqui ſint, qui circa hæc errent: etiam apud Mahumetanos non deſunt, qui neque Deum eſſe credant, neque conſequenter Mahumetum ab eo miſſum putent. Sed una hirundo non facit ver.

Summæ verò impietatis, ne dicam dementiæ eſt, perſuadere ſibi, eos tantùm hæreticos eſſe dicendos, vel infideles, qui duo, vel tria fundamentalia fidei dogmata negent: non autem eos, qui cætera ita parvi pendant, ut de iis liberè ſentiant, quidquid velint; cùm tàm primaria, & fundamentalia, quàm alia fidei dogmata Deus æquè revelaverit, & credenda propoſuerit. Eadem enim injuria Deo irrogatur, ſive in magno, ſive in parvo fides illi non habeatur, nec verax eſſe exiſtimetur. Et quidem certum eſt, Doctores Mahumetanos hoc agnoſcere, ac fateri, & hæreticos, atque infideles eos appellare, qui res à Deo in Alcorano (ut ipſi falsò putant) revelatas, vel à Mahumeto per traditionem acceptas, non credunt, vel oppugnant: & dum Ahmed filius Abdalhalim oppoſitum docet, impudenter contra cognitam à ſe veritatem mentitur. Nam Sonnitæ paſſim Sciahitas infidelitatis damnant, eoſque diris, & anathematibus infectantur, quia non recipiunt tres primos Chaliphas, quos ipſi recipiunt; & ob alios errores ad radices, ſeu primaria dogmata, minimè ſpectantes. Hoc evidenter cognoſcitur ex Anathemate, quo Eſiad Efendi Magnus Conſtantinopolii Mophtinus Perſas Sciahitas, & Sarium Haliphem, qui Sciah-Abbaſium eorum Regem educabat, fulminavit. Refert illud D. Ritkautius lib. 2. Hiſtoriæ Imperii Othomanici, cap. 10. à ſe exſcriptum ex pervetuſto Codice, quem Conſtantinopoli nactus eſt. Ejus partem hic ego fideliter allegabo. *Si nullam aliam*, (inquit) *hæreſin haberetis, quàm eam, quæ ſpernitis præclaros illos Mahumeti amicos Omar, Othman, & Abubacar, eſſet nihilominus peccatum veſtrum adeò magnum, ut neque precibus mille annorum, neque perpetuis peregrinationibus illud expiare poſſetis: neque effigeretis, quin in profunda Tartari damnati detruderemini, cœleſtibus benedictionibus perpetuò carituri. Sententia hæc, quam ego contra vos pronuncio, confirmata fuit à quatuor Emamis, Azem, Schaphi, Malik, & Hambell. Quamobrem hortor vos, ut amicus, ut ad meliorem frugem redeatis, atque ad eam reducatis etiam Regem Abbas diſcipulum veſtrum. Verùm ſatis non eſt, hoc unum peccatum dediſſe vobis nomen Kiſilbaſci, nempè Hæreticorum: facti eſtis præterea ita abominabiles, ut Durgisi.* (ſunt Populi

puli prope Libanum montem commorantes) *famam infamem adepti sitis: & ut in universa doctrina, ita in morum disciplina corrupti estis, itaque divino zelo coactus, non possum non pronunciare contra vos, licitum esse vos occidere, atque penitùs exterminare in Dei obsequium: cùm vestræ erroneæ opiniones plenè confutatæ fuerint à Giafen Efendi, qui nota ignita Persas, tamquam paganos, notavit, & sexaginta duabus viis Alcoranì, atque ipsis Mahumeti verbis, falsitatem ostendit eorum doctrinæ. Si Christiani damnantur ad mortem, & ad amissionem facultatum, cò quòd dicant in Deo esse Trinitatem; quam ob causam Persæ aliquid melius sperabunt, qui in sexaginta versibus Alcorani hæretici cognoscuntur? Una ex vestris detestabilibus opinionibus, & inter alias præcipua, ea est, quòd creditis quidem vos obstringi ad simul conveniendum in delubris, sed non ad Deum orandum. At quæ utilitas delubrorum, si nullæ in iis preces habeantur? Mahumetus dixit, cuntem ad delubra sine intentione orandi, hypocritam esse, & à Deo maledictum.* Deinde redarguit eos, quòd negent, & rejiciant aliquot versus Alcorani: quòd velint satis esse ad sacram purificationem, planta pedis aquam leviter attingere, absque eo quòd pes totus abluatur: quòd nunquam mystaces radant, sed solam barbam, eo modo, quo ipsis placet: quòd colorem viridem, Mahumeto sacrum, ad calceos, & tibialia adhibeant: quòd vinum absque religione ulla bibant, cibisque in Alcorano vetitis utantur: quòd plures maritos uni fœminæ concedant: quòd quatuor primos Mahumeti amicos & successores contemnant, effingentes ex faccharo, vel pasta, simulachra eorum, quando ducunt uxorem, atque ea cum risu & contemptu dejicientes: quòd cydarim, vel tulibantem coloris rubei gestent: quòd doceant, licitum esse deprædari, ac perdere regiones Moslemorum: eorum fœminas, ac familias captivare; easque nudas per plateas traducere, ac vendendas exponere. Deinde ita concludit: *Ex hoc manifestè agnoscimus, vos esse pestilentiores, ac pertinaciores hostes nostros in universo Orbe: vos enim crudeliores estis in nos, quàm sint Jezidi, Kiafri, Zindiki, & Durziani: & ut omnia uno verbo complectar, vos estis compendium omnium flagitiorum, & peccatorum. Quilibet Christianus, aut Hebræus sperare potest, se fore verum fidelem: at vos nunquam id sperare potestis. Quamobrem ego in virtute auctoritatis, quam accepi ab ipso Mahumeto, & propter scelera vestra, vestramque infidelitatem, apertè clarèque pronuncio, unicuique fideli cujuscumque nationis licitum esse vos occidere, destruere, atque exterminare. Si is, qui Christianum rebellem occidit, rem gratam Deo facit; qui Persam occidit, rem facit, quæ meretur mercedem septuagies majorem. Spero etiam, divinam Majestatem in die Judicii coacturam vos ad inserviendum Hebræis, cosque gestandos loco Asinorum: eamque infelicem nationem, quæ est totius mundi ludibrium, confensuram vos, & impulsuram vos properatim in Infernum. Spero etiam, quàm primum vos destruendos à nobis, à Tartaris, ab Indis, & ab Arabibus fratribus nostris, nostrisque iis eadem fide collegis.*

Ex his patet, quàm impudenter mentiatur Ahmed. Certè nihil in hoc Anathemate damnatur in Persis, quod ad radices fidei Eslamiticæ pertineat: & nihilominus non solùm hæretici, sed etiam infideles à Magno Mopthi esse pronunciantur. Quòd si hodie (quod non mihi constat) Mahumetani credunt, non violari Religionem suum, nisi negando dogmata radicalia, nempè esse Deum unum, & Mahumetum esse Legatum ejus: à majorum suorum fide, & religione prorsus discessere: imò nullius religionis esse censendi sunt. Cæterùm majores, pluresque scisturæ sunt inter eos, quàm sint inter Christianos, sive ad radices, sive ad ramos pertineant. Quamobrem si propter has putant Christianam religionem corruisse, suam ipsorum sectam multò magis in præceps ruisse fateantur necesse est. Ut autem omnes agnoscere possint quot, & quales in Mahumetana superstitione sectæ, & hæreles reperiantur, illas ex Arabica Ismaelis, filii Aly, historia, latinis verbis hic summatim recensebo; illis resectis, quæ nihil ad rem nostram faciunt.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Sectis Mahumetanorum.

فصل فی ذکر فرق المسلمین وسم امة محمد ص واختلاف مذاهبهم.

Sectio de commemoratione Gentis Moslemorum, nempè Gentis Mahumeti, & de diversitate opinionum inter eos.

DIxit Sciaher Settanius in lib. الملل والنحل *de veris, & phantasticis Religionibus*: Gentes legitimè dividuntur in eas, quæ profitentur veras leges, & religiones; & in eas, quæ sectantur tantùm proprium sensum & imaginationem. Ad primum genus pertinent Magi, Judæi, Christiani, & Moslemi: ad secundum Philosophi, Daharitæ, Sabaitæ, Idololatræ, Astricolæ, & Brahmanes. Unaquæque autem ex his dividitur in varias sectas. Quod attinet ad secundum genus, non habetur determinatus numerus propositionum, quas tenet. Primum autem genus habet determinatas sententias, quæ colliguntur ex historiis, quæ de illis agunt. Porrò Magi divisi sunt in septuaginta sectas: Judæi in septuaginta & unam: Christiani in septuaginta ac duas: Moslemi in septuaginta ac tres: & ex omnibus sectis una tantùm perducit ad salutem, sicut dixit Propheta noster Mahumetus: Dividetur Gens mea in sectas tres ac septuaginta, quarum una tantùm ducet ad salutem, cæteræ omnes ad perditionem. Interrogatus, quænam hæc esset, respondit: Quam tenent: اهل الجنة والجماعة وما انا واصحابی علیه : *Professores Sonnæ, & Concilium: & quam ego, & Socii mei profitemur.*

Primariæ autem sectæ Moslemorum sunt quatuor; القدرية *Kadritæ*: الصفاتية *Saphatitæ*: الخوارج *Charegitæ*, & الشعبة *Sciaitæ*. Unaquæque autem ex his in varias sectas dividitur, & hæ continentur in quatuor fundamentis, (seu principiis.)

Primum est circa الصفات والتوحيد *Attributa, & Unitatem*: & complectitur quæstiones de Attributis æternis (aliis affirmantibus, aliis negantibus) & demonstrationem Attributorum essentiæ, & Attributo-

butorum operationis: & quod convenit Deo necessariò; & quod problematicè dici potest de illo; & quod nullo modo convenit ei: & in his discordes sunt inter se

المعتزلية *Motazelitæ*, الاشعرية *Asciarite*, الكرامية *Karamitæ*, المجسمة *Mogiassemitæ*.

Secundum verfatur circa القدر والعدل فيه *Prædestinationem*, & *justitiam Dei in illa*; (*Nota*, *nomine* القدر *seu prædestinationis*, *intelligere Motlemos decretum Dei*, *quo homo necessitatur ad bene*, *vel malè operandum*) & complectitur quæstiones de Judicio, & Prædestinatione, & Bono, & Merito, & voluntate boni, & mali: & de prædestinato, & cognito: Et in ea est diffidium inter القدرية *Kadritæ*, & الجبرية *Gebaritæ*, & النجارية *Naharitæ*, & الكرامية *Asciaritæ*, & الاشعرية *Karamitæ*.

Tertium circa الوعد والوعيد والاسماء والاحكام : *Promissionem*, & *Comminationem*, & *Nomina*, & *Decreta*. Et complectitur quæstiones de fide, & pœnitentia, & promissis, & minis, & spe, & التكفير والتضليل iis, quæ reddunt hominem infidelem ex fideli: & seductione hominis in errorem facta à Deo: & in ea est diffidium inter *Motazelitas*, & *Karamitas*, & المرجية *Morgitas*, & الوعيدية *Vaiditas*.

Quartum spectat ad الجمع والعقل والرسالة والامامة , *Auditum*, *Intellectum*, *Legationem*, & *Pontificatum*: & complectitur quæstiones de beneficentia, & improbitate, & probo, & optimo, & benignitate, & continentia, & disciplina, & conditionibus Pontificatus; affirmantibus nonnullis, Pontificatum pertinere ad peculiarem familiam; nonnullis verò, ad omnes generatim. In hoc verò controversia est inter *Motazelitas*, & *Asciaritas*, & *Karamitas*, & *Sciaitas*, & *Charegitas*.

Scito autem, Motazelitas, & Saphaitas contra se invicem ex diametro pugnare: Kadritas autem & Gebaritas eodem modo inter se dissidere: quemadmodum & Sciaitæ contra Charegitas decertant; & Morgitæ Vaditas oppugnant. Porrò diversitas sententiarum versatur, vel circa radicem, vel circa ramos. Scientia autem est radix, & hæc est de Deo Excelso, & de Unitate, & Attributis ejus: & de Legatis, & signis, & qualitate eorum. Obedientia verò pertinet ad ramos, quæ ista est in observantia Statutorum, quæ fanxit nobis Propheta Mahumetus.

الفرقة الاولى المعتزلة :

Secta Prima: *Motazelitæ*.

HI profitentur, se propugnare العدل والتوحيد *Justitiam*, & *unitatem Dei*: & ipsi sunt Kadritæ. Dixit Propheta Mahumetus: Kadritæ sunt Magi hujus gentis (1. *Ethnici*.) Hi tenent, Deum esse æternum: æternitatem verò propriissimè (*formalissimè*) prædicari de essentia ejus. Attributa autem æterna omninò rejiciunt. Nam si attributa participarent Deum in æternitate, cùm hæc sit propriissimum prædicatum ejus, participarent eum in divinitate (& *darętur pluralitas in Deo*.) Conveniunt etiam in asserendo, sermonem Dei esse recenter productum, & creatum in loco determinato, per literas, & vocem, cujus exemplar scriptum sit in codicibus, revelatum ab eo. Constentunt etiam in neganda visione Dei oculis corporeis in Paradiso: & rejiciunt ab eo omnem similitudinem. Conveniunt item in asserendo, hominem esse potentem ad producendas omnes suas actiones, & mereri ex eo, quod operatur, præmium, vel pœnam in futuro sæculo. Non enim convenit, ut Deo Excelso tribuatur aliquod malum, aut iniquitas, aut infidelitas, aut inobedientia. Nam si ipse esset auctor iniquitatis, profectò esset iniquus. Itaque conveniunt, quòd boni tantùm sit auctor. Conveniunt etiam in hoc, quòd si fidelis moriatur sine pœnitentia, meretur ignem æternum, in quo jugiter permanebit; quamvis pœna ejus levior futura sit pœna infidelium.

Motazelitæ autem dividuntur in alias sectas, nempe in الواصلية *Vaselitas*, asseclas Vaseli Abu-Hodeiphæ; qui negant attributa Dei; nempe, Scientiam, Potentiam, & Voluntatem, & adstruunt Prædestinationem, qua homo prædeterminatur ad necessarió, & non liberè operandum.

Et docent, reum culpæ mortalis, neque esse absolutè fidelem, neque absolutè infidelem.

Secundò in الهذيلية *Hadilitas*, asseclas Hadili Hamdani filii Hadili Alaphi, Doctoris Motazelitæ, qui tenuit sententiam Prædestinationis, sicut Socii ejus: nisi quòd partim fuit Kadrita, & partim Gebarita. Nam sententia ejus fuit circa motus eorum, qui erunt in futuro sæculo, eos fore necessarios, nec liberos potestati hominis, & omnes à Deo producendos: eosdemque motus cessaturos, & mutandos in quietem perpetuam: & in hujusmodi quiete aggregandas voluptates ex habitatoribus Paradisi, & Inferni (*videtur significare tàm habitatores Paradisi*, *quàm Gehennæ*, *magnam voluptatem percepturos ex hac quiete*.)

Tertiò in النظامية *Nadhamitas*, asseclas Abrahami filii Jossari, cognomine Nadhami. Qui cùm legissent libros Philosophorum, miscuit doctrinam suam cum doctrina eorum: & fuit sententia ejus, quòd, etiamsi Deus vellet, non posset esse auctor mali, & peccati. At verò Socii ejus senserunt, posse quidem Deum peccati esse auctorem, sed nullo modo unquam futurum.

Quartò in الخابطية والحدثية *Hajetitas*, & *Hadathitas*, qui asseclæ fuerunt Ahmedi filii Hajeti, & Phadeli filii Hadathi: qui cùm legissent libros Philosophorum, miscuerunt doctrinam suam cum doctrina eorum. Tres autem novas opiniones tenuere: Primam, qua statuerunt sententiam de Christi divinitate: & asseruerunt, eum judicaturum creaturas in futuro sæculo. Secundam, qua asseruerunt μετεμψύχωσιν, nempe transmigrationem animarum in alia corpora, de corpore in corpus transeundo: & id, quod obvium est quietis, & laboris, ordinatum esse super ultimum ejus. (Arabicè وما يلقى من الراحة والتعب مركب على ما اعلمه : *videtur sensus esse: in ultima transmigratione futuram esse felicitatem, vel infelicitatem animæ à Deo ordinatam*.) Hominem verò constitutum esse inter duas res, nempe operationem, & re-

& retributionem. Tertiam, qua dixerunt, se visisros esse Dominum suum in die Resurrectionis intellectu, non oculis corporeis.

Quintò in المعتزلة *Basceritas*, asseclas Basceri filii Motameri, qui fuit ex principibus Motazelitarum. Hic excogitavit opinionem de productione actuum humanorum (*Abraham Exkellensis vertit, de omnimoda libertate, & absoluta independentia actuum humanorum*:) & excessit in ea, discedens à sententia Sociorum suorum in nonnullis quæstionibus. Existimavit, Deum posse torquere infantem (*ideſt mittere illum in Gehennam*) sed si id faciat, sore iniquum. Deum porrò esse tantæ benignitatis, ut, si ea uti vellet, fideles fierent omnes, qui sunt in Mundo, & mererentur fide sua præmium maximum. Sed non est Dei facere hoc cum creaturis suis, neque exigitur ab eis providentia, ut faciat id, quod est optimum. Si quem pœniteat peccati mortalis, & deinde ad illud revertatur, volunt redire illi id, quod merebatur de pœna prioris peccati, antequam pœnitentiam ageret de illo.

Sextò, in المعمرية *Moammeritas*, asseclas Moammeri filii Ebadi Salamiensis; & hic fuit præcipuus Cadritarum, & largè propagavit sententiam de negatione attributorum, & de prædestinatione, & de mutatione fidelis in infidelem ob aliquod peccatum grave: & de inductione hominis in errorem factà à Deo.

Septimò in المردارية *Mardaritas*, asseclas Isæ filii Sobeihi, qui cognominatus fuit Mardar, & appellabatur Monachus Motazelitarum; vitam quippe à mundanis rebus alienam instituit: & discessit à Sociis suis excogitando sententias valdè absurdas, inter quas una fuit: Homines posse facere librum similem Alcorano in eloquentia, ordine, & facundia. Et ipse etiam ausus est asserere, Alcoranum esse creatum: & infidelem pronunciavit eum, qui se ingereret in Imperium: & infidelitatis damnavit homines universos: itaut dixerit ei quidam Sonnita: Igitur nemo intrabit in Paradisum, cujus amplitudo (*juxta Alcoranum*) est, sicut amplitudo Cœli, & Terræ, nisi tu, & tres illi, qui tecum sentiunt? quo audito, erubuit, & tacuit.

Octavò in الثمامية *Themamitas*, asseclas Themamæ filii Basceri Namirensis, qui fuit unus ex Antesignanis Motazelitarum: & discessit à Sociis suis in his sententiis: Homines peccatores in Gehenna perpetuò manebunt. Operationes liberæ (*seu opera ex libertate provenientia Arabicè* المتولدة) non habent auctorem producentem. Infideles, Idololatræ, Sadducæi, Judæi, Christiani, Magi, & Daharitæ (*seu Schismatici*) in die Resurrectionis in pulverem redigendi sunt: & eodem modo infantes infidelium.

Nonò in الهذيلية *Hasciamitas*, asseclas Hasciami filii Amrui Karatiensis, qui excessit in asserenda sententia de Prædestinatione plusquam omnes Socii sui, à quibus discessit in quibusdam opinionibus, quarum prima fuit; Deum non posse unire inter se corda fidelium, sed ipsos hoc facere liberè, & ex propria electione. Secunda: neque allicere fideles ad fidem, neque adornare illam in cordibus eorum, neque obdurare corda eorum, aut aures eorum aggravare, aut oculos excæcare. Tertia: Summum Pontificatum non esse alligatum nisi universitati Gentis, sine determinatione primogeniti familiæ. Quarta: Paradisum, & Gehennam nunc non esse creata. Quinta: Deum non creasse infidelitatem: nam creare infidelitatem, esset infidelitas.

Decimò in الجاحظية *Giachetitas*, asseclas Amrui filii Bahri Giacheti, qui fuit ex præstantissimis Motazelitis, & congessit libros eorum. Discessit à Sociis suis per quasdam opiniones, quarum prima fuit: Damnatos ad Gehennam non moraturos in ea semper, sed transituros in naturam ignis: ignem verò attractorum esse ad seipsum damnatos, absque eo, quòd ullus ingrediatur in eum. Secunda: Quemlibet hominem, ubi cognoverit, Deum esse Dominum suum, & Mahumetum esse Legatum ejus, evadere fidelem, nec ad aliud obligari. Tertia: Alcoranum esse corpus, quod possit transmutari aliquando in hominem, aliquando in bestiam. Tenuit autem sententiam negantem attributa Dei.

Undecimò in الخياطية *Chajatitas*, asseclas Ebn-Alhoseini filii Abù-Amrui Chajatitæ: qui discessit à suis Sociis in quibusdam opinionibus, ex quibus una fuit: Substantiam esse substantiam per privationem: & similiter accidens, & nigredinem, & albedinem esse accidens, & nigredinem, & albedinem per privationem.

Duodecimò in الجبائية *Gebaitas*, & البهشمية *Bahscemitas*. Primi fuerunt asseclæ Mohammedi patris Aly, & filii Abdal-Vahabi Gebajensis: Secundi verò Abdal-Salami Abu-hascemi. Asseruerunt, Deum loqui sermone à se creato pro re nata, & vero sermone, cum vocibus præcisis, & coordinatione litterarum. Negaverunt videri posse Deum sine oculis corporeis in Paradiso. Asseruerunt, hominem producere operationes suas per potentiam superadditam sanitati corporum, & sospitati membrorum: & eum, qui peccatum aliquod mortale perpetraverit, neque fidelem esse, neque infidelem: sed improbum, ac scelestum, (Arabicè فاسق *prævaricatorem*) & si in eo mortuus fuerit, æternam Gehennæ pœnam subiturum. Postremò pronunciaverunt, Deum nihil celare servos suos eorum, quæ ipse novit.

الفرقة الثانية من الفرق الاسلمية
المعتزلة:

Secta Secunda ex Sectis Moslemiticis: Gebaritæ.

VOx Arabica الجبر *Algebro*, est negatio actionis veræ in homine, tribuendo illam Deo: sunt autem variæ scholæ Gebaritarum.

Prima appellatur الخالصة *Pura*, quæ nimirùm negat absolutè homini actionem, & potentiam ad illam.

Secunda, المتوسطة *Media*, quæ concedit homini potentiam, sed omninò expertem actus. Porrò, qui tribuit potentiæ creatæ exercitium, & vocat illud meritum, non est Gebarita. Motazelitæ verò vocant eum, qui non tribuit potentiæ creatæ exercitium in inchoatione & productione استقلا لا جبرا *Estakalam, non Gebaritam*.

Tertia, الجهمية *Gehamitæ*, asseclæ Gehami, filii Sephuani, qui fuit ex Gebaritis Puris: & convenit cum Motazelitis in negatione attributorum æ-

ternorum: quædam verò addidit ex propria sententia. Primò: Non posse prædicari de Creatore attributum, quod prædicatur de creatura: hoc enim ostenderet, similitudinem esse inter creaturam, & Creatorem. Secundò: Dari scientias de novo productas in Deo excelso (*ideſt non in certo, ac determinato loco, & tempore.*) Tertiò: Tot esse scientias de novo productas, quot sunt scibilia. Quartò: Hominem nihil posse, nec prædicari de eo facultatem activam; sed cogi, ac necessariò adigi ad opera sua: & carere potentia, voluntate, & arbitrio: sed Deum producere in eo operationes ejus, sicut producit in reliquis rebus. Quintò: Præmium, & pœnam esse per coactionem, sicut coactè fiunt opera. Sextò: Paradisum, & Gehennam leviora fieri post ingressum animarum in ea: & delectationem Beatorum percipi ex voluptate utriusque: sicut pœna damnatorum percipitur ex eo, quod apprehendunt mali in utroque (*ideſt in Paradiſo, & Gehenna.*) Septimò: Eum, qui habet notitiam fidei in corde suo, & lingua negat eam, non esse infidelem ob negationem suam.

Quarta النجارية *Nagiarita*, assecla Hoseini filii Mohammedi, cognomento Nagiari: cujus sententiam plerique Motazelitarum sequuntur. Et quamvis ipsi dividantur in sectas, non tamen dissentiunt in effatis fundamentalibus. Sunt autem زعفرانية *Zaaphranitæ*, برغوثية *Barghuthitæ*, & معتدركية *Moſtadrakitæ*.

Conveniunt verò cum Motazelitis in rejectione attributorum scientiæ, potentiæ, voluntatis, auditus, visus, & vitæ. Cum Saphatitis autem, in productione operum. Et inter eorum asserta est: Deum velle seipsum, sicut novit seipsum: velle item bonum, ac malum, & utile, ac noxium: & eum producere opera hominum, hominem verò per ea mereri. Denegant visionem Dei per oculos corporeos in Paradiso. Deinde asserunt, Deum convertere virtutem, quæ est in corde, ad oculum, ut comprehendat ipsum Deum per cognitionem: & hæc est visio. Barghuthitæ autem dicunt, sermonem Dei, dum legitur, esse accidens: cùm autem scriptum fuerit, esse corpus. Zaaphranitæ verò dicunt, sermonem Dei esse aliud ab eo: omne autem, quod est aliud ab eo, est creatum. Moſtadrakitæ item dicunt, sermonem Dei esse aliud ab eo, & creatum, quamvis Mahumetus dixerit, sermonem Dei esse increatum; significans alium sermonem scriptum aliis characteribus ab iis, quos nobis tradidit.

Quinta الضرارية والحفصية *Dararitæ*, & *Haphſitæ*, assecla Dharari filii Amrui, & Haphsi filii Alcardi: & in ea secta conveniunt ambo in faciendo Deum otiosum (*Arabicè* نفي التعطيل: *Alii explicant: in aſſignandis attributis Dei per negationem privationis, ſeu defectus*) Nam cùm dicunt, Deum esse scientem, & potentem, intendunt dicere, non esse ignorantem, nec imbecillem. Tribuunt etiam Deo quidditatem, seu formam quandam, quam non novit nisi ipse: & desumpserunt eam ab Abu-Honeipha. Asserunt etiam, hominem habere sextum sensum, quo visurus sit Deum die Resurrectionis. Præterea, Pontificatum competere etiam aliis præter Corasinos: itaut, si simul conveniant Corasinus, & Nabatæus, præferre debeamus Nabatæum, eò quòd hic sit minor numero: & ubi adversetur legi, possumus illum deponere.

الفرقة الثالثة من الفرق الاسلامية
الصفاتية:

Tertia Sectа ex Sectis Moslemiticis: Saphatitæ.

Hi sunt, qui constituunt in Deo attributa æterna, nimirùm scientiam, potentiam, vitam, auditum, visum, voluntatem, sermonem, gloriam, honorificentiam, bonitatem, beneficentiam, excellentiam, magnitudinem: neque distinctionem ullam ponunt inter attributa essentiæ, & attributa operationis. Quamobrem diversimodè inciderunt in sententiam, quæ ponit similitudinem inter Deum, & creaturas. Dividuntur autem in varias sectas, nempè

Primò, in الاشعرية *Aſciaritas*, asseclas Aly Abul-Hasani Ebn-Ismaelis Aſciaritæ. Hi statuunt in Deo attributa, sed amovent ab eo omnem similitudinem cum creaturis. Dicunt etiam, Deum scire universalia, & particularia, nihilque ab eo usquam abscondi, aut esse illi impossibile sive in cœlo, sive in terra; nullamque inter eum, & res creatas similitudinem intercedere: neque nosse, quomodò ipse sit, nisi ipsum: sermonem verò illius revelatum, esse increatum. Non concedunt homini actum, neque potentiam ad actum: sed volunt omnia provenire ex motibus, & quietibus ejus; ipsum verò esse prædestinatum, & coactum ad operandum. Aiunt, fidelium infantes omnes esse in Paradiso. Hæc secta admodùm placuit, donec incidit disceptatio inter eum, & inter Amruum filium Aasi. Nam cùm hic dixisset ei: An Deus rationem exiget ab unoquoque singillatim? Respondit Abu-Musa Aſciarita: Ego ita judico. Dixit ei Amruus: An ergo Deus prædeterminaverit me ad aliquid, & deinde puniet me propter illud? Ita, inquit ille. Cui Amruus: Quare? Quia, inquit, nullo modo ille tecum iniquè aget. Quo audito Amruus obmutuit. Ex hujus autem assecla, quidam affirmant, impotentiam ad faciendum librum similem Alcorano, provenisse ex parte mutationis factæ à Deo in illis, qui à Mahumeto ad hoc provocabantur. Hoc autem evenit præter consuetum: & ex parte narrationum, quæ sunt in eo de rebus arcanis, & occultis.

Secundò, in المجسمة *Moſciabehitas*, ideſt *Aſſimilantes*, qui asserunt, dari similitudinem inter Creatorem, & creaturas: & ex his nonnulli inclinant ad sententiam الحلولية *Halulitarum* (*qui tenent, posse divinam naturam uniri cum humana in eadem persona.*) Dicunt enim, posse creatorem apparere in forma hominis, sicut Gabriel apparuit in forma hominis Arabis. & ostendit sese Mariæ similem illi. Ad hoc verò confirmandum, allegant verba Mahumeti, qui dixit: رأيت ربي أجمل صورة: *Vidi Dominum meum in pulcherrima figura.* Et ex Pentateucho id, quod dixit Moyses: Facie ad faciem alloquutus sum Deum, & hæc dixit mihi. Et الغلاة *Gholatæ* sunt ex Sciaitis, qui tenent sententiam ejusdem unionis naturæ divinæ cum humana: & hanc dicunt, modò fieri in parte divinitatis, modò in tota.

Tertiò, in الكرامية *Caramitas*, qui dicuntur etiam

iam الحشوية *Hasciavitæ*, الكلامية *Kalamitæ*, & الجسمية *Mogiassemitæ*. Sunt autem assectæ Mohammedi Abu-Abdallah Caramitæ, quem inter Saphatitas numeravimus, quia propugnat attributa Dei; nisi quòd in illis devenit ad ponendam corporeitatem in Deo, & similitudinem cum creaturis. Dividuntur autem in duodecim sectas: sed præcipuæ sunt sex: العابدية *Abeditæ*: البونية *Baunitæ*: الدوسية *Dausceitæ*: الاصحابية *Asshaphitæ*: الواحدية *Vabeditæ*; & propiores ipsis sunt الهيضمية *Haidamitæ*. Unaquæque autem ex his habet propriam sententiam: nisi quòd, cùm hæc non habuerit ortum à sapientibus celebratis, sed ab ignaris, & insipientibus, non constituerunt ei singularem, & ab aliis distinctam sententiam. Et nos jam attulimus sententiam auctoris propositionis, & innnimus, quomodò propagata sit schola Abu-Abdallah Caramitæ in opinione, quòd Deus ille, quem colebat, requieseret super Thronum, quem ex parte superiori volebat esse essentiam, & absolutè tribuebat ei nomen subsistantiæ, affirmans partim esse essentiam, partim subsistantiam: & ipsum (*Deum*) contingere Thronum, eique adhærere ex parte superiori. Et concessit in eo translationem, & mutationem, & descensum. Quidam porrò ex his dicunt, illum sedere super quandam partem Throni. Alii id negant, & volunt, eum sedere super totum Thronum. Alii opinantur, eum sedere in convexo, seu declivio Throni. Deinde eum dissiderent invicem, dixerunt Abeditæ; inter Deum & Thronum tantam esse distantiam, ut si mensurareturur studiosè, cum lapidibus pretiosis (*qui sunt in Throno*) pertingeret ad illum. Haidamitæ verò dixerunt, inter Deum & Thronum tantum esse intervallum, quantum pertingi, vel confici non possit; & ipsum (*nempè Thronum*) esse intermedium Mundo intermediatione perpetua: & negant partem declivem, seu inferiorem illius; & adstruunt superiorem, & intermediam. Et quidam absolutè admittunt in Deo vocem corpoream. Et dicunt his proximi: Deum stare in essentia sua.

Quartò in الغمامية *Chamamitas* (*ideſt Nubilarios*) qui censent, Deum descendere quotannis in nubibus tempore Veris, & circumire totam terram: atque inde evenire, ut terra fic revirescat, & reflorescat.

الفرقة الرابعة للوارج والوعيدية.

Secta quarta: Charegitæ, & Vaiditæ.

OMnis, qui discesserit ab obedientia veri الامام *Emami*, seu Pontificis electi à Concilio, dicitur Charegita (*ideſt, Egrediens, seu Discedens*). Neque refert, utrum quis desciverit tempore primorum Sociorum Mahumeti à legitimis Pontificibus, an posteà à Pontificibus sequentibus legitimè electis quocumque tempore subsequenti. Vaiditæ autem (*ideſt Comminatorii*) inter Charegitas censentur. Hi pronunciant: peccantem mortaliter, incurrere in infidelitatem, & perpetuò in Gehenna torquendum.

Præcipuæ autem eorum sectæ sunt sex: الازارقة *Azarcitæ*: النجدات *Nageditæ*: العجاردة *Agiaredi-tæ*: الثعالبة *Thaalebitæ*: الاباضية *Abaditæ*: الصفرية *Sapharitæ*: Cæteræ verò sunt veluti harum rami. Omnes autem conveniunt in approbanda fecessione adversus Othman, & Aly: & hanc præferunt omni obedientiæ. Damnant etiam infidelitatis omnem reum peccati lethalis, & censent, justum esse & conveniens, discedere ab obedientia Pontificis, quando adversatur legi. Inter hos recensentur

المحكمية الاولى *Mohakemitæ Priores*: qui desciverunt ab Aly cum duodecim millibus virorum, qui addicti erant jejunio, & orationi: & ipsi censuerunt eligi posse Pontificem extra gentem Corasinam: itaut quemcumque ipsi elegissent suis sententiis, dummodo esset ab injustitia remotus, pro Pontifice haberetur. Si quis verò ab ejus obedientia desciviſſet: contra hunc bellum moveri oportere. Quòd si immutaret leges, & deviaret à justo; deponendum omninò esse, & occidendum. Porrò hi fuerunt acerrimi mortalium in asserenda inter homines æqualitate, & concedebant, posse omninò nullum esse in mundo Pontificem. Quòd si necessitas illum exigeret, censebant eligi posse sive servum, sive liberum; sive Corasinum, sive Nabatæum.

Porrò Azarecitæ sunt assectæ Abu-Rascidi Naphæi filii Alazraci, & habent octo hæreses. Prima est, quòd infidelitatis damnant Aly, & utuntur pro hoc auctoritate, & verbis ipsius Alcorani, &c. Rectè verò sesciſe censent Abdal-Rahman filium Molgem, cùm occidit Aly: & dicunt, Deum id approbasse in Alcorano. Et infidelitatis damnant Othman filium Ophan, & Thalham, & Zobeirum, & Aisam (*uxorem dilectam Mahumeti, quæ in aciem prodiit, & pugnavit contra Aly, & victa eſt*), & Abdallah filium Abbasi, & cæteros Moslemos cum eis: & publicè docent, eos ad Gehennam in æternum damnatos fuisse. Secunda: Infidelitatis damnant residentes domi, dum vocantur ad pugnam: & primi docuerunt, ab hujusmodi hominibus esse recedendum, damnantes infidelitatis omnes, qui non emigrant domo, dum eundum est ad bellum. Tertia: Permittunt occidere infantes, & uxores Schismaticorum. Quarta: Negant lapidandum esse adulterum, cùm id non inveniatur in Alcorano: & irritant pœnam convicii virorum, (*nempè sodomitici sceleris reorum, quibus, juxta Alcoranum, convicium eſt irrogandum*) non tamen convicii mulierum. Quinta: Censent infantes infidelium esse in Gehenna cum patribus suis. Sexta: Pronunciant, pietatem neque in verbo, neque in facto esse necessariam. Septima: Existimant, posse Deum mittere Prophetam, quem sciat posteà evasurum infidelem, vel qui infidelis fuerit antea, & peccata tàm gravia, quàm levia, sint apud eos infidelitas. Octava: Asserunt, reum peccati gravis, esse infidelem, & perpetuò in Gehenna punendum.

Nageditæ (qui etiam dicuntur العدرية *Adritæ*) sunt assectæ Nagedæ filii Ameri Hanaphæi; qui etiam Asemus dictus fuit. Horum hæ sunt opiniones. Qui in aspectu semel deliquerit, vel unicum mendacium protulerit, etiamsi ad hæc coactus fuerit, censendus est idololatra. Qui verò adulterium, vel furtum perpetraverit, vel vinum biberit, etiamsi sponsæ, neque coactus, hæc fecerit, non est censendus idololatra. Neque putant, necessarium esse Pontificem ullum: sed satis esse, ut homines inter sese res decidant

Digitized by Google

dant ex æquo & bono. Dividuntur autem hi in alias sectas, nimirùm in

البيهسية *Baihasitas*, assectas Abu-Baihasci Al-haidami filii Giaberi: qui censuit, immunem esse à culpa illum, qui fecit rem illicitam, nesciens, utrum

الوقفية esset illicita, an licita; quæ est sententia *Vaphekitarum*. Hic verò eos oppugnat, asserens fidem exigere, ut quilibet dignoscat verum à falso: & fidem esse scientiam in corde, nec requirere verba aut opera. Refertur præterea dixisse: Fidem esse confessionem, & scientiam, neque unam harum rerum posse esse sine altera.

العوفية *Auphitas*: quorum duplex est sententia.

Alii enim dicunt: Quisquis fugiens regreditur à bello, ad quod profectus fuerat, evitandus est tamquam hostis. Alii verò dicunt: Nequaquam: imò tamquam amicus recipiendus est; nihil enim sibi illicitum perpetravit. Utraque autem pars convenit in hoc, quod ubi Pontifex infidelis fuerit, infidelis etiam erit populus tàm præsens, quàm absens. Porrò ebrietas apud eos est infidelitas. Non fatentur, esse infidelitatem id, cum quo non est conjunctum aliud peccatum grave, cujusmodi est, omittere orationem, jejunium, & similia.

اهل التفسير *Ahlol-taphsiri*, (*idest Professores interpretationis, seu Interpretistæ*): qui censent, eum, qui ex Moslemis emittit professionem fidei, illis verbis: Non est Deus nisi Deus: Mahumetus legatus Dei: debere scire interpretationem ejus, & qualia sint ea, quæ continet.

اصحاب السوال *Ashabol-suali*, (*idest Professores interrogationis, seu Interrogationistæ*:) qui asserunt, hominem esse Moslemum, seu fidelem, si confiteatur unum Deum, & Mahumetum Legatum ejus, & credat summarié, sive implicitè, quæ Deus revelavit. Quòd si nescierit ea, quæ Deus præscripsit, interrogetur de illis; neque vis, aut noxa ulla ei inferatur ob ignorantiam eorum, donec instruatur, & deinde interrogetur. Quòd si rem vetitam admiserit, cujus prohibitionem ignorabat, attamen infidelitatis damnetur.

المحللة *Mohallelitas*, (*idest Licitistas*:) qui dicunt: Nihil prohibemus, nisi quod prohibuit Deus in Alcorano circa comestibilia.

المعونية *Mophauveditas*, (*idest Arbitrarios*:) qui asserunt, Deum reliquisse arbitrio hominum opera eorum, neque illum habere voluntatem in operibus eorum. Præterea, ebrietatem, quæ provenit ex potu rei licitæ, non esse puniendam in ebrio ob id, quod fecerit, aut dixerit tempore ebrietatis.

الصلحابية *Salehitas*, Discipulos Salehi filii Mustahi.

(*De his nihil occurrit nota dignum.*)

Porrò Agiarediræ sunt assectæ Abdal-Charimi filii Agiaredi, qui convenit cum Nagieditis in ipsorum opinionibus. Fertur singulares tenuisse sententias: nempè: necessarium esse separare se ab infante, donec vocetur ad fidem, in qua debet instrui cùm pervenerit ad ætatem adultam: Infantes autem Idololatrarum esse in Gehenna cum patribus suis. Neque censuit, opes in bello captas posse distribui in prædam, nisi occiso domino earum. Exiliantur autem Agiarediræ, professionem ad bellum esse opus supererogationis, non autem præceptum. Condemnant infidelitatis omnia peccata gravia. Rejiciunt Suram Josephyex Alcorano, arbitrantes, eam esse meram historiam, quales sunt aliæ. Hi quoque dividuntur in varias sectas, quales sunt

الصالتية *Salatitæ*, assectæ Othmanis filii Salati: qui asserunt, nullum recipiendum in socium vel amicum, nisi postquam professionem in religione Mahumetana emiserit: ideò arcendos esse infantes à societate, donec adulti Moslemi fiant. Et quidem infantibus tàm fidelium, quàm infidelium nullam competere aliorum amicitiam, vel inimicitiam, donec ad ætatem adultam pervenerint.

الميمونية *Maimunitæ*, assectæ Maimunis Agiarediræ, à quibus tamen discessit in statuenda prædestinatione tàm circa bonum, quàm circa malum hominis; & præterea in asserendo, hominem esse primum auctorem & productorem suarum operationum: & in adstruenda potentia operativa ante actum. Docuit etiam, Deum velle bonum, non autem malum; neque eum habere voluntatem in peccatis hominum. Præterea concedit, conjugium cum filiabus filiarum, fratrum ac sororum (*Eckellensis vertit: matrimonia contrahere cum filiabus filiarum, & filiorum, fratrum, ac sororum*): neque prohibet conjugium filiorum, & filiarum earumdem. Negant etiam, Suram Josephesse legitimam scripturam Alcorani. Concedunt, occidi posse Principem tyrannum, & eos etiam, qui consentiunt tyrannidi ejus. Aiunt, infidelium infantes esse in Paradiso unà cum fidelibus.

الحمزية *Hamzitæ*, Discipuli Hamzæ filii Adraci: conveniunt cum Maimunitis in sententia prædestinationis, cæterisque opinionibus: solùm dissentiunt in hoc, quòd volunt, infantes infidelium, & eos, qui contrarii sunt suæ sectæ, omnes in Tartarum esse detrudendos. Præterea concessit Hamza, dari posse duos Pontifices simul eodem tempore, quamdiù non sint hostes superati, neque concio congregata.

الاطرافية *Atraphitæ*. Hi tenent sententiam Hamzæ circa prædestinationem: in eo solùm differunt, quòd excusant à culpa eos, qui ob ignorantiam omittunt aliquid à lege præscriptum.

الخلفية *Chalphitæ*, discipuli Chalphi, qui fuit unus ex Charegitis Caramaniæ. Hi referunt totam prædestinationem, tàm quoad bonum, quàm quoad malum, ad Deum: & in hoc procedunt juxta sententiam Sonnæ: nisi quòd ipsi dicunt: Si Deus puniret homines propter opera, ad quæ ipse eos prædestinavit, esset iniquus. Dicunt etiam, infantes infidelium damnari ad Gehennam.

الحازمية *Hazemitæ*, assectæ Hazemi. Hi asserunt, Deum producere opera hominum: neque esse in potestate illius facere, nisi id, quod vult; neque cessare unquam ab amore amicorum; & ab odio inimicorum suorum.

الضعيمية

Digitized by Google

الشعبية *Scioaibitæ*, Discipuli Scioaibi filii Mohammedi, qui sensit cum Maimune & Agiareditis: sed discessit ab eis, quando propalavit opinionem de Prædestinatione. Porrò Scioaibitæ volunt, Deum creare opera hominum, & homines acquirere illa, ac lucrari voluntate, & potentia; & ideò rationem reddituros esse de eis, sive bona sint, sive mala; & præmium pro eis, aut pœnam recepturos.

Thalabitæ autem sunt assectæ cujusdam Thalabæ, qui consensit utraque manu cum Abdalcarimo filio Agiaredi: sed tandem dissenserunt in opinione circa infantes. Dicebat enim Thalaba: Ego amicus sum eorum, sive parvi sint, sive magni, donec dignoscatur in eis, utrum amplectantur veritatem, ac justitiam; an verò complaceant sibi in iniquitate. Separati sunt igitur Agiareditæ à Thalaba: qui etiam fertur dixisse: Non est eis, quòd circa infantes statuant aliquid de amicitia, vel inimicitia, donec adolescant, & proponatur illis fides: quam si susceperint, amicos habeto: si renuerint, infideles censeto. Recensentur verò Thalabitarum aliæ sectæ, nimirùm

الاخنصية *Achnasitæ*, discipuli Achnasi filii Caisi. Hi concedunt, conjugium Moslemorum cum infidelibus gentis suæ, & cum reis gravium peccatorum. In cæteris opinionibus innituntur principiis Charegitarum.

المعبدية *Moabeditæ*, assectæ Moabedi. Hi adversantur Achnaso in eo, quod erroneè statuit circa conjugium Moslemorum cum idololatris gentis suæ. Et concedunt, ut pro pluribus sagittis, quibus extrahendis utebantur ad fortiendas eleemosynas, vel dotes fœminarum, satis esset extrahere sagittam unam, si insuper metus ab hostibus.

الرشيدية *Rasciditæ*, assectæ Rascidi Tusini: vocantur etiam العشرية *Asciaritæ*, (*idest Decimani*). *Nihil circa hos notabile occurrit.*

الشيبانيه *Sciaibanitæ*, assectæ sunt Sciaibani filii Moslemæ Charegitæ. Fertur autem, Ziadum filium Abdal-rahmanis Sciaibanitam dixisse: Deus non scivit, donec creavit sibi ipsi scientiam. Res verò cognoscuntur ab eo, quando jam productæ sunt, & exstunt.

المكرمية *Mocarremitæ*, assectæ sunt Mocarremi filii cujusdam viri Agelitæ, qui fuit è schola Thalabitarum: separavitque se ab eis, docens: eum, qui orationem omittit, esse infidelem; non quatenùs orationem omittit, sed ob ignorantiam, quam ostendit se habere de Deo; & negat hoc de omni alio peccato lethali: neque aliud discrimen hujus rei affignat, nisi quia ignoranter putat, Deum in cæteris suis peccatis nescire id, quod ipse occultè, vel manifestè agit. Porrò Deum amicos, vel inimicos habere homines juxta illum statum, in quo moriuntur, & pergunt ad eum, non autem juxta opera, quæ faciunt nunc: hæc enim non sunt constituta, seu prædeterminata extremo fini hominis: sed si perseveraverit in eo, quod profitetur, habebitur pro fideli: alioqui non æstimabitur talis.

المعلومية *Maaulamitæ*, & المجهولية *Magbulitæ*, Psodr. ad Refut. Alc. Pars III. (*quasi dicas, Scientifici, & Ignoratici*) inniuntur principiis Hazemitarum: nisi quòd Maalumitæ dicunt: Qui non novit Deum secundum omnia nomina, & attributa ejus, censebitur Deum ignorare, donec evadat sciens omnia hæc: & tunc erit fidelis. Adstruunt etiam potentiam esse simul cum actu, & actum dicunt esse creatum. Propterea Hazemitæ separaverunt se ab illis. Maghulitæ autem dicunt: Qui novit partem nominum, & attributorum Dei, & partem ignorat, attamen novit Deum. Dicunt etiam, opera hominum produci, seu creari à Deo.

Abaditæ autem discipuli fuerunt Abdallah filii Abadi, qui defecivit in diebus Meruani filii Mohammedi. Hi putant, regionem Moslemorum sibi adversantium, esse regionem colentium unum Deum: excepta habitatione Regis tyranni, quæ est habitatio iniquitatis. Tenent, reos gravium peccatorum, cultores quidem esse unius Dei, non tamen esse fideles: & opera hominum produci penitùs & totaliter à Deo, acquiri tamen ab hominibus non metaphoricè, sed verè, & propriè. Nam vocant suum Pontificem, أمير المؤمنين *Emir-almumenina* (*idest Imperatorem fidelium*: *vulgò Miramolino*). Quisquis perpetrat grave peccatum, infidelis est, infidelitate non religionis, sed ingratitudinis erga beneficia Dei. Admittunt sententiam de infantibus infidelium: sed discceptant circa peccatum eorum, utrum idololatria vocanda sit, nec ne. Abaditæ dividuntur in sectas alias, nempè

الحفصية *Haphsitæ*, assectæ Haphsi filii Mochdadi, qui discessit ab illis, asserendo, cultum plurium Deorum, & fidem, esse unum habitum, nempè cognitionem Dei. Qui cognoverit Deum, & negaverit aliq, quæ sunt præter eum; puta, Mahumetum, Alcoranum, Resurrectionem, Paradisum, Gehennam, &c. aut lethale peccatum perpetrarit: est infidelis in Deum, sed immunis ab idololatria.

اليزيدية *Jeziditæ*, discipulos Jezidi filii Anisæ, qui tenuit sententias priorum Mohakemitarum. Credidit autem, Deum missurum esse Legatum ex Barbaris, & traditurum eidem librum, quem jam scriptum tenet in cœlo: & descendere faciet eum super illum, totum simul. Docuit, omne peccatum, sive grave, sive leve, esse polytheiam.

الحرثية *Harethitæ*, assectas Harethi Abaditæ: *debis nihil occurrit peculiare*).

Denique Sapharitæ, qui dicuntur etiam Ziaditæ, fuerunt discipuli Ziadi filii Asphari, & adversarii Azarecitarum, & Nageditarum, & Abaderitarum in quibusdam sententiis. Dicebant, eum, qui facit opera mala, quibus est statuta pœna à lege, non esse idolatram, nec infidelem. Qui autem facit alia peccata, v. g. omittendo orationem, vel eleemosynam statutam, hunc dicebant esse infidelem. Præterea addebant: Nos sumus fideles apud nosmetipsos, seu in nostra opinione: sed nescimus, an simus extra fidem coram Deo. Asserebant etiam idololatriam esse duplicem: alteram, qua præstatur obedientia Satanæ; alteram, qua adorantur Idola. Infidelitatem quoque esse duplicem: ingratitudinem scilicet erga divina beneficia; & abnegationem supremi Dominii Dei.

النزتة

Digitized by Google

الفرقة الخامسة الاسلمية الرجيـــة.

Secta quinta Moslemorum: Morgitæ.

MOrgitæ sunt genus hominum, qui tractant de fide, & operibus per eam præstandis. In quibusdam tamen conveniunt cum Charegitis, quæ spectant ad summum Pontificatum. Porrò Morgitæ dicunt, non nocere cum fide prævaricationem, seu inobedientiam; sicut non prodest cum infidelitate obedientia: & fupplicium infidelis differri usque ad diem Resurrectionis. Quadrifariam autem dividuntur, nempè in الخالصة *Puros*: القدرية *Kadritas*: الجبرية *Gebaritas*, & الخوارج *Charegitas*.

Porrò Morgitæ Puri subdividuntur in اليونسية *Jonasitas*, qui fuere discipuli Jonæ Namirensis. Hic docuit, fidem esse cognitionem Dei, & humilem subjectionem eidem, & fugam inquirendi de eo plusquam opus sit, & amare cum ex corde. Cætera autem opera obedientialia, quæ sunt citra cognitionem Dei, non pertinent ad fidem: neque ea omittere, nocet veritati fidei, neque propterea aliquis à Deo punietur.

العبيدية *Obeiditæ*, asseclas Obeidi Almoctabi, qui dixit: Omnia peccata, præter polythejam, (*seu plurimum Deorum cultum*) sine dubio dimittentur: & si quis moriatur in fide unitatis Dei, nihil penitùs nocebit ei ullum peccatum. Diebant autem Obeiditæ: Scientia Dei non addit quidquam supra eum; & sermo ejus non addit quidquam supra eum; & Deus habet formam hominis.

العصاصيـــة *Assanitas*, discipulos Assani Cuphensis, qui censuit, fidem esse cognitionem Dei, & Legati ejus; & confessionem eorum, quæ tradita sunt ei à Deo, summatim, & implicitè, non autem explicitè, & enucleatè. Fidem autem nec augeri posse, nec minui. Si quis dixerit: Scio Deum prohibuisse esum carnis porcinæ: sed nescio, utrum porcus, quem prohibuit Deus, sit hæc ovis, an aliud animal: erit fidelis. Et si dixerit: Scio Deum præcepisse peregrinationem ad Templum Meccanum, sed nescio, an hoc templum sit in India: erit fidelis.

Porrò Morgitæ Cadritæ, sunt asseclæ Salehi filii Amrui Salehitæ, & Mohammedi Sciobeidi, & Abu-Sciamari, & Ghailani: & hi omnes conciliant doctrinam Cadriticam, & Morgiticam. Sed discedunt à Morgitis Puris in quibusdam. Dicunt enim primò: Si quis dixerit: Tertius trium (*ideſt Trinitatem — Chriſtianorum tenuerit*); non est infidelis, quamvis hæc loquutio non usurpetur publicè nisi ab infideli. Secundò: Fides est cognitio Dei, & humilis subjectio illi. Tertiò: Negare Mahumetum, stat cum recta fide. Quartò: Oratio non pertinet ad cultum Dei. Quintò: Sola fides pertinet ad cultum Dei, & est simplex habitus, nec recipit magis & minus. Porrò Abu-Sciamar Cadrita censuit, confessionem eorum, quæ Deus revelavit Prophetis, & Legatis, non ingredi in fundamentum fidei: nullum habitum particularem ex habitibus fidei vocandum esse fidem, aut partem fidei, sed omnes simul sumptos esse fidem: Prædestinationem pendere ab homine, nec aliquid de ea referri in Deum. At verò Gailanus, filius Maruani Cadritæ, censuit, fidem esse cognitionem Dei, & humilem subjectionem illi, & dilectionem ejus ex corde, & confessionem eorum, quæ revelata sunt Legato (*Mahumeto*). Cognitio autem hæc in radice duplex est: Creativa, qua quis cognoscit, Mundo fuisse factorem, & animæ suæ creatorem: & hæc cognitio non vocatur fides, sed cognitio altera, quæ est acquisita.

At verò Morgitæ Gebaritæ, qui etiam dicuntur الثوبانية *Thaubanitæ*, eò quòd asseclæ sint Abu-Thaubanis Morgitæ, censuerunt, fidem esse cognitionem, & confessionem Dei, & Legatorum ejus, & omnium eorum, quæ ab intellectu cognoscuntur esse facienda: quæ verò cognoscuntur esse omittenda, non pertinere ad fidem: retributio enim pro operibus, tota pertinet ad fidem. Dixit verò in suis effatis Mohammedus filius Sciobeibi, & Abu-Sciamar, & Gailan filius Meruanis Damasceni, & Jonas filius Amranis, & Alphadlus Racasicius, & Alattabius, & Salehus filius Amrui, ex una concordique sententia: quòd si Deus ignoscat uni peccatori in extremo Judicio, ignoscet etiam omnibus peccatoribus fidelibus ejusdem conditionis. Convenerunt etiam, quòd fidelis punietur in die Judicii super pontem Sorat, positum supra medium Gehennæ, & pertinget ad eum usftulatio ignis illius, & per hoc torquebitur juxta modum culpæ suæ.

Denique Morgitæ, & Charegitæ, qui etiam dicuntur التومنية *Taumanitæ*, eò quòd asseclæ sint Taumanis Abu-Moadi, dicunt, fidem esse immunitatem ab infidelitate, & constare pluribus habitibus, sine quibus omnibus, vel aliquo eorum, erit quis infidelis: nullus tamen eorum singillatim dicitur fides, aut pars fidei. Nullum peccatum, sive grave fuerit, sive leve, constituit hominem prævaricatorem. Prædicti habitus sunt, cognitio, credulitas firma, sinceritas, charitas, & confessio illius, quod tradidit Legatus (*Mahumetus*). Porrò, adorare solem, & lunam, & simulacra, & alias res, non est per se infidelitas, sed signum infidelitatis.

الفرقة السادسة من الفرق الاسلمية الشيعية.

Secta ſexta Moslemorum, quæ est Sciaitarum.

HI sunt الرافضة, (*ideſt Schiſmatici*,) qui sequuti sunt partes Aly, peculiares prærogativas illi tribuendo: asserentes debitum fuisse illi summum Pontificatum ex auctoritate, & ex testamento: & Pontificatum egredi non posse ex familia ejus; alioquin fore tyrannicum, sive ab aliis usurparetur, sive ipse illum aliis relinqueret. Constanter pronunciant, Pontifices necessariò immunes esse ab omni peccato tàm gravi, quàm levi. Tenent etiam sententiam de separatione, vel communicatione, dicto, vel facto cum infantibus infidelium, & aliis; exceptis iis, qui domi remanent, recusantes ire ad bellum: sed in hoc adversantur illis quidam Zeiditæ.

Præcipuè horum subsectæ quinque sunt: الكيسانية *Caiſanitæ*: الزيديـــة *Zaiditæ*: الامامية *Emamitæ*: الاسماعيلية *Iſmaelitæ*: الغلاة *Golatæ*. Reliquæ sunt harum rami. Quidam verò ex his inclinant ad principia Sonnitarum: alii ad sententias Motazelitarum: alii Assimilantium.

Porrò

Digitized by Google

Porrò Caiſanitæ, diſcipuli Caiſani, qui fuit libertus Aly felicis memoriæ, & juxta quoſdam, diſcipulus Mohammedi filii Hanaphiæ: profitentur de eodem Aly quædam, quæ excedunt conditionem illius: quòd ſcilicet comprehenderit omnes ſcientias: quòd didicerit à Sendis populis Indiæ arcana quædam, in quorum ſumma continebatur ſcientia interpretandi occulta, ac recondita, & Coſmographiam, & Animaſticam. Et inter eorum ſententias eſt; Religionem eſſe obedientiam hominis: (*ideſt, obedire iis, quæ dicunt Emani, ſeu Pontifices*) itaut quidam eorum eò devenerint, ut reliquerint judicia legis poſt aſſecuti nomem obedientiæ hominis. Quidam auſi ſunt infirmare fidem de reſurrectione. Quidam tenuerunt ſententiam de tranſmigratione animarum: de unione naturæ divinæ cum humana: & de regreſſu hominis in hunc mundum poſt mortem. Hi autem in alias ſectas dividuntur, quæ ſunt

Prima: المختارية *Mochtaritæ*, aſſeclæ Mochtari Abu-Obeidi, qui fuit primò Charegita, deinde Sciita, & Caiſanita: & aſſeruit Pontificatum Mohammedo filio Hanaphiæ poſt Aly, & occiſus eſt poſt Haſanum, & Hoſeinum. Invitabat autem homines ad eum, (*nempè ad Mohammedum filium Hanaphiæ*) jactans ſe eſſe ex præconibus, & ſectatoribus ejus, & oſtentabat ſcientias fucatas, ac vanas. Cùm autem Mohammedus filius Hanaphiæ illi in hoc conſenſiſſet, ſeparavit ſe deinde ab eo. Inter ejus (*nempè Mochtari*) ſententias hæc ſunt. Poteſt in Deum cadere mutatio ſententiæ, dum apparet ei aliquid aliter, quàm antè cognoverat, & videt aliquid eſſe rectius eo, quod ante voluerat. Arrogabat autem ſibi ſcientiam ſucceſſuum futurorum, ſive per revelationem, ſive per epiſtolam acceptam à Pontifice. Cùm autem ſociis ſuis aliquid eventurum prædixiſſet; ſi res eveniſſet, dabat eam pro argumento veritatis prædicationis ſuæ. Sin minus: dicebat, aliter Deo de novo viſum eſſe. Inter ea, quibus vano ſtupore alios percellebat, erat, quòd diceret, ſe habere ſedem antiquam, quam variegatis ſtragulis exornaverat, & aſſerebat eſſe ex reliquiis Aly Imperatoris fidelium, & habendam eſſe à ſuis loco Arcæ filiorum Iſrael. Cùm autem adverſarios ſuos bello aggrederetur, adducebat eam in aciem, ac dicebat: Pugnate, nam victoriam, ac triumphum referetis; & in hac ſede erit vobis ſecuritas, & ſpes: Angeli verò deſcendent ſuper vos, ad vos corroborandos. Refertur hiſtoria de columbis albis, quæ apparuerunt in aere. Prædixerat enim illis, Angelos deſcenſuros ad eos in figura columbarum albarum. Veneruntque columbæ albæ ſicut prædixerat: & dixit: En Angeli. Aſiajedus Namirenſis credebat, illum non eſſe mortuum: & interim commorari in monte Radua, inter leonem, & pardum cuſtodientes eum: emanare apud eum duos fontes copioſos, mellis, & aquæ: ipſum rediturum, poſtquam latuiſſet, & repleturum terram juſtitia, ſicut repleta fuerat iniquitate. Et pererebuit hoc in populo, itaut haberet illud pro articulo fidei, & uno ex præcipuis dogmatibus Sciaitarum. Meminit Aſphahanius hujus facti, dicens: Venit quidam ad Aſiajedum Namirænum, dixitque ei: Audivi te tenere regreſſum poſt mortem. At ille: Vera, inquit, audiſti. Hæc eſt mea ſententia, & fides. Viſne mihi dare unum denarium pro centum denariis, quos reddam tibi, quando poſt mortem regrediar? Cui reſpondit homo: Utique dabo, imò etiam aliquid plus hoc, ſi inveneris, qui ſit mihi vades, te regreſſurum eſſe hominem. At Aſiaje-

dus: Et quem vis me redire? Reſpondit ille: Metuo, ne redeas canis, aut porcus, & abſumas facultates meas in meam perniciem. Quo audito, tacuit Aſiajedus. Poſt mortem autem Mohammedi filii Hanaphiæ, diviſi ſunt Caiſanitæ in varias ſectas.

[Hic Lectorem admoneo, has Sciaitarum Sectas ferè verſari circa الامامة, nempè ſummam ſupremi Antiſtitis dignitatem, ſeu Pontificatum ſucceſſorum Mahumeti, quos vocant الائمة *Emamos*, ideſt Antiſtites: الخلفاء *Caliphas*, & *Succeſſores*: لمراد للومنين *Amra-Elmumenina*, ideſt Imperatores Fidelium. Prima circa hoc lis eſt inter Sonnitas, & Sciaitas (Orthodoxos ſcilicet, & Schiſmaticos). Nam Sciaitæ excludunt è numero Pontificum tres primos Mahumeti ſucceſſores, quos Sonnitæ pro veris, ac legitimis recipiunt, tamquam intruſos ac ſpurios: nempè Abubakrum, Omarem, & Othmanem: & obſtinatè contendunt, Aly, qui quarto loco creatus fuit, primum Mahumeti ſucceſſorem fuiſſe; quippe Mahumetus ipſe dum viveret, & in ipſa morte, illi ſummam rerum poſt exceſſum ſuum deſtinaverat. Aliæ circa Pontificatum lites ſunt inter ipſos Sciaitas, ut in ſequentibus videbis.]

Secunda Caiſanitarum ſecta eſt الهاشمية *Haſcemitarum*, qui ſunt aſſeclæ Hanaphiæ Abu-Haſcemi filii Mohammedi, poſt cujus mortem in quinque factiones ſe diviſerunt: (*harum quælibet ab alia diſſentit in aſſignanda ſucceſſione ad Pontificatum*). Quinta aſſerit illum Abdallaho filio Mauviæ: & hujus ſententiæ fuere: Animas emigrare à perſona in perſonam: & præmium, & pœnam cadere in has perſonas, ſive ſint homines, ſive animalia bruta. Eodem modo emigraſſe etiam animam Dei in varias perſonas, donec pervenit ad ſe (*nempe Habdallahum*), & in ſe reſedit divinitas, & prophetia; propterea ſe noſſe res arcanas. Coluit igitur eum ſchola ejus ex Sciaitis, qui negaverunt reſurrectionem, aſſerentes, tranſmigrationem animarum fieri in hoc mundo: & præmium, & pœnam rependi in his perſonis. Ab hoc orti ſunt الحرمية *Haramitæ*, & المزدكية *Mozdacitæ* in Meſopotamia. Et periit Abdallah in Charafana; diviſique ſunt aſſeclæ ejus in varias ſententias. Quidam dicebant, eum adhuc vivere, & rediturum. Quidam, mortuum eſſe, & animam ejus tranſmigraſſe in Iſaac filium Zaidi filii Harethi, à quo orti ſunt الحارثية *Harethitæ*, qui faciunt indifferentem & arbitrarium uſum rerum prohibitarum, & vivunt in hoc mundo vitam ab omni moleſtia remotam: (*agnoſce Epicureos*).

Tertia البيانية *Bajanitæ*, aſſeclæ Bajani filii Simeonis Nahadienſis, qui tenuerunt, Pontificatum tranſiſſe ad eum, & ipſe fuit ex Golatis, qui aſſerebant Aly filio Abu-Talebi divinitatem: dicebant enim, reſediſſe in eo particulam divinitatis, & unitam eſſe cum eo in corpore ejus: & per hanc ſciviſſe res arcanas, victorias obtinuiſſe de infidelibus, & aliquando apparuiſſe in umbraculo nubium, & vocem ejus fuiſſe tonitru, ſcuticam verò fulgetrum. Deinde aſſerebat Bajanus, translatam fuiſſe ad ſe particulam illam divinitatis per modum tranſmigrationis; & per hoc meruiſſe ſupremi Antiſtitis gradum. Hanc porrò particulam

Digitized by Google

culam esse illam, per quam meruit Adam ab Angelis adorari.

Quarta الرزامية *Razamita*, discipuli Razami filii incerti patris. Hi detulerunt Pontificatum ad quemdam Abu-Moslemum, & asseruerunt, animam Dei descendisse, & quievisse in eo.

Porrò Zaiditæ, secunda Sciaitarum classis, sectati sunt Zaidum filium Aly nepotis Aly generi Mahumeti. Hi statuerunt, Pontificatum non posse consistere nisi in filiis Phatemæ filiæ Mahumeti, & uxoris ejusdem Aly. Quidam eorum concesserunt, fieri posse electionem duorum Pontificum in duabus regionibus, dummodo essent Phatemitæ, docti, temperati, strenui, ac liberales. Zaiditarum autem variæ sunt sectæ,

Prima الجارودية *Giarudita*, assectæ Abul-Giarudi: qui etiam dissenserunt inter se in instituendo, & transferendo Pontificatu. Quidam detulerunt illum Mohammedo filio Abdallah, qui fuit tertius ab Aly. Sed hi quoque discordes fuere inter se. Quidam enim, postquam occisus fuerat, dicebant, illum nunquam occilum fuisse, sed adhuc vivere, & rediturum esse, & impleturum terram justitia: quidam verò fatebantur, illum mortuum fuisse: quidam denique ex Giaruditis putaverunt, scientiam nepotum Aly fuisse sicut scientiam Prophetæ Mahumeti, itaut fuerit illis insusa, & producta à Deo absque opera magistri, neque posset ab illis auferri.

Secunda السليمانية *Solimanitæ* assectæ Solimani filii Gioreiri, cujus sententia fuit: Pontificatum esse electivum inter homines generatim, & convenire ut electio fiat à duobus præstantissimis Moslemorum, & eligatur optimus inter multos bonos. Damnabat Pontifices Raphedarum, quòd dixissent, Deum mutabilem esse in suis sententiis: & quòd admitterent loquutionem tropicam, seu figuratam (*ideli æquivocationem, seu refrictionem mentalem in loquendo*). Sequuti sunt autem eum in hoc quidam Motazelitæ, qui prætereà dixerunt, Pontificatum esse quidem utilem ad conservationem Religionis, sed non esse necessarium ad cognitionem Dei: & posse conferri dignis, etiamsi aliquis esset dignior.

Tertia الصالحية *Salehita*, qui & الابترية *Abtaritæ*, discipuli Salehi filii Haii, & Cathiri Nubiensis cognomine Abtaris. Hi concedunt, Pontificatum posse conferri digno, postpolito digniori, si hic sponte cedat juri suo. Requirunt etiam, ut qui eligendus sit Pontifex, sit strenuus, bellator, doctus, temperatus, fortis, ac liberalis. Aliqui verò addunt conditionem, ut sit decorus aspectu.

Porrò Emamitæ, seu Pontificii, tertia Sciaitarum species, attribuunt Pontificatum عليه السلام Aly post Mahumetum jure manifesto, & designatione certa facta à Mahumeto. Dividuntur autem Emamitæ in alias sectas: quæ sunt

Primò, الباقرية الواقفية والمغفرية *Bakeritæ*, *Vaphekitæ*, & *Giaapheritæ*, assectæ Mohammedi Abu-Giaapheri filii Aly cognomine Albakeri, & filii ejus Giaapheri cognomine Alsadeki. Hi tàm Albakaro, quàm Giaaphero tribuunt Pontificatum. Quidam tamen tribuunt tantùm Albakaro, asserentes, eum esse redituram ad vitam, eò quòd fuerit vir amplissimæ intelligentiæ, & copiosissimæ scientiæ.

Secundò, الناووسية *Navausitæ*, ita dicti à nomine Auctoris, vel loci. Hi affirmant, Alsadekum, seu Giaapherum suprà commemoratum, non esse mortuum, sed adhuc vivere, & manifestaturum sese, & fore directorem: Aly verò mortuum esse, sed resurrecturum ante diem generalis resurrectionis: & repleturum esse terram justitia, sicut plena fuerat iniquitate.

Tertiò, الافطحية *Aphtahita*, assectæ Aphtahi filii Alsadeki. Hi affirmant, Pontificem mortuum non esse lavandum, neque orandum esse pro eo, neque accipiendum esse figillum, seu annulum ejus, neque spheliendum nisi ab alio Pontifice.

Quartò, الشميطية *Sciamitita*, assectæ Jahiæ filii Abu-Sciamiti. (*De his nihil peculiare dicendum occurrit.*

Porrò Ismaelitæ, quarta species Sciaitarum, qui etiam dicuntur Vakephitæ, asserunt, post Giaapherum pertransisse ex jure Pontificatum ad Ismaelem Antesignanum suum. (*Non tamen omnes in hoc convenunt*) Hi verò dividuntur in duas sectas, nempè in الموسوية *Mosaitas*, & المفضلية *Mophdelitas*, qui constituunt unam sectam; & attribuunt Pontificatum Moysi filio Giaapheri, tamquam illi debitum: & الاثنى عشرية *Ethnasciaritas*, (*ideli Duodecimanos*,) qui absolutè tenent mortem Moysi filii Giaapheri: & vocantur etiam قطعيه *Katsitæ* (*ideli Decisores*) ex eo, quòd absoluto decreto, statuant mortem ejusdem Moysi, & attribuant Pontificatum filiis ejus.

Golatæ autem, seu Galitæ, quinta Sciaitarum classis, sunt, qui excedunt in juribus, seu excellentiis Pontificum suorum, itaut tribuant illis divinitatem, eximentes eos è numero creaturarum, æquiparantes eos cum Deo, & Deum cum ipsis. Sententiæ autem Golatarum ad quatuor rediguntur. Affimilationem: Mutationem: Regressum: & Transmigrationem. Pro diversitate autem regionum, diversis nominibus appellantur. Et in sequentes classes dividuntur.

Primò: الصبابة *Sabaitas*, assectas Abdallah filii Sabæ, qui dixit ad Aly: Tu es tu: ideli tu es Deus. Dicitur autem priùs fuisse Judæus: & dixisse eadem verba de Josue, Pronunciavit, عليه السلام Aly competere Pontificatum de jure divino: neque illum occisum fuisse, sed adhuc vivere; & in eo esse particulam divinitatis. Hujus assectæ asserunt Pontificatum non solùm præsentibus, sed iis etiam, qui quamvis absentes, nondum tamen mortui sunt, sed latent, & apparituri sunt in Mundo. Hi etiam tenent sententiam de translatione partjculæ divinitatis in Pontifices: & ad eam probandam ferunt, cùm læsus fuisset unus oculus Aly, dixisse Omarem: Quid dicam de manu Dei? rupit oculum in Sacrario Dei.

Secundò: الكاملية *Kamelitas*, assectas Abu-Kamelii, qui infidelitatis condemnavit omnes Mahumeti Socios, eò quòd in creando Pontifice, prætermisissent Aly, quem etiam vituperabat, quòd jus suum quærere omisisset. Denique propugnabat Metempsy-

Digitized by Google

psychosin (*seu transmigrationem animarum*.)

Tertiò : العلمانية *Albaitæ*, assectæ Albæ filii Dharai Hasadæi, qui præterebat ربّ Aly Mahumeto, vocabatque eum Deum, & censebat, Mahumetum missum fuisse ab Aly, ut vocaret homines ad sequelam ipsius; sed Mahumetum vocavisse eos ad seipsum.

Vocatur etiam hæc secta الدمية *Damaitæ*, ex quibus quidam, licèt tàm Aly, quàm Mahumeto tribuant divinitatem, præferunt tamen in ea ربّ Aly Mahumeto. Et العينية *Ainitæ*, ex quibus quidam præferunt in divinitate Mahumetum وربّ Aly. Et الميمية *Maimitæ*, ex quibus quidam autumant, Angelum Gabrielem errasse, acceptendo Mahumetum pro Aly, ad quem constituendum Prophetam à Deo missus fuerat, deceptus similitudine utriusque, ita enim similis erat alter alteri, ut corvus corvo: quamobrem hi dicti sunt etiam الغربية *Ghorabitæ*, (*idest Corvini*.)

Ex his nonnulli tribuunt divinitatem Mahumeto, Aly, Phatemæ, Hasano, & Hoseino: & dicunt, hos quinque esse unam rem, & Spiritum habitare in eis æqualiter, neque unum esse alio excellentiorem.

Quartò: المغيرية *Mogheiritæ*, assectæ Mogheiræ filii Saidi Agelitæ. Hi tribuunt Pontificatum Mohammedo filio Abdallah filii Hoseini nepotis Mahumeti: & credunt, illum adhuc vivere, quamvis revera mortuus sit. Porrò Mogheira posteà attribuit sibi ipsi Pontificatum, & Prophetiam, & exorbitavit in laudibus Aly, affirmans, illum esse Deum: tenuitque sententiam de corporeitate Dei, asserens, illum habere corpus, & membra, & formam hominis luce undique perfusi, coronam ex luce in capite gestantis, & ex ejus corde promanare sapientiam. Postquam autem hic occisus fuit, discipuli ejus divisi sunt in varias sectas: & quidam ex his dixerunt, illum rediturum esse, & ideò expectandum: alii verò dicebant, expectandum esse Pontificem Mohammedum, de quo Mogheira dixerat assectis suis: Expectate eum, quia redibit; & Gabriel, & Michael inaugurabunt eum.

Quintò: المنصورية *Mansuritæ*, assectæ Abu-Mansuri Agilei, qui asseruit sibi Pontificatum, sequutaque est eum magna multitudo. Deinde captus, & cruci affixus est. Hic dicebat, Aly fuisse الكسف الساقط من السماء fructum cadens è Cœlo, & hujusmodi fructum esse Deum. Cùm autem arrogavit sibi Pontificatum, vulgavit, se ascendisse in Cœlum, & vidisse Deum situm, contrectantem manu caput ipsius, dicentemque sibi: Fili mi, descende, & annuncia hominibus legem meam. Deinde, se descendisse in terram, & se esse fructum illud cadens è Cœlo. Censuit præterea, Paradisum esse hominem, cujus justissimus esse amici: & Gehennam esse alium hominem, cui justissimus esse inimici. Et alia multa confinxit, quæ longum esset explicare.

Sextò: الخطابية *Chottabitæ*, assectæ Mohammedi Abul-Chottabi, qui usurpavit sibi Pontificatum; & pronunciavit, Pontifices esse Prophetas, atque etiam Deos. Divisi sunt autem post mortem ejus assectæ illius: & inter eos quidam censuerunt, Mundum semper duraturum: & Paradisum esse quidquid hominibus obvenit fausti ac felicis: Gehennam verò, quidquid tristis & infelicis iisdem contingit. Licitum autem fecerunt vinum, & fornicationem, & cætera à Deo prohibita, & omissionem divinorum præceptorum. Homines hujus sectæ dicebantur etiam المعرية *Moammeritæ*: & quidam censuerunt, post mortem Abul-Chottabi, Pontificatum declinasse: & Giaspherum fuisse Deum: & omnem fidelem habere revelationem divinam, nec posse quidquam facere, nisi per revelationem factam sibi à Deo. (*Agnosce, Lector, in his duabus sectis, Lutheranos & Calvinistas.*) Censebant etiam, inter suos assectas esse aliquos excellentiores Gabriele, & Michaele. Præterea attribuebant sibi omnes visionem ocularem mortuorum suorum, manè, & vespere. Vocantur etiam hujusmodi Sciaitæ; المزيغية *Mozighitæ*, البزيغية *Bozighitæ*, العجلية *Agelitæ*, & المفضلية *Mophdelitæ*. (*Sed nihil circa hos notabile occurrit.*)

Septimò: الكجالية *Cajalitæ*, assectæ Ahmedi filii Cajali, qui adinvenit propositiones novas, & hæreticas; quamobrem destitutus fuit à suis, qui etiam anathematizaverunt eum. Inter ejus propositiones sunt nonnullæ peregrinæ prorsùs, ac barbaræ, cujusmodi est: Mundos esse tres, Altissimum, Infimum, & Humanum, de quibus multa fabulosa commentus est.

Octavò: الهاشمية *Hasciamitæ*, qui in duas classes dividuntur. Quidam enim sequuntur Hasciamum filium Hakemi, qui fuit Auctor doctrinæ de similitudine inter Deum & creaturas. Quidam verò Hasciamum filium Salemi Gevalikii, qui fuit ejusdem sententiæ. Dicebat autem prior Halciamus, Deum suum esse corpus habens membra, & dimensiones: nihil tamen habere simile cum creaturis. Tribuebat verò illi septem palmos altitudinis, & asserebat, eum esse in omni loco peculiariter, & speciali ratione; & habere motum, qui esset ejus operatio, non tamen moveri de loco ad locum. Alias etiam plurimas fabulas admisebat. Addebat, Deum sedendo adhærere, ac tangere Thronum ita adæquatè, ut nihil superfluat Deo respectu Throni, neque Thronо respectu Dei. Hasciamus verò, filius Salemi, asserebat Deum habere figuram hominis, cujus pars superior esset concava, inferior autem solida: & ipsum esse lucem latè coruscantem, & habere quinque sensus, & manus, & pedes, & aures, & oculos, & os, & cæsariem nigram, non tamen habere carnem, & sanguinem. Concessit, Prophetas posse prævaricari, non autem Pontifices.

Nonò: الزرارية *Zararitæ*, assectæ cujusdam Zararæ, qui dicebat, scientiam in Pontifice esse necessariam, neque cadere posse in eum ignorantiam, quia omnes scientiæ, & cognitiones ejus sunt illi concreatæ & necessariæ.

Decimò: النعمانية *Nohamanitæ*, discipuli Moham-

Digitized by Google

hammedi filii Noamani, qui cognominatus fuit Satanas Altaki. Hic convenit cum Hafciamo filio Hakemi, Deum nullam rem ſcire, antequam ipſa exiſtat: Et divinæ potentiæ decretum eſſe voluntatem; voluntatem verò eſſe operationem. Dixit etiam, Deum eſſe lucem in figura hominis; ſed noluit aſſerere, eſſe corpus. Docuit, ſolam fectam Sciaitarum perducere ad ſalutem in futuro ſæculo, excluſis omnibus aliis ſectis.

Decimò: اليونسية *Junaſitæ*, diſcipuli Junaſi, ſeu Jonæ filii Abdal-Rahmanis Kamienſis, qui exiſtimavit, Angelos portare Thronum, & Thronum portare Deum.

Undecimò: النصيرية *Naſiritæ*, & الاصحابية *Ethakitæ*. Hi aſſerunt, apparitionem ſpiritus cum corpore materiali non poſſe negari, cùm Gabriel apparuerit in figura hominis, & Satanas in figura animalis bruti: & ita Deum apparuiſſe in figura ابو Aly, & filiorum ejus, & loquutum eſſe per linguam eorum, & apprehendiſſe per manus eorum.

Duodecimò: الباطنية *Batenitæ*, (*ideſt Interniſtæ*) aſſerunt, omni externo ac patenti eſſe internum ac latens; ideſt: verba externa Alcorani & Sonnæ habere internas, nempè myſticas & allegoricas interpretationes, nec accipienda eſſe juxta literalem ſonum. Et celebris eſt opinio eorum, ſed contradicit, & adverſatur Alcorano, & Sonnæ: neque habet Auctores antiquos approbatos. Porrò Batenitæ antiqui miſcuerunt doctrinam ſuam cum doctrina aliquorum Philoſophorum: & aſſeruerunt, Deum neque eſſe exiſtentem, neque non exiſtentem: neque ſcientem, neque ignorantem; neque potentem, neque imbecillum: & ita de cæteris attributis. Nam ſi hæc ponamus in Deo, ponemus etiam communionem inter eum, & inter creaturas. Si verò à Deo rejiciamus, eandem communionem excludemus. Neque poterant judicare, hæc abſolutè ponenda eſſe in Deo, neque abſolutè de eo neganda: dicebant enim: Deus neque eſt æternus, neque de novo producitus: ſed præceptum, & verbum ejus ſunt æterna: creatio verò ejus, & res creatæ ſunt novæ, ac recentes.

Sed alii ex his, qui dicuntur الظاهرية *Dhaharitæ* (*ideſt Exteriorиſtæ*,) contrarii ſunt Batenitis: volunt enim, Alcoranum, & cæteros libros propheticos intelligendos eſſe omninò literaliter, & juxta proprium verborum ſonum, & nihil eſſe tropicè interpretandum: itaut faciant Deum corporeum, proriſuſque ſimilem hominibus. Imò dixerunt, Deum eſſe aurum, & argentum, quibus uti licet ad cibum capiendum, & alios uſus, non tamen ad bibendum, eò quòd dixerit Propheta Mahumetus: الذي يشرب في انية الذهب والفضة انما يجرج من جوفه نار جهنم: *Qui biberit in vaſis auri, & argenti, egredietur de corpore ejus ignis Gehennæ.* At Mahumetus his verbis nihil prohibet, niſi potum.

Porrò Metempſychoſis, (*ſeu tranſmigratio animarum in alia corpora*,) fuit opinio Magorum Mozdacitarum, & Brachmanum Indorum, & Philoſophorum, & Sabæorum. Hi etiam pronunciant, Deum exiſtere in quolibet loco, loqui in qualibet lingua, apparere ſub figura cujuslibet perſonæ. Et hæc eſt ſignificatio vocis حلول *Halul*, (*ideſt deſcenſus, vel reſidentiæ Dei in creaturis.*) Hujuſmodi autem deſcenſus modò eſt in parte, modò in tota divinitate. Gradus autem Metempſychoſeos quatuor ſunt. Primus dicitur النسخ (*ideſt mutatio in deteriorem formam.*) Secundus المسخ (*ideſt totalis transformatio, ſeu abolitio prioris formæ, & alterius ſubſtitutio.*) Tertius الفسخ (*ideſt diſſolutio in partes, vel potiùs oblivio ſui ipſius, vel immutatio, quod aliquam partem.*) Quartus الرسخ (*ideſt ita aut ſervetur eadem figura, ſeu ſpecies exterior.*)

Sunt etiam الزندقة *Zandakei*, (ſeu *Sadducæi*) ſeu *Manichæi*, aſſeclæ Manetis Zandakæi. Hoc autem nomine vocati ſunt, qui habebant librum nomine الزند *Zand*, quem Zoroaſter jactabat deſcendiſſe ad ſe de Cœlo. Quiſquis verò libri hujus dogmata ſectaretur, appellabant eum زندي *Zandium*: ſed poſteà Arabicè dictus fuit زنديق *Zandekus*.

Porrò, qui diſſident inter ſe circa ramos (*ideſt circa res, quæ pertinent ad præcepta legis, non ad ſubſtantiam dogmatum*) vocantur Studioſi, ſeu Scholaſtici, qui innituntur quatuor principiis, ſeu fundamentis, nimirùm: Alcorano, Sonnæ, (*ſeu libro traditionum:*) conſenſui Doctorum, & vi argumentorum, (*ſeu rationi.*) Qui autem ſequuntur Hiſtorias, ſeu narrationes, ſunt incolæ Arabicæ Petreæ, & aſſeclæ Maleki filii Anaſi, & Mohammedi filii Edriſi Sciaphaenſis. Hi non utuntur argumentationibus, & ratiocinationibus, ſed fundant ſententias ſuas in النقوس, ideſt auctoritate Scriptorum. Probabiliſtæ autem (Arab. اهل الراي) incolunt Chaldæam, & agnoſcunt pro Magiſtris Abu-Honeipham Noamanum filium Alhaſani, & alios. Ita autem appellantur, quia ad ſummum attingunt faciem argumentationis, & ſignificationis, quæ elicitur ex ſententiis, & parrationibus. Aliquando verò præferunt argumentum clarum Hiſtoriæ. Abſolutus eſt tractatus de Sectis Eſlamiticis ad laudem Dei, & cum auxilio ejus.

Hæc ſunt, quæ de ſectis Arabum antiquioribus Auctor hic valdè inter Mahumetanos celebris, aliique non inferioris notæ ſcripſere: in quibus, reſectis tantummodò, quæ ad rem noſtram nihil faciebant, integra fide omnia ex Arabico transferre conatus ſum. Si quid verò eſt, in quo peccaverim non volens, leviſſimi certè momenti erit. Adjuvit me porrò non parum D. Abraham Eckellenſis, qui carumdem ſectarum catalogum ab Iſmaele translatum, poſuit in ſuo Eutychio vindicato contra Saldenum. Infeliciſſimè verò mihi ſucceſſiſſet, ſi Hottingeri Tigurini mutilum, confuſum, atque infidelem catalogum ſequutus fuiſſem.

Supereſt, ut de recentioribus Mahumetanorum ſectis mentionem faciamus. Et quia de his ex ipſis Mahume-

humetanis Auctoribus nihil licuit habere, referam ea, quæ Auctores nostri narrant, & præsertim D. Ricautus in Historia, quam conscripsit de præsenti statu Imperii Othomannici. Ea enim, quæ hic Auctor refert, fide omninò digna videntur, cùm ipsemet inter Turcas, Regis Angliæ Orator, diù familiariterque versatus fuerit, & ex eorumdem ore, & ex propriorum oculorum testimonio omnia recenseat.

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De recentioribus Mahumetanorum Sectis.

SCinditur primò Mahumetismus in duas celeberrimas sectas, Sonnitarum, & Sciaitarum. Prima trahit secum Turcas omnes, Arabes, & alias gentes innumeras. Secunda Persas habet propugnatores. Immortale, atque implacabile inter utramque sectam odium intercedit. Sonnitæ Sciaitas, Sciaitæ Sonnitas anathematizant, detestantur, abominantur. Tanti Schismatis causæ præcipuæ hæ enumerantur. Prima: Sciaitæ rejiciunt à numero Chalipharum, seu summorum Pontificum tres; Abubacrum, Othmanem, & Omarem: Sonnitæ eosdem recipiunt ac venerantur. Secunda, Sciaitæ præferunt עלי Aly Mahumeto, vel æquant utrumque: Sonnitæ Mahumetum עלי Aly, & cæteris Prophetis anteponunt. Tertia, Sonnitæ arguunt Sciaitas, quòd Alcoranum corruperint, ac mutilaverint; & multò magis, quòd illius præcepta non observent: Sciaitæ tantum scelus regerunt in Sonnitas. Quarta, Sonnitæ librum Sonnæ, seu traditionum Mahumeticarum, qui משנה Hebræorum respondet, tamquam sacrum, & canonicum agnoscunt; Sciaitæ eumdem tamquam apocryphum, & fide indignum rejiciunt. Denique altera ex his sectis alteram plus à religione sua distare, quàm Christiani, aut Judæi ab eadem distent, affirmat. Vide sis, quæ diximus parte prima, atque etiam capite præcedenti.

Alias causas refert P. Vincentius Maria à S. Catharina Senensi Carmelita discalceatus in suo Itinere ad Indias Orientales lib. 5. c. 12. Nimirùm primò, quia Sciaitæ dicunt, Deum esse tantùm auctorem boni, Diabolum verò mali: Sonnitæ autem duplex hoc principium rejicientes, unum tantùm rerum omnium auctorem Deum agnoscunt. Secundò, Sciaitæ, Deum quidem esse æternum; legem autem ejus temporariam volunt: Sonnitæ autem, præsertim Arabes, legem quoque æternam esse contendunt, quoniam à Deo ab æterno emanavit. Tertiò, Sciaitæ negant, animas Beatorum Deum in essentia sua intueri; in effectibus solùm, qui ex ejus attributis emanant, eumdem videre pronunciant: Sonnitæ, quemlibet clarè visurum esse Deum affirmant. Quartò, Sciaitæ volunt, quando Mahumetus in cœlum translatus est, animam ejus tantummodò à Gabriele ad thronum Dei elevatam fuisse: Sonnitæ Mahumetum totum cum corpore & anima ad Paradisum assumptum esse contendunt. Quintò, Sciaitæ עלי Aly, & Phatemam, & filios eorum, & duodecim nepotes eorum super omnes Prophetas gradum obtinere pronunciant: Sonnitæ, supra communes tantùm homines eminere illos affirmant. Sextò, Sciaitæ trinas tantùm preces in die satis esse concedunt. Sonnitæ quinquies quotidie orandum esse constituunt. Septimò, Sciaitæ prophetarum oracula non admodùm curant; sed omnia ferè rationis regula metiuntur: Sonnitæ contrà à ratione abhorrentes, Moysis, & Prophetarum libros, tamquam religionis fundamenta suscipiunt, ac venerantur. Octavò, Sciaitarum plures, fortunæ, & syderumque directioni universa committunt: Sonnitæ res omnes divinæ providentiæ attribuunt. Postremò diversissimè omninò Sciaitæ, ac Sonnitæ Alcoranum interpretantur, & observant.

Secunda Secta vocatur *Seilis*. Qui eam profitentur, credunt, Deum missurum esse inter Persas Prophetam electum, qui nova lege Mahumeticam sit abrogaturus.

Tertia est species quædam, seu ramus Motazelitarum. Hujus professores asserunt, nemini in hoc mundo competere nomen Sancti, nisi Prophetis, qui à peccato fuerunt immunes. In futuro porrò sæculo veros fideles ita manifestè Deum intuitures, ut nos lunam pleno jam orbe perfectam intuemur. Hoc verò Mahumeti doctrinæ repugnat, qui Deum in futuro sæculo ita nobis invisibilem futurum, sicut est in præsenti, affirmavit.

Quarta Secta dicitur *Malumigorum*, qui autumant, posse à nobis in hoc mundo Deum perfectè cognosci, si præceptum illud sequi, atque exequi velimus: *Nosce te ipsum*.

Quinta Secta est eorum, qui *Mezzachulieli* appellantur, Mahumiglis oppositi. Affirmant hi, ad Paradisum acquirendum, necesse esse Deum in hoc Mundo cognoscere per aliquem essentiæ, gloriæque ipsius radium; eosque, quibus hoc contingit, fideles dicendos esse opinantur.

Sexta est eorum, qui vocantur *Jabajachi*. Hi Deum omni scientia expolliant, & Mundum, juxta occurrentes sibi occasiones illum gubernare affirmant: & neque per totam æternitatem, neque ante rerum creationem illum sciviſſe, quid esset eventurum in casibus particularibus: sed ulli, & experientia practica, eorum notitiam acquisiviſſe.

Septima est *Kadezadaliorum*, qui cogunt Emamos, seu sacrorum Antistites, ad insusurrandum elatis vocibus in aures corporum defunctorum, commonendo, ut meminerint, nullum esse alium præter Deum: neque alium illius Nuncium ac Prophetam, præter Mahumetum.

Octava est eorum, qui vocantur *Capmessahy*, idest, Discipuli Messiæ. Hi recenter exorti sunt, & censentur ex honestioribus, & nobilioribus: & plures, qui in Regia morantur, hanc sectam profitentur. Hi credunt, Christum esse verum Deum, ac Mundi Redemptorem. Quin & nonnulli eorum pro hac veritate mortem ipsam constantissimè subiere. Vide quæ superiùs de hac Secta dicta sunt.

Nona: *Muferini*, qui Religionem omnem rejicientes, Atheismum profitentur. Credunt nimirùm, naturam, vel principium intrinsecum cujuslibet individui, esse regulam directivam rerum omnium, quas videmus. Ingens autem horum hominum numerus Constantinopoli reperitur, inter quos non pauci Primates, ac Judices, & in libris Arabicis versati, recensentur. Narrat D. Ricautus, tempore, quo ipse Constantinopoli morabatur, virum quendam ex sapientioribus, ac doctioribus Mahumetanorum, impietatis hujus damnatum, ac morte mulctatum fuisse: erat autem nomen ejus Mohammed Effendi. Porrò hic ad impietatem suam tuendam argumento hoc utebatur: Aut Deus nullo modo est, vel non est ita potens, ac sapiens, ut Doctores nostri affirmant. Nam si talis esset, nullo modo tamdiù me vivere permisisset, hostem insepsissimum existentiæ ejus, & qui de eo tàm abjectè & sentio, & loquor. Cùm verò eum hortarentur, ut sententiam tàm impiam retractaret: maluit extremos

Digitized by Google

cruciatus, ac mortem pro veritate (ut ipſe ajebat) ſubire, licèt nullum inde præmium ſperaret, quàm ab amentia ſua tantillum recedere. Hæc peſtis, ita & Imperatoris Regium, & Magnatum Domos pervaſit, ut incredibile prorſùs videatur. Qui eam profitentur ſeſe mutuò amant, & fovent: charitatem, & hoſpitalitatem magnam præferunt: congerrones ſuos apertis ulnis excipiunt; & lautè, benigneque exceptos, noctu illis, utrius ſexus velint, ſcortum pulcherrimè factum ſubſternunt. Magnam inter ſeſe liberalitatem, ac munificentiam exercent; mutuumque officium ad exceſſum uſque frequentant. Sultanum Morad, (ſeu Amurat) ſectæ hujus magnum fuiſſe profeſſorem, ac propagatorem domi, militiæque, affirmant.

Decima: *Kadezadali*, qui ſunt veluti Stoici Mahumetanorum, homines tetrici, ac moroſi; muſicæ, & eloquentiæ hoſtes. Aſſiduè verba illa repetunt لا اله الا الله *Là Elb ellà Allah*; ideſt, *non eſt Deus, niſi Deus*: itaut integras noctes ſedentes, curvatoque capite ac pectore, ea pronuncient. Maximè ſeipſos admirantur: ſuperſtitioſi, ne dum exacti ſunt in legum ſuarum obſervatione. Spernunt, & ne quidem ſalutant à Secta ſua alienos. Phariſæos Moslemorum meritò eos appellaveris.

Undecima: *Kadezadali mixti*, Mahumetiſmum cum Chriſtianiſmo permiſcent, & confundunt. Novum Teſtamentum legunt æquè ac Alcoranum. Vinum bibunt in menſe Rhomadhan, ſed ſine admixtione quorundam aromatum, quæ aliis temporibus admiſcent. Credunt, Spiritum Sanctum eſſe Mahumetum. Imagines Sanctorum, & figuram Crucis venerantur; & infantes ſuos circumcidunt.

Duodecima: *Bektakis*, à quodam *Bektak* eorum auctore appellati. Dicuntur etiam *Zerakis*, nimirùm inceſtuoſi: nam patres ipſi cum filiabus ſuis coeunt, aſſerentes, nulli juſtiùs fructus arboris deberi, quàm illi, qui eam plantavit. Vulgus, eos *Murâs Couduren*, ideſt candelæ extinctores appellat. Mahumeticas leges ac ſanctiones adamuſſim, ſeu potiùs ad ſuperſtitionem, obſervant. Omni attributo Deum ſpoliant: itaut illum, vel magnum, vel ſapientem, vel omnipotentem dicere, vel alio epitheto inſignire, nefas eſſe putent, eò quod nihil eſſentiæ ejus ſatis conveniens reperiri poſſe affirment. Evenit aliquando, ut Emamum è Turri de more clamantem الله اكبر *Allah Akbar*, id eſt *Deus maximus*; homo quidam hujus ſectæ, elata voce, interpellaverit dicens: Mentiris. Præterea ad favorem congerronum ſuorum facillimè falſum teſtimonium dicunt.

Decima tertia: *Sabin*, qui credunt aliquam in Sole ac Luna ineſſe divinitatem, eò quòd tàm benigna ac benefica erga humanum genus duo hæc luminaria comperiantur. Religionis ſuæ, ſuarumque legum ſunt admodùm incuriоſi, quamvis virtutibus moralibus, & præſertim prudentia, ornati appareant. Animæ immortalitatem, & futuræ vitæ præmium ac pœnam, inter fabulas reponunt. Injurias acceptas neque ulciſcuntur, neque curant. Hominum ſcelera ac flagitia flocci faciunt: omnia enim ab aſtrorum vi, ac neceſſitate effluere putant: itaut tantum ſcelera omnia eurent, quantum ſi vel pluat, vel ningat hyeme, vel æſtate Solis ardor adurat. Omnia naturæ neceſſitati tribuunt.

Decima quarta: *Munaſthi*, Pythagorici ſunt, & Metempſychoſin profitentur. Opinantur verò animas hominum in brutorum illorum corpora tranſmigrare, quibus ſimiliores moribus, & temperamento naturæ viventes fuerunt; vel quæ magis cara ipſi habuerunt. Atque ita parаſiti anima porcinum corpus ingredietur: laſcivi, hircinum: magnanimi, equinum, vel leoninum; vigilis, caninum, vel leporinum. Optant verò ſuper omnia corpus camelinum. Camelus quippe animal eſt mite, patiens, parcum, & utile. Putant autem, poſt circulum trium millium trecentorum ac ſexaginta quinque annorum, animam, quæ à cameloin camelum tranſierit, ad humanum tandem corpus priorem redituram.

Decima quinta: *Eſcraki*, ideſt Illuminati. Sunt & hi Pythagorici, & in Ideæ Divinæ, ejuſque numerorum contemplatione potiſſimùm exercentur. Trinitatis Myſterium admittunt, ut aliàs diximus. Alcoranum non tanti faciunt, ut multa in eo falſa, ac vana eſſe non credant. Derident porrò, quæ de Paradiſi felicitate fabulatur Mahumetus, cùm ipſi ſummam beatitudinem in divinæ majeſtatis, ejuſque perfectionum contemplatione ſitam eſſe exiſtiment. Sapientiores quique inter Moslemos hanc ſectam profitentur. Hi aſſidui, & conſtantes ſunt in exercitiis pietatis, ſobrii, parcique in cibo ac potu: prompti, & expediti in agendo. Muſicæ, ac Poeſi plurimùm addicti ſunt: humanæ imbecillitati quàm maximè compatiuntur: ab avaritia longè abſunt: auſteritatem, ac jactantiam fugiunt. Florentioris ætatis indole, lepore, ingenuitate, ingenioque plurimùm delectantur. Charitatem magnam erga proximum præferunt, per quam dicunt ſe ad amorem Creatoris deduci. Demùm nihil propè deeſſe his ad virum perfectum videtur, quàm Chriſtianæ Religionis agnitionem, ac profeſſionem.

Decima ſexta, *Hiaretis*, ſive Stupidi, prædictis Eſcrakì oppoſiti ſunt. Hi de omnibus dubitant, nec in quæſtionibus ſuis quidquam abſolutè decidunt. Aſſerunt, ita poſſe mendacium exornari ac fucari, & veritatem obſcurari ſophiſmatibus, atque apparentibus rationibus, ut mendacium veritas, & veritas mendacium poſſit exiſtimari. Quare nihil in humanis certum eſſe, ſed omnia probabilia, ac diſputabilia eſſe cenſenda. Satis habent, ſi dicant: *Deus hoc ſcit, nos verò neſcimus*. Si quando aliquis ex his Judex, ſeu Præſes, eligatur, ſemper paratus eſt ad decidendum pro eo, qui poſtulat; neque pro cauſa diſcutienda multum laborat; ſemperque addit in fine ſententiæ, vel decreti: *Deus novit id, quod melius eſt*. Bibunt vinum, ſi in aliorum ſocietate reperiantur: cùm ſoli ſunt, potione quadam opio medicata utuntur, quæ eos in ſtuporem vertit: itaque eo tempore quidquid eis proponitur, approbant: id quod deinde ſe facere dicunt, non quòd diſcernant vera à falſis, ſed ut amicis ſuis obſecundentur.

Concluſo hoc caput cum eo, quod Ricautus, & alii fide digniſſimi Auctores, qui inter Turcas verſati ſunt, affirmant, nimirùm: toc eſſe inter Mahumetanos ſectas, & hæreſes, quot civitates, imò quot familiæ, vel etiam homines, qui tenuiſſimam literaturam, rerumque Arabicarum tincturam acceperint, reperiuntur. *Nullus eſt Concionator* (inquit laudatus Auctor) *quamtumvis imbecillus, & arte ingenioque miſerabilis, qui ſectam aliquam non inſtituat, & aſſeclas aliquot ſibi non comparet. Demùm diverſitas opinionum circa Religionem inter Turcas, eſt propè infinita, & abſque ulla comparatione major, quàm ſit ea, quæ inter Chriſtianos cujuslibet nationis reperiatur*. Et tamen Turcæ cenſentur veri Moſlemi,

Digitized by Google

plemi, & Orthodoxi. Vident igitur Mahumetani festucas in oculis Christianorum: sed trabes in oculis suis non vident: nec cogitant, ut dixi, si propterea Christianam Religionem malam, falsamque esse velint, quòd in multas sectas scindatur; cogi se ad fatendum, religionem suam pessimam esse, & falsissimam.

Verùm, quemadmodùm in Christiana Religione, inter plures hæreses, ac schismata, extat certa quædam veræ fidei regula, quæ catholica, & orthodoxa appellatur, & quam in Ecclesia Romana, sub Romano Pontifice, Christi Vicario, S. Petri successore (quem Mahumetani ipsi, & الخليفة *Chalipham*, & الامام *Emamum*; ideſt supremum Religionis Principem, & Antistitem vocant) esse, ac semper fuisse, & usque ad Mundi finem perseveraturam, Christiani omnes veri fatentur: ita etiam apud Mahumetanos, inter innumera sectarum portenta, communior quædam superstitionis forma existit, quam omnes illi tenentur profiteri (quamvis re vera in hac quoque inter se illidem maximè dissideant) qui verè Moslemi, ac Mahumeti affectæ legitimi esse volunt. Hujusmodi formam, seu Symbolum, à multis Auctoribus Mahumetanis traditam invenio, quorum nonnullos suis ipsorum verbis hìc referam, ex quibus agnoscet Christianus Lector, pluribus fortasse erroribus ac nugis refertam esse eam regulam, quam Moslemi rectam & Orthodoxam putant, quàm eas ipsas, quas pravas, & heterodoxas in sua commentitia Religione agnoscunt, & confitentur.

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Dogmata Sectæ Mahumetanæ Sonnitice, seu Orthodoxæ.

OMnia Mahumetanæ Sectæ, quam Sonniticam, seu Orthodoxam prædicant, dogmata continentur in hac formula, qua passim, & in sermonibus, & in scripturis utuntur: لا اله الا الله محمد رسول الله *Non est Deus præter Deum: Mahumetus est Legatus Dei.* Satis quippe putant Moslemi, ad æternam salutem consequendam, ut quis credat, Unum tantùm esse Deum; & Mahumetum ab eodem missum fuisse cum Alcorano, ad Religionem Islamiticam, quam Abraham, & cæteros Prophetas tenuisse ajunt, propagandam. Hæc duo credere, existimant esse (ut nos dicimus) de necessitate medii: alia autem de necessitate præcepti: ita tamen, ut quamvis al quis ea neget, vel non credat, non propterea ab æterna salute excludendus sit.

De Deo credunt ferè omnia illa, quæ Philosophi ipsi Ethnici naturali lumine cognoverunt, & plura ex iis, quæ credunt Christiani, & Judæi, sed non pauca falsa, & absurda admiscent.

Primò, Algazelus in ترجمة عقيدة اهل السنّة: *Expositione pro professionis fidei Sonnitarum*, nempè Mahumetanorum Orthodoxorum; parte prima inter ea, quæ de Deo credenda sunt, ponit, انه ليس بجوهر ولا عرض ولا تحله الاعراض: *ipsum non esse substantiam: neque residere in eo substantias, neque esse accidens, neque residere in eo accidentia.*

Deum non esse residens, neque residere in eo substantias, vel accidentia, ultrò concedimus. At verò non esse substantiam, absolutè negamus. Cùm enim Deus sit الوجود *Ens*, ut ipsemet dixit ad Moysen, Exodi cap. 3. *Ego sum, qui sum*: Græcè, ἐγώ εἰμι ὁ ὤν *Ego sum Ens*: & ita etiam appelletur à Sapientibus non solùm Christianis, sed etiam Arabibus; & juxta eosdem, *Ens* primariò dividatur in substantiam, & accidens: cùm omnes fateantur, Deum non esse accidens; necessariò erit substantia. Audiamus Ebno-Sinam, seu Avicennam, Arabum doctissimum, in Metaphysica, propos. 1 sect. في الواحد فنقول ان للوجود *de Uno, & Ente.* والوجود يُمكن ان يشرح بغير الاسم لانه مبدا اول لكل شي بل صورته تقوم في النفس بلا توسط شي وهو ينقسم بعد الى القسمة الى جوهر وعرض:

Dicimus, Ens non posse explicari per aliud nomen, ipsum enim est primum principium omnis rei: sed forma ejus stat in seipsa sine mediatione ullius rei: & ipsum ens communi divisione dividitur in substantiam, & accidens. Et certè Avicenna sub nomine الوجود *Entis*, complectitur etiam, imò præcipuè, Deum: ibidem enim subdividit الوجود *Ens*, in القديم *Æternum*, & محدث *creatum*.

Quòd si objiciat Algazelus S. Augustinum l. 7. de Trinitate cap. 5 scribentem: *Deum absurdè dici substantiam*: respondebimus, S. Augustinum loqui de substantia, quæ subsistat accidentibus. At Algazelus loquitur etiam de illa, in qua nulla subjectantur accidentia, & absolutè de omni substantia. Nam substantiam in eo sensu jam Algazelus exclusserat.

Secundò: Ibidem habet de Deo: لا يماثل وجودا ولا يماثله وجود وليس لممثله شي ولا هو مثل شي: *Non assimilatur ulli enti; neque ullum ens assimilatur illi: neque ulla res est similis illi, neque ille similis est ulli rei.*

Hæc propositio absolutè falsa est: nam Deus ipse dixit in libro Genesis cap. 1. *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Neque solùm homo, sed cæteræ etiam creaturæ aliquam Dei similitudinem præseferunt. Et in Sacris literis non semel admonemur, ut Deum imitari, illique similes fieri conemur. Semper enim de similitudine analogica intelligimus, non autem propria, & univoca, quæ vix dici posset similitudo, sed stricta comparatio esset appellanda.

Tertiò: Ibidem, credendum esse ait, Deum انه مستو على العرش على الوجه الذي قاله وبالمعنى الذي اراده استوآء منزهاً عن المماسّة والاستقرار والتمكن والحلول والانتقال لا يحمله العرش بل

العرش وحملته محملون بالطف قدرته مقهورون فى قبضته وهو فوق العرش وفوق كل شي الي تخوم الثري فوقية لا تزيده قريباً الي العرش والسماء:

Sedere in Throno eo modo, quem ipse dixit, & eo sensu, quem ipse intendit, sessione remota à contactu, & inhæsione, & situ locali, & descensu in illum, & translatione (seu motu locali). *Non portat illum, & Thronus: sed & Thronus, & portitores ejus, portantur à facilitate potentiæ ejus, comprehensi in vola manus illius. Et ipse est supra Thronum, & supra omnes res usque ad terminos terræ, superioritate, quæ nihil addit in eo vicinitatis ad Thronum, & ad cœlum.* De hoc eodem Throno hæc habentur in alia professione fidei Eslamiticæ in antiquissimo Codice m. s. Bibliothecæ Sacri Collegii Urbani: cui titulus, باب شرايع الاسلام: *Caput de legibus Eslamiticis.* اذا قيل لك اي شي خلق الله بيده فقل العرش وادم وجنة عدن التي غرسها وساير الخلق قال له كن فيكون .... واذا قيل لك اخبرني عن الله تبارك وتعالي اين كان قبل يخلق العرش فقل كان علي الضباب والماء فى الهواء ولا يعلم ما سوي ذلك الا الله.

Cùm interrogatus fueris, quid creaverit Deus manibus suis. responde: Thronum, & Adam, & Paradisum Eden, quem ipse plantavit: cætera autem creavit, dicendo: Esto, & fuit. Cùm verò aliquis dixerit tibi: Ubi erat Deus Excelsus ac Benedictus, antequam Thronum crearet? Responde: Erat super nebulas, & aquam in aere, neque novit aliud præter hoc nisi Deus. In alia porrò Catechesi, cui titulus كتاب الرسالة *Liber Legationis*, ex Bibliotheca Bongartiana, legimus: وسع كرسيه السموات والارض ولا يوده حفظهما: *Amplitudo Throni ejus æquat cœlum, & terram; neque ullam exhibet ei molestiam conservatio utriusque.*

Si hæc, quæ de Throno Dei à Moslemis Sonnitis, qui Orthodoxi haberi volunt, dicuntur, & creduntur, metaphoricè, seu mysticè, ab illis intelligerentur: possent aliquo modo tolerari, vel excusari. Verùm cùm literaliter, & prout verba sonant, ab illis necessariò accipiantur; neque tolerari possunt, neque excusari. Et cùm ipsi multa improbent, quæ de hoc portentoso Throno aliquæ Mahumetanorum sectæ comminiscuntur, ut suprà vidimus; non minori absurdo ea, quæ hìc commemoravimus, de illo pronunciant. Et quidem si sexcenti Chrysippi ea, quæ huic Throno tribuuntur, acumine suo discutere conarentur, & in aliquem sanum sensum componere, frustrà proculdubio desudarent.

Quartò: Loquens de التنزية, seu de iis, quæ dicuntur de Deo negativè; affirmat, credendum esse,

انه فى ذاته معلوم الوجود بالعقول مرئي الذات بالابصار رحمة منه ولطفاً بالابرار فى دار القرار واتماماً النعيم بالنظر الي وجهه الكريم:

Ipsum in essentia sua cognosci quoad existentiam, per intellectus: videri verò quoad essentiam per oculos, pro misericordia ejus, & benignitate erga justos, in Domo quietis (idest in Paradiso) *perfectam concedendo felicitatem per intuitum in faciem ipsius venerandam.*

Sed impossibile est, Deum videri oculis corporeis in essentia sua, seu clarè, & intuitivè: quia nulla potentia ferri potest extra suum objectum. At objectum visus corporalis est visibile corporeum, Deus autem spiritualis est, & incorporeus: ergo visus corporalis non potest ferri in Deum; vel concedendum est, Deum esse corporeum, quod Algazelus ipse negat. Deinde ineptè, & prorsùs falsò, ponitur in Deo distinctio essentiæ ab existentia: cùm enim essentia habeat se ad existentiam sicut potentia ad actum, poneretur in Deo potentialitas, quæ esset imperfectio: & quidquid sit, est inintelligibile, quomodo possit in Deo videri essentia sine existentia, vel è converso; cùm de intrinseco conceptu Dei sit actualis existentia.

Quintò: Ubi agit de ارادة الله *Voluntate Dei*, ita loquitur: وانه تعالي مريد الكاينات مدبر الحادثات فلا يجري في الملك والملكوت قليل ولا كثير صغير او كبير خير او شر نفع او ضر ايمان او كفر عرفان او نكر فوز او خسر زيادة او نقصان طاعة او عصيان الا بقضايه وقدره وحكمه ومشيئته فما شاء كان وما لم يشا لم يكن لم يخرج عن مشيئته لفتة ناظر ولا فلتة خاطر بل هو المبتدي بالاشيا وهو المبدي والمعيد الفعال لما يريد لا راد لحكمه ولا معقب لقضايه فلا مهرب لعبد عن معصيته الا بتوفيقه ورحمته ولا قوة له علي طاعته الا بمحبته وارادته:

Ipse verò Altissimus vult ea, quæ sunt, & gubernat, quæ de novo eveniunt. Neque evenit in Regno terreno & cœlesti modicum aut multum, parvum aut magnum, bonum aut malum, utile aut noxium: fides aut infidelitas: scientia aut ignorantia: salus aut perditio, augmentum aut defectus: obedientia aut contumacia, nisi per determinationem ejus, & decretum ejus, & sententiam ejus, & voluntatem ejus. Quicquid autem ipse voluerit, erit: id verò, quod noluerit, non erit: nec præter voluntatem ejus fit ictus oculi, nec motus mentis. Ipse est, qui dedit principium rebus, easque condidit, & eas destruet, (seu potiùs, destructas redintegrabit.)

Fa-

Digitized by Google

Facit id, quod vult, nec est, qui revocet sententiam ejus, nec removeat decretum ejus. Non potest homo effugere, quin ei sit inobediens, nisi per concursum auxilii & misericordiæ ejus: neque habet vires ad obediendum illi, nisi per amorem, & voluntatem ejus.

Si homines peccant, quia ita Deus decrevit, & prædestinavit, & absolutè voluit: jam homines necessariò peccabunt, neque poterunt peccatum evitare: & Deus verè dici poterit auctor peccati hominis. Hoc autem est illud, quod Sonnitæ damnant in Kadritis, & aliis sectariis suæ Religionis: & meritò: neque enim sine summa impietate dici potest, Deum esse auctorem peccati, vel hominem ita necessitari ad illud, ut non possit non peccare.

Sextò: loquens de كلام الله *Sermone Dei*, ita scribit: وان القرآن والتوراة والانجيل والزبور كتب منزلة على رسله وان القرآن مقرو بالسنة مكتوب فى المصاحف محفوظ فى القلوب وانه مع ذلك قديم قايم بذات الله لا يقبل الانتقال والعرض بالانتقال الى القلوب والاوراق وان موسى سمع كلام الله بغير صوت ولا حرف كما يرى الابرار ذات الله من غير جوهر ولا عرض:

Credendum est, Alcoranum, Pentateuchum, Euangelium, & Psalmos Davidis esse libros datos à Deo, revelatos Legatis suis. Alcoranum verò pronunciari linguis, scribi litteris, custodiri in cordibus: & nihilominus esse æternum, existentem in essentia Dei, absque eo quòd separetur aut dividatur ab ea, dum transfertur in memorias hominum, & in paginas librorum. Credendum quoque est, Moysen audivisse sermonem Dei sine voce & literis, sicut vident Justi essentiam Dei sine substantia & accidentibus.

Primò inceptissimè ponit inter dogmata credenda ex fide, Alcoranum esse æternum, & ab æterno existere in essentia Dei. In hoc enim sibi contradicit, cùm suprà asseruerit, ut vidimus, non existere in Deo neque substantias, neque accidentia. Alcoranus verò non potest esse nisi substantia, vel accidens. Deinde, impossibile est, aliquid existere ab æterno in essentia Dei, & non esse increatum: quod sanè ultrò Moslemi concedunt. Atqui impossibile est, aliquid esse increatum, & æternum, & non esse Deum: ergo Alcoranus erit Deus. Postremò non potest reddi ratio, cur Alcoranus existat ab æterno increatus in essentia Dei, & non etiam Pentateuchus, Euangelium, & Psalterium Davidis, cùm eodem modo hi libri revelati fuerint, & traditi à Deo: & Mahumetus ipse velit eos in eodem gradu venerationis recipi à suis, ac Alcoranum. Respondebunt fortè Moslemi, Alcoranum existere ab æterno in essentia Dei, non formaliter, sed idealiter. At nulla est inter res creatas, quæ hoc modo non fuerit ab æterno idealiter in Deo. Sed hoc modo idea non distinguitur realiter ab ipsa essentia Dei.

Secundò, falsò asserit, Moysen ita audivisse sermonem Dei, sicuti justi vident essentiam divinam, nimirùm sine ullo sono vocis, aut signo ullo extrinseco. Legimus enim Exodi cap. 19. dixisse Deum ad Moysen: *Jam nunc veniam ad te in caligine nubis, ut audiat me populus loquentem ad te.* Et paulò post. *Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei.* Et cap. 20. *Cunctus autem populus videbat voces.* Et territus Populus vocibus Dei loquentis dixit Moysi: *Loquere tu nobis, & audiemus: Non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Erant igitur voces Dei, loquentis cum Moyse, sensibiles; & tàm à Moyse, quàm à populo auribus excipiebantur. Præterea literis loquutus est Deus cum Moyse, tradens ei duas tabulas legis, scriptas digito suo. Quamobrem in hoc etiam errant Sonnitæ.

Septimò. Ibidem collocat inter dogmata fidei, Deum esse حيّاً عالماً قادراً مريداً سميعاً بصيراً متكلماً بالحياة والعلم والارادة والسمع والبصر والكلام لا بمعنى الذات:

Viventem, scientem, potentem, volentem, audientem, loquentem, vita, potentia, scientia, voluntate, auditu, visu, sermone, non nuda, simplicique essentia.

Non solùm Christiani Theologi, sed Mahumetani ipsi Motazelitæ, convincunt Sonnitas in hac propositione manifestissimi erroris. Nam quicquid est in Deo, identificatur cum ipso Deo, nec ulla ratione distinguitur ab ejus essentia. Alioquin sequerentur omnia illa absurda, quæ suprà, cùm de Trinitatis Mysterio ageremus, exposuimus.

Octavò loquens de الافعال *Operibus Dei*, docet, ipsum يقبح عباده على الطاعة بحكم الوعد والكرم ولا يجكم الامتحان والالزام ان لا يجب عليه فعل ولا يتصور منه ظلم ولا يجب عليه لاحد حق:

remunerare servos suos propter obedientiam ratione promissionis, & liberalitatis, non ratione meriti, & obligationis, cùm ipse ad nihil faciendum teneatur, nec exogitari possit in eo iniquitas, nec aliquid cuiquam debeat.

Est in his verbis manifesta contradictio, dum asseritur, Deum remunerare servos suos propter obedientiam, idest, bona opera; & non propter meritum obedientiæ: nam idem videtur remunerare propter opera bona, ac propter meritum bonorum operum; nempè propter bonitatem, quam habent in se. Nec negari potest, homines benè operando juxta legem Dei mereri ex aliqua congruentia præmium apud ipsum Deum, quamvis Deus præmium illud non promisisset: si enim promisisset, teneretur aliquo modo ex vi suæ promissionis reddere illud benè operanti. Cæterùm fatemur etiam nos, Deum ex rigore justitiæ nihil alicui debere, cùm omnes sint ei naturaliter debitores & vitæ, & rerum suarum omnium. Quamobrem dixit Christus discipulis suis, Lucæ cap. 17. *Cùm feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutiles sumus: quod debuimus facere, fecimus.*

Postquam exposuit Algazelus ea, quæ de Deo cre-

denda sunt; venit ad ea, quæ ad secundam partem Professionis Eslamiticæ fidei spectant, nempè ad Mahumetum, de quo hæc habet: ولم تعالى بعث النبي الامي القرشي محمدًا من برمالسة الى كافة العرب والعجم والجن والانس فجمع بشرعه الفرايق لا ما قرره وفضله على سايرالانبياء وجعله سيد البشر ومنع كمال الايمان بشهادة التوحيد لا اله الا الله الا تقترن بها شهادة الرسول وهو قوله محمد رسول الله:

Credendum est etiam, *Deum misisse Prophetam Idiotam, Corasinum, Mahumetum, super quem sint benedictiones Dei, & pax, cum munere legationis ad omnes Arabes, & Barbaros, & Dæmones, & homines: & abrogasse per legem ejus alias leges, exceptis iis, quæ stabilia esse voluit: & exaltavisse eum super omnes Prophetas, & humani generis Dominum illum constituisse: nec voluisse fidem perfectam esse in sola confessione unitatis Dei* per ea verba; *Non est Deus nisi Deus: nisi adderetur professio de Legato ejus, per alia verba, Mahumetus Legatus Dei.*

Ex iis, quæ hactenùs dicta sunt, & deinceps, Deo volente & favente, dicemus, satis constat, quàm vana, & falsa sint hæc omnia, quæ de Prophetæ fuo credere profitentur Moslemi, si duo tantùm excipias, nempè, illum fuisse Corasinum, & Idiotam, imò idiotissimum. Potest etiam concedi, illum missum fuisse Legatum ad Dæmones, non à Deo, sed à Diabolo, quò Dæmones ipsos ad Christianam Religionem oppugnandam, & ad homines Tartaro aucupandos adjuvaret.

Pergit Algazelus, necesse esse credere etiam omnia illa, quæ Mahumetus prædicavit de hoc mundo, & de sæculo futuro; & præsertim ea, quæ prænunciavit eventura esse post mortem: inter quæ

Primum est منكر ونكير وهما ملكان يقعدان العبد في قبره مرتين اذا رجع مهيبان هايلان يقعدان العبد في قبره مرتين اذا رجع وجعد فيسالانه عن التوحيد والرسالة ويقولان له من ربك وما دينك ومن نبيك وهما فتانا القبر ومواهيلها اول فتنة بعد الموت:

Examen faciendum à Monker, & Nakir, quæ sunt duæ terribiles & horrendæ aspectu personæ, quæ hominem in sepulchro suo erectum statuent, animam & corpore præditum; atque interrogabunt eum de unitate Dei, & legatione Prophetæ, dicentes: Quis est Dominus tuus? & quæ est Religio tua? Et quis est Propheta tuus? Et ambo explorabunt sepulchrum, & interrogatio eorum erit primum examen post mortem faciendum.

Animas hominum post mortem à corpore separatas, divinum examen operum suorum, ac Fidei fuæ, subituras esse ante supremum Judicii diem, nos etiam firmissimè credimus. At verò animas ad corpora in sepulchro post mortem redituras esse, & cum illis conjungendas, & à Monker, & Nakir discutiendas esse; fabulas, & ineptias, non tàm Mahumetanicas, quàm Thalmudicas existimamus, absque ullo fundamento confictas. Vide quæ mox subjicimus.

Secundum: وان يومن بعذاب القبر ولم حسب وحكمة وعدل على الجسم والروح على ما بشاء:

Credere oportet in tormentum sepulchri, & hoc esse debitum, & judicium, & justitiam erga corpus & animam, pro eo quod voluerit Deus.

Hoc sepulchri tormentum, quemadmodùm etiam examen prædictum, magnùm est commentum Rabbinorum Judæorum, qui vocant illud חבוט הקבר, *Percussionem sepulchri*. De hoc ita scribit R. Elias Germanus in suo תשבי *Thisbi*: *Scriptum est in Midràs R. Isaac filii Parnach: Interrogaverunt discipuli ipsum R. Eliezer, quomodo se haberet modus percussionis sepulchri. Respondit eis: Postquam separatus est homo ab hoc sæculo, venit Angelus mortis, & sedet super sepulchrum ejus, & statim intrat anima ejus in corpus ejus, & facit illum stare super pedes suos &c. Dixit R. Jehosua filius Levi: Et in manu ejus est catena, cujus media pars est ferrea, & altera ignea, qua verberat ipsum hominem. Et prima vice dissolvuntur membra ejus: altera vice, ejus ossa dissipantur: tum veniunt Angeli, & colligunt ea. Quod si tertia vice ipsum percusserit, redigitur in pulverem, & cinerem, & redit in sepulchrum suum &c. Dixit R. Meir: Gravius est judicium Percussionis sepulchri judicio Gehennæ, quoniam etiam qui planè justi sunt, & filii principum, & abortivi, eo judicantur; excepto eo, qui moritur in vespera Sabbathi; & qui moritur in terra Israel.* In precationibus, quas ברכות ideft *Benedictiones* appellant, orant Deum Judæi, ut liberet eos מחבוט שלקבר *à Percussione sepulchri*. Omitto omnes alias ineptias, quas circa hoc tormentum sepulchri effutiunt Mahumetani. Satis fit agnoviffe, ex quo fonte Mahumetanicæ superstitionis fæculenta dogmata deriventur.

Tertium: ويومن بالميزان ذي الكفتين واللسان صفته في العظم مثل طباق السموات والارض توزن فيه الاعمال بقدرة الله والصنج بيديه تخرج مثاقيل الذر والخردل تحقيقًا لتمام العدل وتطرح صحايف الحسنات في صورة حسنة في كفة النور فيثقل بها الميزان على قدر درجاتها عند الله بفضل الله وتطرح صحايف السيات في صورة قبيحة في كفة الظلمة فيخف فيها الميزان بعدل الله تعالى:

Credendum est etiam in libram, vel stateram, duabus lancibus, & lingua, seu examine, constantem; de qua prædicatur, quòd amplitudine sua cœlorum & terræ superficiem exæquet: in qua ponderabuntur ope-

Digitized by Google

opera hominum per potentiam Dei, & pro lapidibus stateræ proferentur ea die pondera ad quantitatem atomorum, & granorum sinapis, ut perfectè servetur justitia in trutinando. Deinde conjicientur libri bonorum operum pulchrè formati in lancem lucis, atque his gravabitur statera, ac deprimetur juxta mensuram graduum eorundem operum apud Deum ex gratia ipsius. Libri autem malorum operum conjicientur in lancem tenebrarum, quibus conjectis, levis fiet, & ascendet libra per justitiam Dei Altissimi.

Ex qua officina portentosam hanc stateram Mahumetus, & Mahumetani eruerint, prorsus ignoro; nisi fortè ex Thalmudistarum documento illam confinxerint. Unum scio, illos è sacris literis eruere non potuisse, nisi fortè ex aliqua earundem metaphorica loquutione, hujus figmenti sui ansam ceperint.

Quartum: وَرُوِيَ بِأَنَّ الصِّرَاطَ حَدُّ وَهُوَ جِسْمٌ مَدْحُوٌّ عَلَى مَتْنِ جَهَنَّمَ أَحَدُّ مِنَ السَّيْفِ وَأَدَقُّ مِنَ الشَّعْرِ تَزِلُّ عَلَيْهِ أَقْدَامُ الْكَافِرِينَ بِحُكْمِ اللهِ فَيَهْوِي بِهِمْ إِلَى النَّارِ وَيَثْبُتُ عَلَيْهِ أَقْدَامُ الْمُؤْمِنِينَ فَيَجُوزُونَ إِلَى دَارِ الْقَرَارِ:

Credendum est etiam, verè existere Sorat, quod est corpus extensum supra medium Gehennæ, acutius gladio, & subtilius capillo, super quem lababunt pedes infidelium ex judicio Dei, itaut ipsi cadant in ignem Gehennæ. Pedes verò fidelium constanter ambulabunt super illud; & bi ducentur in domum requiei (idest in Paradisum.)

Ut cætera, quæ in hoc figmento risu digna sunt, omittam, libenter discerem à Mahumetanis, quam ob causam fideles, qui à peccato immunes sunt, cogendi sint ad transeundum super hunc pontem, ad hoc ut duei possint in Paradisum. An nulla alia est via, per quam transitus sit justis è terra ad cœlum? vel nulla alia erit ratio malos à bonis discernendi, quàm hoc judicium pontis Sorat? Sed pergo ad reliqua hujus tàm præclaræ Professionis dogmata.

Quintum: وَرُوِيَ بِالْحَوْضِ الْمَوْرُودِ حَوْضُ مُحَمَّدٍ نَبِيِّنَا يَصُبُّ مِنْهُ لِلْمُؤْمِنِينَ قَبْلَ دُخُولِ الْجَنَّةِ وَهُوَ حَوْلَ الصِّرَاطِ مِنْ عَرْضِ مِنْهُ عَرْضَةٌ لَا بَطْمَا بَعْدَهَا أَبَدًا عَرْضُهُ مَسِيرَةُ شَهْرٍ لَهُ بَيَاضٌ مِنَ اللَّبَنِ وَحُلْيُ مِنَ الْعَسَلِ حَوْلَهُ لِأَبَارِيقُ عَدَدُ نُجُومِ السَّمَاءِ فِيهِ مِيزَابَانِ يَصُبَّانِ مِنَ الْكَوْثَرِ

Credendum est in piscinam Mahumeti, ad quam descendent bibituri Fideles ante ingressum Paradisi, postquam transierint Pontem Sorat. Qui autem semel biberit ex ea, non sitiet amplius in æternum. Latitudo verò ejus habet iter unius mensis: & aqua ejus est lacte candidior, & melle dulcior. Circa eam positi sunt scyphi tot numero, quot sunt stellæ Cœli; & in ea sunt duo tubi, per quos derivatur aqua ex flumine Kauther.

Ad quid, oro, hæc tàm vasta pro fidelibus piscina? an ex laborioso transitu pontis Sorat tantam sitim contraxere, ut non nisi tàm vasto gurgite possint eam extinguere? Hoc verò lubentiùs illis succederet sine tot scyphorum copia, ex ipsi piscinam, faciemque immergendo. At verò modestiæ bibentium consulere voluit Mahumetus. Miror verò, quòd cùm possent bibere ex ipso fluvio Kauther; ex aquis ab eo in piscinam Mahumeti derivatis sitim velint extinguere. At hæc propior erat, nec poterant miseri illi tandiù sitim tolerare, donec ad fluvium Kauther pervenirent. Optima excusatio. Sed cùm aquæ excellentia & perfectio sita sint in claritate seu tenuitate, ac frigiditate: eaque maximè improbetur, quæ colorem ullum habet, aut saporem: cur aqua hæc piscinæ Mahumeticæ alba est, & dulcis, itaut non aquæ, sed potionis medicæ, quæ ægrotis præbetur, nomen mereatur? Postremò, si illi, qui ex hac aqua semel bibant, non sitient amplius in æternum, ad quid Mahumetus ponit in Paradiso mensas cum tot urceis, scyphis, ac pincernis, & præterea tot flumina, lactis, mellis, vini, aquæ, & hujusmodi humorum pro suis sectatoribus? sed ad dogmata seriora veniamus.

Sextum: وَإِنَّ يَوْمَ الْحِسَابِ وَإِنَّ مَصْلَحٌ فِيهِ وَإِنَّ الْمُؤْمِنِينَ مَنْ يَدْخُلُ الْجَنَّةَ بِغَيْرِ حِسَابٍ وَهُمُ الْمُقَرَّبُونَ فَيُسْأَلُ مَنْ يَشَاءُ مِنَ الْأَنْبِيَاءِ عَنْ تَبْلِيغِ الرِّسَالَةِ وَمَنْ يَشَاءُ مِنَ الْكُفَّارِ عَنْ تَكْذِيبِ الْمُرْسَلِينَ وَيُسْأَلُ الْمُتَدَعَةُ عَنِ الْبِدْعَةِ وَيُسْأَلُ الْمُصَلِّينَ عَنِ الْأَعْمَالِ: وَيُؤْمَرُ بِأَهْلِ الْوُجُودِ مِنَ النَّارِ بَعْدَ الِانْتِقَامِ حَتَّى لَا يَبْقَى فِي جَهَنَّمَ مُوَحِّدٌ بِفَضْلِ اللهِ: وَيُؤْمَرُ بِشَفَاعَةِ الْأَنْبِيَاءِ ثُمَّ الْعُلَمَاءِ ثُمَّ الشُّهَدَاءِ ثُمَّ سَائِرِ الْمُؤْمِنِينَ كُلٌّ عَلَى حَسَبِ جَاهِهِ وَمَنْزِلَتِهِ وَمَنْ بَقِيَ مِنَ الْمُؤْمِنِينَ وَلَمْ يَكُنْ لَهُ شَفِيعٌ أُخْرِجَ بِفَضْلِ اللهِ فَلَا يَبْقَى فِي النَّارِ مُؤْمِنٌ بَلْ يَخْرُجُ مِنْهَا مَنْ كَانَ فِي قَلْبِهِ مِثْقَالُ ذَرَّةٍ مِنَ الْإِيمَانِ:

Credendum est etiam in die Judicii, in qua dividentur creaturæ in eas, à quibus strictè exigetur ratio; & in eas, quibuscum benignè agetur; & in eas, quæ sine ullo prorsus examine Paradisum ingredientur: illas nempè, quæ sunt Deo proximæ (hi sunt Angeli, qui vocantur Approximati) *Exiget autem Deus rationem à quocumque voluerit ex legatis suis, de legatione ipsorum, nerum satisfecerint partibus suis: & à quocumque voluerit ex infidelibus, cò quòd noluerint credere in Legatos missos à se. Exiget etiam rationem à Novatoribus, & Hæreticis, de traditionibus libri Sonnæ: & à fidelibus Moslemis de operibus suis. Credere etiam oportet, eos, qui unum Deum coluerunt, exituros tandem esse ex igne Gehennæ, postquam peccatorum pœnas luerint, itaut ex divina benignitate nullus, qui unum Deum crediderit, & colu-*

luerit, in Gehenna sit permansurus. Item credendum est in intercessionem, primò Prophetarum, deinde Doctorum, deinde Martyrum, deinde caeterorum fidelium, uniuscuiusque juxta praestantiam, & gradum suum. Qui autem remanserint ex fidelibus sine intercessore, educentur nihilominus ex Gehenna per gratiam Dei, itaut nullus fidelis in ea permansurus sit, sed exiturus sit ab ea, si in corde ejus fuerit fides, quantum est pondus unius atomi.

Videntur quædam ex his, etiam juxta Christianam fidem, tolerabilia. Nullo tamen pacto admitti potest, eos, qui in unum Deum crediderint; vel atomum fidei in corde habuerint, & denique fideles omnes, quantumvis malos, ac sceleſtos, poſt datas in igne pœnas, tandem ex Gehenna esse exituros. Hoc enim non solùm est contra doctrinam Christi, & Prophetarum, qua docemur, tàm infideles, quàm fideles, & unius Dei cultores, qui in peccato mortali ex hac vita decesserint, æternis Gehennæ pœnis esse cruciandos, nec unquam ab illis liberandos: verùm etiam contra id, quod toties repetit Alcoranus, & multi etiam ex Mahumetanis credunt, gravium peccatorum reos, etiam fideles, in Gehennæ igne esse perpetuò commoraturos.

Septimum: وان يعتقد فضل الصحابة وترتيبهم

افضل الناس بعد رسول الله ﷺ ابوبكر ثم عمر ثم عثمان ثم علي رضوان الله عليهم وان بعض الظن بجميع الصحابة وتغي عليهم كما ابغى الله تعالى ورسوله عليهم اجمعين. فكل ذلك ما وردت به الاخبار ويعتد به الابرار فمن اعتقد ذلك موقنا به كان من اهل الحق وعصابة السنة وفارق رهط الضلال وحزب البدعة. تعمق جماعة فاولوا ما ورد في الاخبار من الميزان والصراط وغيرهما وهو بدعة:

Necesse est etiam confiteri excellentiam sociorum Mahumeti, & gradus dignitatis eorum: & quòd post ipsum Mahumetum, praestantissimus omnium hominum fuerit Abubaker, deinde Omar, deinde Othman, deinde Aly: & de omnibus Mahumeti sociis benè sentire, & eos celebrare, sicut celebravit eos omnes Deus, & Legatus ejus. Et hoc est, quod ex traditione historiarum, & narrationum acceptum est, & manifestis argumentis teſtificatum. Quisquis ergo haec omnia confessus fuerit, & certò crediderit, censendus est ex sectatoribus veritatis, & ex coetu illorum, qui Sonnitæ appellantur, à conventiculo evitantium, & ab Haereticorum turba separatus. Quidam profundiùs haec accepernnt, metaphoricè interpretantes ea, quæ dicuntur de futuro saeculo circa Stateram, & pontem Sorat, & alia. Sed haec est haeresis.

Circa hunc poſtremum articulum, ad ſocios Mahumeti, & ad quatuor primos Caliphas, ſeu ſupremos Antiſtites ejuſdem Mahumeti in Imperio ſucceſſores, pertinentem, nihil aliud mihi dicendum occurrit, niſi Sonnitas magnam injuriam inferre Prophetæ ſuo, qui, ut manifeſtè patet ex Mahumetanorum Hiſtoriis, ſemper benevolentia, & æſtimatione prætulit Aly omnibus ſociis, & affeelis ſuis: & ſexcentis argumentis oſtendit, apertiſque verbis ſignificavit, voluntatem ſuam eſſe, ut Aly ſibi immediatè in Imperio ſucceederet. Quamobrem Sciaitæ à Sonnitis ſe ſe perpetuo ſchiſmate diviſerunt, ut ſuprà jam dictum eſt.

Bené verò eſt, quòd Algazelus concludat, hæreſeos damnandos eos, qui ea, quæ Mahumetus credenda propoſuit, materialiter, & prout verba ſonant, non credidiſſent, ſed ad ſenſum allegoricum, vel metaphoricum detorſiſſent. Tantò enim magis, & apertiùs prodit ſe Mahumetiæ Seſtæ falſitas, & ſtultitia.

Præter hanc Algazelicam profeſſionem, aliæ etiam inveniuntur, quæ in rebus ad theoriam fidei ſpectantibus cum ea ferè conſentiunt. In una earum, quæ inſcribitur: باب ما تلفظ به الالسنة وتعتقد الاذعة من واجبات امور الديانات:

Caput de iis, quæ confiteri debent linguæ, & credere corda circa necessaria ad Religionem, reperio nonnulla alia, quæ cenſuræ notam merentur.

Primò: Dicitur de Throno Dei: ومع كرسيه السموات والارض: *Amplitudo Throni ejus occupat cælos & terram*. Verùm hoc non poteſt conſistere cum eo, quod legitur in alia profeſſione, inſcripta باب عرايج الاسلام. *Caput de Legibus Eslam*: his verbis: ولذا قيل لك اخبرني عن الجنة اين تكون فقل في السماء السابعة وهي مجمع جنات وعليها عرش رب العالمين وجنة عدن على الجنان كلها ومنها تتفجر انهار الجنان وثمارها.... فاولها العز والكرسي وهي جنة عدن والثانية جنة الماوي والثالثة جنة الفردوس والرابعة جنة الخلد والخامسة جنة النعيم والسادسة جنة الجلال والسابعة جنة العلم.

Cùm dictum fuerit tibi: Dic mihi, ubi sit Paradisus? Responde: Est in Cælo septimo, & ipse continet septem paradisos, & super eos est Thronus Domini seculorum: & paradisus Eden est super omnes paradisos, & ex eo derivantur flumina paradiforum, & fructus eorum..... Et paradisus primus est Potentia, & Sedes (ſeu Thronus): *& hic est paradisus Eden. Secundus est paradisus Refugii. Tertius paradisus Pherdaus.* (ideſt Paradiſi). *Quartus Æternitatis. Quintus Naim* (ſeu Deliciarum). *Sextus Gloriæ. Septimus Pacis.* Si hæc Moslemi literaliter ac materialiter non acciperent, poſſent benignius explicari: verùm cùm juxta verborum ſenſum velint eſſe intelligenda, nullo modo poſſunt inter ſe cohærere. Si enim Thronus Dei, juxta eo-

ruq

rum fidem, æquatur amplitudine cum cœlis & terra, quomodo in una parte cœli septimi collocatur? Nullus hæc OEdipus intelligeret, ne dum explicaret.

Secundò: dicitur ibidem: ولا على عرشه المجد بذاته وهو في كل مكان بعلمه:

Et ipse est super Thronum suum gloriosum cum essentia sua; & est in omni loco per scientiam suam.

His verbis manifestum fit, Mahumetanos Sonnitas, & Orthodoxos, non credere, Deum esse ubique per essentiam, sed per solam scientiam, quod est contra omnes Sacras Scripturas. Hunc errorem agnoscentes Giahemitæ, & Motazelitæ, duæ Moslemorum sectæ suprà commemoratæ, docuerunt, Deum etiam per essentiam ubique reperiri. Et ad sententiam suam stabiliendam allegabant verba illa Alcorani, quæ habentur Sura 4. *Mulieres*. v. 108. يستخفون من الناس ولا يستخفون من الله وهو معهم اذ يبيتون ما لا يرضي من القول وكان الله بما يعملون محيطا:

Absconduntur se (nempè impii) *ab hominibus, sed non absconduntur se à Deo, & ipse est cum illis, quando noctu loquuntur, quæ ipsi non placent: nam Deus id, quod faciunt, comprehendit.* Quæ verba ita explicat Thalebiensis Sonnita: ويتعلقت الجهمية والمعتزلة بهذه الاية وان كل مكان وانما معناها بعلم ما يقولون ولا يخفى عليه فعلهم لانه عالم بما يطوح الخلق ويحتروه وليس في قوله (معهم) ما يوجب انه بكل مكان لانه قال لمحمد من في السما ولم يرد بقوله هو في السماء معني غير الذات لان القول بان زيدا في موضع كذا من غير ان يقيد بذكر فعل وغيره من الافعال لا يكون الا بالذات وقد قال الله تعالي اليه يصعد الكلم الطيب وقال يدبر الامر من السماء والو كان معهم اي يبيتون ما لا يرضي بمكان لوجب ان لا يكون معهم اذا هم بيتوا

Et inhæserunt Giahemitæ, & Motazelitæ in hoc versu, (ut confirmarent sententiam suam), *Deum esse in omni loco. Sed re vera sensus horum verborum est: Deus scit id, quod dicunt, neque absconditur ab eo id, quod faciunt: ipse enim novit omnia occulta & manifesta creaturarum. Neque est in eo, quod dicitur (cum eis) quod cogat credere, Deum esse in omni loco: ipse enim dixit: Creditis in eum, qui est in Cælo. Neque voluit per hoc dicere, se esse in Cælo, nisi per essentiam. Nam dicere, Zaidum esse in loco tali, absque mentione operationis, vel alterius cujuscumque rei, est dicere, illum non esse ibi nisi per essentiam. Et jam dixit Deus de se: Ad eum ascendit sermo bonus: & iterùm dixit: Moderatur res è Cælo. Quòd si fuissent cum eis, quando noctu loquebantur id, quod ipsi non placebat, localiter: certè necesse fuisset, ut non esset cum eis, quando non loquebantur noctu id, quod ipsi non placebat.* Admodùm imbecilla & frivola est hæc responsio Thalebiensis: & multò sapientiores sunt in hoc Giahemitæ, & Motazelitæ hæretici Sonnitæ, quàm Sonnitæ ipsi, qui jactant se veros Moslemos, & Orthodoxos. Non immoror in probando hanc veritatem auctoritate sacrarum scripturarum: nam cùm Deus, etiam in sententia prisorum Philosophorum, sit incircumscriptus, & immensus in essentia, necessariò sequitur, illum essentialiter esse ubique.

Tertiò: Dicitur ibidem. وان الله مخالف لخلقه خلق الجنة فاعدها دار خلود لاوليائه واكرمهم فيها بالنظر الي وجهه وهي التي اهبط منها ادم ليعمره وخليفته الي الارض:

Credendum est Deum creasse Paradisum, & præparasse eum pro Palatio æternitatis amicis suis: & honorare eos in eo aspectu faciei suæ: & hic Paradisus est ille, ex quo descendere fecit Adamum prophetam suum, ac Vicarium suum, in terram. Quando scilicet ejecit eum ex illo; postquam pomum vetitum comederat.

Qua in æstimatione habenda sit fides Mahumetana, ex hoc uno colligi potest, quòd illius professores credere tenentur, Paradisum illum, ex quo ejectus fuit Adam ob peccatum suum, fuisse in septimo Cœlo, atque esse eundem illum, in quo Deus exhibet se videndum amicis suis, qui in eodem æterna felicitate fruituri sunt: cùm evidentissimè conster ex sacris literis, Paradisum illum non in Cœlo, sed in terra fuisse: neque ad æternam, & perfectam hominum beatitudinem, sed ad eorundem temporalem habitationem, & naturalem felicitatem, si primorum parentum culpa non obstitisset, à Deo creatum fuisse.

In alia Mahumetanicæ fidei formula relata à D. Gabriele Sionita, in Tract. de Urbibus, & moribus Orientalium c. 4. Auctore Jacob. Filio Said Aly, additur: *necessarium esse credere in Scripturam, quæ missa est ad Legatos, & Prophetas, & dividitur in centum & quatuor libros: quorum decem ad Adam missi sunt; quinquaginta ad Seth; triginta ad Henoch; & decem ad Abraham: quibus accedit Pentateuchus Moysi, Psalterium Davidis, Evangelium Jesu, & Alcoranus Mahumeti.* Idem confirmat Professio jam allegata, de legibus Eslam, his verbis: ان قبل ذلك كم كتب انزل الله من السماء الي الارض فقل مائة كتاب واربعة كتب انزلت التوراة على موسي بن عمران والانجيل على عيسي بن مريم والزبور على داود والقران على محمد ص: وانزل الله منها على شيث خمس صحيفة وعلى ادريس ثلاثين صحيفة وعلى ابراهيم عشر صحايف وعلى ادم

Digitized by Google

ادم عشرة صحايف تمام المائة:

Cùm tibi dictum fuerit: Quot libros demisit Deus è Cœlo in terram? Responde: Centum, & quatuor. Demissus est enim Pentateuchus ad Moysen filium Amran, & Euangelium ad Jesum filium Mariæ, & Psalterium ad David, & Alcoranus ad Mahumetum. Et demisit Deus ad Seth libros quinquaginta; triginta ad Henoch; decem ad Abraham; & decem ad Adam ad complendum numerum centenarium.

Non est dubium, fictitios, & chimæricos esse centum hos libros, qui Adæ, Seth, Henoch, & Abrahæ tribuuntur, si librum Henoch excipias, quem allegat S. Judas Apostolus in Epistola sua canonica. Librum etiam Abrahæ jactant se habere Thalmudistæ, cum titulo ספר יצירה *Liber reformationis*: sed commentitius meritò existimatur, quemadmodum alius liber, quem Auctor libri ילקוט refert compositum à Deo de Anni intercalatione, & Adæ traditum fuisse. Cæterùm non possum non mirari, Mahumetanos credere in libros plerosque à se confictos; eos verò negligere, neque curare, quos ipsis præscribit, & præcipit Mahumetus in Alcorano. Nam Sura 3. *Familia Amran*. v. 82. fingit hæc sibi dici à Deo: قل امنا بالله وما انزل علي ابراهيم واسماعيل واسحق ويعقوب والاسباط واوتي موسي وعيسي والنبيون من ربهم لا نفرق بين احد منهم:

Dic: Credimus in Deum, & in Alcoranum missum ad nos, & in libros missos ad Abraham, & Ismael & Isaac, & Jacob, & Tribus Israel; & in Pentateuchum Moysi, & Euangelium Jesu, & in libros traditos Prophetis à Domino suo: nullum discrimen faciamus inter eos. Et Sura 4. *Mulieres*. v. 162. ita inducitur Deus loquens Mahumeto. انا اوحينا اليك كما اوحينا الي نوح والنبيين من بعده واوحينا الي ابراهيم واسماعيل واسحق ويعقوب والاسباط وعيسي وايوب ويونس وهارون وسليمان واتينا داود زبورا *Nos sanè Alcoranum tibi revelavimus, quemadmodum revelavimus alios sacros libros Noe, & Prophetis, qui fuerunt post eum; & Abrahæ, & Ismaeli, & Jacobo, & tribubus Israel, & Jesu, & Job, & Jonæ, & Aaroni, & Salomoni: & dedimus Davidi Psalterium.* Vides hìc quot sacros libros recenseat Alcoranus à Deo traditos, quos Mahumetani excludunt è Catalogo librorum, in quos credendum esse affirmant: & præsertim libros Prophetarum, quales sunt Isaias, Jeremias, Daniel, Ezra, & alii, quos à Deo traditos negare non possunt. De libris verò Seth, & Adam, & Henoch nullam in Alcorano mentionem invenio.

In eadem formula hæc habentur: *De dogmatibus etiam est, ut credant firmiter in Calamum Divinum, qui digito Dei creatus est. Calamus iste ex margaritis confectus est, talis longitudinis, atque spatii, ut vix eques velox percurrere posset illud quingentis annis. Eo fungitur munere, ut scribat ipsemet omnia præterita, præsentia, & futura. Atramentum, quo scribit, est ex lumine: idioma verò, quo scribit, nemo intelligit, præter Angelum Seraphaelem.* De hoc calamo, in libro inscripto, *Doctrina Mahumet*, quæ est alia professio fidei Mahumetanicæ, à Roberto Retensi, & Hermano Dalmata ex Arabico Idiomate in latinum translata, additur: *Latitudo verò ejus est itineris octuaginta annorum: Octuaginta dentes habet, qui non cessabunt scribere quidquid fit in Mundo usque ad diem Judicii.* Ab eodem Calamo inscribitur in Alcorano Sura 68. ن. والقلم *N. Per Calamum*. Ubi per characterem ن. *N.* ut refert Zamchascerius, quidam putant significari الدواة *Atramentum*; quidam verò اللوح المحفوظ *Tabulam custoditam*, in quam, sicuti in Calamum, credere debent Mahumetani; & de qua mira, vel potiùs ridicula ab iisdem finguntur. Audiatur Gelal. in Sura 85. v. 22. ubi ita scribit: هو في الهوا فوق السماء السابعة محفوظ من الشياطين ومن تغيير شي منه طوله ما بين السما والارض وعرضه ما بين المشرق والمغرب وهو من ذرة بيضا قاله ابن عباس:

Hæc est suspensa in aere supra septimum cœlum, custodita ab injuria Dæmonum, ne quid mutent, vel corrumpant in illa. Longitudo ejus est tanta, quanta inter Cœlum, & Terram: latitudo verò, quanta inter Orientem, & Occidentem: & facta est ex una margarita candida. Dixit hoc Ebnabbas.

En tibi, Christiane Lector, præclarissima dogmata Religionis illius, quam Mahumetus super omnes alias Religiones exaltandam à se esse in Alcorano jactavit. Compara hæc cum gravissimis, ac sanctissimis, quamtumvis difficilibus, & arduis Christianæ Fidei dogmatibus: & manifestè agnosces, utrum Mahumetana, an verò Christiana Religio vera sit, Deumque habeat Auctorem.

F I N I S.

Appen-

Digitized by Google

Appendix.

QUamvis ex iis, quæ in hac Tertia Parte latè disseruimus, satis cognoscere possint Mahumetani, quæ sint Christianæ Religionis Dogmata, in Sacris Scripturis divinitùs revelata; placuit nihilominus hìc eadem subtexere juxta Professionem Orthodoxæ Christianorum Fidei, quæ Summorum Pontificum jussu, Arabicè, & Latinè pro Orientalibus Catholicis edita fuit. Est autem hujusmodi

PROFESSIO
ORTHODOXÆ FIDEI
Ab Orientalibus facienda.

اعتقاد الايمان الارثوذكي الواجب لاهل الشرق
بسم الاب والابن وروح القدس.

انا

In nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.

EGo firma Fide credo, & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, videlicet:

1 Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium, & invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum Filium Dei unigenitum, & ex Patre natum ante omnia sæcula, Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero; genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt: qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de Cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine, & Homo factus est.

اومن ايمانا ثابتا واعتقد بجميع الاشياء واحدا واحدا
كلها بتضمن في قانون الايمان الذي تستعمله
الكنيسة المقدسة الرومانية اعني.

١ اومن باله واحد الاب القادر على كل شيء: صانع
السمآء والارض كلها ترا وما لا ترا: وبرب واحد يسوع
المسيح ابن الله الوحيد المولود من الاب قبل كل
الدهور: اله من اله نور من نور اله حق من اله حق:
مولود غير مخلوق مساوي للاب في الجوهر الذي به
صار كل شيء: الذي من اجلنا نحن البشر ومن اجل
خلاصنا نزل من السموات: وتجسد من روح القدس
من مريم العذري فصار انسانا:

est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus, & sepultus est; & resurrexit tertia die secundum Scripturas, & ascendit in Cœlum, sedet ad dexteram Patris: & iterùm venturus est cum gloria judicare vivos & mortuos, cujus Regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem; qui ex Patre Filioque procedit; qui cum Patre & Filio simul adoratur, & conglorificatur, qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam, & Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum Baptisma in remissionem peccatorum; & expecto resurrectionem mortuorum, & vitam venturi sæculi. Amen.

2 Veneror etiam & suscipio universales Synodos, prout sequitur, videlicet:

Nicænam Primam: & profiteor quod in ea contra Arium damnatæ memoriæ definitum est; Dominum Jesum Christum esse Filium Dei ex Patre natum unigenitum, idest, ex substantia Patris, natum, non factum, consubstantialem Patri: atque impias illas voces rectè in eadem Synodo damnatas esse, quòd aliquando non fuerit, aut quòd factus sit ex iis, quæ non sunt, aut ex alia substantia, vel essentia, aut quòd sit mutabilis; vel convertibilis Filius Dei.

Syn. Nicæn. in Symb.

3 Constantinopolitanam Primam, Secundam in ordine, & profiteor quod in ea contra Macedonium damnatæ memoriæ definitum est: Spiritum Sanctum non esse servum, sed Dominum; non creaturam, sed Deum, ac unam habentem cum Patre & Filio Deitatem.

Synod. Constant. 1. in Symb. & cā. k.

4 Ephesinam Primam, Tertiam in ordine, & profiteor quod in ea contra Nestorium damnatæ memoriæ definitum est: Divinitatem

Epist. 8. Cyrill. lecta, & appro. in Syn. Ephes.

صُلب ايضا من اجلنا في عهد بيلاطس البنطي تالّم وقُبر: وقام في اليوم الثالث كما هو مكتوب: وصعد الي السماء وجلس عن يمين الاب: وايضا سياتي بالمجد ليدين الاحيا والاموات الذي ليس لملكه انقضاء: وبروح القدس الرب المحيي المنبثق من الاب والابن: الذي مع الاب والابن معًا يُسجد له ويمجّد: الناطق بالانبياء: وبالكنيسة الواحدة المقدسة الجامعة الرسولية: اعترف بمعمودية واحدة لمغفرة الخطايا: وارتجّا قيامة الموتي: وحياة الدهر الاتي امين.

2 اني ايضا اكرم واقبل المجامع العامة كما سياتي يعني:

المجمع الاول النيقاني واعتقد بما حُكم فيه على اريوس المحروم ذكره: ان الرب يسوع المسيح هو ابن الله الوحيد المولود من الاب: اعني من جوهر الاب مولودًا غير مصنوع: واحد مع الاب في الجوهر: وان صوابًا حرمت في المجمع المذكور تلك الالفاظ الكافرة ان ابن الله منذ قط لم يكن: او انه مصنوع من اشياء ليست موجودة: او انه كاين من جوهر اخر او من ذات اخري او انه متغيّر او منقلب:

3 المجمع القسطنطيني الاول وهو بالترتيب الثاني: واعتقد بما حكم فيه على مقدونيوس المحروم ذكره: ان روح القدس ليس عبدًا بل ربًا ليس هو خليقة بل الاهًا وله لاهوت واحد مع الاب والابن.

4 المجمع الاول الافسوسي وهو الثالث بالترتيب: واعتقد بما حكم فيه على نسطور المحروم ذكره: بان اللاهوت والناسوت

Digitized by Google

& humanitatem ineffabili & incomprehensibili unione in una persona Filii Dei, unum nobis Jesum Christum constituisse; eaque de causa Beatissimam Virginem verè esse Dei genitricem. P. 2. act. 1.

5 Chalcedonensem, Quartam in ordine, & profiteor quod in ea contra Eutychen & Dioscorum, ambos damnatæ memoriæ, definitum est: Unum eumdemque Filium Dei Dominum nostrum Jesum Christum, perfectum esse in Deitate, & perfectum in humanitate, Deum verum, & hominem verum ex anima rationali & corpore, consubstantialem Patri secundum Deitatem, & eundem consubstantialem nobis secundum humanitatem; per omnia nobis similem absque peccato, ante sæcula quidem de Patre genitum secundum Deitatem, in novissimis autem diebus eundem propter nos, & propter nostram salutem, ex Maria Virgine Dei Genitrice secundum humanitatem; unum, eundemq; Christum Filium Dominum unigenitum, in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nusquam sublata differentia naturarum propter unionem, magisque salva proprietate utriusque naturæ, & in unam personam atque subsistantiam concurrente, non in duas personas partitum aut divisum, sed unum eundemque Filium, & unigenitum, Deum, Verbum, Dominum Jesum Christum. Defin. Synod. Chalce. act. 5. al. 6. quæ repetita habetur in Decr. Concil. Floren. pro Armenis.

6 Item ejusdem Domini nostri Jesu Christi Divinitatem, secundum quam consubstantialis est Patri & Spiritui Sancto, impassibilem esse & immortalem: eundem autem crucifixum, & mortuum tantummodo secundum carnem, ut pariter definitum est in dicta Synodo, & in Epist. S. Leonis Romani Pontificis, cujus ore B. Petrum Synod. Chal. act. 4. & Sy. Leo Papa ep. 10. Felix Papa ep. 5. & 4. Nicolaus Papa ep. 7.

trum Apoſtolum locutum eſſe, Patres in eadem Synodo acclamaverunt: per quam definitionem damnatur impia hæreſis illorum, qui Triſagio ab Angelis tradito, & in præfata Chalcedonenſi Synodo decantato, Sanctus Deus, Sanctus Fortis, Sanctus Immortalis miſerere nobis; addebant, qui crucifixus es pro nobis, atque adeò Divinam naturam trium perſonarum paſſibilem aſſerebant & mortalem.

Synod. 3. col. 6. & col. 8. in anath. Concil. Flor. in dec. pro Jacob. Syn. 6. act. 18. Concil. Flor. in dec. pro Arm.

7 Conſtantinopolitanam Secundam, Quintam in ordine, in qua præfatæ Chalcedonenſis Synodi definitio renovata eſt.

8 Conſtantinopolitanam Tertiam, Sextam in ordine: & profiteor quod in ea contra Monotheletas definitum eſt: In uno eodemque Domino noſtro Jeſu Chriſto duas eſſe naturales voluntates, & duas naturales operationes, indiviſè, inconvertibiliter, inſeparabiliter, inconfuſè: & humanam ejus voluntatem non contrariam, ſed ſubjectam Divinæ ejus atque omnipotenti voluntati.

Syn. 7. act. 7. Concil. Triden. ſeſs. 25. de invoc. Sanct.

9 Nicenam Secundam, Septimam in ordine: & profiteor, quod in ea contra Iconoclaſtas definitum eſt: Imagines Chriſti, ac Deiparæ Virginis, nec non aliorum Sanctorum, habendas, & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam.

Syn. 8. præfertim act. 7.

10 Conſtantinopolitanam Quartam, Octavam in ordine: & profiteor, in ea Photium meritò fuiſſe damnatum; & Sanctum Ignatium Patriarcham reſtitutum.

11 Veneror etiam, & ſuſcipio omnes alias univerſales Synodos, auctoritate Romani Pontificis legitimè celebratas, & confirmatas, & præſertim Florentinam Synodum, & profiteor quæ in ea definita ſunt, videlicet:

الرسول قد كان تكلم بفمه فعرفت بذلك التعديف بدعة اوليك الذين كانوا يزيدون على الثلاثة تقديسات المنزلة على يد الملايكة الوثلثة فى الجمع الخلقيدونى المذكور اى: قدوس الله قدوس القوى قدوس الذى لا يموت ارحمنا: وهم كانوا يزيدون: الذى صلب من اجلنا: فهم بقولهم هذا يقولون ان طبيعة الثلاثة اقانيم الالهية هى ممكنة ان تتالم وتموت.

7 الجمع القسطنطينى الثانى وهو الخامس بالترتيب الذى فيه تكررت قضية الجمع الخلقيدونى المذكور

8 وايضا القسطنطينى الثالث وهو السادس بالترتيب واعتقد بما حكم فيه على المونوليتيين اى الذين يقولون ان فى المسيح مشيئة واحدة واعترف ان سيدنا يسوع المسيح وحده توجد مشيئتان طبيعيتان وفعلان طبيعيان بلا انقسام ولا تبدل بغير ولا انفصال ولا اختلاط: وان مشيئته الانسانية ليست بمعالفة لارادته الالهية القادرة على الكل بل مطيعة لها.

9 الجمع الثانى النيقاوى وهو السابع بالترتيب: واعتقد بما حكم فيه على ايقونقلاستاى اى الكاسرين الصور المقدسة انه واجبا عليهما ان نعوى عندنا ونحفظ ونكرم صورات المسيح والعذرا والدة الله وبباقى القديسين.

10 والجمع الرابع القسطنطينى وهو الثامن بالترتيب: واعتقد ان فيه كواجب الحق حرم فوتيوس واسترد القديس اغناطيوس المطرانية.

11 وكذلك انا اكرم واقبل الجامع العامة الاخر التى اجتمعت باذن البابا الرومانى على موجب القوانين وتمتت بسلطانه: وخصوصا المجمع الفلورنطينى: واعتقد بكم ما حكم فيه: يعنى.

21 ان

12 Quòd Spiritus Sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam suumque esse subsistens habet ex Patre simul & Filio, & ex utroque æternaliter, tamquam ab uno principio, & unica spiratione procedit. Concil. Flor. in Defin.

13 Item dictionem illam (Filioque) veritatis declarandæ gratia, & imminente necessitate, licitè, ac rationabiliter Symbolo fuisse appositam. Ibid.

14 Item, in azymo sive fermentato pane triticeo Corpus Christi veraciter confici, Sacerdotesque in altero ipsum Domini Corpus conficere debere, unumquemque scilicet juxta suæ Ecclesiæ, sive Occidentalis, sive Orientalis consuetudinem. Ibid.

15 Item, si verè pœnitentes in Dei charitate decesserint, antequam dignis pœnitentiæ fructibus de commissis satisfecerint, & omissis, eorum animas pœnis purgatoriis post mortem purgari, & ut à pœnis hujusmodi releventur, prodesse eis fidelium vivorum suffragia, Missarum scilicet sacrificia, orationes, & eleemosynas, & alia pietatis officia, quæ à fidelibus pro aliis fidelibus fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta: illorumque animas, qui post baptisma susceptum nullam omninò peccati maculam incurrerunt, illas etiam, quæ post contractam peccati maculam, vel in suis corporibus, vel eisdem exutæ, sunt purgatæ, in cœlum mox recipi, & intueri clarè ipsum Deum Trinum & Unum, sicuti est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius: illorum autem animas, qui in actuali mortali peccato, vel solo originali decedunt, mox in infernum descendere, pœnis tamen disparibus puniendas. Ibid.

16 Item,

12 ان روح القدس هو من الاب والابن وجوداً ازلياً وله حاصلة ذاته وكونه القائم من الاب والابن معاً: منبثقاً من كليهما ازلية كانهما مبدا واحد له وبنفخة واحدة.

13 وايضا ان تلك اللفظة (ومن الابن) ازدادت في قانون الايمان حلالاً وصولاً للايضاح وللضرورة الحضرة.

14 ثم ان جسد المسيح يتقدس حقاً في الخبز القمحي خميراً كان او فطيراً: والكهنة اجمعون هم ملزومون ان يقدّموا باحد من الجنسين: كل واحد على عادة كنيسته غريبة كانت ام شرقية.

15 ثم ان التايبين بالحقيقة ان كان ماتوا بمحبة الله من قبلما عملوا اثمارا مستحقة التوبة على ما عملوا من الخطايا وتركوا من الحسنات: فارواحهم بعد الموت يطهرون في عذابات المطهر: ولكي ينيحوا من تلك العذابات تفيد لهم معونات المومنين الحيين يعني القداديس والصلوات والصدقات والفضايل والاعمال الصالحة الاخرى التي كانت عادة للمومنين ان يعملوا لاجل اهل الايمان الاخرين كرسايم الكنيسة: وانفس اوليك الذين بعد المعمودية لم يتدنسوا بدنس خطية قط وايضا الانفس اللواتي بعد التدنّس بالخطية ام في اجسادهن ام منتزعة منها قد تطهرن لساعتهن يقتبلن الي السماء ويعاينن معاينة نظراً جهراً الله بذاته ذا التثليث والتوحيد كما هو بذاته ولكن ذلك كاختلاف استيعابهم واحد افضل رايا من الاخر: واما انفس اوليك الذين يموتون في الخطية الفعلية المميتة او في الاصلية فقط: فلوقتهم يهبطون الي الجحيم: لكن عقوباتهم مختلفة.

Digitized by Google

Ibid. 16 Item, ſanctam Apoſtolicam Sedem, & Romanum Pontificem in univerſum Orbem tenere primatum, & ipſum Pontificem Romanum ſucceſſorem eſſe B. Petri Principis Apoſtolorum, & verum Chriſti Vicarium, totiuſque Eccleſiæ caput, & omnium Chriſtianorum patrem ac doctorem exiſtere, & ipſi Beato Petro paſcendi, regendi, ac gubernandi univerſalem Eccleſiam a Domino noſtro Jeſu Chriſto plenam poteſtatem traditam eſſe, quemadmodùm etiam (ut eadem Florentina Synodus aſſerit) in geſtis œcumenicorum Conciliorum, & in ſacris Canonibus continetur.

Concil. Flor. in decreto pro Jacobitis. 17 Item, legalia Veteris Teſtamenti, ſeu Moſaicæ legis ceremonias, ſacra, ſacrificia, & ſacramenta, Domino noſtro Jeſu Chriſto adveniente, ceſſaſſe; & poſt promulgatum Euangelium, ſine peccato obſervari non poſſe. Ejuſdem etiam Legis veteris ciborum mundorum & immundorum differentiam ad ceremonialia pertinere, quæ, ſurgente Euangelio, tranſierunt.

Ibid. 18 Illam etiam Apoſtolorum prohibitionem, ab immolatis ſimulacrorum, & ſanguine, & ſuffocato, illi tempori congruiſſe, ut inter Judæos & Gentiles diſſenſionis materia tolleretur, cujus Apoſtolicæ prohibitionis cauſa ceſſante, etiam ceſſavit effectus.

Concil. Trid. ſeſ. 22. de Sacrific. Miſ. canon. 1. 2. & 3. 19 Pariter veneror, & ſuſcipio Tridentinam Synodum: & profiteor quæ in ea definita & declarata ſunt; & præſertim, offerri Deo in Miſſa verum, proprium, & propitiatorium Sacrificium pro vivis, & defunctis; atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento (juxta fidem, quæ ſemper in Eccleſia Dei fuit) contineri verè, realiter, & ſubſtantialiter Corpus, &

S. 23. de Euch. c. 3. & can. 1. & 2.

16 ثم ان الكرسي المقدس الرسولي والحبر الروماني له رياسة على المسكونة جميعها والحبر الروماني هو بعينه هو خليفة مار بطرس رييس الرسل: ونايب المسيح حقاني: وراس البيعة جميعها وابو المسيحيين اجمعين ومرشدهم وهو في شخص مار بطرس تناول من سيدنا يسوع المسيح السلطان الكلي ليرعي ويدبر جميع البيعة حسبما يقال ايضا في رسايم المجامع العامية وفي القوانين المقدسة كما يشهد المجمع الفلورنطيني المذكور.

17 اعتقد ايضًا ان نواميس الشريعة العتيقة: اي سنن الناموس الموساوي وتقديساته وذبايحه واسراره بعد مجي ربنا يسوع المسيح قد بطلت: ولا يمكن حفظها بعد انتشار الانجيل بغير خطية: وكذلك تمييز تلك الشريعة العتيقة بين الاطعمة النقية والنجسة هو من السنن التي فنيت في اشراق الانجيل.

18 ثم تحريم الرسل عن ذبايح الاصنام والدم والمخنوقات كان واجبا لتلك الازمنة لكي ينزع من بين اليهود والامم سبب المخالفة: فعند بطالة سبب هذا التحريم الرسولي بطل ايضا فعله.

19 ومثل ذلك انا اكرم واقبل مجمع طرينتو واعتقد بكلما حكم وشرع فيه: خصوصًا ان في القداس يقدم لله الذبيحة الحقيقية الخاصية المرضية عن الاحيا والاموات وان في سر القربان المقدس حسب حق الايمان المحفوظ دايمًا في بيعة الله ان فيه جسد

ودم

Sanguinem, unà cum Anima, & Divinitate D. N. J. C. ac proinde totum Christum, fierique conversionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia aptissimè transsubstantiationem appellat, & sub unaquaque specie, & singulis cujusque speciei partibus, separatione facta, totum Christum contineri.

Ibid. can. 3. & Con. Flor. in decr. pro Armen.

20 Item septem esse Novæ Legis Sacramenta à C. D. N. instituta ad salutem humani generis, quamvis non omnia singulis necessaria, videlicet: Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Pœnitentiam, extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium, illaque gratiam conferre; & ex his Baptismum, Confirmationem, & Ordinem iterari non posse.

Sess. 7. de Sacr. can. 5. 4. 6. & 9.

21 Item Baptismum esse necessarium ad salutem; ac proinde si mortis periculum immineat, mox sine ulla dilatione conferendum esse: & à quocumque, & quandocumque sub debita materia, forma, & intentione collatum, esse validum.

Sess. 7. can. 5. & 12. & Concil. Floren. in decr. pro Jacobitis.

22 Item Sacramenti Matrimonii vinculum indissolubile esse: & quamvis propter adulterium, hæresim, aut alias causas possit inter conjuges thori, & cohabitationis separatio fieri; non tamen illis aliud Matrimonium contrahere fas esse.

Sess. 23 de Matr. can. 5. 7. & 8. & Concilio. Floren. in decr. pro Armenis.

23 Item Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones suscipiendas esse, & venerandas.

Concil. Trid. sess 4. in dec. de Can. Script.

24 Indulgentiarum etiam potestatem à Christo Ecclesiæ relictam fuisse, illarumque usum Christiano populo maximè salutarem esse.

Sess. 25. in decr. de Ind. Sess. 5. in dec. de pec. orig. & sess. 6. in dec. de Just. & sess. 4. in decr.

25 Pariter, quæ de peccato originali, de justificatione, de Sacrorum librorum tàm Veteris,

K quàm

ودم سيدنا المسيح مع نفسه ولاهوته حقا حقيقيا جوهريا: وبان جوهر الخبز كله يصير جسدًا: وجوهر الخمر كله يتحول دمًا فذلك التحويل بغاية الصواب سمّته الكنيسة القاثوليقية تحويلاً جوهريا كليًا: ثم انّ في كل واحد من العرضين وفي كل جزء منهما اذا اقسمتا فيه المسيح كله.

20 ثم ان اسرار الشريعة الجديدة المفروضة من سيدنا يسوع المسيح لاجل خلاص جنس البشر هي سبعة: بل كلها ليست هي ضرورية لكل انسان: وهي المعمودية والقربان والميرون والتوبة وزيت المرضا ودرجة الكهنوت والزيجة وكلهن تمتحن النعمة: ومنها المعمودية والميرون ودرجة الكهنوت غير ممكنة التكرر.

21 ثم المعمودية هي ضرورية للخلاص فمن اجل هذا يجب ان تعطا مسرعة بلا تمهيل في خطر الموت: وايمن كان يعطيها واي وقت يعطيها بالمادة والصورة المفروضة وبالنية الواجبة فهي مقبولة.

22 ثم ان رباطة مرّ الزيجة لا تنحلّ وان كانت جائزة مفارقة الزوجين فيما هو للمضجع والمساكنة لسبب الزنا او الهرطقة او اسباب اخر ولكن لا يجوز ان يتزوج احد منهما باخر.

23 ثم ان تقليدات الرسل والبيعة ينبغي لنا ان نقبلها ونكرمها.

24 ثم ان السلطنة على غفران العقابات ابقاها المسيح في البيعة ويفيد كثيرا استعمالها للجماعة المسيحية للخلاص.

25 كذلك ايضا انا اقبل واعتقد بما حكم في مجمع مدينة طرنتو المذكور على الخطية الاصلية والتزكية وعلى عدد الكتب المقدسة من الناموس العتيق

Digitized by Google

de Can. Script.

quàm Novi Testamenti indice, & interpretatione in prædicta Tridentina Synodo definita sunt, suscipio, & profiteor.

26 Cætera item omnia suscipio, & profiteor, quæ recipit, & profitetur Sancta Romana Ecclesia, simulque contraria omnia, & schismata, & hæreses ab eadem Ecclesia damnatas, rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, & anathematizo.

27 Insuper Romano Pontifici Beati Petri Principis Apostolorum successori, ac Jesu Christi Vicario, veram obedientiam spondeo, ac juro.

Concil. Lat. sub Innoc. III. c. 1.

28 Hanc fidem Catholicæ Ecclesiæ, extra quam nemo salvus esse potest, quam in præsenti spontè profiteor, & veraciter teneo, eamdem integram, & inviolatam usque ad extremum vitæ spiritum constantissimè, Deo adjuvante, retinere, & confiteri, atque à meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in meo munere spectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum, ego idem

spondeo, voveo, & juro.

Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Euangelia,

والجديد وتفسيرها.

26 انا اقبل ايضا واعتقد بسائر ما تقبله وتعترف به الكنيسة المقدسة الرومانية وجملة انا احرم وارفض والعن جميع الاضداد والانشقاق والبدعات المحرومة المرفوضة الملعونة من الكنيسة المذكورة.

27 غير ذلك انا احلف واعاهد بالطاعة الحقيقية للبابا الروماني خليفة بطرس الطوباني رئيس الرسل ونايب سيدنا يسوع المسيح.

28 فهذا ايمان الكنيسة المقدسة القاتوليقية التي خارجا عنها ليس يمكن لاحد ان يخلص: فانا الان بارادتي اعتقد به واتمسك به بالحقيقة وانني احفظه واعترفه الى اخر حياتي غاية الثبوت سالما بلا عيب بمعونة الله واني اجتهد بقدر قوتي ان كل رعيتي والذين هم تحت تدبيري انهم يتمسكوا به ويعلموا به ويكرزوا به وانا

هكذا اوعد وانذر واحلف

هكذا الله يعينني

وهذه الاناجيل المقدسة.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Præmium. pagina. 3.

Cap. I. Christianam Religionem veram ac bonam esse, & à Deo institutam. pag. ibid.

Cap. II. Utrum Christiani à sua Religione aberraverint. Argumenta, quibus id probat Mahumetus in Alcorano. p. 9.

Cap. III. Christiani nunquam Religionem suam universaliter deseruere, vel mutavere. pag. 12.

Cap. IV. Non posse assignari tempus, quo Christiani Religionem suam mutaverint, aut deseruerint. pag. 15.

Cap. V. Respondetur tertiæ objectioni contra mysterium Sanctissimæ Trinitatis. p. 16.

Cap. VI. Respondetur ad primum argumentum contra Sacrosanctæ Trinitatis mysterium. pag. 18.

Cap. VII. Respondetur ad secundum argumentum contra mysterium Sanctissimæ Trinitatis. pag. 23.

Cap. VIII. Respondetur ad tertium argumentum contra mysterium Trinitatis. p. 24.

Cap. IX. Ex veterum Hebræorum doctrina Sanctissimæ Trinitatis mysterium comprobatur. pag. 26.

Cap. X. Ex Mahumetanorum principiis probatur Sanctissimæ Trinitatis mysterium. pag. 29.

Cap. XI. Refellitur quarta causa allata à Mahumeto mutatæ Christianæ Religionis, quæ est Christi divinitas. p. 32.

Cap. XII. Argumenta Mahumetanorum contra Christi Divinitatem. pag. 34.

Cap. XIII. Argumenta è Sacris Scripturis desumpta, quibus Mahumetani Christi Divinitatem oppugnant. pag. 38.

Cap. XIV. Alia argumenta contra Christi Divinitatem è Sacris Scripturis à Mahumetanis petita. pag. 43.

Cap. XV. Probatur Christi divinitas ex Sacris Scripturis. pag. 49.

Cap. XVI. Aliis argumentis Christi Divinitas probatur. pag. 54.

Cap. XVII. Messiam, nempè Christum, futurum esse Deum, veterum Judæorum testimoniis ostenditur. pag. 58.

Cap. XVIII. Mahumetanorum quoque testimonio Christi Divinitas comprobatur. p. 59.

Cap. XIX. Respondetur quintæ Mahumetanorum objectioni, contra Christi passionem, & crucifixionem. pag. 63.

Cap. XX. Christum multa passurum, ac violenter moriturum, Prophetæ prædixerunt, veterumque Hebræorum dicta idem confirmant, pag. 67.

Cap. XXI. Respondetur sextæ Mahumetanorum objectioni circa cultum Pontificum, & Monachorum. pag. 68.

Cap. XXII. Respondetur septimæ objectioni circa cultum Sacrarum Imaginum. p. 70.

Cap. XXIII. Respondetur, ultimæ Mahumeti objectioni, quæ est multitudo schismatum in Christiana Religione. pag. 72.

Cap. XXIV. De Sectis Mahumetanorum. pag. 73.

Secta prima Motazelitæ. pag. 74.

Secta Secunda Gebaritæ. pag. 75.

Secta tertia Saphatitæ. pag. 76.

Secta quarta Chargitæ, & Vaiditæ. p. 77.

Secta quinta Morgitæ. pag. 80.

Secta sexta Sciaitæ. pag. ibid.

Cap. XXV. De recentioribus Mahumetanorum sectis. pag. 85.

Cap. XXVI. Dogmata sectæ Mahumetanæ Sonniticæ, seu Orthodoxæ. pag. 87.

Digitized by Google

Digitized by Google

PRODROMI
AD REFUTATIONEM
ALCORANI,
PARS QUARTA,

In qua ex Euangelicis & Alcoranicis Legibus; & ex Christianorum ac Mahumetanorum moribus inter se collatis, Agarenicæ Sectæ falsitas; & Christianæ Religionis veritas comprobatur.

Digitized by Google

PROŒMIUM.

CUm neque ex Sacrarum Scripturarum auctoritate, neque ex miraculorum testimonio, neque ex dogmatum veritate, probare possint Mahumetani sectam suam esse à Deo: & ex opposito, Christianæ Religionis non nisi Deum auctorem esse ex iisdem capitibus, apertissimè demonstretur: supereſt, ut in hac quarta Prodromi nostri parte videamus, utrum saltem ex vitæ morumque probitate, ac sanctitate, & ex virtutum tàm moralium, quàm divinarum ornamento, quæ ex vi & instituto propriæ legis in illis reperiantur, in vera Religione se esse ostendere possint. Ipsi certè jactant se pios, justitiæ fideique cultores; mutuæ inter se charitatis, & cum exteris hospitalitatis sedulos observatores. Jejunia, preces, sacras peregrinationes, eleemosynas se frequentare gloriantur. In Templis, seu Oratoriis, summam reverentiam; in privatis domibus admirabilem per omnia modestiam, & continentiam præseferunt: itaut in his omnibus Christianos ipsos videantur aliquibus ex nostris aliquantò superare. Quis igitur non putet, eos in recta Religione versari, cùm præsertim unum Deum colant, impensèque venerentur: Idola detestentur: Paradisi, Gehennæ, supremi Judicii fidem æquè, ac Christiani profiteantur: fidem ipsam cum operibus conjungendam putent: pœnitentiam ad salutem æternam necessariam esse existiment? Credas Mahumetum minimè erraſſe, cùm Sura 3. آل عمران verſ. 109. *De Familia Amran*, pronunciavit de suis Arabibus خيرامة أخرجت للناس كنتم: *Estis optima gens, quæ producta sit inter homines*. Quærendum igitur est hìc à nobis, ac videndum, utrum vitæ probitas, & virtutum sive moralium, sive divinarum praxis tàm validum sint argumentum veræ religionis, ut, ubi hæc reperiantur, ibi etiam Religio vera esse censenda sit.

CAPUT PRIMUM.

Præmittuntur quædam pro resolutione hujus quæstionis.

ANtequam ad propositam quæstionem respondeamus: quædam præmittenda sunt, in quibus, ut puto, Mahumetani ipsi nobiscum convenient.

Primò igitur dicendum est, vitæ probitatem & integritatem ex multis capitibus oriri posse. Primò: ex simpliciori gentis natura. Ita videmus rusticos, longèque à magnis Urbibus dissitos, quales sunt pastores, agricolæ, & villarum incolæ, esse homines valdè probos, & innocentes. Hoc autem evenit non ex motivo virtutis, sed ex inhabilitate, ut ita dicam, ad malum patrandum. Assiduus enim labor, vivendi austeritas, & parsimonia, abductio à commercio improborum, consuetudo cum aliis sui similibus, efficiunt in illis veluti naturalem vitæ integritatem. Secundò: ex regionum, & climatum qualitate: neque enim negari potest, diversitatem lo-

corum, morum quoque varietate diverſitatem magnam progignere. Id evenit, ut puto, ex qualitate ac temperamento cœli. Hinc Ariſtoteles in lib. Problem. ſect. 14. quæſt. 1. quærit, *cur efferis & aſperioribus & moribus ſint, qui in nimio vel aſtu, vel frigore colunt?* & reſpondet, hoc ipſum, quòd ibi vitam degant, cauſam eſſe, cur tales ſint. *Optima enim temperies* (inquit) *non corpori ſolùm, verùm etiam intelligentiæ hominis prodeſt. Exceſſus autem omnes dimovent; & ut corporis, ita etiam mentis temperamentum pervertunt.* Hinc Interpres Galeni, mores bifariam dividit: alios *innatos* vocat, alios *acquiſitos*. Ait enim: *Innati mores ſunt ex complexione; ſive conſtitutione naturali: acquiſiti parantur & doctrina, & conſuetudine.* Ut autem ſinguli homines habent peculiares mores ex diverſa conſtitutione corporis: ita ſingulæ gentes in vivendi agendique ratione, ex diverſo cœli temperamento inter ſe diſſident. Quin & regiones etiam ob hanc ipſam cauſam diverſa animalia, diverſas plantas, diverſa metalla, lapideſque producunt; diverſa etiam hominum corpora, longiora, vel breviora, nigriora, vel candidiora, formoſiora, vel turpiora: diverſus etiam animi qualitates. Hinc ingenioſiores homines naſcuntur, ibi hebetiores: hic ad literas proni, ibi ad arma: hic ad Religionem, ibi ad mercaturam. Quamobrem non mirum, ſi in moribus & vitæ ratione homines inter ſe juxta regionum varietatem diſſident. Hinc Titus Livius Dec. 5. lib. 5. *Tàm Civitatum, quàm ſingulorum hominum mores ſunt. Gentes quoque alia ira cundæ, alia audaces, quædam timidæ. Hæ in vinum, in Venerem proniores illæ ſunt. Athenienſium populum fama eſt, celerem, & ſupra vires audacem eſſe ad conandum: Lacedæmoniorum cunctatorem, & vix in ea, quæ fidit, ingredientem. Non negaverim, & totam Aſiæ regionem inaniora parere ingenia; & Rhodiorum tumidiorem ſermonem eſſe, quòd excellere inter finitimas nationes videantur.* Inter Platonis placita, illud item obſervatur: *ex variis Cœli locis, aſpectibuſve diverſas ingenerari morum κράσεις*, ſive contemperationes. Innuit hoc ipſum Ariſtophanes, docens, immanendum eſſe τρόποις ἤθεσιν *moribus Regioni cuique propriis*: & apud Græcos vulgatum eſt, νόμῳ ἡ χώρα, *Lex, & regio*: quaſi regionis natura ſit habitatoribus Lex morum. Tertiò: Ex rebus ipſis, quibus homines utuntur, vel aſſueverunt: Hinc Cicero in Orat. contra Rullum, in fine: *Non ingenerantur mores* (inquit) *tàm à ſtirpe generis, ac ſeminis; quàm ex iis rebus, quæ nobis ad vitæ conſuetudinem ſuppeditantur, quibus alimur, & vivimus. Chartaginienſes fraudolenti, ac mendaces, non genere, ſed natura loci, quòd propter portus ſuos, multis & variis mercatorum ſermonibus ad ſtudium fallendi ſtudio quæſtus vocabantur. Ligures Montani, duri, atque agreſtes. Docuit ager ipſe nihil ferendo, niſi multa cultura, & magno labore quæſitum. Campani ſemper ſuperbi, bonitate agrorum, & fœcunditate urbis ſalubritate, &c.* Hinc videmus magnas urbes, in quibus multa eſt hominum extraneorum frequentia, & rerum copia, & ſupremus Dominatus, magnis etiam vitiis & ſceleribus abundare; minuſque in iis juſtitiam, pietatem, temperantiam, ac religionem coli, quàm in exiguis oppidis, ad quæ rarò peregrinus ullus accedit, & ubi nec deliciarum copia, nec honorum ambitus, nec immodicus divitiarum appetitus, honeſtos, ac genuinos mores corrumpunt. Quartò ex prima inſtitutione, & aſſuetudine. Si enim aliqua in Gente, vel Religione, ita homines inſtituantur, atque ita aſſueſcant, ut aliquid in contrarium facere, vel monſtri, vel ſummi ſceleris loco habeatur, non videas facilè ullum, qui illud audeat committere: nam pudor ipſe vetat, & reverentia aliorum. Apud Malavares populos, (ut refert P. Vincentius Maria ſuprà laudatus lib. 3. Itineris ad Indias Orientales) exereare, vel ſpuere, & multò magis pedere, etiamſi ſumma neceſſitas urgeat, neminem videas. Hæc eſt regionis illius conſuetudo, cujus apud alias gentes cura nulla habetur. Quod in hoc accidit apud hos populos, idem alibi in aliis rebus uſuvenit, præcipuè ad Religionem ſpectantibus. Sunt etiam inter Chriſtianos nationes quædam, vel Urbes, vel Oppida, aut Vici, in quibus viros in Templis cum fœminis gregatim orare, maximum piaculum haberetur: ſeorſim viri, ſeorſim fœminæ conveniunt, & precantur. Apud Æthiopes Chriſtianos, nemini niſi nudis pedibus ingredi in Templum licet: ibi verò flagitium eſt ridere, fermoeinari, deambulare, aut aliquid denique meditari, quod non ad cœleſtia ac divina referatur. Refert hoc Oſorius lib. 9. de rebus Emanuelis. Id fert prima loci inſtitutio, & inolita Populo conſuetudo. Hæc eadem in aliis locis aliquantò negliguntur. Fœminæ Mahumetanorum operta velamine facie ac perſona per vias incedunt. Ea eſt illis conſuetudo, quam Chriſtianæ etiam fœminæ ibidem obſervant. Si & hic Romæ, & alibi uſus hoc obtinuiſſet, idem & hic obſervaretur. Quintò: Ex diſciplina, & ſtudio, quo quis & alieno magiſterio, & proprio conatu nititur inolita naturæ vitia tollere, vel quantum poteſt, minuere, & virtutes oppoſitas inferere. Qua in re juxta conatum, vel ſtudium à ſe adhibitum, ita unuſquiſque magis, vel minus bonus evadet. Sextò: Ex naturæ bonitate, ac facilitate ſit, ut quis ſine multo ſtudio ac labore, probus, & honeſtus appareat. Sunt enim qui dam, qui cum Salomone, *fortiti ſunt animam bonam*. Hi tamen, ſi occaſio ſe præbeat, non raro, & faciè, in vitia degenerant: quemadmodum Salomoni ipſi contigiſſe Sacræ literæ teſtantur. Poſtremò, ex peculiari Dei gratia & auxilio vera hominibus virtus, probitas, & ſanctitas conceditur. Licet enim ſemper ſit ex benignitate & gratia Dei, quòd homo rectè agat; cùm tamen hoc evenit ex cauſis jam dictis, & abſque motivo ſupernaturali, dicitur operari juxta vires naturæ: poſtremo autem hoc modo, juxta vires gratiæ, ac ſupernaturaliter; id quod non poteſt ei concedi, qui veram fidem, ac religionem rectam non habet, ſaltem ſubſequenter.

Dico ſecundò: non poſſe naturaliter cognoſci, quando quis ex puris naturæ viribus, univerſali Dei gratia adjutus; quando verò ex ſpeciali ejus gratia & auxilio benè operetur. Nam, præterquamquòd hoc tantummodò ex lumine fidei habetur: videmus etiam eodem ferè modo bene operari fidelem, ac infidelem, etiam in rebus ad Religionem ſpectantibus: imò aliquandò accidit, ut infideles, dum hæc operantur, ſerventius, & accuratiùs ſe gerant (quantum exteriùs apparet) quàm fideles. Hoc negari non poteſt, cùm experientia illud manifeſtè demonſtret. Videmus aliquos Mahumetanos, vel Judæos, atque etiam Ethnicos, non ſolùm eſſe juſtos, temperatos, prudentes, fortes, miſericordes, modeſtos, hoſpitales, &c. ſed etiam Deum, vel Deos ſuos, timere, & amare: Religionem ſanctè colere: preces ſumma cum attentione & reverentia effundere: in rerum divinarum contemplatione diù immorari: cœlum, & cœleſtem beatitudinem anxiè ſperare: myſteria, quæ

Digitized by Google

quæ à Deo revelata credunt, & nos etiam credimus firmiter tenere, & pro his aliquando pœnas & mortem perferre: postremò de his ipsis rebus libros satis doctè conscribere.

Dico Tertiò: Fieri quidem posse, saltem aliquando, ut in falsa Religione quibusdam in rebus meliùs moraliter vivatur, & opera materialia religionis ipsius, meliùs apparenter, quàm in vera exerceantur: nam ut dixit Christus; *Prudentiores filii tenebrarum filiis lucis in generatione sua sunt*: universaliter tamen loquendo, hoc non contingit, neque contingere potest. Et si tota simul ratio vitæ complexè accipiatur in vera, & in falsa Religione; semper melior erit in vera, quàm in falsa. Hoc manifestiùs patebit in sectâ Mahumetana, & aliis, & in Religione Christiana, cùm inter se comparabuntur.

Dico quartò: Non esse signum certum veræ Religionis, quòd semper in ea universaliter laudabiliùs vivatur, quàm in falsa, dummodò habeat hujusmodi leges, & institutа, ut si secundùm illa vivatur, meliores sint in ea homines, quàm in falsa. Neque verò necesse est, vel etiam contingit, ut semper in vera Religione omnes vivant juxta leges illius: sufficit, ut plerique, vel saltem aliqua pars eas observent: ita tamen ut hæ semper maneant in suo robore; & si quis contra eas peccet, secundùm easdem puniatur, & corrigatur: vel saltem communi consensu non approbetur, imò tamquam malum damnetur, & pro illicito habeatur id, quod contra leges admittitur.

His positis: dico absolutè, Religionem Christianam veram, & bonam esse: Mahumetanam autem falsam, & malam; quia Christiana meliores, & sanctiores leges habet, quàm Mahumetana; & universaliter, & ut plurimùm in ea meliùs, & laudabiliùs vivitur, quàm in ista. Et quidem valdè stulti, ne dicam impii, sunt illi, qui, eò quòd inter Christianos mala aliquot, vel scandala videant, vel injustitiam aliquam, aut injuriam ipsi patiantur, statim Mahumetanos meliores esse proclamant. Utinam hi per aliquod tempus sub illorum tyrannide vixissent; & fraudes, sævitiam, impietatem, injustitiam, flagitia, & spurcitias eorum experti fuissent! aliter certè loquerentur.

CAPUT SECUNDUM.

Comparantur inter se Leges Religionis Christianæ, & Sectæ Mahumetanicæ.

Non loquor de legibus pertinentibus ad dogmata, seu ad ea, quæ credenda sunt tamquam à Deo revelata: sed de iis, quæ spectant ad praxin: nam de primis jam satis in tertia parte differui: & dico, Alcoranum, quæ est lex primaria, & divina Mahumetanorum, nihil boni, ac veri continere tàm quoad virtutes morales, quàm quoad exercitium religionis, cultumque divinum, quod in Euangelio, & libris Apostolicis (quæ est Lex Christianorum) multò plenius, & perfectius non contineatur. Alcoranus quippe, juxta Sapientium Moslemorum doctrinam, continet الاحكام والقصص والوعظ *Judicia, Historias, & Paræneses*. Historiæ non faciunt ad rem nostram: Paræneses sunt hortamenta ad bonum, & ad actus virtutum. His plenum est Testamentum novum: nec reperies in Alcorano rem ullam laude dignam, ad quam Mahumetus hortetur, ut ad eandem Christus, atque ejus Apostoli, meliùs, & efficaciùs non hortentur. Judicia spectant partim ad religionem, partim ad Jus merè politicum. De secundis, non est quod disceptemus: nam apud Christianos quilibet ferè Princeps absolutus habet leges suas peculiares, quamvis plerique Cæsareis etiam utantur. Neque Christus venit ad leges civiles ferendas: non enim instituere volebat Regnum temporale, sed spirituale, & æternum. Quamobrem mundanas leges in suo robore reliquit, præter eas, quæ divinæ legi adverſabantur: quas propterea Christiani rejecerunt. Et, si quid hujusmodi in illis adhuc reperiatur: neque probatur, neque licitum censetur, quamvis ad majus malum vitandum aliquando toleretur. Ob hanc rationem possunt, imò tenentur Christiani servare leges politicas Principum infidelium, sub quibus vivunt, dummodò Christianæ Religionis statutis non adversentur. Comparare verò leges politicas Alcorani cum legibus ejusdem generis exterorum Principum, & præsertim Christianorum, ad rem nostram non pertinet. Nihil enim refert disquirere, quid hic, vel illi decernant circa testamenta, circa hæreditates adeundas, circa conjugia, circa pœnas reorum, & alia hujusmodi, quæ ad communem sus Gentium spectare noscuntur.

Est tamen magnum discrimen inter leges politicas Alcorani, & aliarum Gentium. Nam Alcoranicæ leges supponuntur immediatè traditæ à Deo, & ideò semper pertinent ad negocium Religionis: & si quid in illis injusti contineatur, non potest corrigi per aliam legem: & præterea vitiat ipsum Religionem. Aliarum verò gentium politicæ leges, si quid contra jus & fas contineant, corrigi possunt vel per aliam legem politicam, vel per censuram Religionis, quæ proinde nihil ex iis detrimenti patitur. Si itaque inveniamus in Alcorano aliquid, quod naturali lumine cognoscatur malè statutum, sequitur necessariò, Mahumetanicam legem non posse esse à Deo, & consequenter Moslemos in falsa Religione versari.

Est autem in confesso non solùm apud Mahumetanos, sed etiam apud alias Gentes, & apud Hebræos ipsos Christiani nominis hostes (quantum videre potui), in tota lege Euangelica nihil præcipi, aut proponi quoad virtutes, ac mores, quod rectæ rationi consonum non sit: neque ullus unquam poterit vel in quatuor Euangelistis, vel in aliis libris Apostolicis reperire, quod possit meritò ab homine sapiente reprehendi. Utrum verò hæc eadem laus Alcorano tribui possit, alibi fusiùs discutiemus, cùm Alcoranum ipsum, si Deo placuerit, consutabimus. Nunc satis sit duas illius leges afferre ex secunda Sura, quæ inscribitur البقرة *Vacca*. Prima est vers. 223. his verbis: نساؤكم حرث لكم فأتوا حرثكم أنى شئتم: *Mulieres vestræ sunt ager vobis: venite ergo ad agrum vestrum quomodocumque volueritis*. Communis nostrorum opinio est, per hæc verba concedi à Mahumeto viris usum nefarium cum suis uxoribus: & revera talis fuit illius mens, licet Doctores Moslemi recentiores eum ab hac tàm turpi nota liberare conentur. Dicunt enim repugnare verba præcedentia: فأتوهن من حيث أمركم الله *venite ad eas deindè præcepit vobis Deus*; explicat Gelaleddinus:

nus: ومو القبل *nempè à parte anteriori*. Sed respondemus, hunc versum manifestè abrogatum fuisse per sequentem, in quo conceditur illis, ut accedant à quacumque parte velint; hoc enim significat vox Arabica أني. Vel dicendum est, idem esse من حيث امركم الله *deunde præcepit vobis Deus*, ac أني شيتم *quomodocumque volueritis*. Nam non invenimus in toto Alcorano aliud Dei præceptum circa hoc. Sed legitimus sensus primorum verborum est, ut accedant ad eas, quatenus præcepit ipsis Deus; videlicet, extra tempus menstrui. Et ita intellexisse videtur Gelal. dum glossavit: فاتوهن للجماع من حيث امركم الله بتجنبه في الحيض: *Venite ergo ad eas ad coitum cum illis; quatenus præcepit vobis Deus, ut abstineatis ab eo in menstruo*: idest, dummodò observetis id, quod præcepit vobis Deus, &c. Eodem modo insignis Doctor Ebn-Abbas: من حيث امركم الله ان تجتنبوهن *quatenus præcepit vobis Deus, ut abstineatis ab eis*: nempè in menstruo.

Dicunt secundò: Mahumetum in Alcorano non semel sodomiticum scelus improbasse; imò & pœnam illi statuisse.

Respondemus, semper in Alcorano agi de hujusmodi flagitio inter solos mares, cujusmodi erat inter Sodomitas: nunquam de eo, quod fit inter maritum & conjugem, vel inter virum, & fœminam. Nunquam verò illi, quod inter solos mares perpetratur, pœnam ullam statuit Mahumetus, sed tantùm dicit: فان تابا واصلحا فاعرضوا عنهما ان الله كان توابا رحيما *Facite illis aliquid molesti* (explicat Gelal. بالصب والضرب بالنعال *convicia ingerendo, & crepidis verberando*). *Quòd si eos pœnituerit, & se correxerint, recedite ab eis* (Gelal. ولا تاذوهما *ne molestetis eos*:) *nam Deus propitiabilis est, & misericors*. Flagitio illi, cui Deus in lege sua atrocissimæ mortis supplicium constituit, & quod in Sodomitis ignis ac sulphuris diluvio punivit, Mahumetus jocularem, ac ludicram pœnam sancivit, quam etiam indulgeri voluit, si flagitiosi illi pœnitentiam, vel resipiscentiam aliquam ostendissent. Quid, oro, mitius ac lenius agi poterat cum eo, qui lectum dormiendo comminxillet?

Dicunt tertiò: Verba Alcorani in suo vero sensu esse accipienda: nimirùm, conceditur quidem viris, ut accedant ad uxores quomodocumque, & undecumque voluerint, videlicet, ut ait Gelaleddinus, cum aliis Expositoribus من قيام وقعود واضطجاع وقيام وايسار *Stando, sedendo, jacendo, à parte anteriori, à posteriori*: sed cum hoc; ut semper semen effundat in vas naturale. Reddit autem rationem Gelaledd. hujus Alcoranicæ Sanctionis, dicens: نزل ردا لقول اليهود من اتي امراته في قبلها من جهة دبرها جاء الولد احول: *Hoc dictum fuit ad respondendum Judæis, qui dicebant: Qui coierit cum uxore sua in vase quidem anteriori, sed à parte posteriori, procreabit filium fagaciorem, & ingeniosiorem*. Idem confirmat Jahias, & alii ab eo allegati. Ne igitur Mahumetani his Judæorum ineptiis crederent, præcepit illis, ut cum uxoribus quocumque modo vellent, sive à parte anteriori, sive posteriori, sive jacendo, sive stando, sive sedendo coirent.

Ego verò existimo, hæc esse Doctorum Moslemorum recentiorum miserrima subterfugia ad prophetam suum excusandum: & credo, re vera Mahumetum nefarium hoc scelus viris cum uxoribus suis concessisse. Et certè hæc fuit mens illius: & primi illius asseclæ, & alii deinceps ita sensere, & in praxi observavere: neque dubito, hodie quoque ab illis observari, præsertim cùm ad sodomiticum etiam cum maribus flagitium videamus eos esse tàm proclives, & absque ulla verecundia illud passim exercere. Sed audiamus circa hoc S. Petrum Pascha sium Episcopum Giennensem, & Martyrem, qui historiarum, rerumque Mahumetanicarum erat peritissimus, utpote inter Mahumetanos natus, & usque ad mortem, quam ab iis pro Christi fide passus est, commoratus: in libro de Historia Mahumetanica, Titulo 1. cap. 4. num. 36. ita scribentem: *Quarta facultas & licentia à Mahumeto concessa, est valdè vilis, & ignara; quia evidenter naturæ opponitur, & contrariatur. Legitur enim in Mauvorum libris, quòd aliqui illorum Mahumetum interrogaverunt; si licitum illis esset & concessum, relicta concipiendi natura, uti suis mulieribus ad nutum voluntatis ipsorum. Et respondit Mahumetus: Vestræ mulieres sunt ager vester: seminate ubicumque vobis placuerit. Unde ipsemet Mahumetus in diebus menstrualibus suarum mulierum, utebatur illis vase præposterо. Et sic Axa* (Aisa) *uxor illius, circa hoc dedit contra Mahumetum testimonium pessimum & vile, sic dicens: Mahumetus mihi jussit, meam operire naturam, quando volebat coire mecum tempore menstrui. Et insuper Maymona uxor illius dixit; quòd quando Mahumetus cum aliqua ex suis mulieribus cubare volebat, jubebat illam, quæ tunc habebat menstruum, quòd naturam suam coopertam esset, pannisque etiam eam comprimeret: & tunc utebatur illa. Et circa hanc materiam Maurus quidam illum interrogavit, dicens: Quid faciam, quando mea est in menstruis uxor? Et respondit illi Mahumetus: Comprime super ejus naturam femoralia illius (nam femoralibus utuntur mulieres Mahumetanæ), & reliquis ejus membris, seu corporis partibus, scito, te pro tua voluntate uti posse*. Nunquam tantus ac tàm sanctus vir hæc conscripsisset, si ea verè in Mahumetanorum libris non legisset.

Verùm ut admittamus benignam, licet falsam, recentiorum Moslemorum interpretationem: videturne præceptum honestati ac modestiæ consentaneum, ut maritus utatur uxore sua, quantumvis ad prolem suscipiendam, undecumque, & quomodocumque libido suggesserit? Quænam hæc tanta turpitudo? quæ belluina rabies rei Venereæ? Præscribitne Mahumetus leges hominibus, an pecudibus? Et tamen pecudes, atque

Digitized by Google

que omnia bruta, fervant semper certam regulam in coitu: Sunt ne præcepta hæc digna libro illo, quem à Deo traditum fuisse, & in essentia Dei custodiri contendunt?

Altera lex, seu sanctio, est in eadem Sura, vers. 229. & 230. his verbis. الطلاق مرتان... فان طلقها فلا تحل له بعد حتى تنكح زوجا غيره فان طلقها فلا جناح عليهما ان يتراجعا ان ظنا ان يقيما حدود الله: *Repudium conceditur duabus vicibus.* Et mox: *Quòd si* (tertiò) *repudiet illam* (virejus), *non licebit deinde recipere illam, nisi priùs nubat alteri viro. Quòd si is repudiet illam; nullum erit piaculum utrique* (nempè fœminæ repudiatæ, & primo viro) *si iterùm simul conjugio copulentur: dummodò existiment se servare posse statuta Dei.* Ulius hujus legis hodiernus est hujusmodi. Qui bis repudiatam uxorem cupit tertiò recipere, si illa ad hoc consentiat, advocat aliquem, qui coram se, rem cum illa habeat. Postea is recipit eam iterùm in uxorem.

Hanc legem esse non solùm contra legem divinam, sed etiam contra omnem rationem naturalem, cæcus prorsus est, qui non videt. Nam in Pentateucho, Deuter. c. 24 ita præscribit Deus de muliere semel à viro repudiata: *Cùmque egressa, alterum maritum duxerit, & ille quoque oderit eam, dederitque ei libellum repudii, & dimiserit de domo sua, vel certè mortuus fuerit, non poterit prior maritus recipere eam in uxorem, quia polluta est, & abominabilis facta est coram Domino, ne peccare facias terram tuam.* En tibi Prophetam illum, qui Pentateuchum, & Euangelium toties commendat, ac servandum esse affirmat. Abutitur nimirùm Pentateucho, & Euangelio, ea desumens ex utroque, quæ in rem ipsius tantummodò facere videntur. Præter sanè naturali lumine, quàm justè Deus Optimus Maximus per Moysem statuerit, ne repudiata, ubi alteri viro nupserit, ad primum possit redire. Hinc enim sequerentur iræ, rixæ, inimicitiæ, & alia sexcenta mala: magna quoque facilitas ad uxores repudiandas, cùm semper esset libertas illas reducendi. Posset præterea mulier adulterium suum posset explere, cum spe iterùm ad priorem maritum redeundi: & propterea fecundo marito neem fortassè molireturi. Hæc omnia mala, quæ per Divinum præceptum caventur, per Mahumetícam legem invehuntur.

Præterea est prorsus irrationale, & naturæ ipsi repugnans, ut non possit primus vir uxorem bis à se repudiatam recipere, nisi illa alteri viro se se ante prostituerit. Honestius igitur erit, uxorem suam ab altero subactam, quàm intactam, maritalis thori consortio iterùm admittere. Neque satis est, si dicant Moslemi, concubitum illum cum alio viro, esse verum conjugium. Nam cùm conjugii effectus sit unio inter duo (ut habetur Genesis cap. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carnem unam*), Alcoranus huic fini omninò repugnat, dum vetat, ne fœmina possit uniri cum uno viro, nisi priùs cum altero uniatur. Unio quippè cum uno, unioni cum altero adversatur; ut apparet quotidie in viris, qui alia fœmina præter suam uxorem abutuntur: & in fœminis, quæ alium virum præter suum semel degustaverunt. Sed certum est, hoc non esse verum matrimonium, sed fornicationem, & adulterium, in fraudem ipsius matrimonii: & hoc prætextu utuntur fœminæ Mahumetanæ suapte natura lascivissimæ, ad explendas libidines suas, curantes variis artibus repudium geminatum à viris, à quibus sciunt se amari, ut possint alicujus amasii voluntati inservire; certæ enim sunt, se non posse iterùm à viris suis revocari, (à quibus tamen sciunt se ardenter amari, ac propterea ab illis revocandas) nisi anteà alicui se prostituerint.

Sed perstant Moslemi, hoc esse verum matrimonium (nam apud illos, matrimonia ad paucos, & aliquando ad unum mensem, ut in Peregrinatione Meccana, contra omnium Gentium consuetudinem, & contra naturæ ipsius dictamen, celebrantur): illud tamen meritò sieri in pœnam levitatis, & inconstantiæ mariti. Sed contrà, quia hic major sit injuria uxori, quàm marito, dum cogitur, quò possit ad primum maritum redire, se alteri substernere. Quid enim deliquit mulier, si vir injustè, & sine ejus culpa secundò eam repudiarit? Si verò hic justè eam à se rejecit, vel etiam si ipsa sponte repudium voluit, non debet innocenter puniri ipsa, cum tanto probro suæ uxoris. Non decrant aliæ pœnæ congruæ & honestæ, quibus vel mariti, vel uxoris inconstantia puniri posset? Posstremò per hanc Alcoranicam sanctionem, lata via aperitur ad sexcentas fraudes in matrimoniis celebrandis. Satis sit hæc duo exempla attulisse ex innumeris, quæ sunt in Alcorano, sanctionum iniquarum, rectæque rationi, & naturæ lumini repugnantium. Quid verò hujusmodi in lege Christi reperies? Quàm longè abest hæc ab hujusmodi obscenitatibus? Quàm pura, quàm sancta, quàm recta, ac justa esse cognoscitur?

Si igitur reperiamus legem Christi perfectionem, & sanctionem lege Mahumeti, eam hoc præterea, quòd in lege Christi nihil mali, nihil injusti, nihil quod pium, sanctum, honestum, ac rationabile non sit, reperiatur: in lege autem Mahumetica, nonnullis laudabilibus exceptis, multa improbanda, rectæque rationi adversantia admixta sint: concludendum erit necessariò, veram Religionem non apud Mahumetanos, sed apud Christianos, reperiri. Hùc accedit, in Euangelica lege non solùm contineri, & quidem perfectius, omnia illa, quæ in Alcoranica laudabilia continentur, sed plura alia, quæ summam illius perfectionem, ac sanctitatem demonstrant. Ubi enim in Alcorano Amor Dei ex toto corde, ex tota anima, ex omnibus viribus? ubi dilectio inimicorum? ubi orare pro persequentibus, & calumniantibus nos? ubi benefacere his, qui nos oderunt? ubi carnalibus voluptatibus etiam licitis, per votum perpetuæ virginitatis, vel castitatis, renunciare? ubi relinquere omnia, & abnegare seipsum; & Christum, crucem ferendo, sequi propter amorem ipsius Christi, & ipsem vitæ æternæ? ubi auditur, *Beati pauperes spiritu?* ubi, *Beati qui lugent?* ubi præcipitur conjugium cum unica uxore, quam nunquam repudiare, aliam ducendo, sit fas, etiam si propterea Regnum esset amittendum? ubi peccata interna, præsertim concupiscentiæ, à Mahumeto vel damnantur, vel prohibentur? certè Ahmed filius Abdalhalimi in sua Apologia, pag. mihi 379. affirmat, Deum dixisse Mahumeto: من هم بحسنة فلم يعملها كتبت له حسنة فان عملها كتبت له عشر امثالها الى سبعمائة ضعف الى اضعاف كثيرة فان هم بسيئة فلم يعملها لم تكتب شيأ فان عملها

Digitized by Google

عملها كثيرين مرة واحدة:

Qui proposuerit animo facere unam rem bonam, sed non fecerit: adscribetur ei una res bona (ideſt mercedis illius illi tribuetur). *Si autem fecerit; adscribentur ei decem bona. Si verò proposuerit animo facere unam rem malam, & non fecerit: nihil mali illi imputabitur. Si autem fecerit: imputabitur ei tantùm unum malum.* At ex Chriſti doctrina, damnantur, & pœna cenſentur digna, non ſolùm opera mala, ſed etiam deſideria, imò cogitationes malæ, quamvis in ſola delectatione mali abſque deſiderio verſentur. Neque ſolùm opera mala, verùm etiam hujuſmodi deſideria, & cogitationes cujuſcumque ſpeciei, in confeſſione facerdotibus ſunt manifeſtanda, ut ab eorum reatu poſſit aliquis abſolvi: alioqui æternis Gehennæ incendiis erit obnoxius. Innumera alia ſunt in lege Chriſti præcepta, & conſilia plena perfectionis, ac ſanctitatis, quorum ne veſtigium quidem in Alcorano reperitur.

Hùc accedit, legem Euangelicam totam tendere ad formandum hominem ſpiritualem, & internum, & diſponendum illum ad æternam beatitudinem. Et ideò non agit de judiciis, & diſpoſitionibus civilibus, quibus terrenæ ac mundanæ res gubernantur. Alcoranus verò è converſo totus eſt in tradendis legibus probellis, conjugiis, hæreditatibus, & hujuſmodi. Plura etiam ſancit circa exteriores ritus in precibus, peregrinationibus, lotionibus, purgationibus, diſtinctionibus ciborum, & aliis hujus generis, quæ nihil conferunt ad internam, & veram ſanctitatem. Quamobrem Mahumetani toti ſunt in his rebus, ad ſuperſtitionem potiùs quàm ad pietatem ſpectantibus: & de ſola exteriori apparentique bonitate, ſibi plaudunt, ac ſatisfaciunt: atque interim (ut exprobrat illis Algazelus) الباطن خراب وهمهم بخلبيتن

الكبر والعجب والجهل والرياء:

id, quod eſt interius, deſolatum eſt, & oppletum vitiis ſuperbiæ, faſtus, inſcitiæ, & hypocriſis. Prophetam ſcilicet ſuum in hoc imitantur.

Ut verò ordine aliquo procedamus, exordiemur à legibus ac ritibus peculiaribus ſectæ Mahumetanicæ ad praxin ſpectantibus; & deinde ad ea, quæ circa virtutes morales cæteris nationibus communia ſunt, in Mahumetanis diſcutienda tranſibimus, & in utriſque illos cum Chriſtianis, atque etiam cum aliis gentibus comparabimus: ut manifeſtè appareat, quanto intervallo in iis, quæ tàm ad religionem, quàm ad Ethicam ſpectant, Moſemi non ſolùm à Chriſtianis, ſed ab aliis etiam gentibus, ſaltem in aliquibus rebus, ſuperentur: ac proinde non ultrà ſibi propter virtutum prærogativam de vera religione blandiantur.

CAPUT TERTIUM.

Proponuntur, & explicantur leges peculiares practicæ Religionis Mahumetanicæ.

GRegorius Abul-Phargius filius Alhakimi, Auctor Arabs, ſed Chriſtianus, qui tamen apud ipſos Mahumetanos magnam habet fidem, & æſtimationem, in Tractatu ſuo, quem inſcripſit لمع اخبار العرب: *Elucidarium Hiſtoriarum Arabum*, ſect. 3. ita Mahumetanicæ religionis praxin proponit:

بالجمعة اصول شريعة الاسلام الطهارة فى حوائج الانسان والمراقد لازمالها وملازمها الحمام.

والصلوة وهى خضوع وتواضع لرب العزة: والزكوة وهى مواساة ومعونة والفضال: والصيام وهو صبر باطنة وتذليل وقمع الشهوة تحصل به رقة القلب وصفا النفس: والحج وهو مثال الخروج من الدنيا والاقبال على الاخرة واكثر ما فيه من الشدائد امتحان وابتلاء العبد باستقباله ما شرع له وذلك كالعرى والهرولة فى الطواف ورمى الجمار ولما الجمعة والاعياد فجعلت جمعا للامة يتلاقون ويتزاورون ويتحدثون فيها عن كل الكسع: ولما الختان فهو منة فيه ابتلاء وامتحان وتعليم: ولما تحريم الميتة والدم فهو كراهية النفس ونفار الطبع ما يوجب الاشتغال منها:

In ſumma radices Legis Eſlamiticæ ſunt; Mundities in extremis hominis partibus (nempe in obſcœnis, & pudendis), *& in oris veſtimentorum ejus, eò quòd dependeant, & in immunda incidant. Oratio, quæ eſt demiſſio ſui, & humiliatio Domino Majeſtatis. Eleemoſyna, quæ eſt communicatio in miſeriis, & auxilium, & liberalitas. Jejunium, quod eſt domatio, & depreſſio, & ſubjugatio concupiſcentiæ; qua producitur contritio cordis, & puritas animæ. Peregrinatio, quæ eſt typus exitus ex hoc mundo, & profectionis in aliud ſæculum. Et pleræque, quæ in hac ſunt cæremoniæ, ſeu ſacræ obſervationes, ſunt ad probationem & exercitationem hominis in obſervantia eorum, quæ præcepta ſunt ei: cujuſmodi ſunt, curſus, & inceſſus, modò lentus, modò feſtinatus in circumeundo fanum Meccæ, & jactatio lapillorum. Dies autem Veneris, & alia Feſta, inſtituta ſunt ad congregandum populum, quò ſeſe mutuò inviſant ac ſalutent, & à laborum tædio requieſcant. Porrò Circumciſio eſt ſtatuta ad probationem, & experimentum, & traditionem ſui Deo. Denique prohibitionem morticini, & ſanguinis, ex eo quòd hæc natura abhorreat & refugiat, ſatis perſuadetur neceſſariam, vel convenientem fuiſſe.*

His ab Abul-Phargio nimis honorificè commemoratis, conformia ſunt, quæ in Alcorano, & in diverſis Mahumetanicæ Sectæ Profeſſionibus leguntur.

In Libro باب شرايع الاسلام: *De Legibus Eſlamiticis*, Interrogatione 2. hæc habentur: واذا قيل لك عن الاسلام فقل دعايم الاسلام خمس: شهادة ان لا اله الا الله وحده لا شريك له: والزكوة المكتوبة: والصلوة المفروضة:

Digitized by Google

المفروضة: وصوم رمضان والحجّ الى بيت الله الحرام من استطاع اليه سبيلا:

Interrogatus, quæ sint bases Religionis Eslam: responde: sunt quinque: Professio unitatis Dei: Eleemosyna præscripta: Oratio statuta: Jejunium mensis Rhomadan: Peregrinatio ad Delubrum Meccanum pro iis, qui possunt talem peregrinationem suscipere. Interrogatio verò undecima est hujusmodi: واذا قيل لك ما وجوه شرايعك فقل شهادة لا اله الّا الله وحده لا شريك له والاقرار ان محمّدًا عبده ورسوله: والصلوة المكتوبة: والزكوة المفروضة: وصيام شهر رمضان: وحجّ البيت الحرام: والغسل من الجنابة: والاختتان: الجهاد في سبيل الله: والامر بالمعروف: والنهي عن المنكر: وحبّ الصالحين: وبغض الفاسقين: وكظم الغيظ: والغفر عن الجاهل: وبر الوالدين: والترحيب بالضيف: وحسن المسامحة للضيف: والرفق بالمملوك: واكرام العشيرة: والنصيحة لجميع المسلمين وايمتهم وتحليل ما حلّ الله وتحريم ما حرّم الله

Cùm tibi dictum fuerit: Quænam continentur in tuis legibus? Responde: Professio Unitatis Dei, & legationis Mahumeti servi ejus: Oratio præscripta. Eleemosyna statuta: Jejunium mensis Rhomadan: Peregrinatio ad Fanum Meccanum: Abluere se à pollutione: Circumcisio: Pugnare pro religione: Præcipere justum: Prohibere injustum: Amare probos: Odio insequi improbos: Refrænare iram: Compati ignorantibus: Debitum officium præstare parentibus; Perbenignè excipere hospites: Leniter agere cum afflictis: Facilem esse cum captivis: Honorare contribules: Benè consulere omnibus Moslemis, & Antistitibus eorum: Licita habere, quæ Deus concessit; & quæ prohibuit, illicita. Pleraque ex his spectant ad virtutes morales, & ad legem gentium, seu naturæ: sicut etiam ea, quæ ponuntur in Interrog. 12. sequenti; excepto peculiari statuto ex Alcorano: اعتزال النساء في المحيض حتي يطهرن فاذا يطهرن فاتوهن من حيث امركم الله:

Abstinere à fœminis in menstruo: Ubi verò menstruum cessaverit, accedere ad eas exunde præcepit Deus.

Interrogatio 13. hæc prætereà continet: واذ قيل لك كم في جسدك من السنّة: فقل سبعة: الاخذ من شعر الراس اذا طال وقصّ الشارب اذا طال: ونتف شعر الابطين: وحلق العانة: وسواك الفم: وتقليم الاظفار: والاستنجاء بالماء وبالحجارة اذا لم تجد الماء:

Interrogatus, quot tibi res præcipiantur à Sonna (seu Traditione) *circa corpus tuum: Responde septem: Tondere capillos capitis, cùm creverint: attondere mystaces cùm excreverint: evellere pilos axillarum: radere pubem: abluere os, revolvendo in eo aquam: præcidere ungues; abstergere, seu abluere aqua vel lapillis obscœna post stercus, seu lotium egestum, seu emissum crepitum.*

Miror in nulla formula Professionis Eslamiticæ reperiri prohibitionem vini, & alearum ludi; quæ non semel in Alcorano damnantur, præsertim Sura 2. البقرة *Vacca*. v. 218. his verbis: يسئلونك عن الخمر والميسر قل فيهما اثم كبير ومنافع للناس واثمهما اكبر من نفعهما: *Interrogabunt te de vino, & ludo alearum: Responde: In utroque est peccatum grave, & utilitates hominibus: sed peccatum prævalet utilitatibus utriusque.*

Prætereà in Alcorano prohibetur caro suilla, & Idolothytum, seu sacrificatum idolis, præter alia jam dicta Sura 16. النحل *Apis*: vers. 119. his verbis: انّما حرّم عليكم الميتة والدم ولحم الخنزير وما اهلّ لغير الله به:

Utique prohibuit vobis (Deus) *morticinum, & sanguinem, & carnem porci; & quod immolatum est alii præter Deum.* In Sura 5. المايدة, *Mensa* v. 4. alia adduntur: حرّمت عليكم الميتة والدم ولحم الخنزير وما اهلّ لغير الله به والمنخنقة والموقوذة والموتردية والنطيحة وما اكل السبع الّا ما ذكّيتم وما ذبح على النصب وان تستقسموا بالازلام ذلكم فسق:

Prohibita sunt vobis morticinum, & sanguis, & caro suilla, & idolothytum (super quo invocatum est nomen aliud, quàm Dei), *& suffocatum, & quod occisum est percussione, & quod cadens ab alto mortuum est, & quod ictum cornu alterius animalis interiit: & id, ex quo fera comedit (nisi adhuc vivum à vobis occidatur); & quod immolatum est super statuas* (idest simulacris Idolorum). *Quòd etiam quæratis partitionem per sagittas, prævaricatio est.* Erat hoc genus sortilegii per extractionem casualem septem sagittarum; de qua dicemus in Refutatione Alcorani.

CAPUT QUARTUM.

Prima Mahumetanicæ Legis radix, seu fundamentum practicum: Purificatio.

PRimum, quod ad suæ legis praxin maximè pertinere existimant Moslemi est الطهارة, *Purificatio*. Quidam verò putant, hanc referendam esse ad

Digitized by Google

ad الصلوة *Orationem*; & esse partem illius. Nam, ut scripsit Ebnol-Athir: لا يقبل الله الصلاة بغير الطهور *Non accipiet Deus orationem sine purificatione*. Et Algazelus: مفتاح الصلاة الطهور: *Clavis orationis est Purificatio*. Plerique tamen ponunt eam ut radicem distinctam, & quidem primariam, cùm habeatur, dixisse Mahumetum; بني الدين على النظافة *Ædificata est Religio super munditiam*: atque etiam; الطهور نصف الايمان: *Purificatio est dimidium fidei*.

Existimabit Lector, hanc Mahumetanorum Purificationem, de qua tàm magnifica prædicantur, in penitissimo propter admissa scelera, & propter Deum illis offensum dolore; atque in exacta eorum cum lacrymis confessione, seriaque detestatione; & demùm in gravibus ad illorum expiationem pœnis sponte assumptis sitam esse. Nihil tale; tota fundatur in verbis Alcorani, Sura 5. للمايدة vers. 7. يا ايها الذين امنوا

اذا قمتم الى الصلوة فاغسلوا وجوهكم وايديكم الى المرافق وامسحوا برؤسكم وارجلكم الى الكعبين وان كنتم جنبًا فاطهروا وان كنتم مرضى او على سفر او جاء احد منكم من الغائط او لامستم النساء فلم تجدوا ماء فتيمموا صعيدًا طيبًا فامسحوا بوجوهكم وايديكم منه ما يريد الله ليجعل عليكم من حرج ولكن يريد ليطهركم وليتم نعمته عليكم لعلكم تشكرون:

O qui credidistis, cùm surrexeritis ad orandum, abluite facies, & manus vestras usque ad cubitos: & perfricate capita vestra, & pedes vestros usque ad talos, & si fueritis polluti semine, purificamini. Quòd si infirmi, aut mulieres contrectaveritis, neque inveneritis aquam, accipite pulverem mundum, & confricate eo facies, & manus vestras. Non vult Deus ponere super vos angustiam ullam (obligando vos ad utendum semper aqua in purificatione), *sed vult* (idest sufficit ei) *purificare vos, & perficere gratiam suam super vos, ut gratias ipsi agatis.* Super hæc Alcorani verba construunt Moslemi totam molem ridiculæ suæ Purificationis, quam præcipuam Religionis suæ partem esse contendunt.

Decem Purificationis hujus species assignat Sciher-Settanius: quarum prima est المضمضة *Gargarizatio*; seu oris ac palati collutio. Secunda: الاستنشاق, *Narium, aqua immissa, purgatio*. Tertia: قص الشارب, *mystacum tonsura*. Quarta: الفرق, *capillorum ac barbæ discriminatio*. Quinta: السواك, *dentium confricatio*. Sexta: الاستجمار, *mundatio ab iis, quæ ab ano, & mentula, seu cunno egrediuntur*; nempè stercore, lotio, semine, & vento. Septima: تقليم الاظفار, *unguium præsectio*. Octava: نتف الابط, *pilorum axillarum evulsio*. Nona: حلق العانة, *rasura pubis*. Decima: الختان, *Circumcisio*. Addit Algazelus غسل المراجم, *ablutionem articulorum digitalium*: Et طهارة الرواجب *purgationem flexurarum eorundem articulorum, seu unguium extremorum*. Et ne quis fortè has esse quisquilias existimet, affirmant, Abrahæ ex Dei præcepto hæc omnia in usu fuisse.

Sed videamus, quid de hoc الطهارة *Purificationis* articulo Moslemi ipsi scribant, ne quis me illis aliquid falsò imputasse suspicetur. Utar autem Auctore inter Mahumetanos recepto, ac probato nomine علي بن محمد: *Aly Ben Mohammed*, qui scripsit Anno Hegiræ 1090. nempè Christi 1577. Quamvis hic potiùs videatur scriptor, vel collector, quàm Auctor illius libri, in quo habentur omnia, quæ ad supradicta Moslemicæ legis fundamenta spectant, eorumque ritus exactissimè referuntur, ac præcipuorum Doctorum testimonio firmantur. Omnia summa fide ex Arabico idiomate transferam: titulos tantùm librorum, & capitum, & alia quædam notabiliora Arabicè etiam reponam: quædam porrò, quæ parum, aut nihil ad argumentum faciunt, relecabo. Sit igitur

كتاب الطهارة:

Liber de Purificatione.

DIxit Deus Altissimus (*in Alcorano Sura* 5.) O Fideles, cùm surgetis ad orandum, lavato facies vestras, & manus vestras usque ad cubitos: & confricate capita vestra, & pedes vestros, usque ad talos. Præscribit igitur الطهارة *Purificatio*, ablutionem trium membrorum, & confricationem capitis. Cubiti autem & tali ingrediuntur in ablutionem. Porrò confricatio capitis fieri præcipitur usque ad antias [*idest comam dependentem super frontem*] & hæc est eminentior pars capitis: ex eo quod habetur per relationem Almogheiræ filii Sciaabæ: Mahumetum Prophetam, cùm pervenisset ad cœtum hominum [*Arab.* محاطة قوم] minxisse, & deinde se purificasse, & affricasse manum super antias suas, & super foccos suos.

Traditiones autem circa Purificationem sunt: abluere manus ter antequam immittantur in vas (*in quo est aqua pro* الوضوء *sacra lotione*) ubi evigilaverit is, qui ea usurus est, à somno suo: & invocatio nominis Dei Altissimi in principio hujus sacræ purificationis; & dentium confricatio: & gargarizatio, immissa aqua intra os: & narium per aquæ immissionem purgatio: & confricatio auricularum: & discriminatio, cum attractione barbæ & digitorum. Et repe-

Digitized by Google

repetitio lotionis fiet tribus vicibus . Et requiritur, ut sacra Purificatione mundandus habeat intentionem se purificandi, & confricando ambiat totum caput suum : & faciat eum ordine sacram lotionem, & incipiat per id, quod fuggesserit illi Deus, de memoria sui cum sanctis auspiciis (*Arab.* فبدا بما بداء الله تعالى بذكره والبيان).

Violat autem الوضو *sacram lotionem* quidquid egreditur ex الحميلين *duabus viis* (*ideſt ex partibus obſcenis anterioribus & poſterioribus*) : & sanguis, & pus, & sanies cùm egreditur è corpore , & transgreditur ad locum , qui judicatur obnoxius esse purificationi : & vomitus cùm fuerit pleno ore : & somnus five jacentis, five accumbentis , five adhærentis alicui rei, quæ, si removeatur, decidat dormiens ab ea : & occupatio mentis, seu intellectus ex deliquio : & insania , (*vel mania*) : & risus dissolutus in omni oratione , in qua fiunt inclinationes , & adorationes . Et obligat ablutio ad gargarizationem , & narium purgationem , & lotionem reliqui corporis . Et Statutum ablutionis est, ut incipiat, qui lavandus est , ab ablutione manuum , & pudendorum suorum: & auferat sordes , si sint in ejus corpore; (deinde emundet se sacra lotione الوضو ad orationem) exceptis pedibus . Deinde effundat aquam super caput suum , & cæterum corpus tribus vicibus . Deinde recedat ab eo loco , & lavet pedes suos. Et non tenetur mulier dissolvere comas suas in ablutione , dum perveniat aqua ad radices capillorum .

Ea verò , quibus necessaria est ablutio , sunt , انزال المني على وجه الدفق والشهوة من الرجل والمرأة والنقاء المحتلم من غير انزال والميت والنفاس : Emissio spermatis per modum effusionis; & carnalis cupido viri & fœminæ , & occursus duorum sponiorum (*fortè , laſcivus complexus ſponſi , & ſponſæ*) sine emissione seminis: & menstruum : & puerperium (*ſeu partus*) . Et sancivit Legatus Dei (*Mahumetus*) ablutionem pro die Veneris , & duabus Festivitatibus (*quarum prima ſolemniſſimè celebratur poſt jejunium menſis Rhomadan : ſecunda verò in ſacrificiis Meccanis , ſed minus ſolemniter*); & pro præparatione ad sacram Peregrinationem . Et non est facienda الغسل *ablutio* in lacu aquatorio, neque in torrente (*ſeu vado*): & tamen in utroque fit الوضو *ſacra mundatio* . Purificatio autem ab الاحداث excrementis (*ſtercore , lotio , ſemine , & vento*) fieri potest aqua pluvia, & torrentium , (*ſeu vadorum*), & fontium , & stagnorum , & piscinarum , & puteorum , & mariam . Sed non licet ex aqua , expressa ex arboribus , & fructibus , neque ex aqua cui prævaleat alia aqua artificialis , sicut sirupum (*ſeu ſorbetum*) , acetum , aqua rosacea , aqua extracta ex fabis , jusculum , & aqua ex vitibus , & licet fieri الطهارة *purificatio* cum aqua, cui admixta sit res aliqua munda , five alteretur aqua , five pura remaneat : sicut aqua myrrhæ , & aqua commixta cum herba alkali , & sapone , seu smegmate , & croco . Omnis autem aqua jugiter fluens , si ceciderit in eam aliquid immundum, non est apta ad الوضو *ſacram emundationem* , five pauca fuerit, five multa . Nam Propheta Mahumetus præcepit custodiri aquam ab immunditiis , & dixit : Nullo modo mingat aliquis vestrum in aquam jugiter manantem; & nullo modo abluatur in ea à pollutione seminis . Idemque dixit : Cùm evigilaverit quis vestrum à somno suo , nullo modo immergat manum suam intra vas (*in quo eſt aqua ad ſacram emundationem*) donec lavet eam ter , quia ipse ignorat, ubi fuerit , vel quid egerit noctu manus ejus . Porrò etiamsi aliqua immunditia ceciderit in aquam currentem , erit tamen licita ad sacram lotionem, dummodò nullum vestigium appareat ejusdem immunditiæ , sed effluxerit cum cursu aquæ . Cùm ceciderit in stagnum magnum , cujus nullum latus movetur ad motum lateris alterius , aliquid immundum in unum latus ; erit licita sacra emundatio in altero latere , ad quod non pertigit immunditia . Animal mortuum, quod vivens non currit in aqua , non inquinat eam , ut culices , mures , crabrones , seu vespæ , & scorpiones . Mors etiam eorum , quæ vivunt in aqua , non corrumpit eam , ut piscium , ranarum , & cancrorum . Aqua usuali non licet uti ad purificationem ab excrementis corporis . Et aqua usualis , quotiescumque cessaverit in ea immunditia , aut sordes; aut ad usum delata fuerit in utre , & omni pelle probè aptata & concinnata; jam munda & apta est ad orationem , & sacram emundationem , præter pellem porci , & hominis . Pili autem morticini , & ossa , & lana , & cornua ejus , munda sunt . Cùm ceciderit in puteum aliquid immundum , exhaurietur aqua ejus , & sic puteus remanebit purificatus . Quòd si mortuus fuerit in eo mus , aut passerculus , aut quid simile, aut avis fudania , aut lacerta venenosa; exhauriantur ex eo à viginti usque ad triginta situlæ juxta magnitudinem vel parvitatem situlæ . Quòd si mortua fuerit in eo columba , aut gallina , aut felis : exhauriantur à quadraginta ad sexaginta situlæ . Si autem mortuus fuerit in eo canis , aut ovis , aut jumentum , aut homo , exhauriatur tota aqua illius . Quòd si intumuerit animal , vel corruptum fuerit : exhauriatur tota aqua illius , five parvum fuerit animal , five magnum . Numerus autem sitularum computetur cum situla mediæ capacitatis juxta usum earum , quæ adhibentur in puteis illius regionis . Quòd si evacuata fuerit ex eo aqua cum situla magna . licebit computare ad mensuram , seu quantitatem situlæ mediæ . Quòd si puteus fuerit ex aqua fluenti , nec possit exhauriri: necesse erit educere ex eo tantam aquam , quanta in eo tunc reperitur (*nulla habita ratione illius , quæ ſupervenit*). Fertur dixisse Mohammed filius Alhasan : Educantur ex eo ducentæ usque ad trecentas situlas : cùmque inventus fuerit in puteo mus , aut aliud animal , quod nesciunt à quanto tempore inciderit , neque intumuerit , neque computruerit , repetant orationem unius dici & noctis , ubi fuerint sacra lotione mundati , & laverint omnem rem , super quam inciderit aqua ejus . Quòd si intumuerit , & computruerit; repetant orationem trium dierum ac noctium , juxta sententiam Abu-Honeiphæ . Juxta sententiam autem Abu Josephi , & Mohammed , non est quòd repetant aliquid , donec certificentur ex quoto tempore ceciderit . Reliquiæ rei comestæ ab homi-

Digitized by Google

homine, vel ab animali, cujus caro comeditur, mundæ sunt. At reliquiæ rei comestæ à cane, vel sue, vel à volucribus feris, vel ab animalibus, quæ sunt in domibus, ut serpentibus & muribus, abominabiles sunt. Reliquiæ autem relictæ à mulo & asino dubium est, utrum licitæ sint. Quòd si quis nihil præter eas invenerit, faciat sacram lotionem aqua, vel pulvere: nam utram harum lotionum elegerit, licita erit.

باب التيمم

Caput, De mundatione sacra in defectu aquæ.

QUi aquam non invenerit, quia scilicet in itinere, vel ab Urbe per milliare aut plus remotus reperiatur: vel aquam quidem invenerit, sed cùm sit ægrotus, timet ab aqua morbi augmentum; vel cùm sit exterus, timet, ne si aqua abluatur, frigus illi nocumentum, vel mortem possit afferre: emundet se pulvere è superficie terræ desumpto. Duplex autem est hæc emundatio. Altera, qua pulvere facies confricatur; altera, qua confricantur manus usque ad cubitos. Eadem verò erit, sive fiat ob pollutionem feminis, sive ob excrementa ventris, atque etiam ob sanguinem. Et juxta Abu-Honcipham, & Mohammedum fieri potest cum omni genere terræ, nempè pulvere, arena, lapillis, saxis grandioribus, gypso, calce viva, stibio, radanbacho (*Arabicè* الرنباج *quid sit nescio*). Sed Abu-Joseph censet, fieri non posse, nisi per pulverem, & speciatim per arenam.

Resolvit Auctor dubia, quæ insurgere possunt circa hanc speciem Purificationis, quæ nihil faciunt ad rem nostram.

باب المسح:

Caput de Confricatione.

AFfricatio manuum super soccos (*seu soleas*) sufficit, juxta Traditionem, pro omni immunditia pertinente ad excrementa ventris, quæ exigit الوضوء sacram emundationem (*per aquam, vel pulverem*), dum non fuerint socci perfectè purificati; cùm aliquis excrementa ventris egesserit. Siquis maneat in loco, faciat confricationem per unum diem cum nocte ejus. Si verò sit in itinere, faciat eam per tres dies cum suis noctibus, incipiens eam statim post purgationem ventris. Confricatio super soccos fiat in parte munda eorum, strictim cum digitorum extremitatibus, retrahendo eos ad se versus tibias: fiet autem tribus digitis. Illicita verò est super soccum, in quo sit scissura magna, qualis erit, si ad tres digitos perveniat.

Omitto varias quæstiunculas circa hanc affricationem; sunt enim omnes levissimæ, & prorsus de lana caprina.

باب الحيض:

Caput de Menstruo.

CUm ea, quæ in hoc capite de mulierum menstruatarum purificatione continentur, possint aliqua ex parte Mahumetani Mosaicæ legis auctoritate defendere, ideò præmittenda putavi.

باب الدجاس:

Caput de Immunditiis.

PUrificatio immunditiæ requiritur in corpore illius, qui oraturus est, & in loco, in quo orare debet. Potest autem fieri hæc purificatio cum aqua, & cum omni, quod purum fluit per modum aquæ, si possit cum hoc auferri immunditia; cujusmodi est acetum, & aqua rosacea. Cùm autem immunditia, quæ debet amputari, inciderit in soccos, & jam exsiccata, fuerit terræ affricata, licebit orare. Pollutio ex semine, quæ est una ex immunditiis, abluenda est, dum est recens: si autem in veste exsiccata fuerit, satis erit eam manu confricare. Si in speculum, vel glacium: satis erit utrumque abstergere. Si quid immundum in terram ceciderit, & exsiccatum fuerit à sole, nec remanserit vestigium ejus, fas erit orare in eo loco: sed non potest ex eo accipi pulvis, seu arena ad faciendam sacram emundationem. Cui autem inciderit immunditia crassior, ut sanguis, fœtus, lotium, & vinum, tantæ quantitatis, quantæ est drachma, vel minoris: licebit orare cum ea: Quòd si major fuerit, non licebit. Quòd si immunditia fuerit levis, vel lotium animalis, quod manducatur: licebit orare cum ea, si non pertigerit ad præstantiorem partem vestis. Si immunditia est clara & certa, debet auferri, quantum fieri potest, ne remaneat ullum illius vestigium. Si autem dubia, auferatur, donec qui dubitat, credat, satis esse ablatam. Mundatio ab iis, quæ egrediuntur ab ano & mentula, est juxta traditionem. Sufficiet in hoc uti lapide, vel re simili, affricando cum eo pudenda & obscœna, donec emundet ea: sed satius erit emundare aqua: imò necessariò adhibebitur aqua, si materia egesta transgressa fuerit limites ani, vel pœnis: neque licebit uti ad hoc genus purificationis: بعظم ولا بروث ولا بطعام ولا بيمينه

esse, neque fimo asini, neque re, quæ apta sit ad cibum; neque manu dextera.

Hæc sunt gravissima statuta de primo ac præcipuo Eslamiticæ Religionis fundamento, de quo alia etiam in sequentibus dicenda occurrent. Veniamus jam ad secundum Fundamentum.

CAPUT QUINTUM.

Secundum Eslamiticæ fidei fundamentum practicum: Oratio.

DE hac latè scribit Auctor noster. Referam præcipua ejusdem verbis: cætera satis erit breviter innuisse. Tàm verò de Oratione, quàm de Purificatione, & cæteris Moslemorum ritibus, seu fundamentis, diffusè tractant multi etiam ex nostris, apud quos poterit Lector non solùm ea recognoscere quæ hic refero; sed multa alia præterea videre, quæ brevitatis causa prætermitto.

كتاب الصلوة:

Liber de Oratione.

PRimum tempus (*seu principium*) Orationis الفجر *Aurora*, erit cùm illuxerit aurora secunda; & hæc est albedo consueta in horizonte. Ultimum verò

rò tempus (*seu finis*) ejus erit quamdiù non fuerit ortus Sol.

Primum tempus orationis الظهر *Meridiei*, erit, cùm cœperit sol declinare ad occasum. Ultimum autem tempus ejus, juxta Abu-Honeipham, erit اذا صار ظل كل شي مثليه سوى فى الزوال : cùm facta fuerit umbra cujuslibet rei duplo major, quàm sit ipsa res, excepta umbra ipsius declinationis Solis: (*hæc felicter non debet esse duplo major Sole*). Sed in sententia Abu-Joseph, & Mohammed: cùm facta fuerit umbra cujuslibet rei, sicut res ipsa.

Et primum tempus Orationis العصر *pomeridianæ*, erit, cùm egressum fuerit tempus meridiei, juxta duas sententias. Ultimum verò tempus erit, quamdiù Sol non occubuerit.

Primum autem tempus Orationis للغرب *occasus Solis*, erit, cùm occiderit Sol: & ultimum tempus ejus erit, quamdiù non defecerint crepuscula, nempè albedo, quæ apparet in horizonte post rubedinem, juxta Abu-Honeipham. Sed in sententia utriusque, (*nempè Abu-Joseph, & Mohammed*) est ipsa rubedo.

Primum porrò tempus Orationis العشاء *Vesperæ*, erit, cùm defierint crepuscula: & ultimum tempus erit, quamdiù non illuxerit aurora.

Primum denique tempus Orationis الوتر *singularis*, erit post Vesperam: & ultimum tempus ejus erit, quamdiù non illuxerit aurora secunda.

Assignantur hic tempora quinque Orationum, quæ quotidie tenentur perfolvere Mahumetani ex præscripto Alcorani: ita ut, intra illud tempus, quod cuique orationi præscribitur, perfolvatur eadem oratio; nec incipiatur ante terminum præscriptum principio illius, nec absolvatur post terminum præscriptum fini illius. Possunt tamen vel anticipari, vel postponi, si ita vel necessitas, vel commodum requirat. Inter has orationes ponitur صلاة الوتر *Oratio singularis, quæ non pertinet ad præceptum, sed est supererogationis, vel consuetudinis.*

باب الاذان :

Caput de Præcentione.

Agitur in hoc capite de Præcone, seu Præcentore, qui Arabicè dicitur المؤذن *cujus officium est, innuere è turribus tempora quinque prædictarum orationum, dicendo alta voce* الله اكبر الله اكبر

Deus Maximus: Deus Maximus, *cum aliis verbis, quibus excitat homines ad orationem, vertendo se primò erga Templum Meccæ; deinde ad dexteram, & sinistram.*

باب شروط الصلوة التي تتقدمها :

Caput de Conditionibus Orationis, quæ præcedunt eam.

ORationem persoluturo necesse est præmittere purificationem ab excrementis ventris, & immun-

ditiis aliis, juxta jam dicta, & operire partes pudendas suas. Pudenda autem in viris computantur, quæ sunt sub umbilico usque ad genua inclusivè. Corpus autem fœminæ liberæ totum est pudendum præter faciem, ac manus, & pedes. Quæ verò pudenda sunt in viris eadem pudenda sunt in ancillis: & præterea venter, & dorsum earum pudenda sunt: & nihil aliud. Qui non invenerit aquam, qua auferat immunditias, oret eum illis. Qui non invenerit vestimentum, oret nudus, sed sedeat, nutibus exprimens incurvationes, & adorationes (*solitas fieri in oratione*). Poterit etiam stare: sed melius est sedere (*fortè propter modestiam*).

Debet etiam habere intentionem orationis illius, quam facturus est; & convertere se versus Keblam (1. *Templum Meccanum*) si sciat, in qua parte sit, & si id possit sine periculo: alioqui vertat se quò voluerit.

باب صفة الصلوة :

Caput de eo, quod convenit Orationi.

STatuta circa orationem sunt sex. التحريمة Tahrima (*videtur esse purificatio, vel præparatio: propriè est, prohibitio*) والقيام & Statio: والقرأة & Lectio: والركوع & capitis dorsique inclinatio: والسجود & adoratio, incurvando se, ita ut fronte terra tangatur والقعدة الاخيرة مقدار التشهد & sessio finalis per spatium, quo fiat Testificatio: (ideſt لا اله الا الله محمد رسول الله : *Non est Deus præter Deum; Mahumetus Legatus Dei.*) Quod verò additur super hoc, est سنة sonna (ideſt *traditio*). Cùm verò quis in orationem ingressus fuerit, magnificet Deum, (ideſt *dicat* الله اكبر الله اكبر : *Maximus Deus: Maximus Deus*) & elevet manus suas, dum Deum ita magnificat, ita ut pertranseat pollicibus suis infima auricularum suarum: & applicet manum dexteram super sinistram, ponatque utramque sub umbilico, deinde dicat: سبحانك اللهم وبحمدك وتبارك اسمك وتعالي جدك ولا اله غيرك ثناء

Laus tua, Deus, & cum laude tua: & benedictum sit nomen tuum; & exultetur dignitas tua, & glorificetur laus tua: & non est Deus alius præter te. Et confugiet ad auxilium Dei contra Satanam lapidatum (1. *ejectum flammis è Cælo*) & dicet: In nomine Dei Miseratoris Misericordis: & secretò proferet hæc duo ultima verba. Deinde leget Proœmium Alcorani, & unam Suram cum eo, seu tres versus, è qua Sura voluerit. Et cùm dixerit Emamus (1. *Antistes*) verba ولا الضالين آمين ultima Proœmii *non errantium*; respondebit Minister cum eo secretò, *Amen*. Deinde magnificabit Deum (*dicens* الله اكبر *Maximus Deus*) & dorsum caputque inclinabit: & ponet manus suas super genua sua, & dilatabit digitos suos, & extenB det

Digitized by Google

det dorſum ſuum, & non elevabit caput ſuum, neque infleſtet illud deorſum. Et dum ſe inclinabit, dicet ad minus ter: سبحان ربي العظيم Laus Domino meo magno. Deinde elevabit caput ſuum, & dicet: Audivit Deus eum, qui laudavit eum. Reſpondebit Miniſter: Domine noſter, tibi laus. Cùmque aſſederit (لمستوي *ſe æqualiter compoſuerit*) aſſurgens magnificabit Deum, & faciet adorationem (*procumbens capite ad terram*) innitens manibus ſuis, & ponet faciem ſuam inter manus ſuas, & tanget terram naſo, & fronte ſua. Sed juxta Abu-Honeipham, ſatis erit uno tantùm ex his (*nempè aut naſo, aut fronte*) ſed Abu-Joſeph, & Mohammed nolunt poſſe naſum prætermitti, ſine juſta cauſa. Licebit etiam inniti fronte ſuper faſciam cydaris, aut ſuper oram veſtis. Deinde exeret brachia ſua, & removebit ventrem ſuum à femoribus ſuis (*Arab.* : وينحاني بطنه من فخذيه *ideſt, exporriget ventrem quantum poterit*); & convertet digitos pedum ſuorum verſus Keblam (*Meccanum Templum*) & dicet, dum ita adorat, ter ad minus: سبحان ربي الاعلى Laus Domino meo Altiſſimo. Deinde elevabit caput ſuum, & magnificabit (*dicet* الله اكبر) & cùm aliquantum quieverit (*Arab.* الحمان *dorſum incurvaverit*) adorans fronte ad terram demiſſa, magnificabit, & componet ſe totum æqualiter (*Arab.* لستوى) ſtans ſupra plantas pedum ſuorum: & non ſedebit, neque innitetur manibus ſuis ſuper terram: & faciet in inclinatione (*capitis & dorſi*) ſecunda, ſicut fecit in prima; excepto quòd, auxilium quidem implorabit à Deo, ſed non utetur verbis illis اعوذ بالله من الشيطان &c. Confugio ad auxilium Dei contra Satanam &c. Neque elevabit manus ſuas, niſi in Magnificatione prima. Cùm autem elevaverit caput poſt adorationem ſecundam; expandet pedem ſuum ſiniſtrum, & ſedebit ſuper eum, & firmiter figet dexterum, & convertet digitos ſuos verſus Keblam, & ponet manus ſuas ſuper femora ſua, & expandet digitos ſuos, & teſtificabitur his verbis: Reverentiæ Deo, & orationes, & bona. Pax ſuper te, ò Propheta, & miſericordia Dei, & benedictiones ejus. Pax ſuper nos, & ſuper ſervos Dei probos. Teſtificor, quòd non eſt Deus niſi Deus; & teſtificor, quòd Mahumetus eſt ſervus ejus, & legatus ejus. Et nihil addet ad hæc in Seſſione prima. In duabus verò ultimis incurvationibus leget primam ſuram Alcorani ſpecialiter. Cùm autem ſederit in fine orationis, ſedebit ſicut in principio, & teſtificabitur, & orabit pro Propheta, cui ſit pax: & faciet precationem, quam volet, verbis ſimilibus verbis Alcorani, & precibus ex traditione acceptis, & non verbis, quæ ſint hominibus uſitata. Deinde ſalutabit (*populum*) à dextris ſuis, dicens السلام عليكم ورحمة الله Pax ſuper vos, & miſericordia Dei. Et eodem modo ſalutabit à ſiniſtris. (*Et nonnullis interjectis ejuſdem farinæ, pergit*). Qui orat cum uno, conſtituat eum ad dexteram ſuam: qui verò cum duobus, præcedat utrumque. Non licet viris (*in orando*) fœminas imitari. Per ordinem diſponantur viri; deinde pueri; deinde hermaphroditi: & deinde mulieres. (*Probabile eſt apud Mahumetanos eſſe multos hermaphroditos, ob aſſiduum uſum Veneris præpoſteræ: & eadem ferè voce exprimitur* الخنثى *hermaphroditus*; & الخلة *cinædus*).

Si ſteterit mulier ad latus viri, ita ut ambo conjungantur in oratione: vitiabitur oratio viri. Non decet mulieres intereſſe cœtui (*virorum*). Qui mundus eſt, non orabit poſt eum, qui patitur frequentem fluxum urinæ: neque, quæ munda eſt, poſt eum, cui menſtruorum reliquiæ perſeverent: neque legendi peritus, poſt idiotam: neque veſtitus, poſt nudum: (*& paulò poſt*). Neque decet orantem ludere veſte, aut corpore: neque removere lapillos (*è ſolo, ne ladant genua*) niſi aliter non poſſit orare; & tunc æquet eos una vice (*ideſt citò, ne aliis moleſtiam pariat, neve ipſe ab oratione divertatur*): neque ſtrepitum edere, dilatando, & adſtringendo digitos: neque oſtentare veſtem ſuam: neque forfice tondere capillos ſuos; neque adſtringere veſtem: neque vertere ſe hùc illùc: neque inniti alicui rei (*Arab.* تعني *eſt etiam infidere latibus ſuper crura*): neque ſalutare lingua, vel manu; neque conſiſtere forma quadrata (*Arabicè* تربع *videtur eſſe, genibus flexis, ſed erecto corpore non autem verſus terram curvato, orare*) niſi cum juſta cauſa: neque comedere; neque bibere. Si quem urgeat ventris neceſſitas, dicedat: & ſi fuerit Antiſtes, relinquat alium loco ſui: & poſteà emundet ſacra purificatione (*partes obſcenæ*), & redeat ad adorationem, quam ſi à principio reſumat, melius erit. Si obdormiens, ſemine polluatur; vel ſi in inſaniam vertatur; vel deliquium patiatur, vel ſi immodeſtè cachinnaverit in oratione, repetat eam à capite cum ſacra lotione. Si loquutus fuerit in oratione, vel data opera, vel per incuriam: vana erit oratio illius.

Quæ ſequuntur in hoc Auctore circa Orationem, ad prolixitatem evitandam, ſummatim tantùm per capita attingam.

باب قضاء الفوائت:

Caput de Supplemento prætermiſſorum.

Agit de ſupplendis iis, quæ ob incuriam, vel aliam ob cauſam, in oratione prætermiſſa ſunt; vel etiam de ipſis orationibus ſupplendis, ſi temporibus præſcriptis non ſint perfolutæ.

باب الاوقات:

Caput de Temporibus ſtatutis.

Agit de temporibus, ſeu horis quinque orationum, diurnis, & nocturnis; matutinis, pomeridianis, ac veſpertinis.

باب النوافل:

Caput de Supererogatoriis.

Agit de orationibus, quæ cùm non ſint à lege præſcriptæ, ſunt ſponte, & ex mera devotione: atque etiam de quibuſdam ritibus, qui non ex obli-

obligatione, sed ex consuetudine in ipsa oratione à quibusdam servantur.

باب سجدة السهو:

Caput de Adoratione omissa per incuriam.

AGit de supplemento adorationum omissarum in oratione per oblivionem, vel incuriam: quemadmodùm etiam aliorum defectuum circa alios ritus necessarios.

باب صلاة المريض:

Caput de Oratione Infirmi.

AGit, quomodò orare debeat Infirmus, & quo pacto supplere debeat incurvationes, adorationes, & alia requisita Orationis, à quibus impeditur propter morbum.

باب سجود التلاوة:

Caput de Adorationibus Lectionis.

AGit de adorationibus, seu totius corporis incurvationibus fieri solitis, dum in Oratione interseritur lectio Alcorani. Hujusmodi autem adorationes sunt in quatuordecim locis Alcorani.

باب صلاة المسافر:

Caput de Oratione Iter habentis.

AGit de modo, quo se gerere debeant circa quinque Orationes, & earum ceremonias, illi, qui in itinere reperiuntur.

باب صلوة الجمعة:

Caput de Oratione Congregationis.

AGit de Oratione, quæ fit in publico hominum conventu, qui celebrari non potest nisi in Urbe numerosa, & in ejusdem Meskita, & cum facultate Sultani. In ea intervenit Emamus, seu Antistes, qui habet concionem ad populum, Legit Alcoranum, & facit alia præscripta. Porrò الجمعة Congregatio est dies Veneris, seu feria sexta, Mahumetanis festiva. Sed hic videtur accipi pro solemniori conventu populi cum suo Emamo, seu Antistite.

باب صلوة العيدين:

Caput de Oratione duorum Festorum.

AGit de oratione, quæ fit in Bairam magno, quando solvitur jejunium Rhomadan: & deca, quæ fit in Bairam parvo, in solemni mactatione pecudum in Mecca. In his duabus solemnitatibus, præter orationes consuetas, habentur etiam conciones ab Emamo; quibus instruit populum in ritibus eorundem Festorum.

باب صلوة الكسوف:

Caput de oratione in eclipsi Solis.

AGit de peculiari oratione, quæ publicè fieri debet in eclipsi Solis ab Emamo cum populo, in qua perseverare debent, donec Sol recuperet splendorem suum: fiunt in ea solitæ incurvationes cum lectionibus Alcorani: sed non habetur concio ab Emamo. In eclipsi Lunæ non fit oratio publica, sed unusquisque facit eam privatim. Hunc superstitiosum ritum in eclipsi Solis & Lunæ observant plures nationes Orientales, & præsertim Chinenses, seu Synenses; quia putant, hos duos planetas tunc temporis in gravi aliquo periculo versari. Sed Mahumetani, saltem aliqui, dicunt hoc se facere, ad malignos eorumdem influxus evitandos.

باب صلوة الاستسقاء:

Caput de Oratione ad pluviam petendam.

AGit de oratione ad petendam pluviam, quam quidam volunt faciendam esse tantùm privatim. Alii publicè, cum præsentia Emami, & concione, debere esse censent.

باب قيام شهر رمضان:

Caput de Statione mensis Rhomadan.

AGit de oratione, quæ fieri solet à populo cum Emamo in mense Rhomadan post vesperam cum quinque ترويحات respirationibus, ad quarum singulas, bis salutem Mahumeto precantur.

باب صلوة الخوف:

Caput de oratione pro Timore.

AGit, quomodò orare debeant Moslemi, quando contra hostes decertant, & timent, ne ab ipsis superentur.

باب صلوة الجنايز:

Caput de oratione in exequiis Mortuorum.

AGit de iis, quæ facienda sunt in funere mortuorum: quæ placuit hic summatim recensere. Morti proximus collocetur cum vultu converso versus Meccam: & suggeratur illi professio fidei Eslamiticæ: *Non est Deus nisi unus; & Mahumetus est legatus ejus.* Ubi quis mortuus fuerit, alligetur barba ejus, & occludantur oculi ejus; deinde modestè lavetur lotione fuera, quæ dicitur الوضو: sed neque os ejus, neque nares aqua purgentur. Deinde aqua effundatur super eum: & fustitu adoleatur lectulus ejus. Deinde iterùm lavetur aqua cum herbis, vel foliis quibusdam decocta, vel etiam aqua pura in horum defectu. Deinde lavetur caput & barba ejus cum herba althæa. Tum collocetur super latus dexterum, & iterùm lavetur aqua cum foliis cedri. Deinde qui eum lavat, sedere faciat eum, & admoveat tergum ejus ad pectus

ſinum, & leviter attrectet ventrem ejus: quòd ſi quid exierit ab eo, abluat illud; nec repetat lotionem ejus. Poſteà veſtiet eum veſtibus ſunebribus: & ponet unguenta odorifera in capite ejus, & barba ejus, & flores palmæ (*Arabicè* الكافور *camphoram, vel aliud aroma*) ſuper manus, pedes, genua, & frontem ejus (*his quippè membris uſus eſt in oratione*). Vir veſtietur tribus veſtibus, ſubucula, tunica, & faſcia: ſufficient etiam duæ. Mulier quinque veſtibus induetur: ſubucula, tunica, hamaro (الخمار *videtur eſſe veſtis rubra*) pano ſuper ubera, & faſcia. Satis etiam erunt tres. Componentur capilli fœminæ ſuper peſtus ejus: neque pectine diſcriminabuntur capilli, aut barba defuncti; neque tondebuntur capilli ejus, neque præcidentur ungues ejus. Suffitus autem fiet ſingulis veſtibus lugubribus, antequam defunctus illis induatur. His peractis, orent ſuper eum, incipientes à dignioribus; quales ſunt Sultanus, Kadi, Emamus: deinde orabunt propinquiores defuncti. Quòd ſi non potuerit fieri oratio ſuper eum, fiet ſuper ſepulcrum ejus per tres dies in hyeme, & ſeptem in æſtate. Neque poſteà fiat alia oratio. Is autem, qui orat, ſtabit è regione pectoris defuncti: Oratio verò conſiſtet in ſemel dicendo, لكبر الله *Maximus Deus*: & poſteà, الحمد لله *Laus Deo*, & poſtremò, مجدلك *Laus tua*. Deinde iterùm dicet لكبر الله *Maximus Deus*: & ſalutabit Mahumetum, dicens: الصلام عليك يا نبي الله *Pax ſuper te, ô Prophetæ Dei*. Deinde dicet tertiò; *Maximus Deus*: orans pro ſe, & pro mortuo, & pro Moſlemis. Tum dicet quartò: *Maximus Deus*: & ſalutabit iterùm Mahumetum. Deinde deferent cadaver in feretro ad ſepulcrum, quod effodietur cum ingreſſu, qui reſpiciat Meccam. Qui verò deponit illud in fovea; dicet بسم الله وعلى ملة رسول الله: *In nomine Dei: & ſuper religionem* (vel, *exaltetur religio*) *Legati Dei*. Et convertet faciem ejus verſus Meccam: & operiet eum cumulo arenæ, ſuper quem lateculos componet.

باب صلوة الشهيد:

Caput de Oratione pro martyre.

AGit de oratione facienda ſuper eum, qui occiſus fuit in bello contra infideles: nam hunc Moſlemi martyrem appellant; ſicut etiam illum, qui injuſtè à fidelibus occiſus eſt.

باب صلوة فى الكعبة:

Caput de Oratione facienda in Delubro Mecca.

AGit de oratione, quæ fieri debet in templo Meccano, præſertim cum Emamo, ſeu Præfecto Sacrorum.

Tratet hæc, quæ de Moſlemorum precibus ſcribit Auctor, addit in fine totius Operis brevem tractatum de eadem materia, quem hic ex Arabico ſumma fide translatum, pro majori Lectorum notitia reponam.

كتاب شروط الصلاة:

Liber de Conditionibus Orationis.

In nomine Dei Miſeratoris Miſericordis.

LAus Deo Domino ſæculorum: & oratio & pax ſuper legatum ejus Mahumetum, & familiam ejus univerſam.

شروط الصلاة:

Conditiones Orationis.

HÆ ſunt octo. Prima الوضو (*Sacra emundatio*) per aquam abſolutam: vel التيمم (*Sacra emundatio*) per pulverem, deficiente aqua. Secunda eſt mundities veſtium ab omni immunditia parva, vel magna. Tertia: Mundities loci, in quo orandum eſt. Quarta: emundatio corporis à ſemine, lotio, ſtercore, & ſimilibus. Quinta: Tectio pudendorum. Sunt autem pudenda in viris ab umbilico uſque ad genua. In fœminis autem omnia ſunt pudenda, præter faciem, manus, & pedes. In ancillis eadem pudenda ſunt, quæ in viris, excepto ventre & dorſo, quæ in his ſunt pudenda. Sexta: Converſio erga Keblam (ideſt *Templum Meccanum*). Septima: Intentio. Octava: Notitia temporum ſtatutorum ad quinque orationes. Qui unam ex his octo conditionibus prætermiſerit, ſive data opera, ſive per incuriam, aut oblivionem, non rectè faciet orationem ſuam.

اركان الصلاة:

Baſes Orationis.

HÆ ſunt ſex. Prima: تكبير الافتتاح Magnificatio felicis principii (ideſt *dicere* لكبر الله *Maximus Deus, pro felici auſpicio orationis*). Secunda: Stare. Tertia: Lectio Alcorani, legendo aliquid ex eo breve & facile. Quarta: الركوع Incurvatio capitis, & dorſi. Quinta: السجود Adoratio (ideſt *incurvatio totius corporis genibus flexis, tangendo terram naſo, & fronte*). Sexta: Seſſio ultima per ſpatium Teſtificationis (ideſt *illorum verborum* لا اله الا محمد رسول الله: *Non eſt Deus niſi Deus: Mahumetus Legatus Dei*). Qui omiſerit aliquam ex his ſex baſibus, vitiabitur oratio ejus; & reſumet à capite orationem ſuam.

ما يحسن فى الصلاة:

Neceſſaria in Oratione.

HÆc ſunt ſeptem. Primum: Legere determinato tempore primam Suram Alcorani (*Arabicè* تعيين قرأة الفاتحة:) & cum ea aliquid aliud ex eodem

dem Alcorano in duabus incurvationibus primis. Secundum: Seſſio prima. Tertium: Lectio Teſtificationis (*Non eſt Deus niſi Deus, &c.*) in ſeſſione ultima (*quæ ſeſſio erit*) per ſpatium ipſius Teſtificationis. Quartum: Prolatio clara Alcorani, ubi elata voce proferendus erit. Quintum: Lectio Alcorani ſubmiſſa voce, ubi ſecretò recitandus eſt. Sextum القنوت فى الوتر: Devota aſſiſtentia in Vatero (ideſt *ſingulari*: *Videtur genus, ſeu pars orationis*). Septimum تعديل الاركان: Recta diſpoſitio baſium (*ideſt, ordinatim eas obſervare*). Qui autem aliquid ex his ſeptem reliquerit; ſi cognoverit id fuiſſe per incuriam, faciet duas adorationes pro hujuſmodi incuria. Si autem reliquerit data opera, nihil eſt, quo ſuppleat: nam oratio ejus nihil valet (*& repetenda eſt.*)

مُتُـــون الصــــلاة:

Traditiones circa Orationem.

TRaditiones circa orationem ſunt quatuordecim. Prima eſt, elevatio manuum cum Magnificatione (*dicendo* اكبر الله *Maximus Deus*) itaut pertingat pollicibus ad extrema auricularum ſuarum. Secunda: Ponere manum dexteram ſuper ſiniſtram ſub umbilico. Tertia: Laudare Deum Altiſſimum. Quarta: Dicere باالله اعوذ, &c. Confugio ad Deum (*ut liberet me à Satana lapidato*). Quinta: بسم الله الرحمن الرحيم In Nomine Dei Miſeratoris, Miſericordis. Sexta: Reſpondere: Amen, poſt præcedentia. Septima: التصميح Præconium (*propriè, aliquid dicere alta voce, ut audiatur*). Octava: Laudare Deum (*dicere* الحمد الله). Nona: Laudes Dei eum incurvationibus. Decima: Laudes Dei cum adorationibus. Undecima: Lectio Teſtificationis in ſeſſione prima. Duodecima: Lectio Suræ primæ in duabus ultimis incurvationibus. Decima tertia: Magnificationes Dei, præter eam, quæ fit pro felici principio. Decima quarta: Salutatio (*ſcilicet, appreeari ſalutem Mahumeto, & familiæ ejus*). Qui reliquerit aliquam ex his traditionibus per incuriam, ſive data opera, ad nihil tenebitur: erit tamen culpabilis omiſſio, ſi ſit voluntaria.

فيما يستحب فى الصلاة:

De iis, quæ requiruntur in Oratione tamquam laudabilia.

HÆc ſunt viginti quinque. Primum: Ut mundus ac nitidus ſit locus, ubi quis conſiſtit oraturus uſque ad eum locum, in quo facienda eſt adoratio. Secundum: In incurvationibus uſque ad pedes. Tertium: In adorationibus uſque ad apicem naſi. Quartum: In ſeſſione (*ponendo nates ſuper crura, & flectendo caput*) uſque ad ſinum. Quintum: In lectione Alcorani per tres verſus, præter Suram primam. Sextum: Magnificatio Dei poſt id, quod præmiſſum eſt (*nempè poſt lectionem Alcorani*) occultè, & ſine extenſione vocis. Septimum: Poſitio manuum ſuper genu, cum dilatatione digitorum. Octavum: Dilatatio, ſeu extenſio dorſi. Nonum: Æquatio capitis & humerorum ad (*oſtendendam*) imbecillitatem ſuam (*Arabicè* الى معزو). Decimum: Elevatio capitis. Undecimum: Cùm quis voluerit facere adorationes, ponet genu ſuum primùm ſuper terram, deinde manus ſuas. Duodecimum: Ponat faciem ſuam ſuper terram; & ſit adoratio inter volas manuum ejus. Decimum tertium: Incipiat à naſo ſuo (ideſt *primùm tangat naſo terram*). Decimum quartum: Ponat in terra frontem ſuam, in adoratione poſtquam poſuerit naſum ſuum. Improbatur autem, ut fiat adoratio cum uno tantùm ex his, (*nempè cum fronte ſola, aut cum ſolo naſo: vel inniteudo fronte humi*) vel cum ſpira cydaris, niſi adſit juſta cauſa. Decimum quintum: Ut diſcooperiat meditatem brachiorum ſuorum. Decimum ſextum: Ut amoveat (ideſt *exporrigat quantum poteſt*) ventrem ſuum à femoribus ſuis. Decimum ſeptimum: Ut vertat digitos pedum ſuorum erga Meccam. Decimum octavum: Ut laudet Deum in hoc ter. (*dicat tribus vicibus*: الحمد لله *Laus Deo*.) Decimum nonum: Ut elevet caput ſuum magnificans Deum. Vigeſimum: Ut elevet manus ſuas poſt elevationem capitis. Vigeſimum primum: Ut elevet genu ſuum poſt elevationem manuum ſuarum ab adoratione ſecunda. Vigeſimum ſecundum: Cùm elevaverit caput ſuum poſt incurvationem ſecundam, expandet in modum ſtrati pedem ſuum ſiniſtrum, & ſedebit ſuper illum. Vigeſimum tertium: Firmiter figet dexterum (*pedem*) ſuum, & ponet ſummitates digitorum pedis ſui dexteri verſus Keblam (*Templum Meccanum*). Vigeſimum quartum: Ponet manus ſuas ſuper femora ſua; deinde extendet digitos ſuos, & teſtificabitur (*unitatem Dei, & legationem Mahumeti*) cum corde ſuo: & orabit ſuper Prophetam Mahumetum. Vigeſimum quintum: Cùm hæc compleverit, reſtat, ut ſalutet (*eos qui ſunt præſentes*) à dextris, ac ſiniſtris ſuis. Et quod eſt præter hæc, pertinet ad quendam decorem & ornatum: ut, affricare manibus faciem (*& barbam*) poſt ſalutationem (*populi, ſeu Mahumeti*): & dicere: الحمد لله والثناء والتصميح. Laus Deo, & præconium, & canticum. Quòd ſi quis ex his aliquid omiſerit, ad nihil præterea tenebitur, neque culpam ullam committet. Nihilominus ſervabit, & faciet hæc ad magnificandum Deum, & præmium ac mercedem obtinebit. Et hæc obſervare, præſtantius eſt, & melius.

ما يكـــره فى الصلاة:

Quæ improbentur in Oratione.

HÆc ſunt decem. Primum. الترنع orare quadrata forma (*cum corpore erecto, licet genibus flexis: nam tunc homo videtur quadratus*) ſine legitima cauſa. Secundum. Recitare verſus Alcorani æquales. (*Arab.* تعديل الايات) Tertium. Expanſio brachiorum. Quartum. Vertere oculos hùc atque illùc. Quintum. Nictare oculis in oratione ſine juſta cau-

Digitized by Google

sa. Sextum, amovere lapillos à loco adorationis (*ne scilicet noceant genibus aut fronti*) sine necessitate. Septimum, legere libros in oratione. Octavum, facere orationes supererogationis. Nonum, jocari manibus, lingua, capillis, veste, aut alia re corporis. Decimum, cùm quis fuerit in Meskita, si stet solus, & cæteri omnes simul, est res odiosa. Oportet igitur (*si stat solus, quia molestiam aliquam recipit ab aliis*) ut discedat ab eis; ne sit aliquid odiosum in oratione.

ما يفسد فى الصلاة:

Quæ vitient Orationem.

HÆc sunt quatuordecim. Primum. Tussis gravis, & reciprocata sine causa necessaria. Secundum. Respondere sternutanti, illis verbis; ارحمك الله Misereatur tui Deus (*sicut nos dicimus, Deus te salvet*). Tertium. Si orans incipiat cum faustis auspiciis super alium, quàm super Emamum suum. Quartum. Dicere, لا اله الا الله: Non est Deus nisi Deus; si intendat per hæc verba respondere alicui, à quo interrogetur. Quòd si non intendat per hæc nisi signa, (idest *aliquid innuere*) non vitiabit orationem. Quintum. Detectio pudendorum. Sextum. Elata voce flere propter dolorem, aut aliquod accidens, nisi propter memoriam Paradisi, vel Gehennæ. Septimum. Restituere salutationem manu, vel lingua. Octavum. Meminisse prætermissorum, si non exciderit ordo. Nonum. Multa occupatio in actione. Decimum. Mutua colloquia. Decimum primum. Comedere. Decimum secundum. Bibere. Decimum tertium. Risus immodestus, cum cachinnis. Decimum quartum. Deliquium.

Hæc omnia vitiant orationem, sive fiant data opera, sive per incuriam: & necesse est repetere eam.

فرايض الوضوء:

Sanctiones Sacræ Purificationis.

HÆ sunt quatuor. Prima. Abluere faciem. Secunda. Lavare manus cum cubitis. Tertia. Confricare anteriorem partem capitis. Quarta. Lavare pedes. Quòd si quis unam ex his prætermiserit, aut partem ejus, non admittitur oratio illius; sed si vult eam facere, debet repetere.

سنن الوضوء:

Traditiones Sacræ Purificationis.

HÆ sunt decem. Prima. Dicere بسم الله: *In nomine Dei*, in principio sacræ purificationis. Secunda. Lavare manus, antequam immittantur intra vas (*in quo est aqua ad sacram purificationem*). Tertia. Dentium confricatio. Quarta. Gargarizatio (*seu oris collutio*). Quinta. Narium, immittendo aquam, purgatio. Sexta. Confricatio auricularum aqua una. Septima. Barbæ ac digitorum discriminatio. Octava. Repetitio lotionis. Nona. Emundatio à stercore, lotio, spermate, & vento emisso per anum, cum aqua, si inveniantur. Decima. Eadem emundatio (*in defectu aquæ*) cum lapide, vel gleba, vel frusto luti sicci, vel laterculo, vel alia re æquivalenti.

ما يستحب فى الوضوء:

Quæ requirantur in sacra Purificatione.

HÆc sunt sex. Primum. Intentio. Secundum. الموالاة: Continuatio sine intermissione. Tertium. Principium cum manu dextera. Quartum. Observantia ordinis. Quintum. Ambire totum caput, quando affricatur. Sextum. Incipere cum eo, quod ostendit Deus excelsus (*nempè* بسم الله, *In nomine Dei: vel simili.*)

اداب الوضوء:

Ritus ex traditione in sacra Purificatione.

HI sunt sex. Primus. Relinquere sermonem, excepta precatione consueta, quæ fit ad lotionem singulorum membrorum. Secundus. Gargarizatio, seu ablutio oris, & narium per aquam manu dextera. Tertius. Emunctio narium manu sinistra. Quartus. Cooperire pudenda post ablutionem eorum ab excrementis in latrina. Quintus. Omittere conversionem ad Kaabam, & obvertere illi terga in latrina. Sextus. Omittere conversionem ad solem, & lunam, & obvertere illis terga, cùm in deserto. (*deest aliquid, puta orat, vel mingit &c.*).

نوافل الوضوء:

Supererogatoria in sacra Purificatione.

HÆc sunt sex. Primum. Confricatio cervicis. Secundum. Affricatio manuum ad parietem post purificationem ab excrementis penis, & ani. Tertium. Memoria precationis ad lotionem cujuslibet membri. Quartum. Aspersio aquæ super femoralia post absolutam sacram purificationem. Quintum. Aspersio aquæ super membrum genitale post emundationem ab excrementis (*stercoris, lotii, &c.*) Sextum. Lavare manus post affricationem earum ad parietem.

كراهية الوضوء:

Quæ improbentur in sacra Purificatione.

HÆc sunt sex. Primum. Effundere aquam super faciem, impetu eam incutiendo. Secundum. Purgare nares immittendo in eas aquam manu dextera. Tertium. Gargarizatio, & dentium confricatio manu sinistra. Quartum. Sermonem habere, cùm mundantur pudenda. Quintum. Spuere in aquam; & in eam mingere, & stercus egerere. Sextum. Intueri pudenda, dum quis est in latrina.

منهى

Digitized by Google

منهيـــ الوضـــوء

Prohibita in sacra Purificatione.

HÆc sunt sex. Primum. Prodigere plusquam tres uncias aquæ. Secundum Lavare membra præcepta plus vel minus tribus vicibus. Tertium. Confricare pedes nudos. Quartum. Detegere pudenda in sacra purificatione. Quintum. Emundare pudenda manu dextera. Sextum. Projicere lotium, & flatus in aquam. Hæc omnia prohibentur.

نواقـــض الوضـــوء:

Quæ dissolvant sacram Purificationem.

HÆc sunt septem. Primum, quod exit ex genitalibus, vel ex ano, vel ex alia parte corporis, præter sputum, & mucum narium, & quod exit ab auriculis, & oculis: per hæc enim non dissolvitur sacra purificatio. Secundum. Vomitus pleno ore. Tertium. Somnus captus ab eo, qui vel adhæret alicui rei, vel accumbit, vel jacet. Quartum. Risus profusus ac dissolutus. Quintum. Deliquium. Sextum. Mania (*vel amentia*). Septimum الردّة Repetitio (*vel apostasia*).

فرائـــض الغســـل:

Præcepta Lotionis.

HÆc sunt tria. Primum. Gargarizatio. Secundum. Dentium confricatio. Tertium. Lotio totius cæteri corporis.

سنـــن الغســـل:

Traditiones Lotionis.

HÆ sunt sex. Prima. Ut incipiat, qui se lavat, à lotione manuum. Secunda. Ut lavet genitalia. Tertia. Ut removeat immunditiam, quam habuerit in corpore. Quarta. Ut faciat sacram purificationem ad orationem. Quinta. Ut effundat ter aquam super reliquum corpus. Sexta. Ut lavet pedes, postquam absolverit lotionem omnium cæterorum membrorum.

للعـــان للجمعـــة الغســـل:

De his, propter quæ fieri debet Lotio.

HÆc sunt in duplici differentia. Prima versatur circa verum & certum; cujusmodi est emissio seminis per modum plenæ effusionis, & carnalis concupiscentiæ viri & fœminæ, in statu somni, & vigiliæ. Altera dicitur judiciaria, cujusmodi est, quando quis expergiscitur è somno, & invenit in vestibus suis sperma effusum, & judicat esse abluendum ad majorem securitatem.

Lotio, qua quis lavatur, est quadruplex, juxta Abu-Honeipham. Prima, lotio feriæ sextæ. Secunda, lotio duorum Festorum. Tertia, lotio stationis in Monte Araphat. Quarta, lotio in præparatione ad sacra Meccana in Peregrinatione.

Ad Refut. Alcor. Pars IV.

Explicitus Liber eum adjutorio Dei excelsi, quem scripsit pauper humilis Aly filius Mohammed: Anno millesimo nonagesimo (*Hagiræ: Christi autem* 1577.)

Hæc sunt Mahumetanicæ Orationis dogmata, ac ritus, prout ipsimet Moslemi referunt, in quibus gesticulationem potius mimicam, quàm veram orationem Christianus Lector agnoscet.

CAPUT SEXTUM.

Tertium Eslamiticæ Sectæ fundamentum practicum: Eleemosyna.

HAnc appellat Mahumetus in Alcorano الزكاة *à verbo* زكا, *quod augeri, & justum purumque esse significat: quia nempè per eleemosynam augentur bona eorum, qui eam tribuunt; & iidem justificantur, ac purificantur à Deo. Est autem duplex eleemosyna apud Mahumetanos: altera spontanea, quæ dicitur* الصدقة, *quasi justitia: altera à lege præcepta, de qua hic agimus, & quæ veriùs vectigalis, tributi, ac decimarum pro usu belli, & Principis, ac Reipublicæ, quàm eleemosynæ nomen meretur. Hæc autem de illa habentur in allegato Auctore.*

كتاب الزكوة:

Liber de Eleemosyna (seu Decimis.)

DEcimæ solvendæ sunt ab homine libero, fideli, adultæ ætatis, & intellectu prædito, cùm habuerit نصابا Stabile (*ideft facultates, quibus Decimæ impositæ sunt*) integrum, proprium, & perfectum; & possederit illud per unum annum. Neque debentur Decimæ à puero, neque ab amenti, neque ab eo, qui sibi pretium inscripsit libertatis suæ (ideft, *qui se redemit pecunia à captivitate, vel servitute*). Ille quoque, cujus facultates omnes gravatæ sunt ære alieno, à Decimis eximitur. Quòd si habuerit plus quàm debitum (*ut, si debeat quinquaginta, & remaneant illi sexaginta libera*): solvet pro Decimis id, quod sibi superfluum fuerit, (العضل: *exeo, quod excedit debitum*) cùm pervenerit ad Stabile. Neque debentur Decimæ pro circuitu habitationis; neque pro vestibus corporis, neque pro supellectilibus ædium; neque pro jumentis ad equitandum (الركوب *super quæ consendit*ur) neque pro servis, qui serviunt (*dominis suis: nec habentur ut venales*): neque pro armis, quæ sint ad proprium usum. Neque licet persolvere Decimas, nisi cum intentione eas solvendi in ea mensura, & quantitate, quæ convenit persolventi. Qui autem erogaverit omnes facultates suas in eleemosynam, sine intentione solvendi Decimas; liber erit ab obligatione illas solvendi.

بال

Digitized by Google

باب زكوة الابل:

Caput de Decimis pro Camelis.

NOn solvuntur Decimæ pro minus quàm quinque camelis pascuis, & anniculis. Pro quinque igitur camelis usque ad novem inclusivè, solvetur pro decimis una ovis. Pro decem autem, donec perveniant ad quatuordecim, duæ oves. Pro quindecim verò, donec non excedant novemdecim, tres oves. A viginti usque ad viginti quatuor, quatuor oves. Ab hoc numero usque ad triginta quinque inclusivè, una ovis fœta. Si fuerint triginta sex, solvatur una ovis, quæ lactet, quamdiù non excedant quadraginta quinque. Cùm autem ad quadraginta sex pervenerint, solvatur unus camelus triennis, donec sexaginta non excedant. A sexaginta sex usque ad nonaginta, duæ oves lactantes. A nonaginta & uno usque ad centum viginti, duo cameli triennes. Tunc verò repetatur à capite solutio decimarum: solvaturque pro quinque camelis una ovis cum duobus camelis triennibus: & pro decem camelis duæ oves: & pro quindecim tres oves: & pro viginti, quatuor oves: & pro viginti quinque, una ovis fœta, donec perveniant ad centum & quinquaginta: tunc enim solventur tres cameli triennes. Deinde repetatur à capite solutio decimarum, & perpetuò servetur, itaut pro quinque camelis solvatur una ovis: pro decem, duæ: pro quindecim, tres: pro viginti, quatuor: pro viginti quinque, ovis fœta: pro triginta sex, ovis lactanea. Cùmque pervenerint ad centum nonaginta sex, solvantur quatuor cameli triennes, donec perveniant ad ducentos. Deinde resumatur à capite solutionis ordo, semperque servetur, quemadmodùm resumitur à numero quinario, qui est post centum quinquaginta.

باب صدقة البقر:

Caput de Eleemosyna pro bobus.

NOn debetur eleemosyna pro minus quàm triginta bobus. Cùm igitur fuerint triginta pascuales, & anniculi, debetur pro illis vitulus, vel vitula. Pro quadraginta autem, bos annosus, vel vacca annosa. Deinceps nihil est addendum (in sententia Abu-Josephi, & Mohammed) donec perveniant ad sexaginta: & tunc debentur pro illis duo vituli, vel duæ vitulæ. Pro septuaginta verò, vacca annosa, & vitulus. Pro octoginta, duæ vaccæ annosæ. Pro nonaginta, tres vituli. Pro centum, duo vituli, & una vacca annosa. Et secundum hoc variabitur statutum à lege in omni decade, de vitulo in vaccam annosam; & de vacca annosa in vitulum. Bubali verò, & boves, pro eodem computantur.

باب صدقة الغنم:

Caput de eleemosyna pro ovibus.

NOn debetur eleemosyna pro minus quàm quadraginta ovibus. Cùm igitur quadraginta fuerint pascuæ, & anniculæ, debitur pro illis una ovis, donec perveniant ad centum viginti; post hunc enim numerum debuntur duæ oves, donec perveniant ad ducentas; quo numero completo, debuntur tres oves, donec perveniant ad quadringentas: tunc enim debuntur quatuor oves. Deinceps pro quolibet centenario, debitur una ovis. Eadem verò erit ratio de ovibus ac de capris.

باب زكوة الخيل:

Caput de Decimis pro equis.

CUm fuerint equi & equæ pascuales, & absolverint annum, erit in electione domini eorum dare pro singulis equis unum denarium; vel si voluerit, taxare pretium eorum, & dare pro singulis ducentis drachmis, quinque drachmas. Neque est in masculis aliquid singulare quoad decimas. Juxta Abu-Honcipham, & Mohammed, nihil datur pro equis, neque pro mulis, & asinis, nisi exponantur mercaturæ. Neque pro his, qui ablactantur, neque pro vitulis, & agnis aculis, juxta eosdem Doctores, solvendæ sunt decimæ, nisi fuerint cum illis alii jam grandes. Sed Abu-Josephi censet dandum esse unum ex illis. Licet autem solvere pretium pro iis rebus, quæ dantur in decimas. Non solvuntur decimæ pro bestiis, quæ laborant, atque operibus inserviunt, neque pro prægnantibus, neque pro iis, quæ detinentur in pascuis. Non accipiet Quæstor, seu Exactor decimarum, meliora facultatum, neque deteriora; sed continebit se in medio. Qui habet stabile, si in declinatione anni lucrabitur facultates ejusdem generis, cujus est stabile; aggregabit lucrum facultatibus suis, & solvet decimas pro eo. Bestia pascualis est, quæ moratur in pascuis per majorem partem anni sui, vel saltem per dimidiam partem ejus. Decimæ, juxta Abu-Honeipham, & Abu-Josephi, exiguntur pro toto Stabili, sine remissione (*Arabicè* بدون الغفو; *potest etiam verti: prater id quod condonatur*). Si perierint facultates post contractum debitum decimarum pro eis, cessabit obligatio decimarum. Si autem anteriores fuerint decimæ per annum, & dominus possidet Stabile, poterunt exigi.

Recenset deinde Auctor alia, quæ pertinent ad النصاب *Stabile, ad ea scilicet bona, quibus imponuntur Decimæ. Primum est* الفضة *Argentum. Secundum,* الذهب *Aurum. Tertium* العروض *Bona accidentalia, seu adventitia. Quartum* الزرع والثمار *Agri, & fructus. Deinde prosequitur, declarando, in quæ, vel in quos Decimæ prædictæ debeant expendi.*

باب من يجوز دفع الصدقة اليه ومن لا يجوز:

Caput de iis, quibus liceat tradere eleemosynam, & quibus non liceat tradere.

HAbetur in Alcorano: Eleemosynæ debentur pauperibus, & egenis, & iis, qui operam suam impendunt pro illis colligendis (*Quæstoribus, seu Exactoribus earum*) & iis, qui procurant mutuam unionem cordium (*sequestris concordiæ & pacis*): & pro redimendis captivis: & debitoribus: & pro Via Dei (*idest pro stipendio eorum, qui pugnant contra infideles*): & illis, qui detinentur in itinere. Ex his octo speciebus excluduntur illi, qui procurant mutuam

mutuam unionem inter fideles: nam Deus ipſe corroboravit, & univit omnes fideles in religione Eſlamitica. Pauper verò eſt, qui habet aliquid modicum: Egenus autem, ſeu mendicus eſt, qui nihil habet. Excluduntur etiam Quæſtores & exactores decimarum, nam his penditur ab Emamo merces laboris ſui. Captivi etiam debent pro libertate ſua ſe invicem adjuvare; vel adjuvari ab illis, qui ſoluto pretio libertatem redemerunt. Debitores ſunt, qui ære alieno gravantur. Pro via Dei, intelliguntur ii, qui pugnant, vel pugnaverunt pro religione (*contra infideles*). Qui detinentur in itinere (*Arabicè* المنبتل *filii ſemitæ*) ſunt, qui habent facultates in patria ſua, ſed reperiuntur in loco, in quo nihil habent. Hi ſunt, quibus decimæ debentur. Licet autem illi, qui voluerit, continere ſe in una tantùm ſpecie eorum, in decimarum ſuarum traditione. Non licet autem dare decimas tributario (ideſt *Judæo, vel Chriſtiano, aut Sabæo, vel aliis exteris receptis ſub fidem cum tributo*): & non ædificetur cum illis Meskita, neque fons, ſeu puteus; neque pons; neque emantur veſtes funebres ad involvendum mortuum; neque ematur cum ea captivus, ut libertate donetur. Neque dabuntur decimæ diviti. Neque dabit quis ea patri ſuo, & avo ſuo, etiamſi ſint ſublimis conditionis: neque filio ſuo, neque filio filii ſui, etiamſi ſint infimæ conditionis; neque matri ſuæ, neque matri matris ſuæ, neque uxori ſuæ. Neque dabit ea uxor viro ſuo, juxta Abu-Honeipham; ſed juxta alios, poterit dare. Neque dabit ea quis ſervo ſuo, qui ſe redemit ſoluta pecunia (ideſt *liberto ſuo*) neque captivo ſuo, neque captivo divitis, neque filio divitis, cùm fuerit parvulus. Neque dabuntur Decimæ Haſcemitis, qui ſunt ex familiis, &c.

Ponit alios caſus, in quibus liceat, vel non liceat dare decimas: & deinde agit de eleemoſyna, quæ fieri ſolet in ſolutione jejunii menſis Rhomadan, ſeu in Bairam magno: & inter alia hæc habet.

Datur autem pro ſolutione jejunii in eleemoſynam, dimidium Sahi ex frumento; aut unum Sahum ex dactylis, aut zibibo, aut hordeo. Sahum autem, juxta nonnullos, continet octo libras: juxta alios autem quinque libras, & tertiam partem libræ.

Hactenùs de Decimis, ſeu eleemoſyna à lege præſcripta: quæ à Mahumeto, ut conſtat ex Alcorano, potiſſimùm pro expenſis in bella, inſtituta fuit.

CAPUT SEPTIMUM.

Quartum Eſlamiticæ Sectæ fundamentum: Jejunium.

CUM nulla propè ſit gens, quæ aliquod jejunii genus non habeat: non mirum, ſi Mahumetani quoque ſuum jejunium obſervent, vel obſervare ab Alcorano cogantur. Mirum tamen, quod jejunium tàm ridiculum & abſurdum Mahumetus ſuis præſcripſerit, ut ex iis, quæ de eo ab Auctore ſcribuntur, apparet.

كتاب الصوم:

Liber de Jejunio.

JEjunium eſt duplicis generis: obligatorium, & ſupererogatorium. Obligatorium item duplex eſt: alterum, quod dependet à tempore ipſo; veluti jejunium menſis Rhomadan; & quod fit ex voto, determinatum ad certum tempus. Validum autem eſt jejunium cum intentione illius habita in nocte. Quòd ſi quis non habuerit intentionem, donec adveniant ultimæ partes noctis, habeat eam ab eo tempore uſque ad receſſum noctis. Alterum eſt, quod imponitur pro delicto ad modum jejunii menſis Rhomadan, & illius, quod fit pro voto ſolvendo. Neque valet alicui hoc jejunium, niſi cum intentione habita à nocte præcedenti. Jejunium autem omne ſupererogatorium debet fieri cum intentione nocte præcedenti ante finem ejuſdem noctis. Oportet verò, ut homines explorent novam lunam in die vigeſima nona menſis Sciaaban: & ſi viderint illam, incipiant jejunium: neque jejunandum eſt die dubia (*cùm ſcilicet non conſtat apparuiſſe novam lunam*) niſi ſponte, & ex devotione. Quòd ſi nova luna lateat in nubibus, perficiant numerum menſis Sciaaban triginta diebus, deinde jejunent. Quòd ſi quis viderit ſunam novam Rhomadan, ſolus ipſe jejunet, etiamſi Emamus non ſuſcipiat teſtimonium ejus. Si autem fuerit in aere aliquod impedimentum (*ob quod non poſſit nova luna videri*), ſuſcipiat Emamus teſtimonium unius fidelis veridici, qui aſſerat, ſe novam lunam vidiſſe, ſive vir ſit, ſive mulier; ſive liber, ſive ſervus. Si autem nullum in aere ſit impedimentum, nullius recipiatur teſtimonium, donec videant novam lunam multi homines, ex quorum teſtimonio certa ſcientia poſſit haberi.

Tempus autem jejunii incipit à punctо ortus auroræ ſecundæ, uſque ad occaſum ſolis. Eſt autem jejunium abſtinentia à cibo, & potu, & coitu venereo, per totum diem integrum, cum intentione. Quòd ſi is, qui jejunat, comedat, aut bibat, aut coeat, per oblivionem: non intelligitur ſolviſſe jejunium, neque pœna ulla ei debetur. Quòd ſi ipſe putaverit, per hoc ſolvi jejunium ſuum, & poſtea comederit data opera: incurret pœnam, & non erit pro eo expiatio. Quòd ſi dormierit, & ſemine pollutus fuerit: vel aſpexerit mulierem, & ſemen emiſerit; vel unguentis delibutus fuerit: vel ſtibio oculos illiverit, vel oſculatus fuerit, non violabit jejunium. Quòd ſi ſe inhoneſtè tangendo ſemen emiſerit, incurret pœnam, neque erit pro eo expiatio, neque eſt difficultas in oſculo, cùm quis poterit fidere ſibi ipſi: ſed improbatur, ſi fidere ſibi non poſſit. Quòd ſi ſemen emiſerit (*propter oſculum*) non ideò violabit jejunium. Si data opera hauſerit aquam pleno ore, incurret pœnam, neque erit pro eo expiatio. Qui deglutierit calculum, aut nucleum, aut ferrum, data opera, franget jejunium. Qui volens, coierit in vaſe anteriori, aut poſteriori; aut comederit, aut biberit, quod comeditur in, prandio, vel quod adhibetur ad medicinam; incurret pœnam, & expiatio ejus erit ſicut expiatio divortii. Qui ſponte coierit in vaſe præter naturam, aut cum beſtia, & emiſerit ſemen; incurret pœnam, & non erit pro eo expiatio. Et non eſt expiatio in fractione jejunii extra menſem Rhomadan. Qui clyſtere uſus fuerit, aut nares aqua abluerit, aut aliquid ſtillaverit in aures ſuas, vel medicinam adhibuerit in partibus intrinſecis ſeu profundioribus, aut in apertura cerebri; itaut medicina perveniat ad ventrem, vel cerebrum; violabit jejunium, & obnoxius erit pœnæ. Quòd ſi inſtillaverit aliquid in foramine penis, vel uberum, non franget jejunium, in ſententia Abu-Honeiphæ, contra ſententiam Abu-Joſeph. Qui guſtaverit quidquam ore ſuo, non franget jeju-

Digitized by Google

jejunium : sed non debet hoc facere. Neque debet mulier manducare cibum pro puero suo, cùm fuerit ei de hoc dubium (*an liceat, nec ne*) sed masticare tantùm cibum, non frangit jejunium, quamvis neque hoc facere conveniat. Cùm intraverit in guttur alicujus granum tenue, vel pulvis viæ, vel fumus croci, non frangit jejunium. Qui fuerit infirmus in mense Rhomadan, & timuerit, ne jejunium augeat morbum suum, frangat jejunium, & solvat pœnam (*impositam à lege.*) Qui est in itinere, non tenetur ad jejunium : sed tamen, si jejunet, melius facìet. Si autem frangat jejunium, exsolvendo pœnam, licebit. Si infirmus, & viator, mortui fuerint in infirmitate, vel in itinere; non erunt pœnæ obnoxii. Si autem infirmus convaluerit, & viator iter absolverit, & postea mortui fuerint, obnoxii erunt pœnæ, quamdiù ille valetudine recuperata fruetur; hic verò consistet in patria. Pœnam autem (*seu satisfactionem*) pro jejunio Rhomadan, si quis voluerit partiri (*& non totam simul, sed per partes exsolvere*), poterit: &, si voluerit, poterit eam continuatim persolvere. Quòd si distulerit eam, donec ingrediatur Rhomadan secundus, jejunabit in secundo Rhomadan; & post eum, satisfaciet primo, neque tenebitur alia re jejunium redimere. Prægnans, & lactans, cùm mettuerint aliquid mali pueris suis, solvant jejunium, & subeant pœnam : neque alia re jejunium redimant. Senex decrepitus, qui non poterit jejunare, solvat jejunium : sed det cibum quotidie uni pauperi, sicut datur pro expiatione. Qui mortuus fuerit obnoxius pœnæ jejunii Rhomadan, præcipiat in testamento, ut propinquus (*hæres*) suus det quotidie pro se uni pauperi dimidium Sahi ex tritico; vel fahum unum ex dactylis, aut hordeo. Qui incœperit jejunium spontaneum, vel orationem spontaneam, & deinde fecerit aliquid, per quod irrita fiant; absolvat ac perficiat ea (*ideſt, quod remanet ex illis*). Cùm puer pervenerit ad ætatem adultam; itemque cùm infidelis aliquis susceperit Mahumetismum in una ex diebus Rhomadan, in reliquis sequentibus diebus absteneant à comestione diurna, & jejunent per id tempus, quod sequitur, neque obnoxii sint ulli pœnæ (*satisfactioni*) pro tempore, quod præcessit.

Omitto alios casus ejusdem furfuris circa hoc jejunium Mahumetanicum : solùm noto, pœnam illam, de qua hic sæpè fit mentio, impositam solventibus jejunium, quæ Arabicè dicitur القضاء *Judicium*, seu *sententia* & الكفارة *expiatio*, explicari in Alcorano Sura 2. المقرة *Vacca*, versf. 184. & seqq. his verbis: يا ايها الذين امنوا كُتِبَ عليكم الصيام كما كُتِبَ على الذين من قبلكم لعلكم تتقون: ايامًا معدودات فمن كان منكم مريضًا او على سفر فعدة من ايام اخر وعلى الذين يطيقونه فدية طعام مسكين فمن تطوع خيرًا فهو خيرٌ له وان تصوموا خيرٌ لكم ان كنتم تعلمون: شهر رمضان الذي انزل فيه القران هدى للناس وبينات من الهدى والفرقان

فمن شهد منكم الشهر فليصمه ومن كان مريضًا او على سفر فعدة من ايام اخر يريد الله بكم اليسر ولا يريد بكم العسر ولتكملوا العدة ولتكبروا الله على ما هداكم .... احل لكم ليلة الصيام الرفث الى نسائكم هن لباس لكم وانتم لباس لهن علم الله انكم كنتم تختانون انفسكم فتاب عليكم وعفى عنكم فالان باشروهن وابتغوا ما كتب الله لكم وكلوا واشربوا حتى يتبين لكم الخيط الابيض من الخيط الاسود من الفجر ثم اتموا الصيام الى الليل ولا تباشروهن وانتم عاكفون في المساجد تلك حدود الله فلا تقربوها:

O qui credidiſtis (ideſt ò Moslemi) *præſcriptum eſt vobis jejunium, ſicut præſcriptum fuit illis, qui fuerunt ante vos, ut vos timeatis* (tranſgreſſionem illius). *Dies numerati* (habebit hoc jejunium). *Qui autem fuerit ex vobis* (eo tempore) *agrotus, vel in itinere;* (accipiatur ab eo ad jejunandum) *numerus æqualis ex diebus aliis. At ſuper eos, qui potuerint illud* (ſervare, & tamen non ſervaverint, imponitur tranſgreſſionis ſuæ) *redemptio : eibatio unius pauperis. Qui autem ſponte præſtiterit* (id quod eſt) *melius* (lautiùs cibando pauperem vel plures pauperes, quàm lex præcipiat) *hoc melius eris illi. Et quòd jejunetis, melius erit vobis* (quàm frangere jejunium, vel cibare pauperem), *ſi ſcieritis. Menſis Rhomadan* (deſtinatus eſt vobis ad jejunandum) *in quo demiſſus fuit Alcoranus* (è cœlo) *directio hominibus, & declarationes ex diſtinctione* (ideſt diſtinctionis rerum licitarum ab illicitis, & veritatis à mendacio). *Itaque qui præſens fuerit ex vobis hunc menſi, jejunet illum. Qui autem agrotus fuerit, vel in itinere;* (accipiat) *numerum* (æqualem) *aliorum dierum. Vult Deus* (in hoc oſtendere) *vobiſcum facilitatem; & non vult* (oſtendere) *vobiſcum difficultatem :* & (tantùm) *ut compleatis numerum* (horum dierum): *& ut magnificetis Deum, eò quòd direxerit vos* . . . . . *Concediturvobis nocte jejunii conjugalis copula cum uxoribus veſtris. Ipſæ ſunt indumentum vobis, & vos eſtis indumentum illis* (per mutuos amplexus, & actus venereos). *Novit Deus, quòd vos fraudabatis invicem vos ipſos* (abſtinendo à coitu nocte jejunii): *propterea miſertus eſt veſtri, & indulſit vobis. Nunc igitur coite cum illis, & avidè appetite* (copulam), *quam præſcripſit vobis Deus : & comedite, & bibite* (per totam noctem) *donec appareat diſtinctè vobis filum album à filo nigro in aurora. Deinde perficite* (ideſt perfectè obſervate) *jejunium* (ab aurora) *uſque ad noctem : & ne coeatis cum illis* (ideſt uxoribus) *& commoramini aſſiduè in Meskitis. Iſti ſunt termini Dei,* (ab eo vobis præſcripti). *Ne ergo approximetis eis* (ideſt ne eos tranſgrediamini.)

Digitized by Google

Ex his Alcorani verbis facilius intelligentur ea, quæ suprà ab Auctore dicta sunt.

CAPUT OCTAVUM.

Quintum Eslamiticæ fidei fundamentum, Peregrinatio.

PEregrinatio Meccana, quæ dicitur الحجّ, non fuit à Mahumeto instituta, sed ex usu Ethnicorum Arabum ab eo accepta, susque asseelis præscripta. Imò, si eredimus Scriptoribus Mahumetanis ab ipso Adam, & cæteris antiquis Patribus, & Prophetis observata fuit. Sed videamus, quid de ea scribat noster Auctor.

كتاب الحج:

Liber de Peregrinatione.

PEregrinatio debetur ab iis, qui sunt in adulta ætate, intellectu prædìti, integris viribus, & quibus sit copia viatici, & camela ad iter, ex facultatibus non spectantibus ad habitationem, neque ad res necessarias, neque ad expensas familiæ usque ad reditum à peregrinatione. Oportet etiam, ut via sit tuta, & secura. Et conceditur quoque mulieri, dummodò habeat fidum socium (Arab. محرم *arcanorum consciùm ac participem*) vel conjugem, qui peregrinentur eum ea: neque liceat illi, sine uno ex his duobus peregrinari, &c.

Cùm autem quis voluerit الاحرام (*præparare se ad sacra Meccanæ Visitationis*) lavabit se, aut sacram purificationem adhibebit: sed lavare se erit melius: & induetur duabus vestibus novis, aut lotis, & fascia, & pallio; contrectabitque res odoriferas, si habuerit: & orabit cum duabus incurvationibus, & dicet; O Deus, ego volo facere peregrinationem Meccanam: prospera, ac facilita eam mihi, & suscipe eam à me.

Deinde postquam sic oraverit, dicet (لبيك *Ecce adsum tibi obediens.*) Quòd si fuerit separatus ab aliis in peregrinatione, proferet eadem verba eum intentione peregrinationis, dicens: Ecce adsum tibi obediens, ò Deus; Ecce adsum tibi obediens: Ecce adsum tibi obediens: Non est tibi socius in divinitate; ecce adsum tibi obediens. Certè laus, & felicitas tibi, & regnum; & non est socius tibi in divinitate. Et non debet omittere aliquid ex his verbis: poterit tamen aliquid addere, si voluerit. Cùm autem prædicta verba protulerit, jamque se ad sacram peregrinationem disposuerit, cavebit ab iis, quæ prohibuit Deus, nempè ab accessu venereo ad fœminas, aliisque flagitiis ac transgressionibus, & ab altercationibus. Non occidet animalia venatica (*quæ scilicet in venatu occidi solent*) neque nutu ostendet ea aliis, vel alio modo monstrabit, ut occidant ea. Non induetur tunica, neque femoralibus, neque cydari, neque cucullo, neque tunica Persica, neque soccis; sed si invenerit crepidas, scindet eas in extremitate ad talos. Non cooperiet caput suum, neque faciem suam. Non contrectabit res odoriferas. Non radet caput suum, neque pilos corporis sui; neque tondebit quidquam barbæ suæ, neque unguium suorum. Non induat vestem tinctam varso, (الورس *herba, quæ nascitur in sola Arabia*) neque croco (زعفران *Zaferano*) neque osphoro (مصفر *herba, qua tinguntur vestes*). Nisi fuerit lota, non excutiatur. Conceditur illi ut lavetur, & ingrediatur in balneum, & sedeat ad umbram in domo, vel in gestatorio, & præcingat se medium hamiano (الحميان *videtur genus lintei*). Et non lavabit caput suum, neque barbam suam hatemmio (الخطمى *videtur genus herbæ*). Et sæpè repetet اللهم لبيك: *O Deus, ecce adsum tibi obediens*: post orationem, & quoties ascenderit in locum altum, vel descenderit in vallem.

Cùm autem ingressus fuerit Meccam, incipiet à Templo illius, cùmque ob oculos habuerit illud, magnificabit Deum (الله اكبر *dicens*) & dicet لا اله الا الله: *Non est Deus nisi Deus*. Deinde incipiet à Lapide nigro, & convertet se ad eum, & magnificabit Deum: & elevabit manus suas, & manu tanget eum, & osculabitur eum, si potuerit, sine incommodo aliorum. Postèà incipiet à dextris suis ex ea parte, quæ respicit januam, & deposito humi pallio suo, circuibit Templum septies extra murum, qui ambit illud; & primis tribus vicibus celeriter incedet; in reliquis verò quatuor, lentiùs: & manu, vel osculo, tanget Lapidem nigrum quoties transibit ante illum, si potuerit, & sigillabit circuitus eum hujusmodi osculo, vel tactu manus. Deinde veniet ad locum, ubi consistitur, vel in eam partem Templi, quæ sibi fuerit facilior, & orabit eum duabus incurvationibus. Prædictus autem circuitus dicitur طواف القدوم *Circuitus adventus*; & sit ex consuetudine (*in primo adventu peregrinorum*) sed non est necessarius. Habitatores autem Meccæ non solent facere hunc circuitum.

Deinde egredietur ad montem Sapham, & ascendet super eum: & convertet se versus Kaabam (*Templum Meccæ*): & magnificabit Deum, & dicet لا اله الا الله: Non est Deus, nisi Deus; & orabit pro Propheta Mahumeto. Et orabit Deum pro necessitatibus suis, & lento passu descendet versus montem Mervam. Cùmque pervenerit ad imum vallis, velociter curret per duo milliaria inter umbras arborum, donec perveniat ad montem Mervam, super quem ascendet, & faciet idem, quod fecit in Sapha: & circuibit septies, incipiens à Sapha, & absolvens in Merva: deinde consistet in Mecca in statu peregrini (*Arab.* محرما) & circuibit Kaabam, quoties ipsi videbitur. Die verò ante potationem (*ex puteo Zamzam*) Emamus habet concionem, in qua instruit homines (*de iis, quæ spectant ad*) exitum in Vallem Minæ, & orationem in Monte Araphat, & stationem (*in eo*), & regressum (*ab eo*). Cùmque fecerit orationem auroræ in die potationis in Mecca, egredietur in Minam, ibique consistet, donec persolvat orationem

Digitized by Google

nem auroræ in die (*qua visitandus est*) Mons Araphat, ad quem diriget se, ibique consistet, donec sol declinet : & tunc orabit Emamus cum hominibus orationem meridianam, & pomeridianam eodem tempore, sed habebit concionem ante orationem, instruens homines circa orationem, & stationem in Araphat, & Mozdalephat, & jactum lapillorum, & mactationem (*pecudum*), & circuitus in visitatione. Et orabit cum eis orationem meridianam, & pomeridianam in tempore meridiei ad vocem præconis, cum duabus consistentiis (*seu stationibus*). Qui verò ovaverit in caravana (*seu mansione*) sua solus, persolvet unamquamque ex his tempore suo, juxta Abu-Honeipham : sed contrarium asserunt Abu-Josoph, & Mohammed. Deinde perget ad locum stationis juxta Montem Araphat, qui totus est locus stationis, excepta parte concava ipsius. Debet autem Emamus consistere in Monte Araphat super camelam suam, & advocare homines, ac docere eos sacros ritus. Et necesse est, ut lavetur ante stationem in Araphat, & studiosè se gerat in precatione (*Arabicè* الدعاء, *etiam invitatione*). Cùm autem occubuerit sol, revertetur Emamus cum peregrinis, lento passu & commodo, donec perveniant in Mozdalephat : & consistant in ea juxta Montem ibi situm, ubi orabit Emamus cum populo orationem occasus solis, & vesperæ, cum voce præconis, & stationc. Cùm autem apparuerit aurora, persolvet Emamus cum peregrinis orationem auroræ in extremitate noctis. Deinde stabunt homines cum eo, & orabit. Mozdalephat autem tota est locus orationis, excepta concavitate Mohasseri. Deinde revertetur Emamus cum peregrinis ante ortum Solis, & veniet in Minam : & incipiet jacere lapillos Akebæ (*Arabicè* العقبة, *quia fortè jaciuntur post humeros, à parte anteriori inter crura sub genitalibus*) : & jaciet eos à concavo vallis, eruntque septem lapilli, qualis est calculus, qui digitis jacitur. Magnificabit autem Deum ad singulos lapillos, nec consistet post eorum jactum : & concidet Talbit (idest *non ampliùs proferet verba illa* اللهم لبيك : *O Deus, ecce adsum tibi obsequens*) post primum lapillum. Deinde immolabit (*pecudes suas*) si voluerit. Deinde radet caput, vel tondebit ; sed melius erit radere. Jamque licita erunt ei omnia, præter fœminas. Deinde veniet Meccam ea die, vel sequenti, vel perendie ; & circuibit Templum circuitu, qui dicitur طواف الزيارة *Circuitus Visitationis*, septemvicibus. Quòd si eucurrerit inter Sapham, & Mervam, post circuitum adventus, non curret celeriter in hoc circuitu, nam non tenetur currere. Quòd si non præcesserit cursus (*inter Sapham, & Mervam*) : velociter incedet in hoc circuitu, & curret post illum, sicut prædiximus : & licitus erit ei usus fœminarum. Hic autem circuitus statutus est à lege in Peregrinatione ; nec probatur ejus dilatio ultra tres dies. Quòd si quis ulteriùs distulerit, debitor erit sanguinis (idest *victimæ immolandæ*) juxta Abu-Honeipham.

Deinde redibit in Minam, ibique consistet. Cùmque occubuerit Sol secundæ diei Sacrificiorum, jaciet ter lapillos, incipiens ab ea parte, quæ respicit Templum, & jaciet cum septem siliculis, magnificans Deum ad singulos silículos, & post jactos lapillos stabit. Deinde jaciet lapillum Akebæ eodem modo, & non stabit post (*quam jecerit*) eum. Cùmque fuerit dies crastinus, jaciet lapillos tertios post occasum solis eodem modo. Cùmque voluerit accelerare egressum è Mina, exibit anticipatè ad Meccam. Si autem morari voluerit, jaciet lapillos tertios die quarta post occasum Solis. Quòd si anticipet jactum lapidum hac die ante occasum Solis post ortum auroræ, licebit, juxta Abu-Honeipham. Improbatur autem quòd præmittat aliquis sarcinas suas ad Meccam, & moretur (*in Mina*) donec jaciat lapillos. Cùm autem egressus fuerit, ut eat in Meccam, descendat in Mohasseb. Deinde circumeat Caabam septem vicibus, non curans in eis. Et hic est circuitus الصدر *Sadar* (idest *reditus*), & necessarius est omnibus, præter Meccanos. Deinde revertatur ad familiam suam. Quòd si (*Peregrinus*) non ingressus fuerit Meccam, sed perrexerit in Araphat, ibique consisterit, juxta id, quod prædiximus, jam non tenebitur ad طواف القدوم *Circuitum adventus*, neque ad aliud vice illius. Qui autem pervenerit ad stationem in Araphat à declinatione Solis dici (*in quo visitatur*) Araphat usque ad ortum auroræ diei immolationis pecudum, jam assequutus est peregrinationem (idest *satisfecit illi*). Qui autem transierit per Araphat, & somno, vel mentis deliquio oppressus fuerit, vel nescierit, illum esse montem Araphat : satis erit ei hoc, absque eo quòd ibi consisterit. Mulieres autem in his omnibus gerant se sicut viri, excepto quòd hæ non detegent capita sua, sed tantùm vultus suos ; neque efferent vocem suam in illis verbis اللهم لبيك *O Deus, ecce tibi adsum obediens* : neque velociter incedent circumeundo Caabam : neque current per duo milliaria (*inter Sapham, & Mervam*) : neque radent caput suum, sed tantùm attondebunt.

Hæ sunt, quæ ad Meccanam Peregrinationem generaliter requiruntur. Interjectis deinde nonnullis, quæ ad peculiarem quorumdam peregrinationem spectant, prosequitur Auctor.

باب الجنايات :

Caput de iis, quæ vitari debent.

Si is, qui præparat se ad sacram peregrinationem, odoritera aliqua re perfundatur, obnoxius erit expiationi (*idest jejunio, vel eleemosyna peccatum hoc expiabit*). Si hoc fecerit in uno membro integro, nec excesserit : nihilominus culpam expiabit. Si in minus quàm integro membro, faciat eleemosynam. Si induatur veste consuta, vel cooperiat caput diem integrum, debet sanguinem (*idest immolet ovem*). Si minus quàm per totum diem, faciet eleemosynam. Si radat caput, aut aliquid amplius : debet sanguinem. Si autem radat minus, quàm totum caput : dabit eleemosynam. Si radat loca (*pilosa*) ad cucurbitulas pro trahendo sanguine affingendas, debet sanguinem : sed in sententia Abu-Honeiphæ, & aliorum, eleemosynam. Si præciderit ungues manuum, vel pedum suorum, debet sanguinem : itemque si abscinderit (*pilos*) manus, vel pedis sui. Si præciderit minus quàm quinque ungues, dabit eleemosynam. Si præciderit quinque ungues separatos,

mz-

manuum, vel pedum suorum, juxta quosdam debet sanguinem: juxta alios, eleemosynam. Si unguento, vel odore se perfuderit, aut raserit se, sine justa causa: erit in electione ejus, mactare ovem, vel dare in eleemosynam sex pauperibus tria saha cibi; vel jejunare tres dies. Qui libidinosè osculatus fuerit, aut tetigerit, debet sanguinem. Qui coierit in vase naturali, vel præpostere, sive semen emiserit, sive non emiserit, antequam confiftat in Araphat, profanabit peregrinationem suam, & debitor erit ovis inumolandæ: & procedet in peregrinatione sua sicut cæteri, qui non profanaverunt eam, & obnoxius erit judicio (*nimirum pœnæ impositæ ab Alcorano huic flagitio*). Non tamen tenebitur ad separandum se ab uxore sua, cum qua peregrinationem fuscepit, injudicio (*dum scilicet subit pœnam*). Qui autem coierit post confiftentiam in Araphat, non profanabit peregrinationem suam, sed offeret camelum in eleemolynam. Qui coierit post rasum caput, immolabit ovem. Qui coierit in visitatione (*sacrorum locorum*) antequam quater circumeat Kaabam, profanabit eam: procedet tamen in ea, & absolvet eam; sed debitor erit ovis. Quòd si coierit post quartum circuitum, mactabit quidem ovem, sed non profanabit visitationem suam, nec obnoxius erit judicio ejus. Qui coierit per oblivionem, (*vel incuriam*) erit ac si coisset data opera. Qui fecerit circuitum adventus, inquinatus excrementis, debitor erit eleemosynæ. Quòd si circumierit pollutus semine, mactabit ovem. Qui obierit circuitum الزيارة *Visitationis*, inquinatus excrementis, mactabit ovem: qui verò pollutus semine, camelum, vel bovem. Sed melius erit, ut repetat circuitum, quamdiù moratur in Mecca; nec debitor erit victimæ. Qui obierit circuitum الصدر *reditus*, inquinatus excrementis, debit eleemosynam: qui autem pollutus semine, debit ovem. Qui omiserit tres ex circuitibus الزيارة *visitationis*, aut minus, debit ovem. Qui quater, manebit semper in statu peregrini, donec faciat illos. Qui reliquerit tres ex circuitibus الصدر *adventus*, debit eleemosynam: si verò quatuor aut omnes, debit ovem. Qui reliquerit eursum inter Sapham & Mervam, debit ovem; & ita peregrinatio ejus erit perfecta. Qui reverfus fuerit ex Araphat ante Emamum, debit ovem. Qui omiserit stationem Mozdalephæ, debitor est sanguinis. Qui reliquerit jactum lapillorum his diebus omnibus, debitor est sanguinis. Quòd si reliquerit unam ex tribus jactationibus lapillorum, debet eleemosynam. Si autem reliquerit jactum lapilli Akabæ in die sacrificiorum, debitor erit sanguinis, juxta Abu-Honeipham.

Cùm autem Peregrinus (الحرم *Arabicè*) occiderit animal ex iis, quæ venatu capiuntur, aut ostenderit illud aliis occidendum; tenebitur ad restitutionem illius, sive id fecerit data opera, sive per inadvertentiam, aut incuriam: sive fuerit in principio peregrinationis, sive in regressu ab ea. Restitutio autem erit, juxta Abu-Honeipham, & Abu-Joseph, ut computet pretium animalis in loco, in quo occidit illud, vel loco illi proximo. Si erit in locis desertis (*ubi non est Judex*) computet pretium ejus vir aliquis justus. Deinde ipse eliget, si voluerit, pretio ejus emere donum (ideft *ovem, vel bovem, aut camelum*) & immolare illud in Mecca, si perveniat ad donum (ideft *si pretium tantum sit, ut eo emi possit hujusmodi donum*): vel si voluerit, emat cibum eo pretio, & det illum in eleemosynam pauperibus, itaut singulis pauperibus det dimidium Sahi ex frumento, vel unum Sahum ex dactylis, vel hordeo: vel si voluerit, pro omni dimidio Sahi ex frumento, jejunet unum diem, itemque pro omni Saho ex hordeo. Quòd si superfuerit ex cibo minus quàm dimidium Sahi, erit in electione ejus, vel facere ex eo eleemosynam, vel jejunare unum diem integrum. Dixit autem Mohammed: Oportet in re occisa venatu, inspicere quid sit illi simile (*ut restitutio fiat ad æqualitatem quantum fieri potest*). Pro capreolo dabitur ovis, itemque pro hyæna. Pro lepore, capella. Pro struthiocamela, camela. Pro glire campestri, capella quadrimestris. Qui vulneraverit animal venatile, vel evulserit plumas avis, vel abscinderit pedes animalis venatilis, quod egressum fuerit è septis, in quibus detinebatur, solvet pretium integrum (*totius animalis*). Qui fregerit ova animalis hujusmodi, solvet pretium ejus. Quod si ex ovo egressus fuerit pullus mortuus, solvet pretium illius vivi. Nulla debetur compensatio pro occisione corvi, milvi, lupi, serpentis, scorpionis, & muris. Nihil etiam debetur pro occiso culice, vel pulice, aut cane mordaci, aut simia. Qui autem occiderit pediculum, aut locustam, det pro eleemosyna quod vult: & dactylus melior est, quàm locusta (ideft *poterit pro eleemosyna dare dactylum*). Qui occiderit animal, cujus caro non comeditur, ut leonem, & hujusmodi; restitutioni obnoxius erit; sed pretium ejus non excedet ovem. Quòd si hujusmodi fera insilierit in peregrinum, & ipse occiderit eam, ad nihil tenebitur. Si peregrinus coactus fuerit necessitate ad comedendum carnem animalis venatilis, & occiderit illud, tenebitur ad restitutionem. Neque est difficultas, quòd peregrinus (*pro restitutione animalis venatilis*) immoleт ovem, & bovem, & camelum, & gallinam, & anatem (*seu anserem*) Cæsariensem (*ita dictam à Cæsar oppido insigni*). Quòd si occiderit plumipedem (*domesticum*) aut capreolum cicurem, tenebitur ad restitutionem. Si peregrinus obtulerit in victimam animal venatile; ex hujusmodi victima nefas erit comedere. Non tamen est difficultas, ut comedat carnem animalis venatilis, quod captum fuit, & occisum ab eo, qui non erat peregrinus, dummodò peregrinus non commonstraverit illud occidendum ab eo, neque præceperit ei, ut caperet illud. Et pro venatili peregrini, occiso ab eo, qui non est peregrinus, debetur restitutio. Si peregrinus abscinderit stipulam, vel arborem, quæ à nullo possidetur, nec est ex iis, quas plantant & nutriunt homines, persolvet pretium ejus, ... Cùm duo peregrini participabunt in occisione venatilis, solvent singuli pretium integrum. Si verò duo non peregrini participaverint in occisione venatilis (*capti vel monstrati*) à peregrino; singuli restituent unam partem (*nempe dimidium*). Cùm autem peregrinus vendiderit, aut emerit venatile, contractus erit nullus.

Deinde agit de iis, qui aggressi sacram peregrinationem, impediuntur ab hostibus, morbo, aut alia re, ne eam prosequantur. His satis erit mittere ovem, quæ certa die immoletur in Mecca, neque fas erit extra Meceam eam immolare. Si verò jam missa ove, peregrino cesset impedimentum, debet prosequi

peregrinationem, & visitare loca sacra, & mactare ovem à se missam, si nondum fuerit mactata: quòd si non possit suo tempore ovem immolare, nisi omittat alios ritus peregrinationis, & visitationis: liber erit ab illis. Si vero alteruterum ex his omittere cogatur, ut uni possit satisfacere, nimirum vel mactationi, vel sacræ visitationis ritibus: liber erit, ut eligat utrum voluerit. Qui sunt in Mecca, si impediantur ab una parte peregrinationis, seu visitationis exequenda, non absolvuntur ab alia complenda, si non sint impediti ab eadem.

Postremò agit de الهدي, *Munere seu oblatione ad Meccam à Peregrinis deferenda, quam vel ovium, vel bovum, vel camelorum esse debere affirmat. Quæcumque autem sit*, non debet habere truncas aures totas, vel quoad majorem partem; neque caudam, neque maxillam, neque pedem, neque cui desit oculus; neque quæ sit macilenta, aut infirma, ita ut non possit ire ad locum, ubi immolari debet. Ovis semper offerri potest, excepiis duobus casibus, nempè, si pollutus semine obeat طوف الزيارة *circuitum Visitationis*: & si quis ceeat carnaliter post stationem Araphat: tunc enim offerendus est camelus. Camelus autem & bos sufficiunt pro septem personis, quæ simul conveniant in eo offerendo. At si unus voluerit partem suam earnis, non licebit reliquis habere (*ex ea*). Non licet immolare victimas nisi in Mecca. Potest dari ex illis eleemosyna pauperibus Meccæ, & aliis. In camelis melior est النحر jugulatio: in bobus autem, & in ovibus الذبح mactatio (*Videtur discrimen, quòd* النحر *sit propriè scindere, vel secare jugulum: at verò* الذبح *truncare, seu abscindere caput à collo, quod faciunt præcipuè in volat libus*). Melius est, ut homo assistat immolationi victimarum suarum per seipsum, si possit honestè: & det in eleemosynam stratæ & lora earum: neque det ex his mercedem Janio. Qui duxerit camelam (*immolandam*) si necesse habuerit ea uti ad equitandum, utatur, si hæc habuerit lac, non mulgeat eam, sed leviter aspergat ubera ejus aqua frigida, ut cesset lac. Si quis duxerit animal immolandum ex obligatione (*non ex mera devotione*) & hoc pereat in via, tenebitur aliud substituere: similiter si incidat ei vitium magnum. Sed tunc poterit facere de vitiato quod voluerit. Ornandum autem est monilibus (*frondium, ac florum*) animal quod Meccam ducitur ad immolandum, excepto eo, quod mittitur ab impedito in itinere; & eo, quod mittitur in pœnam admissi alicujus reatus.

Et hæc sunt, quæ spectant ad peregrinationem Meccanam: in quibus, quemadmodum etiam in aliis, quæ superiùs ex Arabico idiomate transtuli, quædam fortasse minus propriè expressi, eò quòd aliud significent in communi usu loquendi, aliud cùm de ritibus, & ceremoniis ad religionem spectantibus adhibentur: quod etiam apud nos, & alias gentes usuvenire ceit sfimum est. Superest nunc, ut de quinque præcipuis Mahumetanicæ sectæ fundamentis ad praxin pertinentibus, breviter differamus.

CAPUT NONUM.

Animadversiones in primum Mahumetanicæ Sectæ fundamentum practicum: nempè Purificationem.

MAhumetus, ut imposturis suis fidem inveniret, auctoritatem illis à Pentateucho mendicavit. Sed quàm infeliciter, vix dici potest. Prohibuit Deus in illo animalia quædam tamquam immunda: & præterea statuit certa piacula, seu expiationes, pro quibusdam aliis rebus, quas legalem immunitatem continere declaravit. Hæc omnia non solùm in voluntate Dei, sed etiam in ratione fundata esse scripsit Hebræorum doctissimus R. Moyses Ægyptius, in מורה *Morè*, & מדע *Moddaa*: cuieùm contradixissent non pauci ex Judæis; hos illius libros proscripsere, flammisque tradendos esse decrevere. Sed aliis pluribus Ægyptium defendentibus, dissidium magnum inter Judæos, præsertim Hispanos, & Gallos, excitatum est. Quamobrem qui illum impugnabant, ad sacra Christianorum Tribun lia recurrerunt, quò libros eius proscribi uberent. Verùm cùm firmissimum esset non solùm apud Christianos, sed etiam apud sapientiores Judæos, præcepta omnia Dei, etiam ceremonialia, in ratione fundata esse; juxta dictum David, Psal. 3. *Fidelia omnia mandata ejus: facta in veritate, & æquitate*; renuerunt sapientissimi ac prudentissimi Patres, prædictos Moysis libros condemnare; & tamen etiam Judæi omnes in illis recipiendis ac probandis convenere. Accidit hoc anno Christi 1232. Duplici verò modo intelligi potest, præcepta Dei ceremonialia fundata esse in ratione: Primò respectu finis à Deo intenti, & proportionis, seu convenientiæ eorum eum eodem fine, sive morali, sive allegorico. Exempli causa: Deus prohibuit suem, intendendo per hoc prohibere peccata carnalia: suis enim ob naturalem immunditiam, aptissimum symbolum est ad impura & obscœna peccata significanda. Ita jussit occidi Agnum immaculatum, ea die, qua populus Hebræus liberatus fuit à captivitate Pharaonis: ut significaret mortem Christi, quem agnus ille, ob purita em, & manfuetudinem, aptissimè repræsentabat, ut humanum genus à captivitate Dæmonis liberaret. Et ita de reliquis. Secundò in ratione physica, seu naturali, prohibendo v. g. animalia, quæ vel venenosa erant, ut stellionem: vel insalubria, ut suem: vel inepta ad comedendum, ut noctuam, aut vespertilionem. Et eodem modo declarando immunda illa, quæ suapte natura immunda sunt, vel talia communiter existimantur, ut lepram, menstruum, gonorrhœam, cadaver. Addebat Moyses Ægyptius, cessante fine præcepti ceremonialis, etiam præceptum cessaturum: illud, ut puto, innuere volens, cùm præcepta omnia ceremonialia tradita sint in ordine ad Messiam venturum, ita ut essent figuræ illius, & legis. Ecclesiæque ejus: ubi Messias eum nova lege advenisset, cessatura omnia præcepta ceremonialia. Hinc, ut puto, tota Hispanorum Judæorum contra Ægyptium indignatio, & malevolentia. Certè non solùm S. Paulus scripsit ad Rom. cap. 10. *Finis legis Christus*. Et 1. ad Cor. cap. 10. *Omnia in figura contingebant illis*: sed antiquiores etiam Hebræi, ut alibi vidimus, docent omnia à Prophetis scripta, spectare tantummodo ad ées

Digitized by Google

dies Messiæ. Sed ad rem nostram veniamus, & rejecta in alium locum animalium prohibitione facta à Mahumeto, de præclara Purificatione illius agamus.

Patet naturæ lumine, non debere rationabiliter poni legalem immunditiam in iis, quæ communia, quotidiana, ac necessaria sunt omnibus hominibus: ut in excrementis ventris, oris, narium, aurium &c. Neque Deus in his immunditiam ullam legalem posuit in lege sua. Imò neque Talmudistæ in sua Misnà, pro his expiationem ullam constituunt: cùm tamen in ea pené innumera, & pleraque futilia expianda recenseant. Nam nimis grave, ne dicam iniquum, videretur, propter hæc aliquem immundum declarare, itaut vel à sacrorum participatione, vel à communi commercio propterea esset separandus. Hùc accedit, naturam ipsam universos docere, ut ab his sine ulla lege se emundent, ac solerter purificent. At Mahumetus nulla ferè alia in re immunditiam posuit, propter quam purificatio sit adhibenda, quàm in his ipsis, quæ diximus: itaut si post exoneratum ventrem, vel emissum lotium, vel ventum, non reperiatur aqua, pulvis, vel lapilli adhibeantur, non solùm ad obscœna & pudenda, sed etiam ad manus & faciem purificandam, atque emundandam. Quis unquam hujusmodi ineptias audivit? Sed didicit hoc Mahumetus, ut puto, à Thalmud in Codice *Beracchoth*, cap. 2. ubi cùm præeipiatur, lavandas esse manus ab eo, qui legit: *Audi Israel, &c.* addit R. Rabbena: *Qui non habuerit aquas, ut abluat manus suas; pulvere sibi illas detergat, vel lapillis, vel festucis*: & tàm præclarum rubricam in Rituali suo apponendam esse judicavit. Addidit tamen, hujusmodi pulverem debere esse صعيدا طيبا, *desumptum è superficie terræ, & bonum*. Sed pulvis, quantumvis bonus sit, nunquam bonus erit ad manus, faciemque abluendas, ac purificandas; sed potiùs inquinandas, & conspurcandas.

Reliquas quisquilias, & ineptias hujus purificationis, nimis longum, atque etiam Lectori molestum esset fingillatim discutere: quamobrem sinam, ut quilibet per se illas perpendat. Unum non omittam: puduisse Algazelum sanctionum tàm stultarum Prophetæ sui, easque correxisse, statuendo quatuor gradus purificationis. Primum, تطهير الظاهر من الاحداث : *Mundationem exterioris* (ideſt corporis) *ab excrementis ventris, impuritatibus, & superfluitatibus*. Secundum, تطهير الجوارح من الجرائم والاثام : *Mundationem membrorum à sceleribus, & iniquitatibus*. Tertium, تطهير القلب من الاخلاق المذمومة والرذايل المقوتة : *Mundationem cordis à vitiis, & pravis habitibus*. Quartum, تطهير السر عما سوى الله تعالى *Mundationem secreti* (ideſt cordis) *ab omni re, præter Deum*. Hæc proculdubio furatus est Algazelus ab aliquo libro Christianorum: vel saltem didicit ex modo purificationis spiritualis eorum. Certè sapuit plusquam Propheta suus; & vehementer doluit, gentem suam esse totam in his extrinsecis purificationibus, seu potiùs superstitionibus, cùm interea habeat العالم خرابا ومحوفين بخبايث الكبر والعجب والجهل *internum* (ideſt animam) *desolatum, & repletum vitiis superbiæ, fastus, insolitiæ, & hypocrisis*. Sciat autem lector, horum pleraque, quæ de الطهارة *Purificatione* sanxisse fertur Mahumetus (nam multa habentur non ex Alcorano, sed per traditionem) desumpta esse ex prædicto libro Thalmudico משנה *Misnà* Ord. 6. טהרות *Taharoth de Purificationibus*: quem librum, utpote superstitionibus, & impietatibus scatentem, Justinianus Imperator in Novel. Constit. 146. tit. de Hebræis, prohibuit legi etiam in Synagogis eorum; his verbis. *Quæ verò Deuteroſis* (ideſt Misnà) *quasi secundaria traditio ab ipsis dicitur, in universum interdicimus, ut quæ sacris libris comprehensa non sit, neque desuper tradita per Prophetas: sed excerpta quadam virorum, contineat, qui terrena dumtaxat loquantur, neque quidquam in se divini habeant Numinis, &c.* Aliqua etiam à Meccanis Idololatris usitata, Mahumetum retinuisse, certissimum est.

Sed objicient nobis Mahumetani, etiam Christianos uti suis purificationibus, præsertim in baptismo, in celebratione Sacrificii, in usu aquæ lustralis, & hujusmodi.

Respondeo, nos non damnare absolutè ritum purificationum, quæ vel à Deo immediatè, vel ab hominibus pié, ac religiosè institutæ sunt; sed superstitiones, & ritus vanos ac ridiculos, atque etiam spurcos & obscœnos, cujusmodi in Mahumetanica purificatione continentur. Christiani utuntur aqua in baptismo ex Divina Christi institutione, solùm tamquam signo, & quidem aptissimo, non ad auferendam immunditiam corporis, sed ad abluendam animam à peccatis. Hæc autem ablutio non fit per solam aquam, sed per professionem veræ fidei, & per subjectionem legi Christi, quæ fieri debet à baptizando, si sit adultus; vel ab iis, qui in baptismo illum suscipiunt, si sit infans. Hoc manifestè docet S. Petrus, Epist. 1. cap. 3. ita alloquens Fideles: *Nunc vos salvos facit baptisma: non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum per resurrectionem Jesu Christi*. Quod spectat ad Sacerdotes, qui manus, vel digitos abluunt ante sacrificii oblationem, vel etiam Sacrificio jam peracto: dicimus, eos hoc facere ex quadam decentia, & reverentia, atque etiam, ut per hoc intelligant, quanta cum puritate divinum illud ministerium debeant exercere. Demum aqua à Sacerdotibus invocatione divini nominis, & aliis ritibus ex sacris Scripturis acceptis, benedicta, non deservit ad legalem purificationem, sed ad spiritualem sanctificationem per actum fidei, ac religionis, quem in illius usu Fideles exercent. Cæteræ Christianorum ablutiones, seu purificationes, sunt meræ civiles: neque ullam ipsi habent, aut agnoscunt purificationem legalem, scientes, omnes per Messiæ adventum, quem illæ præsignabant, auferendas fuisse, etiam juxta sententiam sapientiorum Hebræorum, ac Mahumetanorum. Quòd verò Mahumetus ceremonias ac ritus Mosaicæ legis, & præsertim harum purificationum, à Christo tamquam inutiles, & superfluos sublatos, in legem suam revocaverit, manifestè oftendit

dit ejuſdem legis vanitatem ac falſitatem, & illam non poſſe eſſe à Deo, ut alibi ex profeſſo probabimus.

Illud porrò certum eſt, nullam purificationem, aut mundationem corporis poſſe per ſe conferre homini perfectionem ullam, aut ſanctitatem in anima: imò homines, qui exteriorìs munditiei valdè ſunt ſtudioſi, molles atque effœminati plerumque inveniuntur. Legales quoque purificationes à Moyſe præſcriptæ, non efficiebant per ſe homines meliores, vel Deo gratiores, ſed tantùm reddebant illos habiles ad commercium politicum, & Eccleſiaſticum. Non negamus tamen, quatenùs continebant actum obedientiæ, religionis, ac fidei, etiam gratiam aliquam non indignis, ſeu benè diſpoſitis contuliſſe.

Scio quidem Mahumetanos (ſaltem pleroſque) ſibi perſuadere, per has corporis purificationes animam quoque à peccatorum etiam graviſſimorum ſordibus emundari. Sed præterquamquòd eſt contra omnem rationem, ut per ablutionem partium obſcœnarum, vel etiam totius corporis, ſcelera & flagitia quælibet, quantumvis enormia, expientur, cùm ex ſacris Scripturis conſtet, David, & alios Fideles, non abluendo corpus aquis; ſed amarè flendo, lacrymiſque ſtratum ipſum noctu irrigando, jejunando, orando, ſupplicando in animo contrito, & einere, & cilicio, peccata expiaſſe, eorumque veniam obtinuiſſe: eſt etiam contra Alcoranum ipſum, in quo Mahumetus nunquam ſcelera & flagitia, ſeu alia peccata, per purificationem ullam deleri docet; ſed pœnas alias temporales, aut æternas pro illis ſtatuit: purificationem verò non pro peccatis, ſed pro corporeis immunditiis emundandis, ad orationem decentiùs perſolvendam, illum inſtituiſſe, manifeſtiſſimè patet.

Cæterùm ſi multiplicitas purificationum affert ſecum majorem perfectionem ac ſanctitatem in religione, multò ſanctiores & perfectiores erunt Judæi, quàm Mahumetani, cùm illi multò plura habeant emundationum & luſtrationum genera, quàm hi, ut manifeſtè patet non ſolùm ex libro Leviticì, ſed etiam ex jam commemorato libro Miſnæ, præſertim Ord. 6. *Taharoth*. Romani etiam veteres, aliæque gentes idololatræ, habuerunt olim luſtrationes & expiationes ſuas, plures fortaſſe, vel non pauciores quàm Moslemi. Et hoc etiam tempore in India Orientali, in regno Mogolitano, ut refert Clemens Toſius Abbas è Congregatione Sylveſtrina, in ſua India Orientali, tomo 1. homines illarum regionum, præſertim illi, qui Baneani appellantur, bis in die ſe abluunt, ac purificant, exiſtimantes per hoc ſe etiam à peccatis purgari atque emundari. Præterea P. Vincentius Maria à S. Catharina Senenſi Carmelita diſcalceatus, in Opere ſuo inſcripto Italicè *Viaggio all' Indie Orientali*, & alii plures Auctores, qui eaſdem regiones perluſtrarunt, teſtantur, multa Indorum millia eodem tempore ſeſe intra fluvium immergere uſque ad pectus: Regem verò, Reginam, ac Regni Proceres idem facere plerumque in privatis balneis, ſeu ſtagnis, & quidem ſæpiùs in die; id autem non tantum ob corporalem munditiam, quantum ob actum religionis exercendum. Hoc faciunt potiſſimùm Brachmanes illi, qui in regno magni Mogolis habitant: hi enim frequentiſſimè aquis corpus abſtergunt: & ante Solis ortum omnes ad fluvium accurrunt, & in eo alii pectore tenus, alii uſque ad collum immerſi, ſeſe à peccatis purgare contendunt. Præterea ante omnia Pagodda ſeu Delubra idolorum, ſtagna quædam aquarum habent, in quibus antequam ad orationem, vel ſacrificium accedant, ſe ſe diligenter abluunt: tantique faciunt hujuſmodi lavacra, quanti nos ſacras baptiſmatis aquas. Duo potiſſimùm flumina ſunt apud eos celeberrima atque ſanctiſſima, nempè Ganges, & aliud quod *Caſſon* appellant, inter montes Tauri decurrens. Si quis in uno ſaltem ex his ſe poſſit abluere, jam ſe beatum, atque in gratia confirmatum exiſtimat. Multi propterea non ſolùm ſe in his abluunt, ſed etiam totos immergunt, vitamque in illis ultrò relinquunt.

Placuit hæc referre, ut intelligant Moslemi, quàm infirmum & vanum ſit primum ac præcipuum Religionis ſuæ fundamentum, cùm & à Judæis, & ab Ethnicis in eo ſuperentur: ſimulque agnoſcant purificationes ſuas nihil ad ſanctitatem, nihil ad virtutem, nihil ad æternam vitam conferre.

Non tamen negaverim Mahumetanis, moderatam aliquam, ac rationabilem munditiem in corpore, ad orationem, reſque ſacras decentiùs peragendas, laudabiliter præmitti. Et quidem Rab. Moyſes in *More Nevochim* lib. 3. cap. 47. docet, *finem purificationum legalium fuiſſe, ut devotio, reverentia, & zelus ingrediendi Sanctuarium hominibus augeretur; dum tàm perfectè mundos ſe debere eſſe intelligerent, ut illud ingrederentur*. Et idem Auctor in *Jad Chazakah* Tract. *de Lavacris*, cap. ult. loquens de ablutione per aquam à lege præceptam, præfertim Sacerdotibus ante ingreſſum Sanctuarii, hæc habet: *Ablutio hujuſmodi myſticum quid ſignificat. Quemadmodùm qui attento animo parat ſe mundare, cùm ſe abluit, ritè* (1. legaliter) *mundatur, etiamſi nihil innovetur in corpore ejus: ſic qui attento animo parat mundare animam ſuam à ſordibus ſpiritualibus: hoc eſt à cogitationibus perverſis, & à malis habitibus: cùm proponit apud ſe recedere ab ejuſmodi conſiliis, & admovet animam ſuam ad aquas ſcientiæ & virtutis, ritè mundatus; juxta illud Ezech. cap. 36. Et ſpargam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris &c.*

At verò Mahumeticæ purificationis ritus hujuſmodi ſunt, ut nihil in ſe contineant, niſi ineptum, ridiculum, ſuperſtitioſum, & aptum potiùs ad inquinandum, quàm ad emundandum hominem, & in corpore, & in anima. Nam, ut cætera prætermittam, tanta illa, & tàm frequens cum pudendis, & obſcœnis partibus manuum familiaritas in iiſdem aqua, ſeu pulvere, ſeu lapillis, glebiſve, emundandis, eorumque pilis radendis, quoties quis vel minxerit, vel egeſſerit, vel pepederit, vel ſpermate inquinatus fuerit, & maximam habet indecentiam, & graviſſimum libidinis excitandæ periculum. Nec dubito, Mahumetanos, ſuapte natura ad Venerem præſertim nefariam procliviſſimos, tàm ſordida, ſpurcaque purificatione ſe plerumque ad inhoneſtos actus provocare. Certè Judæi, quamvis alioqui impuri, & obſcœni, adeò in hoc rigidos, ac ſeveros ſe profitentur, ut jubeant abſcindi manum illius, qui ob quamcumque, etiam graviſſimam neceſſitatem infra umbilicum illam extenderit. Ita habetur in Cod. *Sciabath*. Et in Cod. *Sanderin Jeroſolymitano*. Sed præcipuè in Cod. *Niddà*. cap. 2. *Col. Hajad*: ubi R. Tarphon ita ſanxit: *Quicumque introduxerit manum ſuam infra umbilicum, abſcindatur*. Cùmque dictum fuiſſet illi, neſcio quem habere ſpinam infixam in ventre, & niſi extraheret illam, de ſalute periclitari: reſpondit; *Satius eſt ſcindi ventrem ejus, quàm ut deſcendat in Infernum*. Hoc ipſum decernitur in *Miſcnà* Ord. 6. *Taharoth*. Cod. 7. cap. 2. *Col. Hajad*. Nimius ſanè hic rigor, ſi Rabbino-

Digitized by Google

binorum decretum, ut verba ſonant, accipiatur. Sed puto, eos parabolicè loquutos fuiſſe: ſolùmque oſtendere voluiſſe, quanta hac in re circumſpectione & cautela homines uti deberent: eodem modo, quo Chriſtus Dominus juſſit abſcindi manum, vel pedem, & erui oculum, ſi quid horum ſcandalum alicui afferret. Quamobrem ut magnum Sanctum venerantur R. Judam Ben Rabban Simeonis, & communiter vocant eum רַבֵּינוּ הַקָּדוֹשׁ ideſt *Magiſtrum noſtrum ſanctum*, quia numquam obſcœna ſua inſpexerat, vel tetigerat, ut refert Rau Haai in lib. *Aruch*. Si hujus modeſtiæ fuiſſet Mahumetus, alios ſanè purificationis ritus ſuis præſcripiſſet.

Sed petent à nobis Mahumetani, quænam ſit Chriſtianorum purificatio?

Reſpondemus, purificationem noſtram eſſe illam, quam præſcripſit Deus, non ſolùm Iſraelitis, ſed univerſis gentibus, per Iſaiam Prophetam, cap. 1. his verbis: *Lavamini: mundi eſtote*: (non aquis à ſordibus corporeis, ſed) *auferte malum cogitationum… veſtrarum ab oculis meis: quieſcite agere perverſè: diſcite benefacere: quærite judicium: ſubvenite oppreſſo: judicate pupillo: defendite viduam*. Hoc ſacimus præcipuè per Sacramentum Confeſſionis à Chriſto inſtitutæ; ex cujus vi tenetur quilibet fidelis omnia peccata ſua, etiam occultiſſima, & ſola cogitatione voluntariè admiſſa, Sacerdoti manifeſtare, explicando ſpeciem peccati, cum numero, & circumſtantiis. Hoc autem facere debet cum dolore intimo offenſæ Dei, cum deteſtatione & abominatione omnium peccatorum; veroque ac firmo propoſito ea in poſterum fugiendi, ac redintegrandi id totum, in quo alios, ſive circa famam, ſive circa vitam, ſive circa facultates ſe læſiſſe cognoſcit. Debet inſuper accepare, & exequi pœnam illam, quam ſacerdos pro culpis perpetratis illi impoſuerit: cujuſmodi ſunt orationes, eleemoſynæ, jejunia, peregrinationes, atque aliæ etiam graviores, pro majori vel minori gravitate culparum. Neque tamen per hoc creditnus, totam illi pœnam à Deo condonatam fuiſſe, ſed remanere ei alias pœnas in futuro ſæculo ad tempus luendas, niſi pro illis in hac vita vel actibus intenſis amoris Dei, & doloris de illo tanquam ſummo bono à ſe offenſo: vel jejuniis, ciliciis, eleemoſynis, precibus, lacrymis, aliiſque piis operibus pro debito ſatisfecerit.

Optimum etiam purificationis genus eſſe exiſtimamus, flagella à Deo incuſſa, morborum, egeſtatis, amiſſionis carorum, & ſimilia patienter libenterque perferre: injurias & damna, quæ ab aliis, etiam injuſtè, ſuſtinemus, non ulciſci, imò æquo animo pati; & pro iis, qui nos ita lædunt, orare, illiſque bona pro malis reddere. Præterea ſeveriorem vivendi diſciplinam, & præſertim clauſtralem ſponte ſuſcipere, id quod inter Chriſtianos ferè innumeri faciunt, etiam fœminæ, quæ non ſolùm perpetuæ caſtitati, paupertati, & obedientiæ, ut viri; ſed etiam perpetuo ſe carceri obſtringunt. Hæ, & aliæ hujuſmodi ſunt purificationes Chriſtianorum, per quas putant ſe à peccatis ſuis expiari, & gratos Deo, æternæque felicitati aptos reddi confidunt: quamvis cum his omnibus, de propria ſalute timidi ſemper ſint, ac ſolliciti.

CAPUT DECIMUM.

Expenditur ſecundum fundamentum: Orationis.

SI reſtè res perpendatur, ut Mahumetanorum purificatio, ita & eorumdem oratio, potiùs occupatio peſſima, vel ſaltem inutilis, quàm religionis erga Deum obſequium, appellanda eſt. Ut enim ex ipſorum teſtimonio videmus, tota ſita eſt in lotionibus, purgationibus, manuum, pedumque geſticulationibus, atque actibus mimicis; capitis dorſique incurvationibus, corporis totius uſque ad terram jactationibus, & aliis hujuſmodi actionibus hiſtrionicis. Quid verò orent, itaut veré dici poſſit oratio, vix agnoſci poteſt, niſi quòd inter corporeos hujuſmodi motus auditur aliquando لكبر الله *Deus Maximus*: معجان الله *Laus Dei*: للحمد لله *Laudatio Deo*, لا اله الا الله *&c. Non eſt Deus niſi Deus*: الصلام على محمد *Salus ſit Mahumeto*, & aliquot verſiculi Alcorani, præſertim ſeptem illi, qui in principio illius ponuntur: quæ vix orationis nomen merentur.

Verum quidem eſt, Mahumetanos perſolvere has ſuas orationes, quæcumque tandem illæ ſint, maxima cum attentione ac reverentia. At etiam in aliis falſis religionibus, quales ſunt hodie Judæorum, Brachmanum, & aliorum Orientalium: & olim Romanorum, Spartanorum, Ægyptiorum, & aliarum gentium, non minor, & fortaſsè major attentio ac reverentia exterior in rebus ſacris fuiſſe, & eſſe reperitur. Hujuſmodi attentionem, & ſtudium pietatis in falſis religionibus, Dæmones ipſi procurant ac fovent, ad conciliandam fraudibus ſuis fidem: quemadmodùm è converſo in vera religione hoc idem pro viribus impedire atque exturbare conantur. Id alibi præmonui. Cæterùm hæc tanta Mahumetanorum in orationibus ſuis exterior pietas, & attentio, partim ex uſu, partim ex hypocriſi oriri manifeſtè cognoſcitur. Referam hìc verba D. Ricauti ſuperiùs ſæpè laudati, in Hiſtoria Othomannica, lib. 2. cap. 2. *Inter omnes* (inquit) *mundi nationes, nulla eſt, in qua tanta hypocriſis, quanta in Mahumetana reperiatur. Sunt qui libenter orant publicè in plateis, & in trivìs, accompitis, ut ab aliis obſervéntur, & laudentur. Et quidem… notatu dignum eſt, quòd ubi Mahumetani vident magnam hominum multitudinem, & præſertim Chriſtianorum, à quibus ipſi videri poſſint, ſtatim extrahunt, humique extendunt ſtrophiolum ſuum, genuque ſuper illud poſito, orare incipiunt*. Idem referunt cæteri, qui inter eos fuere.

Quamvis autem hoc quinque quotidianarum orationum præceptum onerоſum & grave videatur Mahumetanis: cùm tamen hujuſmodi orationes poſſint anticipari, vel poſtponi, vel ſimul omnes perſolvi, illarum onus non parum per hoc minuitur. Sed hìc quoque illud animadvertendum, quod circa purificationem commonui, orationes hujuſmodi exteriores, quales ſunt Mahumetanorum, ad perfectionem & ſanctitatem hominis nihil per ſe, aut parum conferre poſſe, niſi virtutes alias interiores, ut fidei, charitatis, pietatis, & hujuſmodi, comites habeant, quæ in vera tantùm religione reperiuntur.

Quamvis autem Chriſtiani non habeant communiter ex præcepto numerum precationum ſtatutarum: habent tamen illum omnes, qui inter eos ſunt Deo

Digitized by Google

specialiter dicati, præcipuamque Christianorum partem constituunt. Hi enim tenentur septies, partim diu, partim noctu, statas preces persolvere, præter alias spontaneas. Hæ autem constituunt non in gesticulationibus, neque actibus histrionicis corporis, sed in psalmis, hymnis, aliisque obsecrationibus Deo devotè offerendis: neque tamen hæc eorum oratio caret motibus aliquot decentibus & gravibus corporis, præsertim inclinationibus capitis, flexionibus genuum, & aliis hujusmodi, quos in honorem Dei omnes ferè gentes ex limine naturæ exercere consueverunt. Cæteri verò Christianorum nullum quidem habent præceptum statutarum precum, excepto, assistendi Sacrificio diebus festis, & orandi, quando instat aliqua publica, aut privata necessitas: sed omnes arctantur præcepto universali Christi, qui dixit omnibus affectis suis Lucæ cap. 18. *Oportet semper orare, & non deficere*. Et quidem S. Paulus, aliique Apostoli in libris suis nihil magis fidelibus inculcant, quàm frequentem orationem. Et, ut credo, nulli, vel paucissimi inter Christianos reperiuntur, qui saltem bis in die, mane & vespere, vel noctu, preces aliquas ad Deum non effundant. Præterea ferè omnes, nisi peregrè absint, quotidie in templis religiosè assistunt, dum Sacrificium Deo offertur: & omnes, nisi sint prorsus agrestes, & in sylvis enutriti, peculiares preces habent, quas vel domi, vel in Templo, vel alibi quotidie persolvunt: itaut pauci inter eos reperiantur, etiam laici, qui quinquies in die non orent: alii attentiùs, majorique cum reverentia, alii verò minùs attentè, minusque reverenter: quemadmodùm etiam inter Moslemos usuvenit. Et quidem in Christianæ Religionis exordiis, ferè assidua erat Fidelium oratio, sacrorumque mysteriorum frequentia. Quamobrem scribit de illis S. Lucas in Actis cap. 3. *Erant autem perseverantes in doctrina Apostolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus*. Præterea Ismael filius Aly asserit, Christianos ævi sui plures, quàm Moslemos, orationes habuisse. En ejus verba in Cap. في ذكر امة النصارى *De commemoratione gentis Christianorum*:

ولما صلوات النصارى فلها مع
عند الفجر والضحى والظهر والعصر والغرب والعشا
ونصف الليل يقرؤن فيها الزبور للنزل على داود
تمعاً لليهود في ذلك والصبح في صلاتهم غير يجدون
قد يسجدون في الركعة الواحدة ثمانين سجدة ولا
يتوضؤن للصلاة ويكثرون الوضوء للعليلين
واليهود يقولون الاصل طهارة القلب:

Orationes Christianorum sunt septem. Prima, in aurora. Secunda, Sole jam altius provecto. Tertia, in meridie. Quarta, medio spatio inter meridiem, & occasum Solis. Quinta, in occasu Solis. Sexta, in principio noctis. Septima, in media nocte. Recitant in iis orationibus Psalmos Davidis ad imitationem Judæorum: adorationes autem in precibus eorum sunt sine numero: itaut aliquando in unica precatione faciant quinquaginta adorationes. Non utuntur purificatione ante orationem, & improbant purificationem Judæorum, & Mahumetanorum, asserentes, fundamentum ponendum esse in puritate cordis. Ita est: & ita docuit Christus: & ita dictat ratio ipsa. Corporis enim munditia nihil per se confert ad orationem, præsertim si cor sit immundum. In primitiva tamen Ecclesia, ante orationem, propter quamdam decentiam, corpus, vel saltem manus abluebant: ut refert Nicolaus Lancicius tom. 1. Opusc. 3. cap. 2. §. 68. Quòd verò afferat Ismael, Christianos habere septem tempora orationum, alludit sine dubio ad septem Horas Canonicas, quibus non solùm Ecclesiastici, sed etiam laici, ab initio assistebant, & hodie quoque non pauci, dum ab Ecclesiasticis persolvuntur, assistunt. Neque verò Christiani tantummodò, sed etiam Sabæi, seu Sabaitæ, qui putant se originem trahere à Sabæo filio Henoch, Mahumetanos in numero orationum superant, si credimus eidem Ismaeli, qui Cap. 3. في ذكر صلاتي لام *De commemoratione diversarum gentium*, quæ habet:

والصابيين صلاتان منها مع صلوات منها
هن توافق صلوات المليين والخامسة
الضحى والسبعة نصف الليل:

Et Sabæi habent peculiares religionis ritus, inter quos sunt septem orationes, ex quibus quinque conveniunt cum orationibus Moslemorum: sexta autem est mane provecto jam Sole: septima verò in media nocte.

Addit Auctor: وصلاتهم كصلاة المليين من النية
وتحريم الكلام فيها وان لا يخلطها
الصلى بشيء من غيرها:

Oratio verò eorum est sicut oratio Moslemorum quoad intentionem, & prohibitionem sermonis in ea, & ne is, qui orat, intermisceat aliquid alienum ab ea. Quid igitur tantum jactant se Mahumetani de suis orationibus, cùm non solùm à Christianis, sed etiam à Sabæis in illis superentur? Affirmat porrò R. Moyses Ben-Maimonis, Hebræorum doctissimus, in epist. ad Proselyt. relig. ritus illos, quos observant Mahumetani in suis orationibus, desumptos fuisse ab antiquis idololatris, qui iisdem utebantur, dum spurcissimum idolum suum Baal-Peor colebant.

Postremò non legimus, Deum imposuisse Israelitis onus aliquod universale orationum, seu precum quotidianarum: sed reliquit in cujuslibet libera pietate, vel potiùs in arbitrio, & prudenti dispositione eorum, qui præsunt religioni, numerum, tempus, & modum precum: quemadmodùm scribit Maimonides in *Jad Chazakah*, in Tractat. *de precib. & benedict. Sacerdotum*, cap. 1. §. 4. ubi refert, Ezram summum Sacerdotem cum Consistorio suo constituisse omnibus Israelitis quotidie duplicem orationem, matutinam, & vespertinam, respondentem duplici Sacrificio jugi. Cùm verò offertur Sacrificium superadditum; decreverunt tertiam orationem esse superaddendam. Decreverunt etiam unam orationem nocturnam, quæ tamen nullam induceret obligationem. Præterea in die jejunii tantùm, unam orationem instituerunt, quæ vocatur *clausulæ*, prope occasum Solis. Tres igitur orationes præscripsit Ezra cum Consistorio quotidianas

Digitized by Google

nas Iſraelitis, matutinam, & veſpertinam, cujus obligatio ad omnes pertineret; & nocturnam, quæ eſſet libera uniuſcujuſque voluntati. Nihil tamen in his orationibus commiſcuerunt earum nugarum, & quiſquiliarum, quas Mahumetus orationibus ſuis admiſcuit. Porrò orationem aliquam non ſolùm mane, & veſpere, ſed etiam noctu, & interdiu effundere, commune eſt omnibus Chriſtianis, idque faciunt partim ſponte, partim ut divino præcepto ſatisfaciant. Quamvis enim Chriſtus peculiari orandi tempora non præſcripſerit: quia tamen oratio eſt de jure divino, & neceſſaria ad æternam ſalutem, ideò tenentur Fideles omnes ſub gravi culpa orare, præſertim cùm publica, aut privata neceſſitas requirit; & ita ut non nimis diù ab oratione deſiſtant.

Porrò non expediebat orationis tempora, præſertim frequentia, univerſim Fidelibus ſtatuere, cùm plerique ita vel publicis, vel privatis negociis diſtenti ſint, ut vix tempus aliquod certum, ac liberum ad orandum habere poſſent: & Mahumetani ipſi precum ſuarum tempora vel differunt, vel permiſcent, vel omittunt: niſi fortè quando publicè à Chriſtianis, vel aliis obſervari ſe vident: tunc enim ad pietatem oſtentandam, ſtato tempore preces, ſeu geſticulationes ſuas perſolvunt.

Quòd verò nonnulli, etiam è noſtris, qui inter Mahumetanos fuerunt, referunt de admirabili illa attentione & reverentia, quam Mahumetani in orationibus ſuis oſtentant, jam dixi oriri poſſe partim ex aſtu Dæmonis, partim ex naturali illi genti hypocriſi, partim denique ex conſuetudine. Sed quantacumque ſit illorum attentio, & animi fictio in orando, nunquam certè perveniet ad eam, quæ in Brachmanibus Indorum apparet. De his enim loquens P. Vincentius Maria ſuprà laudatus, in ſuo Itinere ad Indias Orientales, lib. 2. aſſerit, ſe vidiſſe multos, qui ab aliquot annis anteà perſtabant brachiis in forma Crucis extenſis immobiliter orantes; inter quos unus erat in Surate, qui per decem continuos annos in eo ſitu perſiſtebat. Plures orant genibus flexis, ac manibus junctis, ab ortu Solis uſque ad occaſum. Quidam prope Suratem per duos annos immobilis perſiſtebat, oculis in Cœlum defixis. Accidit, ut ebrius quidam miles è noſtris, evaginato gladio miniaretur ſe illum occiſurum, niſi oculos demitteret, atque inde moveretur. Cùmque ille nihilominus tamquam lapis immotus perſiſteret; miles elato gladio humerum illi ſiniſtrum graviſſimè vulneravit, pendque abſcidit. Noſtri verò miſericordia moti, chirurgum ſuum accerſiverunt, ut curaret illum. Sed omnem curam pertinaciſſimè rejecit, ne tantillum ab oratione ſua diſtraheretur. Hæc pauca libuit referre, ut intelligant Mahumetani, quantum poſſint & efficiant Dæmones, in falſis Sectis per hæc orationum figmenta, fide concilianda: neque defuerunt, neque deſunt inter noſtros, qui eodem modo à Dæmone decipiantur.

Non tamen putet Lector, hanc Mahumetanorum in oratione attentionem & reverentiam, tantam eſſe, quantam quidam ex noſtris referunt. Ex iis enim, quæ ſuperiùs dicta ſunt de eorum regulis, & ſtatutis, manifeſtè contrarium colligitur, nimirùm eorum orationes non eſſe ſine aliqua irreverentia, vel in riſu, vel in colloquutione, vel in aliis levitatibus. Credo tamen, quando ab aliis, & præſertim Chriſtianis & Judæis videntur, ab his ſe quantum poſſunt temperare. Certum etiam mihi eſt, non paucos eorum hujuſmodi orationes prætermittere, præſertim ſi nemo ſit, qui eos vel notare, vel punire poſſit. Neque ſolùm hoc in oratione, ſed etiam in jejunio, in abſtinentia à cibis vetitis, & aliis præceptis Alcorani, faciunt.

CAPUT UNDECIMUM.

Tertium fundamentum de Eleemoſyna, ad trutinam revocatur.

JAm prænonui, fundamentum hoc, quod الزكوٰة *Zakat* appellatur, non eſſe proprié eleemoſynam, ſed ſpeciem tributi, aut decimarum, quas Moſlemi ſolvere coguntur ex propriis facultatibus, præcipuè pro expenſis in bella contra infideles; hoc enim ſignificant verba toties in Alcorano repetita في سبيل الله *in via Dei*. Et quidem hic fuit ſcopus unicus Mahumeti: ſed ut ambitionem, & rapacitatem ſuam aliqua pietatis larva cohoneſtaret, expenſas, quas pro dilatando imperio ſuo, ac finitimis populis injuſtè ſibi ſubjiciendis, à ſuis exigebat: pro religione tuenda ſe accipere mentiebatur. Utque mendacio ſuo fidem inveniret, aliis etiam nonnullis piis operibus, hujuſmodi decimas, ſeu veriùs rapinas, deſtinavit; itaut & in pauperes atque egenos alendos: in earum quæſtoribus mercedem ſolvendam: in ſequeſtres concordiæ, & unionis inter Moſemos remunerandos: in captivos redimendos: in æræ alieno gravatos ſublevandos: in eos, qui domi ſuæ divites, in aliena regione pauperes detinebantur, adjuvandos, earum pars aliqua impenderetur. Ab his tamen excluduntur à Doctoribus Quæſtores, Sequeſtres unionis inter Moſemos, & captivi redimendi.

Si hoc fundamentum cenſus, vel decimarum, in res pias, & præſertim in bella contra Infideles impendendarum, perfectionem aliquam aut ſanctitatem confert in Religione, negari non poteſt, non minus apud Chriſtianos, quàm apud Mahumetanos hujuſmodi fundamentum reperiri. Verùm cum ea, quæ per vim à populis extorquentur, gravia plerumque ſint, & odioſa iiſdem populis, quamvis ſub ſpecie pietatis exigantur: ideò exigui, & ſæpè nullius meriti eſſe exiſtimanda ſunt. Quamobrem in Chriſtiana Religione plerumque ſponte, & ex propriæ pietatis motivo, fideles bona ſua Deo offerre conſueverunt: & ipſi Eccleſiarum ac Monaſteriorum reditus, qui ferè ubique copioſiſſimi ſunt, vel ſaltem fuere, ab Imperatoribus, Regibus, Principibus, aliiſque opulentis viris ſponte relicti ſunt.

Ut autem intelligat Lector, quænam ſit apud Mahumetanos hujus fundamenti praxis, audiat verba D. Ricauti, de cujus fide, utpote inter illos diù commorati, dubitari non poteſt. Ita igitur ille lib. 2. Hiſtor. Othom. cap. 4. *Ex vi hujus præcepti, quilibet privatus tenetur ſolvere unum pro ſingulis centenariis omnium ſuarum facultatum ad pauperes adjuvandos. Verùm avaritia, & politica apud Turcas ita prævalet ut divites ne teruncium quidem ſolvant, etiamſi hoc præceptum fuerit tanquam quid eſſentiale ſuæ religionis. Avaritia eos diſſuadet, ne tanta bonorum ſuorum portione ſe ſpolient. Politica verò non patitur, ut palam fiat, in quoto facultates ſuorum conſiſtant; id quod ex computo decimarum, ſeu tributi, facilè poſſet penetrari. Itaque pauperes tantummodò obſervant adamuſſim hoc præceptum, quod alii obſtinatè contendunt eſſe ſupervacancum, eo quòd nunquam potuerit cadere in mentem Dei, ut propter illius obſervantiam de vita, ac facultatibus amittendis periclitarentur.*

Præ-

Digitized by Google

Præter *Zacat*, seu præceptum decimarum, habent etiam Mahumetani usum frequentem الصدقة *Sadcat*, nempè eleemosynæ spontaneæ, itaut quotidie saltem aliquid ejsi pauperibus præbere dicantur. Mira sunt, quæ de hac in pauperes, & inter se mutua eorum charitate referuntur. Neque solùm erga homines, sed etiam erga bruta pietatem suam extendunt, cibum ac potum præbentes velueribus, canibus, ac felibus, atque copiosos reditus in testamentis suis condendis, relinquentes, ut Xenodochia, seu hospitalia, pro his animantibus excipiendis, & alendis, construantur. Verùm qui adeò humani sunt erga bestias, tantumdem se inhumanos & crudeles erga homines, Christianos præsertim Europæos, se ostendunt, occasionem omnem eos vexandi atque opprimendi captantes, quemadmodùm refert P. Vincentius Maria superiùs allegatus lib. 1. cap. 15.

Notandum verò, cum hac apparenti Mahumetanorum charitate conjunctam esse magnam fraudandi, fallendi, ac furandi consuetudinem. Ita enim scribunt do illis tanquam oculati testes „ Gabriel Sionita, & Joannes Hesronita Maronitæ è monte Libano, Interpretes Regii, in tractatu *de nonnullis Orientalium urbibus: Velut bruta animantia, & rationis penitùs expertes, in omnia vitia præcipites ruunt: & voluptatibus, ac cœnosa libidine immersi, detestandisque enormibus impliciti, nullum non scelus admittunt. Sodomiticum vitium pro peccato non habent. Falsa testimonia, perjuria, rapinas, extorsiones, latrocinia, pauperum atque advenarum oppressiones, circumventionesque, ac pejora his tanquam leviora & communia pro nihilo ducunt: adeòque præter exteriores quasdam ceremonias, quæ plerumque in lotione, oratione, templorum visitatione, eleemosynis, peregrinatione, anno jejunio, ciborumque delectu consistunt; nulla penitùs est disciplina.* Certè Arabes, qui veri ac legitimi præ cæteris Mahumetani existimantur, atque Alcoranicæ legis observantiores, in hac verò erga egenos, & inter se mutua charitate excellentiores habentur, adeò rapinis addicti sunt, ut frequenter peregrinos ad Meccam religionis causa proficiscentes, expolient, ac deprædentur: itaut necesse fuerit magno Turcarum Tyranno multis equitum millibus eosdem peregrinos assóciare, eosque ab Arabum incursionibus tueri. Quin nec hujusmodi deprædationes, ac latrocinia, peccatum ullum existimant.

Ne autem sibi de suis eleemosynis adeò Mahumetani blandiantur; audiant quid de Indis Orientalibus Idololatris se vidisse testatur idem P. Vincentius Maria lib. 3. cap. 25. *Pauperes* (inquit), *qui adjumas mendicantes circumeunt, in regnis Mogol, & Idiacbam, plurimi sunt, imò integra eorum cohortes cum ducibus, & antesignanis eleemosynam exigentes vagantur. At verò nunquam hujusmodi pauperum turmas vidi inter Malavares, & Canares, fortasse quia cùm bi sint ditiores, quotidie dilarguntur oryzam, & alia comestibilia quibuslibet ad Templa concurrentibus: sed præcipuè, quia in his regionibus sunt Xenodochia, seu publica hospitia, in quibus necessaria ad victum cuilibet benignè præbentur. Præterea nullus à domo & mensa sua rejicit homines sua sectæ, multòque minus Brachmanes. Quamobrem domus Magnatum, & multò magis Palatia Regum semper plena sunt hospitibus, quibus mensa liberaliter præbetur. Et si veræ sunt, quæ ab ipsis referuntur, quidam Principes, magnique viri inter eos, ut egenis subvenirent, atque eleemosynas dilargirentur, sese regno, facultatibus, & vita ipsa spoliaverunt.* Inter Brachmanum præcepta, hoc refert ibid. e. 16. *Nulla tibi transeat dies, quin eleemosynam largiaris.*

Videant igitur Moslemi, hoc Sectæ suæ fundamentum, non esse adeò firmum ac stabile, ut super illud vera religio confidere possit; præsertim, quia, si res rectè perpendatur, eorum eleemosynæ sunt ex rebus levibus, & facilè parabilibus, cùm ferè in cibis vulgarissimis liberalitatem suam ostentent; & ex ductu potiùs naturæ, quàm ex religionis motivo ea donent, quæ ne inter rurales quidem & agrestes pauperibus, seu hospitibus denegentur; imò etiam ultrò offerantur. At enim Mahumetani ditiores ac potentiores condunt amplissima legata pro publicis operibus, qualia sunt Meskitæ, seu Templa, Xenodochia, Nosocomia, pontes, fontes, & hujusmodi constructus, vel annuis reditibus augendis. Ita ferunt: verùm non pietatis vel charitatis studium eos ad hoc impellit, sed ne Imperator, vel illius Præfecti omnia post mortem diripiant: ideò relinquentes filiis, ac domesticis quantum Regis, & Ministrorum famem excitare non possit, manent cætera in opera publica insumere, quàm Dominantium cupiditati, & rapacitati exponere.

Jam verò, si de Christianorum eleemosynis loquamur, non est dubium, quin hi profusiores in illis sint, semperque fuerint, quàm Mahumetani. Sed quia, *cùm faciunt eleemosynam, non canunt tuba ante se*, ut Christi monitum observent: ideò minus in hoc eorum pietas apparet, minusque notatur. Et nihilominus etiam cum hac eorum modestia, & circumspectione, in largitate erga pauperes, & loca sacra, vel pia, personasque Deo dicatas, Moslemis longè superiores esse, quilibet, qui rem attentiùs inspexerit, manifestè cognoscet. Quando enim Imperator ullus, aut Princeps Mahumetanus Meskitæ alicui, vel loco, aut personis sacris, oppida, urbes, provincias, regna elargitus est, vel vectigalia fecit, ut Constantinus, & alii Imperatores, ac Reges, Principesque Christiani, Romano Pontifici, ejusque Ecclesiæ, atque etiam aliis Ecclesiis, ac Monasteriis fecerunt? Ubi verò, tàm multa, tàmque augusta, ac magnifica Templa (nisi fortè à Christianis constructa, & ab illis occupata), tot pretiosissimis argenti, auri, gemmarum, supellectilibus ornata; tàm splendido & copioso sacrorum Ministrorum numero exculta, tàm opimis reditibus ditata, quæ in nostris oris stupori sunt, in Mahumetanorum urbibus reperientur? Possuntne Moslemi tot, tàmque numerosos virorum, & virginum Deo consecratos intra religiosa septa cœtus, quot Christiani ostendere: vel his aliquot Sanctones, & Dervitios suos comparare? Monachi illi, quos, antequam Mahumetus ex Inferno erumperet, S. Benedictus instituit, viginti duo millia Cœnobia satis ampla & commoda quondam numerabant. Numquam tot tabernas, potiùs quàm Cœnobia, Mahumetanorum Pseudomonachi enumerarevere, nec enumerabunt in posterum. Hæc porrò omnia Regum, Principum, ac privatorum virorum munificentia, liberalitate, & pietate instituta sunt, iisdemque conservantur. Unum Mahumetanis Christianæ charitatis, & Divinæ Providentiæ prodigium ob oculos ponam, quamvis ita manifestum est omnibus, ut ipsi etiam illud videre cogantur. Religiosi illi, qui Fratres Minores appellantur, per totum Christianum Orbem atque inter Mahumetanos etiam, & Infideles diffusi, si cum ipsis ejusdem instituti sacræ Virgines censeantur, ad aliquot centena millia ascendunt. Horum plerique nullos habent reditus, nul-

los

los fundos, nullas vineas, nulla oliveta, nullos agros frugiferos: imò ne horreum quidem domi, vel cellarium. Pecuniam vel tangere, scelus existimant: nihil in craſtinum servant: sed vivunt in dies. Et nihilominus nulla est inter Christianos urbs, nullum oppidum, nullum ferè rus, aut pagus, ubi Templum, domum, & viridarium non habeant, & ubi quotidianis Fidelium eleemosynis ita commodè non sustententur, ut ex iis, quæ hodie ipsis superfluunt, pauperibus in craſtino copiosè non distribuant. Neque victum solùm, sed vestitum, domesticam supellectilem, libros, & ad scientiarum studium necessaria; ad Templum etiam, & Sacrorum cultum ornamenta serica, argentea, aurea, Christiana charitas copiosè illis non suppeditet; ut verissimum sit in illis id, quod de primis Christi affectis scripsit S. Paulus Epist. 2. ad Corinth. cap. 6. *Sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.* Hoc autem admiratus quidam Turcarum Sultanus, ut ferunt, coactus est fateri: Magnum esse S. Francisci miraculum. Sed poterat etiam dicere: Magnum esse Christianæ charitatis prodigium. Omitto, quanta sit eleemosynarum profusio in innumera propè Xenodochia, & Nosocomia; pauperumque puerorum, & puellarum, & adolescentium, qui in literis, honestisque artibus exercentur, Collegia. Neque aliquid dico de immensa pauperum, & egenorum turba, qui semper à Christiana pietate seu clam, seu palam, subsidii aliquid quotidiani accipiunt: ut monstri loco habeatur, si quis ex illis fame periisse compertus fuerit: neque de tot nobilium familiis, quæ ob varia infortunia ad pauperiem redactæ, ab opulentiorum liberalitate secretis auxiliis quotidie sustentantur: neque demum de immensa pecuniarum vi, quæ in redimendis è barbarorum manibus captivis insumitur, quæ certè Mahumetanis ignota esse nullo modo potest. Neque solùm ad vivos, sed ad mortuos etiam Christianorum eleemosynæ extenduntur: ita ut nullus sit vel tenuissimæ fortunæ, qui pro defunctorum fidelium animabus, quas purgatoriis pœnis expiari credimus, aliquam pecuniæ summam in sacrificia, ac pia opera non eroget. Plerique verò, qui censum habent copiosiorem, magnam in hoc idem auri summam expendunt, nec pauci ex Principibus ad multa centena aureorum millia perveniunt, quorum annuo fructu fidelium animæ per sacrificia, ac proces adjuventur.

Hæc autem omnia in cunctis Christiani Orbis Provinciis, quamvis fortasse non æqualiter ubique, servari certissimum est: atque id, singula Regna, Provincias, Urbes, oppida enumerando, posset aperte demonstrari. Sed opus esset immensum. Satis sit, ea, quæ fiunt in Urbe Roma, Augustissima Christianæ religionis Sede, & omnium Urbium Regina, breviter innuere. Sunt in ea ædes sacræ, Deoque dicatæ, trecentæ supra quadraginta. Inter has principem locum tenet Templum S. Petri, adeò amplum, magnificum, & augustum, ut de eo verè dici possit id, quod de Salomonis Throno scriptum est lib. 3. reg. cap. 10. *Non est factum tale opus in universis regnis*, Cæterarum plerăque amplæ, splendidæ, & ornatæ: reliquæ, mediocres. Omnes tamen ministros suos habent plures, vel pauciores, juxta ipsarum dignitatem, & congruos commodosque reditus, quibus & ministri ipsi alantur, & quæ ad divinum cultum spectant, comparentur, & quibus ædes ipsæ conservantur, instaurentur, & augeantur.

His sæpè adjunctæ & addictæ sunt illæ, quæ Sacietates, Confraternitates, & Archiconfraternitates vulgò appellantur, & ferè ad centum viginti perveniunt. Hæ autem omnes opera pietatis & charitatis exercent, præsertim erga pauperes & ægrotos sodalitii sui: & in dotibus ejusdem sodalitii, aliisque pauperibus puellis subministrandis.

Enumerantur Romæ Xenodochia, & Nosocomia publica supra quindecim, in quorum aliquibus non rarò supra mille ægroti vel pauperes excipiuntur. Annonverò sæculari in hujusmodi hospitiis multa peregrinorum millia opiparè lautèque à Nobilibus & Principibus Viris aluntur: & hi eorumdem mensæ tanquam famuli inserviunt. Sunt præterea alii hospitia, & valetudinaria peculiaribus nationibus addicta, quæ ferè ad triginta perveniunt.

Sunt quoque plures puellarum, puerorum, & mulierum, præsertim pœnitentium, domus, in quibus hæ assiduè morantur & aluntur. Hujusmodi verò domus supra sexdecim enumerantur. Et quidem nonnullæ adeò habitatoribus abundant, ut aliquando ad aliquot centenaria puerorum, vel puellarum perveniant. His addi possunt triginta per Urbem distributæ scholæ, ad instruendas in literis & artibus miseras puellas, quæ per vias otiosè vagantur, sub honesta prudentique matrona, cui merces laboris sui publico sumptu persolvitur.

Numerantur etiam viginti ac sex Collegia, seu Seminaria, in quibus pueri, & adolescentes in artibus liberalibus ac scientiis gratuitò instruuntur. Præcipua ex his, omnibus patent, & in iis tantummodò literæ docentur. In reliquis, quæ ad peculiares plerumque nationes spectant, non solùm disciplinæ traduntur, sed etiam alimenta, & reliqua ad vitam necessaria subministrantur.

Eorum verò, qui ex utroque sexu religiosum Institutum in communi viventes profitentur, Collegia vel monasteria, trecentorum septuaginta numerum excedunt.

Quotannis verò mille quingentis puellis pecunia ad dotem præbetur, quæ ad multa aureorum millia pervenit. Nihil dico de privatis civium eleemosynis, præsertim Cardinalium, Principum, ac Prælatorum: hæ autem plerumque occultè fiunt, præsertim si sint copiosiores, & ad nobiles familias paupertate laborantes sublevandas erogentur.

Verùm ut coram Sole Sydera deliteſcunt, ita si singulorum eleemosynas iis, quæ à Pontifice Maximo fiunt, comparemus, vix apparebunt: nam præter pecuniam, quam, cùm in publicum prodit, atque in aliis occasionibus plurimis, pauperibus distribuit: per majorem Eleemosynarium decem millia aureorum erogat in pauperes, qui mendicare erubeſcunt, in Nosocomia, domos religiosas, atque alia loca pia. Bis in hebdomada panem pauperibus in ædibus Vaticanis copiosè impartitur, ita ut quingentis aureis in singulos menses æstimetur: quingentos item aureos singulis menſibus erogat ad subsidium pauperum nobilium, & eorum, qui paupertatem suam celare coguntur. In præcipuis anni festis, quæ ad sex & viginti perveniunt, intra Sacri Palatii septa ingenti pauperum turbæ, cujusque generis, & ætatis, quarta pars Julii in singulos distribuitur, & ad sex saltem aureorum millia pervenit summa quotannis. Præterea duo aureorum millia quotannis in quatuor præcipuis solemnitatibus distribuuntur. Hactenùs de iis, quæ per majorem ac publicum Eleemosynarium erogantur. Quæ verò per secretum dilar-

Digitized by Google

dilargitur, præsertim nobilibus ad paupertatem redactis, tria aureorum millia singulis mensibus computantur. Verùm quotidianæ miserorum necessitates (nam omnes & Romæ, & alibi egestate vel calamitate pressi, ad communem Patrem confugiunt) adeò hanc summam accrevere, ut in libris secreti eleemosynarii ad centum aureorum millia nonnunquam perveniſſe comperta sit.

His accedit eleemosyna illa, quæ *Campi Sancti* vulgò appellatur, in qua singulis sextis feriis plusquam duobus millibus pauperibus sexquilibra panis; & vini vasculum, quod vulgò dicitur *foglietta*, singulis distribuitur. Præterea in ipso Palatio quotidie mensa tredecim pauperibus peregrinis exhibetur, cui aliquando Pontifex ipse assistit, qui etiam feria quinta sanctioris Hebdomadæ duodecim hospitibus peregrinis pedes abluit, & ad mensam tanquam familus ministrat.

Nihil hic dico non de eleemosynis, sed de thesauris, quos non rarò Romani Pontifices insumunt in auxilium Imperatoris, & Regum Christianorum ad bella contra hostes religionis sustinenda: nam ne Mahumetani quidem hoc ignorare possunt.

Postremò illud ob oculos pono, Romam esse velut asylum pauperum totius Christiani Orbis: cùmque assidue illis referta sit, omnium tamen necessitati abundè occurrit. Reliquæ verò Christianorum Urbes, atque oppida illam in hac erga pauperes præstantia proprios charitate, & liberalitate egregiè imitantur.

Non est itaque quòd Mahumetani propter suum Zacat, vel Sadeat, existiment, se Christianos in hac parte superare, vel etiam æquare. Quamvis enim multa impendant & elargiantur, vel in pauperes, vel in opera publica (id quod non negamus) quia tamen hæc potiùs ad pompam, & ostentationem, & plerumque ad effugiendam Principum suorum rapacitatem, quàm ex motivo veræ charitatis, quæ in falsa religione esse non potest, faciunt: plura apparent, quàm re vera sint. Neque quia Christiani non omnibus indiscriminatim petentibus eleemosynam præbeant, ideò minorem pietatem, charitatem, & liberalitatem habere censendi sunt. Prudenter omninò hoc faciunt, ne otiosos, nebulones, ac fures foveant. Plures enim, ut laborem effugiant, vel ut lautiùs vivant, pauperes se simulant, versique pauperibus stipem subripiunt: ideò plerique Christiani Principes vagos & errones, vel se in aliqua arte, aut opere exercere compellunt; vel, si id recusent, ex urbibus & terris suis ejiciunt. Omnes enim virtutes à prudentia debent regulari, & consequenter etiam charitas, quæ si prudentia careat, in vitium sæpè Reipublicæ perniciosum degenerat.

CAPUT DUODECIMUM.

Expenditur quartum Eslamiticæ Sectæ fundamentum; nempè Jejunium.

Jejunium Mahumetanorum ridiculum prorsus videtur. Et impudenter mentitur Mahumetus, dum affirmat esse illud idem, quod traditum fuit iis, qui præcesserunt ipsos Mahumetanos. Cùm enim hi non possint esse nisi vel Judæi, vel Christiani; neutris fuit unquam à Deo præscripta tàm absurda forma jejunii, quæ in hoc sita est, ut per mensem lunarem nihil comedant, aut bibant tempore diurno; nimirùm ab eo auroræ crepusculo, quo possit filum album à nigro discerni, usque ad principium noctis: donec scilicet hujusmodi discretio inter hæc duo fila fieri possit; reliquo verò tempore per totam noctem comedant, bibant, ingurgitentur, delassentur in uxoribus subagitandis, & per vias urbis in morem ebriorum vel fanaticorum curfitantes, bacchanalia veritis celebrent, quàm jejunium. Præcipit nihilominus prudentissimus Legislator, ut diurno tempore non solùm à cibo, potu, & fœminis abstineant; sed etiam in Meskitis orando commorentur: quasi verò fieri possit, ut quis post exactam in crapula, commessationibus, ludis, & libidinibus totam noctem, possit in die sequenti orationi vacare. Verùm boni Moslemi, si divites, nobiles, & opulenti sint, tota die ſtertunt, sopore que oppressi, omnem diurnam famem, & sitim adstitè fallunt. Vulgus verò tenuiorum, præsertim opificum & agricolarum, victum sibi labore acquirere coguntur. Ridicula autem sunt, quæ in hoc jejunio Doctores Moslemi superstitiosè observanda præscribunt, quemadmodùm superius ex eorundem canonibus retulimus. Cujusmodi sunt, quòd si quis deglutierit calculum, aut nucleum, aut frustum ferri, frangat jejunium: quemadmodùm etiam qui elytrere usus fuerit, aut nares aqua abluerit, vel aliquid stillaverit in aures suas, & in sententia nonnullorum, etiam in foramine uberum, & pudendi: & aliæ hujusmodi ineptiæ: quasi hæc ad cibum, potumque pertineant; vel aures, aut nares, aut ubera, vel partes corporis obscœnæ comedant, aut bibant.

Nihilominus cum his omnibus absurdis, videtur hoc jejunium valdè rigidum esse, & gravius quàm jejunium Christianorum. Cùm enim circumvolvatur per omnes anni menses; quando incidit in æstatem, maximam habet difficultatem, cùm ne gutta quidem aquæ liceat sitim, quantumvis ardentissimam, temperare. Cùm è contra Christiani liquida omnia, etiam vinum, & sucos, aliasque potiones liberè, quoties volunt, bibere possint: jentaculum etiam veiperè adhibeant, usque ad septem vel octo uncias cibi; itaut non re, sed nomine jejunium dicendum esse videatur.

Sed primò notandum est, neque in Pentateucho, neque in Euangelio inveniri præscriptam à Deo, vel à Christo formam ullam jejunii determinatam: imò neque diem, neque tempus ullum jejunio destinatum. Jejunia verò, quæ tàm Hebræi, quàm Christiani observant, non à Deo, vel à Christo immediatè, sed à Prophetis, vel Apostolis, vel à Patribus Synagogæ, vel ab Ecclesia instituta fuerunt. Non tamen negamus, vel Moysem per legem oralem (ut loquuntur Hebræi) à Deo receptam, vel Apostolos ex mandato Christi, aliquam circa jejunium regulam, vel formam instituisse. Illud ex Euangelio habemus, quòd Christus jejunium quidem probaverit, ac commendaverit, moderatum tamen, ac discretum esse voluerit. Quamobrem eùm dixissent Illi Joannis Baptistæ discipuli (ut refert S. Matthæus Cap 9.) *Quare nos, & Pharisæi jejunamus frequenter: discipuli autem tui non jejunant? Respondit eis Jesus: Numquid possunt filii Sponsi lugere, quandiù cum illis est sponsus? Venient autem dies, cùm auferetur ab eis sponsus, & tunc jejunabunt.* Hoc idem objecerunt illi Scribæ & Pharisæi, Luc. cap. 5. dicentes: *Quare discipuli Joannis jejunant frequenter, & obsecrationes faciunt, similiter & Pharisæorum: tui autem edunt, & bibunt? Quibus ipse ait: Numquid potestis filios Sponsi, dum cum illis est Sponsus, facere jejunare? Venient autem dies, cùm ablatus fuerit ab illis Sponsus, tunc jejunabunt in illis diebus.*

Deinde notandum est, jejunium propriè esse abstinentiam ab omni cibo & potu per aliquod tempus, & communiter per spatium diei naturalis, nempè viginti quatuor horarum, à media scilicet nocte usque ad sequen-

sequentem mediam noctem: vel à vespera unius diei, usque ad vesperam alterius sequentis. Ubi verò per plures dies continuatur jejunium, unica tantùm comestio circa meridiem, vel in vespere fieri debet: & vanum, atque absurdum existimandum est jejunium illud, in quo vel per totum diem comeditur & bibitur, & per totam noctem sine potu & cibo dormitur, seu aliud agitur: vel è converso, ut faciunt Mahumetani, in quo tota nox in cibo & potu transigitur, tota verò dies in somnum, vel aliud opus insimitur.

Tertiò notandum est, in comestione, quæ sit post jejunium, nullam esse circa qualitatem ciborum præscriptionem. Quamobrem Judæi in jejuniis suis quolibet eduliorum genere utuntur: idem Mahumetani observant. Christiani verò ex Apostolorum, Majorumque suorum traditione, in jejuniis suis à carnibus, ovis, ac lacticiniis abstinent: & aliquibus in locis, præsertim Orientalibus, etiam à piscibus, & à vino: itaut herbis tantummodo, & leguminibus unà cum pane, & aqua vescantur.

Notandum ultimò, primos Christianos, & alios, qui per aliquot sæcula sequuti sunt, unica tantùm comestione circa vesperam usos fuisse: jentaculum omne, quod hodie apud multos in usu est, prorsus ignorasse; imò à vino etiam abstinuisse, nec interdiù cibi aliquid gustasse; omnem etiam potum interdiù evitasse, probabilius censeo: non enim Judæis in hoc inferiores esse voluisse credendum est. Decurrentibus verò ætatibus, ac deficiente primo illo Christianæ observantiæ vigore; corporibus etiam quotidie infirmioribus: cœperunt uti potu & jentaculo, non ex Christianarum legum præscripto, sed ex quadam Pontificum conniventia, atque humanæ imbecillitatis compassione. Quamobrem si hodiernum Christianorum jejunium, præsertim in Europa, aliquantò laxius videtur, non vitio religionis, vel legis, sed hominum usui, vel abusui tribuendum est. Non tamen plurimi desunt ubique, qui jejunium rigidè observent, nihil præter unicam comestionem per spatium diei naturalis, comedendo, aut bibendo.

Et nihilominus jejunium Christianorum cum hac, quam diximus, laxitate, multò difficilius & rigidius est jejunio Mahumetanorum, cujus tota difficultas reducitur ad abstinentiam à potu diurno, quando Mensis Rhomadan incidit in æstatem.

Primò, ob qualitatem ciborum. Nam Mahumetani in suo jejunio carnibus, ovis, lacticiniis, & cibis quibusque optimis, & peculiari industria paratis, vescuntur; Christiani plerique solis herbis & leguminibus prandent, vel cœnant. Nam quamvis etiam piscibus uti possint, quia tamen hi non ubique reperiuntur, & plerumque carò venduntur; solùm à nobilibus, & ab iis, qui sunt commodiores emi possunt: cæteri plerumque piscibus salitis, vel siccatis, quorum vile est pretium, mensam adornant. Sive autem pisces sint, sive herbæ, vel legumina, omnia sunt levissimi nutrimenti, & quamvis citò satient, seu potiùs impleant, citò tamen famem revocant, corpusque extenuant ac debilitant. Hoc autem incommodum non habet jejunium Mahumetanorum. Porrò non pauci inveniuntur Christiani, qui carnibus, ovis, ac lacticiniis tenuel in die vescentes, nihil aliud intra spatium diei naturalis comedunt, & ægrè ne bibunt quidem. Id facilius Mahumetanis succedet, quibus per integram noctem conceditur hujusmodi cibis se ingurgitare.

Secundò, ob quantitatem: nam ut diximus, Mahumetani à primis noctis crepusculis, usque ad ortum auroræ, cœnam suam, vel potiùs cœnas protrahunt; quæ causa est, ut cùm mensis Rhomadan incidit in hyemem, vel etiam in ver, vel autumnum, nullam prorsus habere possit difficultatem.

Tertiò, quoad numerum: nam jejunium Mahumetanorum non excedit mensem lunarem (idest dies circiter viginti novem.) At jejunium Christianorum, præter quadraginta dies specialiter destinatos, complectitur etiam alios plures dies per annum, qui universaliter tres suprà viginti numerantur; præter jejunia particularium provinciarum, ac regionum, in illis præcepta. Hùc accedit, nullum esse Religionis institutum, quod alia plura suprædictis, quæ sunt omnibus communia, præscripta non habeat; itaut non pauci dimidiam anni partem jejunent. Frequentissima etiam sunt inter Christianos, & præsertim fœminas, jejunia sponte suscepta, quæ non rarò pane tantùm & aqua transiguntur.

Atqui, ut Mahumetani ipsi sapientiores fatentur, verum, Deoque semper acceptum jejunium est, à vitiis, & terrenis affectibus abstinere: à cibo autem & potu se retrahere, non verò à peccatis & iniquitatibus: nihil prodest, nihilque à Deo æstimari. Sacræ paginæ testantur. Neque ex Pentateucho, vel Euangelio, ut superiùs prænonui, habemus præceptum aliquod circa modum, vel formam jejunii: nam Deus hoc prudentiæ eorum, qui religioni præfuturi essent, reliquit: quamobrem sive illi rigidiorem, sive molliorem jejunandi formam præscripserint, non multum refert ad hominis perfectionem, ac sanctitatem: quæ si in jejuniorum austeritate & rigore sita esset, tàm Mahumetani, quàm Christiani, à Brachmanibus Indorum, aliisque Ethnicis longè superarentur.

Non dubito tamen, quin sicut inter Christianos, ita inter Mahumetanos non pauci jejunium suum frangant: sed pauciores fortasse Mahumetani, ob metum pœnæ: nam jejunii violatores, præsertim si culpam frequentent, gravissimè puniuntur. Christianis verò nulla, vel modica pœna statuitur, cùm quilibet possit excusationem aliquam non jejunandi prætendere. Quamobrem tantò gratius convenit ne sit Deo Christianorum jejunium, quantò magis est voluntarium. Verùm ut scribit Gabriel Bremond aliàs laudatus, in suo Itinerario lib. 3. c. 4. *Actifices atque operarii soli inter Moslemos rigidè jejunium Rhomadan observant* (quia scilicet hi liberiùs, ac facilius puniri possunt): *Magnates ac Principes illud velut jocum deridentes: divites verò illud transferunt*: ad Kalendas Græcas, ut puto.

CAPUT DECIMUM TERTIUM.

Examen quinti Mahumetica Religionis fundamenti; nempè Peregrinationis.

PUtant Mahumetani, se solos peregrinationem habere; neque prorsus falluntur, cùm eorum peregrinatio tot abiurda, ac ridicula contineat, ut alia nulla ei similis inveniatur. Constantissima est eorumdem opinio, peregrinationem Meccanam à primo parente Adam incœptam fuisse. Cùm verò illis objicitur, Templum Meccanum ab Abraham & Ismael, juxta Alcorani relatum, constructum fuisse: respondent: Templum ab Adam visitatum, tempore diluvii in Cœlum ab Angelis translatum fuisse: Abraham verò aliud simile, Dei jussu ædificasse, quod deinceps ipse Abraham, & Prophetæ omnes visitaverunt.

Jam suprà expositi, quibus ritibus se se Moslemi

Digitized by Google

ad hanc peregrinationem præparent : quid in visitatione templi Meccani, aliorumque sacrorum, ut ipsi existimant, locorum observare debeant: à quibusnam rebus eo tempore abstinendum sit : quid sacrificii, vel potiùs donarii loco offerre teneantur. Inter hæc, observanda præcipuè occurrunt :

Primum: conceditur illis, ut uxorem, vel aliam fœminam secum ducere possint; quia nimirùm qui in peregrinatione Meccana nascuntur, censentur esse nobiles, non secus ac si Mahumeti essent consanguinei. Quamobrem conatur unusquisque, imò (quantum legi) tenetur, vel ex propria uxore, vel ex alia fœmina prolem suscipere : & ideò qui uxorem non ducunt secum, cum illa, quam comitem habent in peregrinatione, vel cum alia fœmina Meccana contrahunt matrimonium temporaneum, quod scilicet tandiù consistat, quandiù morantur in Mecca ; & deinde evanescit conjugium, & mulier potest iterùm nubere cui vult.

Secundum : in præparatione ad peregrinationem, cum quibusdam laudabilibus, plura admiscentur frivola ac superstitiosa, cujusmodi sunt, non indui femoralibus, neque soccis, vel uti crepidis scissis ad talos : itemque neque caput, neque faciem operire, neque res odoriferas contrectare, quas tamen primò Mahumetus præceperat: neque caput radere, neque pilos corporis, neque ungues præcidere, & aliæ hujusmodi quisquiliæ, quæ ad pietatem nihil faciunt, sed potiùs ad risum.

Tertium : cursus ille festinatus saltitando, humerosque agitando primis tribus vicibus in circuitu Caabæ magnam habet levitatem, & indecentiam; quamobrem fœminis interdicitur. Ridiculum verò, quòd tribus primis vicibus ita currant, ac saltitent: quatuor autem lentè, & veluti spatiantes incedant, ut Tigellius ille Sardus, de quo Horatius Serm. lib. 1. Sat. 3.

Nil æquale homini fuit illi; sæpè velut qui
Currebat fugiens hostem: persæpè velut qui
Junonis sacra ferret.

Eadem levitas & scurrilitas notanda in visitatione duorum montium Saphæ & Mervæ, in quibus nullum aliud religionis vestigium erat, quàm quòd duorum idolorum simulacra in eorum vertice à Meccanis culta fuissent.

Quartum: maximam etiam superstitionem præfert jactus ille lapillorum, præcipuè sub genitalibus inter crura, quò stultè putant se Dæmonem lapidare. Atqui melius grandioribus lapidibus hoc facerent, quando quidem putant Dæmonem, veluti corporeum, percuti posse, ac vulnerari. Sed sciat Lector, hos circuitus, & jactus lapillorum, Arabes idololatras ab Indis item idolorum cultoribus desumpsisse, & Mahumetum pro lege suis statuisse. Ita affirmat Auctor Speculi Historialis, lib. 24. relatus in Disputatione cujusdam eruditissimi Christiani cum Principe Saracenorum, Basilæ impressi cum Alcorano, & aliis opusculis, Anno 1550. ubi sic loquitur Christianus: *Duarum Indiæ Gentium, quæ vocantur Zechian, & Albarachuma, antiqua consuetudo fuit, nudos, dealbatos, magnisque ululatibus personantes, simulacra Dæmonum circuire; angulos quoque deoscolari, & projicere lapides in aerrum, qui quasi pro bono diis extruebatur. Inde enim est, quod in libro Salomonis dicitur: Qui projicit lapides in aerrum... Mercurii. Hæc ergo consuetudo cum ab Indis ad Arabes descendisset, eamque suo tempore apud Meccam in honore Veneris Machumet celebrari reperisset, sic illam manere præcepit, cùm tamen cætera idololatriæ præstigia removisset. Illud verò soli Veneri in... illa celebratione dicitur exhiberi solitum, ut lapilli retrò, idest sub genitalibus membris projicerentur, eò quòd Venus illis maximè partibus dominetur. Unde adhuc ita fit in Domo Dei, ouam tu vocas illicitam; idest, ubi nihil licet, nisi quod sacrum est. Verumtamen, cùm hoc à nudis ex toto hominibus semper fieri soleret, non tulit hoc humana verecundia. Instituerunt aliqui, ut projectores lapidum, parvo saltem linteolo renes obtegerent, ne omninò denudati homines, canum impudentiam imitarentur.* Hactenùs Christianus ille, quem non est credibile, aliquid in his fingere, aut mentiri voluisse, dum cum Mahumetanorum Principe loqueretur.

Quintum: mactatio illa ovium, seu boum, aut camelorum, aliquid magnum esse videtur: nam (quemadmodùm ferunt) aliquando ad trecenta, vel quadringenta millia pecudum perveniunt, quas cùm jugulaverint, unusquisque suas comedit: quod verò supereset, pauperibus, vel aliis non habentibus impartitur. Hoc tamen parum, vel nihil confert ad religionem, nisi quatenùs continet exteriorem actum fraternæ charitatis, qui sæpè etiam inter malos & scelestos invenitur. Imò asserunt, ut certum, notumque omnibus, in nulla Mahumetanorum secta majorem charitatem, & ut ita dicam, amicabilitatem inveniri, quàm inter Sectam Atheistarum, quæ inter eos, præsertim Constantinopoli, latissimè patet: & aliquando (nisi fortè semper) Magnus Sultanus est antistes illius. Cæterùm hoc tot pecudum excidium, quod sit in valle Minæ, nullo modo est sacrificium: Mahumetani enim ipsi fatentur, ut alibi diximus, unanimiter consentiunt, Mahumetum nullum sacrificium instituisse. Sed de hoc infrà ex professo agemus.

Sextum: frivola prorsus & ridicula sunt, quæ in peregrinatione vitanda præscribuntur, præsertim circa mactationem animalium non solùm venatiorum, sed etiam pediculorum, & locustarum. Illud verò admirandum, quòd nefas sit occidere pediculum, aut locustam, vel etiam formicam, aut muscam, non autem corvum, aut milvum, aut lupum, neque pulicem, vel culicem. Respondebunt fortasse Moslemi Doctores, has omnes nugas circa peregrinationem continere mysteria, quemadmodùm multa in Pentateucho à Deo præcepta sunt, quæ si superficie tenus tantùm considerentur, levia prorsus, ac prorè superstitiosa apparent. Sed quæ in Pentateucho habentur, tàm nos, quàm Judæi, & Mahumetani, certò scimus à Deo præscripta fuisse; quamobrem etiam certissimè credimus, summa cum sapientia & prudentia, & non sine arcanis mysteriis fuisse disposita. Quæ autem Mahumetus vel in Alcorano, vel in Sonna præscripsit, præsertim circa hanc peregrinationem, vel Doctores Moslemi instituerunt; neque nos, neque Judæi credimus esse à Deo: neque Mahumetani etiam rationem ullam habent hoc credendi. Cæterùm non solùm nos, & Judæi, sed etiam plures Mahumetani sciunt, & tenent, hos peregrinationis Meccanæ ritus, quemadmodùm etiam purificationis, orationis, jejunii, decimarum, & hujusmodi rerum, plerosque ab Arabibus Ethnicis desumptos fuisse. Hùc accedit cuilibet Impostori, vel nebuloni, liberum esse misteria in suis inepti is ac nugis fingere illis similia, quæ Expositores Alcorani in illius malè consutis verbis expiscantur.

Postremò non est omittendum, peregrinationem hanc Meccanam non tàm ad pietatem exercendam, quàm ad lucrum captandum, & ad pœnas Principi debitas ob delicta commissa fugiendas, à Moslemis capessi:

expessi: & Mahumetus ipse in Alcorano Sura 2. العفو *Vacca*. v. 197. concedit, ut in Peregrinatione divitias per mercaturam aequirant; id quod non paucis est unicum motivum hujus itineris. Libet hic referre verba Gabrielis Bremond, lib. 1. cap. 29. *Eorum*, inquit, *qui hoc iter suscipiunt, quidam habent pro scopo pietatem: alii verò mercaturam. Verùm Magnates illud non ineunt, nisi ut supplicia evitent, quæ propter delictum aliquod merentur. Nam hæc peregrinatio ab omni culpa absolvit: & si quis vir primarius velit effugere, ne capiatur, abscondit se in turba peregrinorum: cùmque à Mecca regressus fuerit, nullus amplius est, qui ejus delicta requirat, nisi fortè Magnus Sultanus absolutè necem illius, vel pœnam velit.*

Reliquum est, ut sanctissimas, & gravissimas Christianorum peregrinationes huic Meccanæ ridiculæ ac sframineæ opponamus. Non una tantùm apud nos est peregrinatio: sed tot ferè, quot in Orbe Christiano loca, religione aliqua peculiari conspicua, reperiuntur. Præcipua tamen, & universo Orbi communis est Peregrinatio Romana ad sacra Principum Apostolorum corpora veneranda. Erat olim hæc ferè continua, & copiosissima: paulatim verò tepescente pietate, aliquantò diminuta est. Nihilominus nunc etiam quotidie exteri Romam peregrini advenunt, & in sacris Majoris Hebdomadæ, ac Paschatis diebus, multa eorum millia quotannis numerantur, itaut ad triginta millia totis illis diebus perveniant, nimirùm tot ferè, quot ad peregrinationem Meccanam concurrunt. Et plerique publicis sumptibus, saltem per triduum, excipiuntur. At verò peregrinatio illa, quæ sæculari anno, nempè vigesimo quoque quinto agitur, hujusmodi est, ut vix credibilis esse videatur. Unam tantùm ex his referam, quæ præsentis sæculi principio sub Clemente Octavo Pontifice Maximo celebrata fuit. Ad hanc parari jussit Pontifex amplum hospitium, in quo Episcopi, aliique viri exteri Deo dicati excipientur, ac per decem dies percommodè alerentur: in aliorum verò exterorum peregrinorum expensas, supra trecenta aureorum millia manu sua pleraque distribuit. In ipso Episcoporum hospitio ipsemet Pontifex ad mensam inservivit, multisque eorum pedes manibus suis lavit, quos deinde nonnulli Purpurati linteo abstergebant. Fuere hi supra quatuor millia, partim Episcopi, partim Ecclesiastici inferioris ordinis. Hoc idem Christianæ humilitatis obsequium exhibuit Clemens aliis peregrinis in hospitio Sanctissimæ Trinitatis, ubi nunc duodecim, nunc triginta peregrinis pedes lavit, atque totos osculatus est, duobus purpuratis illum adjuvantibus. Hanc peregrinationem multi Principes Magni ex pietatis tantum motivo suscepere. Cæterorum verò, qui ex variis Christiani Orbis regionibus advenere, tot fuerunt, ut in commemorato sanctissimæ Trinitatis hospitio, ducenta septuaginta millia peregrinorum recensita sint, præter ducentas, ac quadraginta octo aliorum societates, quarum numerus ad quinquaginta quatuor millia, & lexcenta perveniebat. Itaut quidem, qui exactiùs computum deduxerunt, loci illius hospitum virorum, quadringenta quadraginta quatuor millia; fœminarum verò viginti quinque millia recensuerint. In aliis verò per Urbem nationalibus hospitiis, supra quinquaginta millia recepta esse scribuntur. His verò omnibus hospitibus sumptuosa mensa, & copiosus ciborum numerus apponebatur, ad quam plerumque Principes viri, tàm Ecclesiastici, quàm sæculares tamquam famuli humiliter ministrabant. Postremò tanta fuit hoc anno Peregrinorum multitudo, ut ad terdecies centena millia perveniisse scribantur. Inter hos fuerunt etiam quidam hæretici, & quidem non pauci, qui curiositatis tantùm gratia se Romam transtulerunt. At ubi Pontificem Maximum, tamquam famulum, pauperum pedes abluere, & osculari, iisque ad mensam inservire, & Purpuratos, ac Principes eum in hoc imitari viderint; hæresi abjurata, ad Catholicam Fidem redere. Inter hos erant quidam Germaniæ Principes. Duo etiam Turcæ Mahumetani, qui Constantinopoli Romam venerant, inter Peregrinos sese immiscuere. Cùmque vidissent sibi quoque pedes lavari, atque eadem Christianæ humanitatis obsequia sibi ac cæteris exhiberi; divina gratia illustrati, Mahumeto abjurato, Christianam Religionem amplexi sunt. Idem fœminæ cuidam Turcæ, ac duobus ejus filiis contigisse refertur.

Porrò in hac peregrinatione, omnes triginta vicibus quatuor Templa præcipua, quæ Patriarchalia dicuntur, itinere ferè sex milliarium, pedites invisebant (nisi ætas, vel infirmitas aliud exegisset) humili devotoque incessu, & ferè per totum iter orantes, vel psalmos, aut alias preces canentes, vel recitantes, & præterea eleemosynas pauperibus largè distribuentes. Præcipua verò cura erat, peccata per sacramentum pœnitentiæ expiare, vitamque in melius commutare: itaut qui peccatores Romam venerant, justi in patriam regrederentur.

Si Meccana peregrinatio cum hac comparetur, sordescet omninò, ac putescet, & indigna prorsus erit quæ nominetur. Sciant autem Mahumetani, alias etiam esse Christianas peregrinationes, ut Lauretanam, Assisinatem, Compostellanam, Jerosolymitanam, & hujusmodi, quæ non minori religione ac pietate, quàm Romana, peraguntur. Et quamvis in his minor sit peregrinorum numerus, sæpè tamen Meccanæ turbam vel æquat, vel excedit. Hæ verò pleræque quotannis aguntur.

Non omittam tamen addere, etiam Idololatras, Indos, ac Brachmanes, aliasque hujusmodi Gentes, peregrinationes suas, & fortasse Mahumetana numerosiores, habere. Quamobrem peregrinatio per se, non est vera Religionis character, sed ex circumstantiis debet æstimari. Porrò Mahumetana, licèt pauca aliqua videatur habere laudabilia; tot tamen superstitionibus, nugis, atque ineptiis admixta est, ut nullo modo veræ Religionis argumentum vel signum possit existimari.

CAPUT DECIMUM QUARTUM.

Distinguitur prohibitio à vino & ludo, facta à Mahumeto.

SI Mahumetus ex motivo virtutis temperantiæ, vel abstinentiæ, vini usum asseclis suis prohibuisset, esset tamen tanquam indifferetus atque imprudens condemnandus. Magna quippe levitas fuisset, omnibus mortalibus (nam omnibus tàm hominibus, quàm Geniis Alcoranum suum observandum prædicabat,) illud prohibere, quod ab Orbe propè condito omnibus in usu fuisset; esset nihilominus saltem excusandus, vel tolerandus. Verùm rationes, propter quas illud interdixit, illum stultitiæ ac superstitionis omninò condemnant. In *Doctrina Mahumeti*, ex Arabico in Latinum translata, quæ apud Mahumetanos divinæ habetur auctoritatis: & impressa reperitur cum libro Al-

corani Basilææ, anno 1550. scribitur; *duos Angelos, Aiut, & Marut* (de quibus etiam mentio fit in Alcorano,) *missos à Deo in terram, ut humanum genus regerent, ac judicarent causas singulorum, quadam die vino à fœmina quadam inebriatos; cùm hæc esset pulcherrima, amore & cupiditate ejus incaluisse, ac propterea de concubitu eam requisisse. Quamobrem, jubente Deo, appensi sunt per catenas ferreas per pedes, demissis capitibus, in puteo quodam Babylonia, ita usque ad diem Judicii permansuri.* Hoc divinæ justitiæ exemplum Mahumetum adduxit, ut vinum prohiberet. Alii alias causas afferunt. Probabilissimum mihi est, vinum & ludum suis interdixisse, ut promptiores & expeditiores essent ad bella; atque etiam ut expensas in vinum stigeret pro militibus sustentandis; cùm aqua facillimè ubique reperiatur.

Sed ipsemet duas causas exponit, quæ illum ad hanc legem ferendam adduxerunt. Prima est, quam suprà retulimus; nempè quia cùm in vino & ludo sit magna utilitas: tamen tantos damnum in utroque reperitur. Sed non ex vino, aut ludo, verùm ex hominum intemperantia hoc damnum procedit. Etiam ex pulchritudine, ex auro, & argento; itemque ex tormentis bellicis, aliisque multis, majora fortasse mala proveniunt, quàm bona: non tamen hæc damnanda, vel auferenda sunt: sed immoderatus, atque inordinatus illorum usus cohibendus. Negandum tamen est absolutè, in vino majus malum, quàm bonum reperiri. Nam, exempli causa, hic Romæ (& idem alibi) ubi sunt supra centum viginti millia hominum bibentium vinum; etsi duo vel tria millia (quod certè non est) quotidie ab immoderato ejus usu inebrientur, vel læsantur; cæteri omnes nutriuntur, roborantur, & meliùs ad labores subeundos, ad literarum studia excolenda, & ad alia opera peragenda disponuntur. Multi etiam ægroti, ægri, senes, imbecilles, vini ope recreantur, & salutem, & robur acquirunt. Quamobrem præcipit Deus per Salomonem in Proverbiis, cap. 31. *Date siceram mœrentibus, & vinum his, qui amaro sunt corde. Bibant; & obliviscantur egestatis suæ, & laboris sui non recordentur amplius.* Certè quadruplo majora damna ex pecuniis, ex fœminis, & aliis pluribus, quàm ex vino oriuntur: nec per septuaginta annos, sive Romæ, sive alibi ubi fuerim, audivi unquam ex vino grande aliquod, atque extraordinarium malum ortum fuisse. Quamobrem tàm Gelaleddinus, quàm Zahchaserius, duo primarii Alcorani Interpretes, volunt, prohibitionem Mahumeti non cadere supra vinum, ac ludum absolutè, sed في تعظيمها *supra nimium studium*, & *applicationem in utroque*: quamvis Jahias afferat, Mahumetum حلة تحريمها قليلها وكثيرها *prohibuisse vinum tàm in magna, quàm in parva quantitate*, fortasse ob causam sequentem.

Altera igitur causa, ob quam vinum prohibuit, est ex eo quòd intrinsecè malum, & Diaboli inventum abominabile sit. Nam, ut puto, juxta Encratistarum errorem, vinum fel Diaboli esse existimavit.

Sic igitur habet Sura 5. *De Mensa*, ver. 96. انّ الخمر والميسر رجس من عمل الشيطان فاجتنبوه.

Profectò vinum, & ludus sunt abominatio ex opere Satanæ: itaque fugite illa. Sed Moslemi, agnoscentes fortasse hanc Prophetæ sui sanctionem falsam esse, & iniquam, in vino bibendo ita profusi sunt, ut cæteros à secta sua extraneos facilè superent. Et certè Mahumetus ipse antea vini usum sibi liberè concedebat: imò in Sura 16. النحل *Apes*. Ver. 70. non solùm vinum probat, sed etiam concedit usque ad ebrietatem: ita enim loquitur ومن ثمرات النخيل والاعناب تتخذون منه سكرا ورزقا حسنا. ان في ذلك لاية لقوم يعقلون.

Et de fructibus palmarum, & uvarum, percipitis ebrietatem, & victum. Sanè in hoc quidem est signum (i. argumentum divinæ providentiæ) *illis, qui intellectu præditi sunt.* Proculdubio fructus uvæ, ex quo quis inebriatur, non potest esse nisi vinum: & hoc est argumentum divinæ providentiæ, ergo impossibile est, esse abominationem, & opus Satanæ. Pugnat igitur secum turpiter Mahumetus in re, quæ consilii in facto, & necessariò vera est, vel falsa.

Quòd autem vinum ex se, suaque natura, malum non sit, imò bonum & laudabile, manifestè patet: quia apud omnes nationes, apud quas reperitur, etiam veram religionem profitentes; imò & apud ipsos Arabes, semper fuit in usu: & Mahumetus etiam per aliquod tempus vinum sibi, fuisque concessit: quippe ad multa utilissimum, ac propè necessarium. Et Noe vir justus ac sanctissimus illius auctor fuit, non autem Satanas. Sacræ etiam Scripturæ vinum sæpè laudant, & commendant. Et Melchisedech Rex Salem, Summusque Dei Sacerdos, Abrahæ victori vinum obtulit; neque hic illud recusavit. Et quidem Mahumetus profitetur se Abrahæ esse sectatorem. Isaac quoque vinum bibit à filio suo Jacob oblatum; Gen. cap. 27. ubi idem Isaac inter alias benedictiones, *abundantiam vini* ipsi Jacob precatus est verbis illis: *Frumento & vino stabilivi eum.* Voluit præterea Deus Opt. Max. in Sacrificiis suis vinum adhiberi, quod Sacerdotes biberent, ut patet Exod. cap. 29. Levit. cap. 15. & alibi. Christus ipse non solùm bibit vinum, sed aquas etiam in vinum convertit, ex quo alii bibere possent, ut refert S. Joan. cap. 2. Et sacrificium novæ legis in pane, vinoque instituit: nulliusque forè est in tota Sacra Scriptura liber, in quo vini usus moderatus non approbetur. Quamobrem valdè suspicor, Mahumetum in vino prohibendo errorem suum accepisse, vel ab Hæreticis Aquariis, qui, ut refert S. Augustinus, lib. de Hæres. cap. 4. adeò à vino abhorrebant, ut non nisi in aqua consecrandum esse affirmarent: vel à Catharistis, qui, ut scribit idem cap. 46. uvis vescebantur, sicut Mahumetani; sed vinum detestabantur, asserentes esse fel Diaboli; vel ab Encratistis, qui, teste eodem Augustino, dicebant, vinum nullo pacto bibendum esse, eò quòd vites è Satana & terra illud produxissent. Idem sentiebant hæretici Severiani.

Ex his constat, prohibitionem vini factam à Mahumeto nullum continere virtutis, seu perfectionis actum, sed hæresim, stultitiam, & superstitionem. At benè est, quòd Mahumetani, non contenti variis, & voluptuosis potionibus ex dactylis, & aliis rebus confectis, quæ vino æquivalent, & non minus illo ebrietatem inducunt, & fortasse melioris, & sapidioris sunt

Digitized by Google

sint subſtantiæ; vinum etiam liberè & largiſſimè bibunt.

Per hoc tamen non negamus, abſtinentiam à vino, ſicut ab aliis cibis & potionibus palato gratioribus, ex motivo temperantiæ, vel afflictionis carnis, ad eam à pravis voluptatibus cohibendam, eſſe laudandam, utpote actum Chriſtianæ virtutis. Et quidem non pauci etiam inter Chriſtianos propter hanc cauſam ſpontè abſtinent à vino, carnibus, atque etiam lacticiniis & ovis: non tamen propterea earumdem rerum uſum in cæteris damnant: neque credunt hæc ipſa, ſuapte natura, mala eſſe, aut illicita. Cæterùm non deſunt etiam inter modernos Infideles, qui à vino ſuperſtitioſè abſtineant. Et inter fideles quoque plures ſunt abſtemii, & tamen vitioſi & mali. Ex oppoſito autem plurimi bibunt vinum, & nihilominus ſunt viri optimi: & profectò plerique ſanctè vinum biberunt.

Quod de vino dictum eſt, de ludo dicendum. Duplex autem eſt ludus: alius, qui plerumque fraudibus, perjuriis, ac pactis cum Dæmone anſam præbet, vel grave malum, & ſæpè exterminium affert familiis. Hunc etiam Chriſtianæ leges, tùm ſacræ, quàm politicæ, ſeveriſſimè interdicunt. Alter verò eſt prorſus innocens, & tantummodò ad animum à curis ſublevandum, & ad corpus laboribus deſeſſum recreandum, vel etiam ſalutis cauſa exercendum adhibetur. Hic ſi intra limites moderationis contineatur, non ſolùm nullum vitium eſt, ſed etiam continet actum virtutis Eutrapeliæ: & cùm ex motivo virtutis exercetur, non poteſt eſſe ſine aliquo merito apud Deum. Quamobrem etiam viri religioſiſſimi ac ſanctiſſimi eodem ſe aliquando recreant: nec tamen putant, ludum ſuum Deo diſplicere. De quo verò ludo Mahumetus loquatur, incertum eſt apud Expoſitores. Nam dictio

الميسر, qua ille utitur, valdè ambigua eſt. Communiter tamen accipitur pro القمار ludo alearum, qui generatim (præſertim quando ſit lucri cauſa) ab omnibus improbatur, niſi fortè de moderato lucro pactum illum cohoneſtet.

CAPUT DECIMUM QUINTUM.

De præcepto Circumciſionis.

CUm Mahumetani inter religionis ſuæ præcepta, circumciſionem enumerent; mirum, quòd Mahumetus nihil de ea, & ne ipſum quidem nomen, in Alcorano habeat. Hoc autem argumentum eſt, vel illum non fuiſſe circumciſum, vel circumciſionem improbaſſe. Mahumetani tamen, ſe per traditionem præceptum hoc ab eo accepiſſe contendunt: imò communiter tenent, illum natum fuiſſe circumciſum. Multi tamen à Gabriele, & nonnulli (quod verius fortaſsè eſt) ab avo ſuo Abdalmotalleb præputium illi abſciſſum fuiſſe affirmant. Verùm communis ſententia eſt, Mahumetum, & Mahumetanos, retinuiſſe uſum circumciſionis, quem jam invenerant inter Arabes Ethnicos, ab Iſmaelis poſteris derivatum. Quidquid ſit, certum eſt, circumciſionem non eſſe apud Arabes aliquod Sacramentum, vel aliud pertinens ad fundamenta religionis, ſed ſignum diſtinctivum ipſorum ab aliis gentibus, atque etiam à Judæis. Quamvis enim etiam hi circuncidantur, diverſo tamen à Mahumetanis ritu, & forma utuntur. Et nihilominus ſi Mahumetani fiant, non tamen iterùm circumcidi coguntur.

Ex dictis, & dicendis, manifeſtè convincitur, circumciſionem Mahumetaniceam nullam importare ſanctitatem aut perfectionem religionis; ſed idem propè eſſe præputium abſcindere, ac barbam tondere, vel ungues præcidere. Et quidem nonnulli, inter quos eſt Gabriel Bremond lib. 3. cap. 3. qui inter Mahumetanos diù, & familiariter verſatus eſt; putant, Mahumetum circumciſionem admiſiſſe, quia Orientales valdè longum præputium habent, quod impedimento illis eſt ad actum conjugalem; & præterea contrahit multas ſordes, ob quas Moſemi exiſtimant, ſe ineptos reddi ad orationem.

Sed quicquid ſit, certum eſt ex ſententia non ſolùm Chriſtianorum (qui hoc habent ex doctrina Chriſti, & Apoſtolorum, imò & Prophetarum) ſed etiam veterum & ſapientiorum Hebræorum, circumciſionem, ac cæteras leges ceremoniales, ac judiciarias (præter eas, quæ ſpectant etiam ad morales) per adventum Meſſiæ abolendas fuiſſe: & Mahumetani ipſi, ut alibi diximus, ex auctoritate Alcorani, Sura 3. verſ. 49. credunt, Chriſtum omnia, vel ſaltem multa, præſertim circa licita, & illicita, ex Pentatcucho abolevisſe. Porrò præter has auctoritates, eſt etiam ratio manifeſta, cur omnia hæc, & præſertim circumciſio, in adventu Meſſiæ eſſent ceſſatura. Cùm enim tàm in ſententia Chriſtianorum, quàm Hebræorum, omnia eſſent in ordine ad Meſſiam venturum, & figuræ, ac ſigna illius; ac novæ legis per ipſum inſtituendæ: figuræ verò ac ſigna, juxta Philoſophos, nullam aliam per ſe habeant bonitatem, quàm rei figuratæ, ac ſignificatæ; manifeſtum eſt, ſi res ſignificata jam præſens ſit, & oculis expoſita, ſigna eſſe omninò ſuperflua & impertinentia. Quòd autem circumciſio *Signum* fuerit, habetur manifeſtè ex lib. Geneſ. cap. 17. ubi ſic loquitur Deus ad Abraham: *Hoc eſt pactum meum, quod obſervabitis inter me, & vos, & ſemen tuum poſt te: circumcidetur ex vobis omne maſculinum: & circumcidetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me, & vos.* Eodem modo S. Paulus in Epiſt. ad Rom. cap. 4. loquens de Abraham, ſcribit: *Et ſignum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei:* ideſt Meſſiæ, & juſtitiæ conferendæ per fidem, & legem ejus. Sive autem in verbis Dei allegatis *pactum* ſignificet legem Chriſti, ſive ipſum Chriſtum: cùm jam ipſum pactum advenerit, inutile prorſus, & ſupervacaneum, imò & fidelitati, Dei injurium erit ſignum circumciſionis, quaſi verò Deus pacto ſuo non ſtetiſſet.

Atqui non ſolùm vana, & inutilis, ſed etiam pudicitiæ, & modeſtiæ, atque honeſtati perniciosa eſt Moſemorum circumciſio. Non enim eam adhibent infantibus octo dierum, ſicut Hebræi; ſed pueris, & adoleſcentibus grandiuſculis, ſeptem, decem, duodecim, & quindecim annorum. Nemo verò non intelligit quanti periculi ſit, præſertim Moſemis in maſculam Venerem proniſſimis, hujuſmodi puerorum, ſeu adoleſcentium, præſertim ſi formoſiores ſint, verenda intueri, & attrectare illis modis, & blanditiis, quibus conſueverunt. Periculoſius etiam hoc eſt in puellis grandiuſculis, nam & hæ multis in locis ſolent circumcidi. Neque objiciant, etiam Abraham circumcidiſſe Iſmaelem quindemnem. Nam hic erat filius illius, & ipſe vir ſanctiſſimus, ac ſenex centenarius: quamobrem abſque ullo periculo poterat hoc facere.

Concludo cum S. Paulo ad Galat. c. 6. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio aliquid valet, neque præputium; ſed fides, quæ per charitatem operatur.* Nam (ut

Digitized by Google

scribit ad Corinth. Ep. 1. cap. 7.) *Circumcisio nihil est, & præputium nihil est, sed observatio mandatorum Dei.* Porrò Deus non solùm per Christum, & Apostolos, sed etiam per Prophetas manifestè ostendit, se non tàm curare de circumcisione carnali, quàm de spirituali, per carnalem significata. Quamobrem dixit Moyses Israelitis Deuter. c. 10. *Circumcidite igitur præputium cordis vestri, & cervicem vestram ne indueritis amplius.* Et Deus ipse per Jeremiam cap. 4. *Circumcidimini Domino, & auferte præputia cordium vestrorum, ne forte egrediatur, ut ignis, indignatio mea.* Quòd si Mahumetani censent, circumcisionem ad Religionem pertinere, imperfectus est Alcoranus, qui nullam illius mentionem faciat; & tamen unanimi consensu asserunt, in Alcorano omnia (nempè quæ ad religionem spectant) contineri. Si autem putant, illam esse merum signum politicum ad gentem suam ab aliis distinguendam: valdè stultos se ostendunt, qui signum illud elegerint, quod sine pudore, & dolore fieri non potest, & quod vilissimæ Hebræorum gentis proprium est. Quamvis enim diversa ratione, nihilominus tàm Hebræi, quàm Mosaemi præputium recidunt.

Petent fortasse à nobis Mahumetani, cur Christus circumcidi voluerit, quemadmodùm in Euangelio S. Lucæ cap. 2. asseritur, si per ipsius adventum circumcisio erat abolenda.

Respondemus primò: quando Christus circumcisus fuit, fuisse infantem octo dierum; cùmque communiter credaretur non differre à cæteris infantibus, si circumcisus non fuisset, non esset æstimatus Judæus; nec deinde pro Messia, qui Judæus esse debebat, receptus. Secundò; non convenisse abrogari legem veterem, nisi post sufficientem novæ promulgationem. Hæc verò necdum lata, aut promulgata fuerat. Tertiò; id fecit, ut ostenderet, se auctorem veteris legis, quemadmodùm futurus erat novæ, ejusque præxin in seipso honorificè, ut ita dicam, sepeliret. Posstremò ob rationem, quam affert S. Paulus in Epist. ad Romanos cap. 15. illis verbis: *Dico enim Christum Jesum ministrum fuisse circumcisionis propter veritatem Dei ad confirmandas promissiones Patrum*; nimirùm voluit Christus circumcidi, & alia etiam præcepta ceremonialia veteris legis observare, ut ostenderet, veré à Deo tradita fuisse tamquam signa, per quæ antiquis Patribus futuram per Christum redemptionem promittebat: & per hoc, de hujusmodi promissione dubitandum non esse, demonstraret.

CAPUT DECIMUM SEXTUM.

De prohibitione quorumdam ciborum.

JAm diximus, Mahumetum cibos aliquos in Alcorano prohibere tamquam immundos & illicitos, partim ex Pentateucho, partim ex proprio cerebro desumptos: nimirùm, morticinum, sanguinem, carnem suillam, idolothytum, suffocatum; occisum percussione: mortuum ex casu ab alto: occisum cornu alterius animalis: id, de quo fera comederit, si jam sit mortuum: & id, quod immolatum est super statuas. Hoc autem ultimum videtur esse idem cum idolothyto, vel cum eo, super quod invocatum est nomen idolorum.

Nihil hæc faciunt ad perfectionem & sanctitatem religionis, nisi fiant ex motivo virtutis temperantiæ, ut suprà etiam de vino dictum est. Quòd autem ex hoc motivo non fiant, patet, quia quæ hic prohibentur, non sunt res magni pretii, aut æstimationis: imò pleraque ut noxia, vel pravi saporis, aut malæ nutritionis, à plerisque rejiciuntur, ut morticinum, sanguis, & caro suilla. Idolothytum, nempè oblatum idolis, illicitum ecnisendum erit, quando illius comestio gignere posset scandalum, vel offensionem: alioqui nihil cogit ad abstinentiam ab illo. Cætera nihil habent, propter quod comedi non possint, nisi meram superstitionem.

Cæterùm cùm Christus, ut jam demonstratum est, hanc legem ceremonialem circa cibos mundos & immundos abrogaverit, non nisi stultè, impiè, & imprudenter Mahumetus illam renovare conatur. Notandum tamen est, quòd homo astutus, & gulosus, illa tantùm ex Pentateucho in Alcoranum suum concesserit, quæ viliora sunt, & etiam absque ulla lege à plerisque evitantur.

Objicient fortasse nobis Mahumetani, etiam Apostolos, quemadmodùm habetur in eorum Actibus, cap. 15. post promulgatam jam legem Euangelicam, præcepisse fidelibus, ut abstinerent ab idolothytis, à fornicatione, à suffocato, & sanguine: & quidem non ex motivo temperantiæ, sed observantiæ veteris legis.

Respondemus, Apostolos prudentissimè voluisse, Gentes, quæ Christianam religionem susceperant, ab his abstinere, non ex motivo temperantiæ, vel observantiæ veteris legis, sed ex motivo concordiæ & charitatis inter novos fideles. Cùm enim Judæi, qui in Christum crediderant, observantiam legis Mosaicæ circa ceremonialia mordicùs retinendam esse contenderent, neque id posset illis facilè dissuaderi; imò cogere vellent etiam gentes, quæ crediderant ad eamdem observantiam: Apostoli, ut ortam seditionem, & Judæorum, ac Gentium fidelium dissidium componerent, decreverunt imponere, seu potiùs permittere ea occasione utrisque abstinentiam ab his quatuor, nempè ab idolothyto, quod licet per se non sit illicitum, erat tamen tale, quia comedi non poterat sine scandalo: à fornicatione, quæ suapte natura illicita est, & peccatum; à sanguine, qui antequam per legem Mosaicam Judæis prohiberetur, prohibitus fuerat Noe, & filiis ejus, & consequenter omnibus gentibus posteris eorum: & à suffocato, quod Judæis tantùm prohibitum fuerat. Itaque sapientissimè Apostoli ad concordandos Judæos, & Gentiles, qui Christo nomen dederant, hæc quatuor prohibuerunt, nempè fornicationem ex se illicitam: idolothytum illicitum tantùm ex scandalo adjuncto: sanguinem, qui prohibitus fuerat Gentibus; & morticinum, quod Judæis interdictum fuerat, quamvis neutrum horum duorum esset per se illicitum. Hoc tamen Apostolicum fecitum non fuit perpetuum (excepto quoad fornicationem) sed tantùm pro illo tempore, ita exigente necessitate, propter quam Mahumetus ipse in Alcorano decernit, comedi posse illicita, quæ ipse prohibuerat. Nec refert, quòd multi Christianorum Orientalium hoc tempore illud observent, hoc enim tribuendum est eorum simplicitati, vel ignorantiæ, sed de his nos parum curamus.

Quantò Mahumetanica laudabilior est Christi fidelium abstinentia, qui ad carnem affligendam, atque edomandam, ne contra spiritum insurgens hominem ad illicitas cupiditates provocet; & præterea ad Deo magis placendum per abstinentiam à cibis, quæ avidiùs appetuntur, & suaviùs sapiunt, non solùm bis

in

in hebdomada à carnibus abstinent; & per sexaginta ferè jejuniorum suorum dies, etiam ab ovis, & lacticiniis, præsertim in Quadragesima, ut majorum suorum statuta observent, plerisque in locis se continent; sed sponte etiam sine hujusmodi cibis multi alios dies transigunt: itaut quidam una tantùm die in hebdomada illis vescantur. Ex Religiosis verò plures sunt, qui ex instituto carnem nunquam comedunt: quidam etiam præter carnem, etiam ab ovis & lacticiniis perpetuò abstinent. Neque hoc contenti, non pauci inter Christianos ex ejusdem virtutis motivo, pane tantùm, & aqua saltem aliquibus diebus, vitam sustentant.

CAPUT DECIMUM SEPTIMUM.

Utrum Mahumetani habeant Sacrificium.

CUM Sacrificium præcipuus sit religionis actus, & veluti character necessarius illius; mirum est, à Mahumetanis inter sectæ suæ fundamenta non recenseri. Et quidem ipsi putant se Sacrificium offerre, cùm oves, boves, & camelos, & quidem magno in numero, immolant in valle Mina, quando peragunt Meccanam peregrinationem. Verùm jam suprà monuimus, nullo modo hoc esse, vel dici posse verum Sacrificium. Nam in communi omnium sensu, verum ac proprium Sacrificium est, quod Deo offertur à ministris ad hoc peculiariter initiatis, in templo, vel altari, in materia à Deo destinata, vel saltem illi grata & accepta, & ita ut illud ipsum, quod offertur, consumatur, & quodammodo destruatur, saltem quoad aliquam partem, in solum obsequium Dei. Et quia sacrificium, juxta omnium sententiam, offertur Deo, non solùm ad protestandum supremum illius dominium, sed etiam pro populi necessitatibus, & præcipuè pro peccatis: hæc verò frequentia sunt, & quotidiana; sacrificium etiam quotidianum, vel saltem frequens esse debet. Has sacrificii regulas Deus ipse per Moysem docuit in Pentateucho: quas etiam in lege naturali servatas fuisse credendum est. Nam tunc etiam designabantur Sacerdotes, qui, ut plerique tenent, erant primogeniti, vel patresfamilias. Erant etiam loca destinata pro sacrificiis, nempè luci, qui pro Templis inserviebant, & aræ; ut patet ex sacrificiis Noe, Abrahæ, & aliorum Patriarcharum. Materia etiam sacrificii plerumque tota insumebatur in obsequium Dei, à quo non est dubium fuisse antiquis Patribus demonstratam. Frequenter etiam, vel saltem quandocumque necessitas, vel convenientia exigebat, sacrificia oblata fuisse, patet exemplo Abrahæ, Jacob, & aliorum: præsertim Job, qui saltem septimo quoque die sacrificia pro filiis offerebat.

Posset hic objici, Abel non fuisse primogenitum, & tamen sacrificium obtulisse. Itemque agnum, qui in vespere Paschæ immolabatur, non à Sacerdotibus, sed ab universis, qui erant in familia, mactatum fuisse; neque partem aliquam illius consumptam, vel destructam in solum obsequium Dei: nam totus à domesticis comedebatur. Respondeo; cùm Adam esset unicus summus Princeps summusque Sacerdos in mundo, consentaneum erat, ut haberet alios Sacerdotes subditos, ac ministros: hi autem esse non poterant nisi duo filii ejus, quorum unus erat Abel. Quod pertinet ad agnum Paschalem, responderi potest, mactationem illius non fuisse sacrificium, sed potius sacramentum, aut mysterium. Et nihilominus dici probabiliter potest, etiam illud sacrificium fuisse, & agnum immolatum fuisse à patribus familias, ad quos tunc spectabat munus Sacerdotii: nondum enim constitutum fuerat certum Sacerdotium per legem Moysis. Neque negari potest, aliquam saltem partem agni, in obsequium Dei consumptam fuisse: tùm quia sanguine illius postes & superliminaria domorum imbuebantur: tùm quia quidquid reliquum erat (& saltem cum ossibus pars aliqua carnis remanebat) igne consumebatur. Quòd verò etiam Prophetas, ut Eliam, Elisæum, & alios, sacrificia obtulisse legamus, quos non constat Sacerdotes fuisse; dicimus, Prophetas etiam tamquam Sacerdotes ungi consuevisse, ac propterea ex divina dispensatione sacrificium offerre potuisse. Denique casus particulares nullam vim habent contra legem universalem.

Ex dictis intelligi manifestè poterit, Mahumetanos nullum habere verum sacrificium. Primò, quia nulli sunt apud eos Sacerdotes, neque ministri initiati, & consecrati, quorum proprium est, etiam in sententia Aristotelis in lib. Politic. & Ciceronis in lib. 4. Academic. quæst. divina curare, & sacrificia, ac victimas pro omnibus offerre. Habent sanè suos Emamos: verùm hi præsunt tantummodo in Meskitis, dum sunt orationes, & in peregrinatione Meccana, & fortasse etiam in aliis rebus; sed non est eorum peculiare munus victimas offerre, vel sacrificare: unusquisque enim è populo suas pecudes jugulat, & coquit in valle Mina.

Secundò, quia neque in templo, neque super altare, hujusmodi pecudes immolant, sed confusim in valle prædicta eas occidunt.

Tertiò, quia hoc eorum sacrificium non sit in materia, quæ Deo grata sit: nam mactant camelum, qui inter immunda animalia in Pentateucho recensetur: oves verò, & boves, quamvis à lege veteri pro sacrificijo essent destinati; deinde tamen manifestè declaravit Deus per Prophetas, sibi hujusmodi sacrificia per se non placere, sed quatenùs erant ab ipso instituta, ut figuræ sacrificii Christi: atque adeò se ea rejecturum. Quamobrem dixit idem, Isaiæ cap. 1. loquens cum Israelitis: *Quò mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus? plenus sum. Holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Ne offeratis ultra sacrificium frustrà.* Idem repetit per Jeremiam cap. 6. dicens: *Holocaustomata vestra non sunt accepta: & victimæ vestræ non placerunt mihi.* Et rursum per Amos, cap. 5. *Quòd si obtuleritis mihi holocaustomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.* Plura alia sunt in sacris literis loca, in quibus ostendit Deus, se nolle amplius hujusmodi sacrificia, quæ propterea in nova lege per Christum sublata sunt, ea etiam ex causa, quam suprà diximus, nempè quia erant figuræ, signa veri sacrificii à Christo oblati; de quo mox dicemus.

Quartò, quia cùm de essentia sacrificii sit, ut aliquid in solum Dei obsequium consumatur, vel destruatur; Mahumetani pecudes suas nulla alia ratione destruunt, nisi eas in obsequium ventris insumendo. Et quamvis etiam amicis, & pauperibus aliquid ex illis impertiantur; hoc tamen non sufficit ad rationem veri sacrificii: non enim fit destructio immediatè, & formaliter in solum obsequium Dei; alioqui omnis eleemosyna dici posset verè & propriè sacrificium.

Postremò, cùm sacrificium institutum sit propter necessitates urgentes, & ad expiandа peccata populi,

Digitized by Google

exigit, ut sæpè, vel saltem quandocumque necessitas urget, à Sacerdotibus offeratur: atque ideò Deus voluit in Pentatenco, sacrificium perpetuum esse, & quotidianum. Nulla autem regula melior, & verior esse potest, quàm quæ à Deo ipso tradita est, & dictatur à lumine naturæ. Quamobrem nulla unquam gens reperta est, quæ semel tantùm in anno sacrificium offerret; sed omnes juxta præsentem necessitatem illud offerre consueverunt.

Verùm supervacaneum est illud probare Mahumetanis, quòd ipsi ultrò fatentur. Insignis Doctor, & Alcorani commentator, Ahmed Ebno-Mohammed Abul-Abbas Thalebiensis, exponens versum 182. Suræ 3. آل عمران *Familia Amran*, qui est hujusmodi:

الذين قالوا ان الله عهد الينا الّا نومن لرسول حتى
يأتينا بقربان تاكله النار قل قد جاءكم رسل
من قبلى بالبينات وبالذي قلتم
فلِمَ قتلتموهم ان كنتم صادقين:

Illis, qui dixerunt: Deus pepigit nobiscum, ut non crederemus ulli Legato, nisi veniret ad nos cum sacrificio, quod absumeret ignis: Responde: Jam venerunt ad vos Legati cum evidentibus argumentis, & cum eo (sacrificio) *quod dicitis: quare ergo occidistis eos, si estis veraces?* hæc scribit: قال الكلبي نزلت فى كعب بن الاشرف وملك بن الصيف ووهب بن يهودا وزيد بن التابوت وفنحاص بن عازورا انوا النبي ص وقالوا يا محمد نزعم ان الله بعثك الينا رسولاً وان الله قد عهد الينا فى التوراة ان لا نومن لرسول نزعم انه جاء من عند الله حتى يأتينا بقربان تاكله النار فان جئتنا به صدقناك فنزلت: وقال المدني ان الله تعالى امر بني اسرائيل فى التوراة ان جاءكم من احد نزعم انه نبي الله فلا تصدقوه حتى ياتيكم بقربان تاكله النار حتى ياتيكم المسح عيسى بن مريم وعهد فاذا اتياكم فاعملوا بهما فانهما يأتيان بغير قربان:

Dixit Calebius: Revelata sunt hæc verba, quando Caab filius Asciaraf, & Malec filius Saiph, & Vaheb filius Jehudà, & Zaid filius Tabut, & Phinchas filius Azurà (Judæi) *venerunt ad Prophetam Mahumetum, & dixerunt ei: O Mahumete, tu asseris te missum fuisse ad nos legatum à Deo. Atqui Deus jam contestatus est nos in Pentatenco, ne crederemus ulli legato, qui asseveret se à Deo missum fuisse, nisi veniret ad nos cum sacrificio, quod ab igne consumeretur. Torrò si tu veneris ad nos cum illo, credemus tibi. Propterea revelavit Deus Mahumeto hunc versiculum. Dixit autem Alsaddius: Deus Excelsus præcepit filiis Israel in Pentatenche dicens: Si quis venerit ad vos, qui asserat, se esse Prophetam Dei, ne credatis ei, donec veniat ad vos cum sacrificio, quod ab igne consumatur; usquequò veniat ad vos Christus Jesus filius Mariæ, & Mahumetus. Cùm autem hi duo venerint ad vos, credite in utrumque, nam utercque veniet sine ullo sacrificio.* Quamvis falsum sit, Deum in Pentatenche hoc præcepisse, nec minus falsum, Christum venisse sine sacrificio: ultrò tamen concedimus, Mahumetum sine sacrificio venisse, ut ex eorum testimonio constet, in Secta Mahumetana nullum esse sacrificium, ut jam evidentissimè probavimus.

Ex hoc autem convincitur, religionem Mahumetanam non posse esse veram, cùm careat fundamento, seu charactere illo, sine quo religio vera, & perfecta non potest consistere. Nam non solùm ex lege Divina, sed etiam ex omnibus legibus humanis, & ex omnium gentium tàm præteritarum, quàm præsentium usu, manifestè habemus, in omni religione reperiri sacrificium, & templa, & altaria, & ministros ad illud offerendum. Et hoc manifestè docet Aristoteles in Politicis, lib. 6. his verbis: *Alia species Magistratus est circa rem divinam, veluti Sacerdotes, & Aditui circa templa: ut conserventur, quæ sunt, & erigantur ruinosa ædificia, & cætera omnia, quæ pertinent ad divinum cultum. Event autem aliquibi, curam hanc esse unam, ut in parvis Civitatibus: alibi verò plures separatas à Sacerdotio, ut sacrificuli, aditui, & custodes sacrarum pecuniarum. Huic consequens est illa, quæ circa sacrificia publica, quodcumque Sacerdotibus lex non committit, sed ex publico fiunt. Vocant autem eos, qui ipsis præsunt, alii Reges sacrorum, alii Pontifices Maximos. Necessaria ergo officia sunt circa hæc, ut illa repetamus, circa rem divinam, &c.* & lib. 7. cap. 8. Enumerans ea, quæ necessaria sunt in Civitate, seu Republica, ponit: *Quintum, ac primum circa rem divinam, cultum, quod vocant sacrificium.* Et in fine affert, in Civitate bene constituta, *necessarios esse Sacerdotes.* Intelligunt scilicet omnes, naturæ lumine dictante, cùm homines nullo alio exteriori obsequio absolutè recognoscant, & venerentur supremum Dei dominium, quàm sacrificio (nulli quippè creaturæ sacrificium, & ea, quæ ad illud peragendum requiruntur, nempè templa, altaria, sacerdotes, sed soli Deo, in communi omnium sensu convenunt; cætera autem, quæ Deo exhibentur, ut preces, adorationes, fustitus, & alia hujusmodi, etiam hominibus tribuuntur,) nullam esse, vel prorsùs inanem religionem illam, quæ hujusmodi supremi Divinæ Majestatis dominii protestatione careat, cujusmodi est Mahumetana, in qua non solùm sacrificii, sed ne Sacerdotis quidem, aut altaris nomen auditur.

Hoc verò de Christiana religione dici non potest, in qua non solùm sunt templa, altaria, & Sacerdotes peculiari ritu consecrati, & à cæteris etiam habitu ipso distincti, sed etiam sacrificium verum, & perfectissimum à Christo institutum. Neque enim verum est, illum non venisse cum sacrificio: imò hoc necessariò ei competebat, cùm esset Sacerdos, & Pontifex Maximus in æternum secundùm ordinem Melchisedech: ita enim vocat eum Deus in Psalm. 110. ut Mahumetani ipsi Doctores fatentur. Nullum verò aliud obtulit sacrificium, quàm semetipsum, offerendo se Deo in ara Crucis, ibique se per mortem quo-

dam-

Ammodo consumendo, ac destruendo pro æterna hominum salute: quemadmodum præclarissimè ostendit S. Paulus in Epist. ad Hebræos. Idem autem Sacrificium voluit quotidie offerri à Sacerdotibus in religione Christiana, sub speciebus, seu accidentibus, panis, & vini, in corpore, & sanguine suo, modo prorsus ineffabili, sed Deo non impossibili. Et quamvis in hoc sacrificio, quod quotidie à nobis offertur, non destruatur, seu immoletur Christus per mortem, sicut in Cruce: quia tamen id, quod à Sacerdotibus offertur, est illud ipsum verè, & realiter, quod oblatum fuit in Cruce, & habet eosdem effectus, & eamdem virtutem; ideò verè, & propriè sacrificium appellatur. Præterea destruuntur species panis, & vini, sub quibus est corpus & sanguis Christi, & censentur nomine ipsius corporis, & sanguinis, cujus utriusque quodammodo vices extrinsecùs gerunt. Sunt etiam hujus rei aliæ rationes, quas hic afferre necessarium non existimo. Porrò sacrificii hujus veritatem prædixit Malachias Propheta, cap. 1. ubi Deus ipse ita Judæorum sacerdotes alloquitur: *Non est mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum: & munus non suscipiam de manu vestra. Ab ortu enim Solis usque ad occasum, magnum est nomen meum in Gentibus, & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda.* Hoc autem Malachiæ vaticinium, omnino verificatur de sacrificio, quod offertur in Religione Christiana: hoc enim non potest esse purius, ac mundius, cùm sit corpus, & sanguis illius, qui in Sacris literis *Agnus Immaculatus* appellatur. Offertur verò & sacrificatur in omni loco ab ortu Solis usque ad occasum, etiam inter Mahumetanos, & Idololatras, à Sacerdotibus Christianis: neque solùm in omni loco, sed etiam in omni tempore: & nullum propè est momentum dici naturalis, qui continet horas viginti quatuor, in quo aliquo in loco sacrificium hoc non offeratur: itaut hoc solum, & unicum, verè dicendum sit, *juge Sacrificium*. Hujus altissimum, ac profundissimum mysterium, hic eo modo, quo fieri posset, Moslemis explicarem, si illius capaces eos esse crederem. Sed alibi sortè hoc præstabo, nempè cum ad explicandam, seu confutandam Suram 5. Alcorani devenero. In ea enim agitur de Mensa admirabili, quam Christus in festo Paschatis è Cœlo descendere fecit super Apostolos: in quo procul dubio ad arcanum sacrificii hujus mysterium alluditur, quamvis Mahumetus, ut plittacus, ibidem loquatur ex eo, quod à Christianis audierat: neque sciat, neque intelligat quid loquatur. Transeo jam ad alia.

CAPUT DECIMUM OCTAVUM.

Expenduntur quædam practicæ Alcorani sanctiones, quæ vel erroris, vel defectus notam merentur: ac primùm, de pœna talionis:

HActenùs ea Alcorani statuta discussimus, quæ laudabilia videbantur, & quorum praxi Mahumetani religionem suam Christiana perfectiorem esse jactabant: nempè purificationem, orationem, jejunium, & cætera superiùs recensita: & nihilominus evidenter ostendimus, in his ipsis tot superstitiones, absurda, & ineptias reperiri; ut cùm iis, quæ à Christianis in eadem genere fiunt, comparata, bases potiùs, & fulcra impietatis, quàm fundamenta, vel radices veræ religionis, aut virtutis sint appellanda.

Superest nunc, ut ea ex Alcorano ad trutinam libremus, quæ non solùm nihil continent, quod perfectionem ullam præseferat: sed notam quoque erroris, vel saltem defectus mereantur, præsertim si cùm sanctissimis, ac perfectissimis Euangelicæ legis præceptis componantur. Jam suprà in principio duo ex his adnotavi, quæ naturæ ipsius legi ac lumini repugnare ostendi. Hic nonnulla alia eisdem penè furiuris subjiciam (cæteris ad confutationem Alcorani reservatis) ex quibus manifestissimè pateat, Mahumetanos, ut in mala lege, ita in falsa religione versari.

Primum igitur sit, quod spectat ad pœnam Talionis, quam alii *contrapassum* appellant. De hac ita fanciturur Sura 2. البقرة *Vacca*, vers. 175.

يا ايها الذين امنوا كتب عليكم القصاص فى القتلى الحر بالحر والعبد بالعبد والانثى بالانثى فمن عفى له من اخيه شئ فاتباع بالمعروف واداء اليه باحسان ذلك تخفيف من ربكم ورحمة فمن اعتدا بعد ذلك فله عذاب اليم ولكم فى القصاص حيوة يا اولى الالباب لعلكم تتقون:

O qui credidistis: statuta est vobis pœna talionis pro occisis. Liber (occidatur) *pro libero, & servus pro servo, & fœmina pro fœmina. At verò cui condonatum fuerit à fratre suo aliquid*; (*infelicitato cum eo, quod ipsum est: & dissolutio illi cum beneficentia.* (Explicat Glolia Gelalis:) *Si homicidæ condonatum fuerit aliquid de pœna ob effusum sanguinem fratris sui, nempè hominis fidelis: potest tamen ille, qui condonavit, convenire homicidam coram judice, exigendo ab eo aliquam summam pecuniæ justam.* (*dummodo non condonaverit absolutè totam pœnam, tunc enim nihil poterit exigere:*) *homicida verò solvet illi hanc summam cum beneficentia, (id est quampriùm.) Ipsud est alleviatio à Domino vestro, & misericordia.* (Explicat eadem Glolia: *Deus in hac lege talionis utitur vobiscum facilitate, & benignitate, non cogens ad infligendam parem pœnam, vel ad solvendam multam: quemadmodum coegit Judæos ad pœnam talionis, & Christianos ad solvendam multam pro ea.*) *Porrò qui hostiliter egerit post hoc; procul dubio erit illi pœna dolorifica.* (Explicat Glolia: *Qui postquam condonavit injuriam, vel pœnam homicidæ, hostiliter egerit in illum, gravissimè punietur.*) *Et vobis in pœna talionis est vita, o prædicti prudentiæ; ut vos timeatis.* Nimirùm, juxta eandem Glossam; *Homines prudentes, dum sciunt, si alium occidant, se quoque occidendos esse ex vi talionis; cavent ac timent alios occidere; & ita conservant vitam suam.* Quod verò statuit Alcoranus occidendam esse fœminam pro fœmina, & servum pro servo; declaravit traditio, ut ait Gelaledd. etiam masculum occidi debere pro fœmina: In servis verò attendendam esse religionem, ne scilicet occidatur servus fidelis pro infideli, sive servo, sive libero.

De eadem pœna ita statuitur Sura 5. المايدة *Mensa*, vers. 40.

وكتبنا عليهم فيها ان النفس بالنفس

بالنفس والعين بالعين والانف بالانف والاذن بالاذن
والسن بالسن والجروح قصاص فمن تصدق به فهو
كفارة له ومن لم يحكم بما انزل الله فاولئك الظالمون

Et statuimus illis in eo (ideſt Judæis in Pentateucho,) *ut redderetur anima pro anima, & oculus pro oculo, & naſus pro naſo, & auris pro aure, & dens pro dente, & vulnera punirentur pœna talionis. Sed qui elecmoſynam dederit pro ea* (ideſt pecunia ſe redemerit ab ea pœna,) *hæc eris illi expiatio. Qui autem non judicaverit juxta id, quod revelavit Deus: hi erunt iniqui.* Vult igitur Mahumetus obſervari pœnam talionis Judæis impoſitam; dum pronunciat iniquos illos, qui non judicant juxta id, quod revelavit Deus. Sed capitur laqueo ſuo: nam Deus non revelavit, pœnam talionis redimi poſſe pecunia, imò oppoſitum prorsùs habetur ex verbis Pentateuchi: ergo Mahumetus eſt iniquus. Nihil dico, de appendice ſacta ab illo, *naſi, & auris*; quaſi divini præcepti defectum corrigere vellet: nam Deus hæc dno minimè poſuit in lege ſua; ſed Mahumetus ex Rabbinorum gloſſis deſumpſit, qui non ſolùm naſum, & aurem, ſed etiam mentulam iis, quæ Deus præſcripſit, addiderunt. Verùm his nugis relictis, ad rem noſtram veniamus.

Dico igitur, legem talionis latam quidem fuiſſe à Deo; ſed pertinere ad ea præcepta, quæ Deus ipſe apud Ezechielem, cap. 20. vocavit *non bona*, dicens de Iſraelitis: *Et ego dedi eis præcepta non bona, & judicia, in quibus non vivent.* Et talis etiam fuit lex repudii, & polygamiæ, & aliæ plures, (quamvis quædam ex his potiùs permiſſiones, vel diſſimulationes, quàm leges dicendæ ſint). Conveniunt enim omnes, vel ſaltem plerique Doctores non ſolùm Chriſtiani, ſed etiam Hebræi, & inter alios Hebræorum doctiſſimus R. Moyſes filius Maimonis, præcepta pleraque ceremonialia, ad quæ reducuntur etiam judiciaria, tradita fuiſſe à Deo non ex primaria intentione, neque ex motivo bonitatis ipſorum præceptorum: ſed in ordine ad aliud, quod primariò, & directè intendebat; velut is, qui utitur medio, in quo nihil eſt boni, vel appetibilis, niſi in ordine ad finem intentum per ſe verè appetibilem. Audiatur prædictus R. Moyſes (libentiùs enim utor auctoritate Hebræorum, quàm Chriſtianorum, quia hi minùs ſuſpecti ſunt Mahumetanis, quàm noſtri) in libro *Moreh Hanevochim* part. 3. cap. 32. dum loquitur de præceptis ceremonialibus & ſacrificiis, quæ anteà communia erant aliis nationibus, etiam Idololatris: *Reliquit itaque* (inquit) *Creator ſpecies illas culturæ, ſeu modos; tranſlulitque eos à cultu creaturæ ad cultum Creatoris; & à rebus phantaſticæ imaginationis, quæ non habebant veritatem, ad nomen ſuum: præceptique nobis offerre illa.* Et mox ſubdit: *Fallumque eſt per iſtam providentiam divinam, quod nomen idololatriæ deletum eſt in Judæis: & fundata eſt, & confirmata baſis maxima, & veræ in cordibus noſtris.* Deinde ita objicit ſibi ipſi: *Dices mihi: Quomodo erunt præcepta, & prohibitiones, & opera magna, & cum multa valdè diligentia tradita & conſummata; cùm cuncta, & ſingula non ſint intenta propter ſe, ſed propter rem aliam?* Atque ita reſpondet: *Ecce in ipſa lege dicitur huic materiæ ſimile, Exodi cap. 13. Et non deduxit eos Deus per viam terræ Philiſthiim, quæ propè eſt. Ait enim Deus: Ne forte pœniteat populum, cùm viderit bellum ſibi imminere, & revertatur in Ægyptum. Et circumduxit Deus populum per viam deſerti, & maris rubri. Sicut igitur circumduxit eos, & deviavit à via recta, & compendioſa, cujus rei principalis intentio fuit, vitare illud, cujus tolerantia non erat corporibus eorum poſſibilis ſecundùm naturam, ideſt conſtanter adverſa pati, & reſiſtere adverſariis: & ideò duxit eos per aliam viam, ut impleretur principalis ejus intentio: ſic utique dedit nobis præcepta iſta, quæ memoravimus, ad vitandum illud, cujus ſuſceptio non erat poſſibilis ſecundùm naturam animabus noſtris, ut perficeretur principalis intentio, quæ ſanè erat notitia Creatoris, & elongatio ab idololatria.* Deinde reſpondet objectioni: Cur Deus, cùm poſſet ſine iſtis præceptis habere intentum principale, efficiendo, ut Hebræi non timerent Philiſtæos; vel, ut homines ipſum colerent, & amarent ſine præceptis promiſſionum, & minarum, id non fecerit: reſpondet, inquam, Deum nolle facere miracula in natura univerſali; ſed relinquere homini liberum arbitrium ad benè, vel malè operandum.

Hæc doctrina Magiſtri Hebræorum veriſſima eſt (quamvis non probem, Deum reliquiſſe, ac retinuiſſe ceremonias, ac ſacrificia pro Judæis, quæ anteà communia erant gentibus etiam idololatris). Nam, ut omittamus exemplum ab ipſo allatum, de itinere filiorum Iſrael ab Ægypto in terram Chanaan; eſt luculentiſſimum exemplum in lib. 1. Reg. c. 8. ubi, cùm Iſraelitæ poſtulaſſent Regem à Samuele, qui eos tamquam pater gubernabat; & de hoc conquereretur Samuel cum Deo; dixit illi Deus: *Audi vocem populi in omnibus, quæ loquuntur tibi: non enim te abjecerunt, ſed me, ne regnem ſuper eos.* Et paulò poſt repetit præceptum, dicens: *Audi vocem eorum, & conſtitue ſuper eos Regem.* Hic manifeſtè cernitur Deus dare præceptum Samueli de ea re, quam ipſe per ſe, & ex primaria intentione non probabat, imò improbabat, quia ei diſplicebat. Atqui ideò dedit, quia intentio ejus primaria erat, per hoc vel caſtigare populum ingratum, vel liberare Samuelem à violentia illius, vel aliquod aliud, quod eſſet per ſe bonum. Nam proprium Dei eſt, etiam ex malis bonum aliquod retrahere.

Placuit hæc aliquantò ſuſiùs diſſerere, non ſolùm propter legem talionis, ſed etiam propter alia ejuſdem generis ſtatuta à Mahumeto in Alcorano ſub umbra auctoritatis Pentateuchi; atque ut hinc magis appareat, quàm juſtè ac rationabiliter hujuſmodi præcepta ceremonialia ac judiciaria ſublata ſint à Chriſto, utpote nullam per ſe bonitatem, vel utilitatem habentia, niſi quatenùs erant figuræ legis gratiæ, nec data à Deo ex primaria intentione, ſed in ordine ad aliud, quod primariò intendebat. Hoc verò cùm habuerit effectum per legem Evangelicam, ſupervacanea jam ſunt illa, per quæ intendebatur.

Ut igitur ad propoſitum redeam, dico, legem talionis latam quidem fuiſſe à Deo in Pentateucho, Exodi cap. 21. Levit. cap. 24. Deuteron. cap. 19. Verùm non ex primaria intentione, & tamquam per ſe bonam: ſed ad terrorem populo illi rudi & duræ cervicis ineutiendum: qui alioqui ſine hoc terrore facilimè in ea delicta præceps ruiſſet. Id patet ex verbis ipſis legis, Deuteron. cap. 19. *Ut audientes cæteri, timorem habeant; & nequaquam talia audeant facere.*

Cæterùm, veriſſimam eſſe puto gloſam R. Salomonis,

Digitized by Google

nis, & aliorum Hebræorum ſapientiorum: nempè, Deum non intendiſſe per hanc legem, exactam illam, ac rigidam, & quodammodo mathematicam compenſationem, quam verba ſonant: nimirùm, ut oculus, vel dens erueretur; vel manus, aut pes abſciderentur, vel par vulnus infligeretur illi, qui alium in his iſſdem læſiſſet: ſed ſolùm ſignificare voluiſſe (& id in praxi ſervatum fuiſſe) taxandum eſſe à judicibus, quantum damnum, quantaque injuria eſſet excuſſio oculi, v. g. reſpectu perſonæ, cui excuſſus fuerat, ac tantum pecuniæ illi ſolvendum. Joſephus verò cognomento Flavius, qui item fuit inter Hebræos ſapientiſſimus, affirmat, inſpiciendam fuiſſe voluntatem ejus, qui paſſus fuerat: & ſi hic voluiſſet, ut adverſarii oculus erueretur, eruendum, ſi pecuniam maluiſſet, pecuniam ſecundùm æſtimationem judicum exſolvendam. Verùm cùm in Sacris literis non inveniamus exempla (quantum videre potui) hujus rigidæ compenſationis, ne in homicidio quidem; verior R. Salomonis ſententia exiſtimanda eſt.

Sed quidquid ſit: ſi in hoc præcepto verè Deus rigidam talionis pœnam intendit: dicendum eſt cum Majemonide, hanc Dei intentionem fuiſſe ſecundariam, nec tamen per eam hanc legem approbaſſe tamquam per ſe bonam. Quamobrem doctiſſimus Philoſophus ac Theologus Alphonſus Toſtatus Hiſpanus Epiſcopus Abulenſis, in cap. 5. Matth. quæſt. 323. ſcribit: *Dato, quòd non eſſet ſimpliciter juſta talionis pœna: tamen Judæis, qui adhuc erant rudes circa legislationem, juſta videbatur. Et hoc ſufficiebat ad hoc, quòd Deus talem legem imponeret. Nam in omnibus aliis legibus, non obſervavit Deus quod ſimpliciter erat juſtum, ſed id, quod conveniebat Judæis, & videbatur eis rectum. Omnibus autem viris rudibus videtur valdè juſtum contrapaſſum, ſive talio: idcò conveniebat Judæis talis lex.* In hoc autem vir doctiſſimus cum R. Moyſe conſentit, quamvis ex diverſa ratione, quæ, ut ingenuè fatear, mihi non placet, quamvis ſententia ipſa non diſpliceat, imò maximè arrideat: nempè talionis pœnam poſſe in ſe ſicùt non bonam, ita non juſtam cenſeri: quamvis neque malam, neque injuſtam appellari. Hæc autem ſententia evidenter probatur.

Primò, quia lex illa, quæ non conformatur cum prima regula, quæ eſt infallibilis, non poteſt eſſe bona. Sed Deus, qui eſt prima regula, & infallibilis, nunquam punit reos ad menſuram culpæ, ſed ſemper exigit pœnas ab eis citra condignum: ergo lex talionis non poterit eſſe bona.

Secundò: quia etiamſi hujuſmodi lex fuerit ab aliquibus nationibus admiſſa, ſemper tamen, vel tacitè, vel expreſsè, appoſita fuit conditio, ut talionis pœna poſſet per pecuniam, vel aliud compenſari, ſi pars læſa contenta fuiſſet: vel ſaltem talis fuit apud omnes praxis hujus legis. In duodecim tabulis legum Romanarum ita ſanciebatur: *Si membrum ruptſit, ni cum eo pacit, talio eſto*: nimirùm, ſi is, cui membrum ruptum fuerat, cum eo qui ruperat, de pecunia pro compenſatione non paciceretur, in eum pœna talionis exerceretur. Hebræi, ut jam vidimus, per nummarium ſatisfactionem talionem remittebant. Athenienſes (ut refert Gullielmus Poſtellus, cap. de Magiſtr. Athenien.) hac ratione talionem exorcebant. Conjecto reo in vincula, ſi de cæde ageretur, per præcones vocabantur interfecti hominis neceſſarii, domeſtici, parentes, amici, quorum arbitrio de pœna ſtatuebatur, ferebaturque ſententia ſecundùm damni accepti rationem. Itaque ſatis erat damnum pecunia compenſare.

Subdit Auctor, hunc morem eſſe hodie Turcis in uſu: pro voluntate enim partis læſæ, vel infertur rigoroſè reo pœna talionis, vel pecunia compenſatur ab eodem reo. Æſtimant autem hominem ſolidum ſexaginta aſprorum millibus; nempè mille ac ducentis aureis nummis noſtris. Hæc ſumma compenſat mortis damnum. Dimidium ſolvitur pro dimidio homine. Dimidius autem homo cenſetur, cui pes, manus, oculus, aut præcipuæ partis uſus deceſſ. Denique hæc pœna in civilibus Chriſtianorum legibus, quemadmodùm Juſtinianus pronunciat, abſit prope in deſuetudinem, itaut in toto jure civili vix ulla talionis veſtigia appareant.

Tertiò, quia lex talionis à viris ſapientioribus improbatur. Ariſtoteles lib. 5. Moral. Nicomachiorum, cap. 5. ita ſcribit: *Videtur autem nonnullis & retaliatio abſolutè, & ſimpliciter jus ipſum eſſe, quemadmodùm Pythagorei dicebant: jus enim abſolutè eſſe retaliationem definiebant. Verùm retaliatio neque ad diſtributivum jus, neque ad emendativum accommodatur. Volunt tamen ipſi, Rhadamanti quoque jus hoc dicere:*

Si contrapaſſus fuerit, quod fecerit idem;

Judicium planè rectum, vindictaque fiet.

Sæpè numero enim diſſidet: ut ſi magiſtratum quis gerens percuſſerit, repercutiendus non eſt. Si autem magiſtratum gerentem quis percuſſerit, non ſolùm eſt percutiendus; ſed ſupplicio inſuper afficiendus. Adde quòd ſpontenæ, an inviti fecerimus, multum refert. Hactenus Princeps Philoſophorum, qui prudenter notat, Pythagoreos ſententiæ ſuæ pro retaliatione aſſerendæ, nullum alium Auctorem habuiſſe, quàm Rhadamantum judicem Inferorum. Aulus Gellius lib. 20. Noct. Actic. c. 1. introducit Favorinum Philoſophum diſceptantem cum Sexto Cæcilio Juriſconſulto contra talionem, in lege duodecim Tabularum poſitam: hoc modo: *Nonnulla autem in iſtis legibus nec conſiſtere quidem, ſicut dixi, viſa ſunt; velut illa lex talionis. Prater enim ulciſcendi acerbitatem, ne procedere quidem executio juſtæ talionis poteſt. Nam cui membrum ab alio ruptum eſt; ſi ipſi itidem rumpere per talionem velit: quæro, an efficere poſſit rumpendi pariter membri æquilibrium: in qua re primùm ea difficultas eſt inexplicabilis.* Refert alia abſurda, & propè impoſſibilia, quæ ſecum fert lex talionis. Ne verò inter extraneos, & Ethnicos Auctores, Chriſtianos prætermittam, referam hic, quæ de talione ſcribit ſuprà laudatus Alphonſus Toſtatus in cap. 5. Matth. q. 323. in hæc verba: *Dicendum, quòd non eſt contrapaſſum ſimpliciter juſtum, ideſt ſemper juſtum quantum ad omnes caſus, & quantum ad omnes perſonas; licet contingat eſſe aliquando juſtum.* Et aliquibus interpoſitis ſubdit: *Ratio eſt, quia in juſtitia diſtributiva queritur medium vel æqualitas non rei, ſed rationis, vel dignitatis, ut dicitur 5. Ethicorum. Et idcò ibi queritur æqualitas geometrica, & non arithmetica: ſciliet æqualitas proportionis, quæ eſt geometrica; & non æqualitas quantitatis, quæ eſt arithmetica. Sed contrapaſſum dicit æqualitatem arithmeticam, quæ eſt æqualitas rei, & non proportionis, vel dignitatis. Idcò rariſſimum eſt, quòd in juſtitia diſtributiva conveniat contrapaſſum. De juſtitia autem commutativa dicendum eſt, quòd contrapaſſum magis applicatur ad eam, quàm ad diſtributivam; & tamen non convenit ſemper contrapaſſum in commutativa, ut patet in exemplo de Rege percutiente ruſticum, & repercuſſo ab eodem.* Tandem concludit, tunc ſolùm talionem, ſeu con-

contrapassum fore justum, quando in personis, meritis, damno, injuria, & ipsa percussione, seu læsione erit omnimoda æqualitas. Hoc autem moraliter impossibile videtur.

Postremò Christus supremus legislator legem talionis nullo modo in Euangelio suo ratam esse voluit; imò aliam legem prorsus contrariam illi apposuit, verbis illis apud Matth. cap. 5. *Audistis, quia dictum est: Oculum pro oculo, & dentem pro dente. Ego autem dico vobis, non resistere malo: sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram*. Per quæ non intendit prohibere, ne hominum delicta publica auctoritate pro justitiæ debito puniantur: sed tantùm appetitum vindictæ, & multò magis vindictam privatam damnare: & id, quod perfectius est, asseclis suis, suadere. Cæterùm talionis legem minimè probavit.

Respondebunt Moslemi, Mahumetum, quamvis talionem admiserit, ejus tamen rigorem temperasse, concedendo, ut is, cui membrum aliquod abscissum fuisset, vel cognati & domestici ejus possent, si ita vellent, pecunia compensari; vel etiam injuriam, vel damnum condonare.

Verùm non sequitur ex hoc, ut talionis legem non probaverit in suo Alcorano. Quòd verò liberum reliquerit parti læsæ, injuriam, vel damnum condonare, vel pecuniam ejus vice accipere, videtur majorem fomitem præbere appetitui vindictæ, quàm si libertatem illam non reliquisset. Jam enim videtur, non judex, sed pars læsa contra lædentem sententiam ferre, si velit in eo pœnam talionis rigidè exerceri. Pauci verò reperientur, qui id non velint, cùm vindictæ appetitus sit in hominibus, præsertim Turcis, & aliis Mahumetanis, innatus. Illa verò æstimatio integri vel dimidii hominis per pecuniam, quæ in causa talionis fieri dicitur in tribunalibus Mahumetanorum, videtur res prorsus ridicula, & quæ (ut Sapientes loquuntur) petat principium. Non enim homines ex mole corporis æstimandi sunt: sed attendenda est in illis dignitas, nobilitas, utilitas Reipublicæ, doctrina, & alia hujusmodi; quæ cùm non sint in omnibus æqualia, imò in aliquibus omnia hæc desint; absurdissimum erit assignare pretium ducentorum, vel plurium aureorum universaliter pro unoquoque homine. Si verò pretium non ex corpore, sed ex qualitatibus hominis taxandum sit, amplissima porta patebit non solùm iis, qui damnum, vel injuriam passi sunt, sed etiam judicibus ad magnam pecuniarum vim diripiendam: præsertim cùm Mahumetanorum Tribunalia furandi occasiones avidissimè aucupentur.

Ex hactenùs dictis patet, quanta sit Euangelicæ legis excellentia supra legem Alcoranicam, cùm illa nihil contineat, quod justum, bonum, ac perfectum non sit: hæc verò ea etiam, quæ neque bona, neque justa, & multò minus perfecta sunt, admittat.

CAPUT DECIMUM NONUM.

De Juramento.

QUÆ de juramento sancit Mahumetus in Alcorano, si benè perpendantur, nullo modo possunt ab erroris nota salvari:

Primò, in Sura 2. jam allegata, vers. 225. & seqq. ita suos alloquitur: ولا تجعلوا الله عرضة لايمانكم ان تبرّوا وتتّقوا وتصلحوا بين الناس والله سميع عليم: لا يواخذكم الله باللغو فى ايمانكم ولكن يواخذكم بما كسبت قلوبكم والله غفور حليم: للذين يؤلون من نسائهم تربص اربعة اشهر فان فاؤا فان الله غفور رحيم: وان عزموا الطلاق فان الله سميع عليم:

Et ne ponatis Deum scopum juramentis vestris, quod justè agetis, & pii eritis, & concordiam ponetis inter homines: nam Deus erit audiens, sciens. Non puniet vos Deus ob dictum inconsideratum in juramentis vestris: sed puniet vos ob id, quod approbaverint corda vestra, & Deus est indultor, mansuetus. Illis, qui juraverint, (se non habituros esse rem cum aliqua) *ex uxoribus suis*, (conceditur) *expectatio quatuor mensium. Quòd si resilierint* (intra id tempus, vel post illud à juramento, & habuerint rem cum illis:) *utique Deus erit indultor, misericors. Quòd si decreverint repudium: utique Deus erit auditor, scitor.*

Prohibet primò Mahumetus suis, ne faciant Deum عرضة *scopum*, seu نصبًا *signum in quod sagittæ conjiciuntur* (nam ita Gelaledd. interpretatur) juramentorum suorum: ne scilicet multiplicent juramenta per eum: ita enim explicat Gelaledd. cum Zamchascerio بان تكثروا الحلف به: *itaut multiplicetis juramentum per eum*. Deinde vetat, ne hæc juramentorum multiplicatio fiat jurando, se justè acturos, & pios futuros, & concordiam inter homines posituros. Tertiò, Deum non puniturum homines ob juramentum inconsideratum: nimirùm ut explicat Gelaleddinus, ما يسبق اليه اللسان غير قصد الحلف نحو لا والله بلى والله فلا اثم فيه ولا كفارة:

Quod prævenit lingua sine interna intentione jurandi: ut cùm aliquis dicit: Non per Deum: Ita per Deum. Neque in hoc est ullum peccatum, nec requiritur ulla expiatio: sed ob illud, quod fit cum assensu interno. Quartò, illis, qui juraverunt, se non congressuros cum aliqua uxorum suarum, concedit posse intra spatium quatuor mensium, vel etiam illis elapsis, resilire à juramento, & rem habere cum illa, donec repudiet eam, & id absque ulla culpa: hoc enim sonant verba illa: *Deus erit indultor, misericors*.

Antequam prædictas Alcorani sanctiones examini exponam, advertendum moneo, verba illa ان تبرّوا, *quod justè agetis, &c.* exponi à Gelaledd. Jahia, & nonnullis aliis in sensu negativo ان لا تبرّوا *quod non justè agetis, &c.* & subdit Gelaledd. فيكره اليمين على ذلك ويسنّ فيه الحنث ويامر بخلافها على فعل البرّ ونحوه فهي طاعته

Et

Et improbat juramentum super hoc; & decernit hoc esse perjurium, & præcipit oppositum ejus, nempè facere quod juratum est, & alia similia. Hæc enim spectant ad obedientiam ejus. Jubias refert ex Alhasano, hujusmodi juramenta impia de non faciendis rebus justis, & à Deo præceptis, consueta fuisse Meccanis idololatris. At verò Zamchascerius exponit eadem verba affirmativè, ut re vera exponenda sunt. Vult nihilominùs, Mahumetum juramenta hujusmodi vetuisse

على الاولى ان الرجل كان يحلف على بعض الخيرات من صلة رحم او لصلاح ذات بين الناس او احسان الى احد او عبادة ثم يقول اخاف الله ان احنث فى يمينى فيتركه المرّ ارادة البرّ فى يمينه فقيل لهم لا تجعلوا الله عرضة لايمانكم اى جاعلوا الحلف عليه:

primis illis (qui eum sequuti sunt.) *Nam quispiam ex eis jurabat, se facturum aliqua bona spectantia ad misericordiam, seu pacem componendam inter homines, seu beneficentiam erga aliquem, seu actum pietatis erga Deum. Deinde dicebat: Timeo Deum, ne pejerarem in juramento meo. Idèò omittebat id quod justum erat, ob desiderium justitiæ in suo juramento. Unde dictum fuit illis: Ne ponatis Deum scopum juramentorum vestrorum: videlicet, diremptorem eorum, quæ jurastis.* Videtur improbare abusum eorum, qui cùm jurassent, se aliquid boni facturos; suspicantes deinde aliquid melius esse illo, iterùm jurabant, se illud aliud facturos: cùm secundum hoc juramentum non sit necessarium. Refert Zamchascerius in hanc rem dictum Mahumeti: قال النبىّ من لعبد الرحمن بن سمرة اذا حلفت على يمين فرأيت غيرها خيراً منها فأت الذى هو خير وكفّر عن يمينك اى على شىء مما تحلف عليه:

Dixit Prophetæ Mahumetus Abdal-Rahmano filio Samaræ: Cùm juraveris te facturum aliquid, & deinde cognoveris, esse aliud melius illo; fac id, quod est melius, & libera te ab eo, quod anteà te facturum juraveras.

Cum his benignis explicationibus, verba Alcorani nullam videntur mereri censuram, sive in sensu affirmativo accipiantur, sive negativo. Cæterùm, cùm præcipit, non esse multiplicanda juramenta, quibus aliquis jurat, se non futurum justum, aut pium, &c. videtur ea probare, vel concedere, si semel, aut bis fiant: tunc enim non multiplicantur. Quemadmodum, cùm Deus in Deuteronomio cap. 17. sancit de Rege, *ne multiplicet sibi equos, neque uxores*, non prohibet, ne aliquot equos, & unam saltem uxorem habeat. Quòd si, *ponere Deum scopum juramentis*, juxta aliorum explicationem, intelligatur pro, *simpliciter per Deum jurare*: nullum erit malum, imò erit actus religionis, jurare se justè pièque acturum (accipiendo juxta Zamchascerium verba Alcorani affirmativè) vel beneficum in alios futurum.

Objicient nobis in hoc Mahumetani doctrinam Christi in Euangelio Matth. cap. 5. ubi loquens cum Discipulis suis, dixit eis: *Audistis quia dictum est antiquis: Non perjurabis: reddes autem Domino juramenta tua. Ego autem dico vobis, non jurare omninò. Sit autem sermo vester: Est, est: Non, non... Quod autem his abundatius est, à malo est.*

Respondeo, non intendisse Christum per hæc verba damnare juramentum tamquam illicitum, quando est necessarium, & fit cum debitis circumstantiis: hæc enim esset hæresis: sed auferre à suis affectis, præsertim qui perfectiorem vitam erant professuri, cujusmodi erant Apostoli, pravam consuetudinem jurandi, quæ tunc in populo Judaico vigebat, vocando scilicet Deum, vel aliquid ad Deum peculiariter spectans, in testem pro rebus etiam levibus ac frivolis. Cæterùm non est negandum, juramentum non solùm ad perfectionem non pertinere, sed præterea imperfectionem etiam aliquam dicere; non quod malum sit, Deum in testem vocare, sed quòd ab hominibus non vocetur, nisi ex mala causa, nempè ex eo quòd alii de aliorum veracitate, & fide suspicentur. Quòd si omnes probi essent ac veraces, quemadmodum fuissent in statu innocentiæ, & erunt in Cœlo: superfluum esset omne juramentum. Volebat igitur Christus sectatores suos ita sinceros esse, & veridicos, ut nullus ab alio fraudem, vel dolum suspicaretur. Et ut alius alii fidem haberet, satis esse: *est, est: non, non*: idest simplicem affirmationem, vel negationem. Propterea addidit: *Quod autem his abundantius est, à malo est*: idest ab infidelitate, & fraudolentia, quas alii in aliis experiuntur, vel suspicantur. Porrò si hoc idem intendit Mahumetus, cùm prohibuit suis affectis etiam pro rebus pus ac justis juramentum; laudandus est, non damnandus. Ex aliis tamen constat, nullo modo talem in eo mentem fuisse.

Secundò; eximit Mahumetus ab omni culpa & pœna, juramenta temerè, præcipitanter, & inconsideratè prolata, quamtumvis falsa sint, dummodo non sit in iis plenus assensus voluntatis: hoc enim significant verba illa ما كسبت قلوبكم *quod lucrata fuerint*, vel, *acquisierint corda vestra*. Verùm cùm hoc sit, ut minimum, nomen Dei in vanum assumere: repugnat dictum Mahumeti legi Dei, Exodi cap. 20. *Nec enim habebit insontem Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui in vanum*. Porrò inconsideratio & præcipitatio in jurejurando, non excusat prorsus à culpa, & consequenter neque à pœna. Unusquisque enim tenetur cautus esse tàm in dictis, quàm in factis, ne quid agat, aut dicat temerè, & contra rationem, præsertim verò, ubi agitur de juramento. Addo, ex verbis Alcorani etiam deduci, juramentum falsum, ore tantùm prolatum voluntariè, nullum esse peccatum, dummodo non concurrat assensus voluntatis, itaut interius non intendat verè jurare; sed tantùm, id quod falsum est, aliis ut verum persuadere. Nam dictio اللغو est id quod verbis profertur sine mentis assensu.

Tertiò: concedit Mahumetus illi, qui juraverit, se non habiturum rem cum uxore sua, posse frangere juramentum intra spatium quatuor mensium, atque etiam post illud, donec uxorem repudiet. Hoc verò videtur esse prorsus contra rationem. Nam vel fuit juramentum illud justum, vel injustum. Si justum;

Digitized by Google

ſtum; cogi debet ad illud ſervandum. Si injuſtum; debet juramentum illud prorſus irritari. Eſt verò contra omnem rationem, ut legislator concedat alicui juramentum juſtum violare, quandocumque voluerit. Et quidem Mahumetus id concedit ſuis in Sura 66. quæ inſcribitur التحريم *Probibitio*, v. 2. his verbis: قد فرض الله تحلة ايمانكم والله مولیکم وهو العلیم الحکیم:

Jam ſanxit Deus vobis diſſolutionem juramentorum veſtrorum: & Deus eſt Dominus veſter: & ipſe eſt ſciens, ſapiens. Hanc tàm amplam ac benignam licentiam indulſit ſuis ex occaſione, quam refert Jahias, cui alii Expoſitores conſentiunt; his verbis: ان حفصة زارت ابیها فرجعت فوجدت رسول الله مع مارية ام ابراهیم فی البیت فلما خرجت مارية دخلت حفصه علی رسول الله فقالت لها انی قد رایتُ من کان معک فی البیت فقال والله لاضیقنّک والله لا الیما ابدًا فلا تخبری بهذا احدا فاطلقت حفصة الی عایشة فاخبرتها:

Profecta fuerat Haphſa (uxor Mahumeti) *ad viſitandum patrem ſuum: & reverſa invenit Legatum Dei cum Maria matre Ebrahimi* (ancilla ejus) *in domo ſua. Egreſſa autem Maria, intravit Haphſa ad Legatum Dei; & dixit: Nonne ego vidi, quænam eſſet tecum in domo mea? Cui Legatus Dei dixit: Per Deum juro, me complaciturum tibi. Per Deum juro, me nunquam in poſterum concubiturum cum ea. Quæſo te, ne hoc ulli manifeſtes. Sed Haphſa pergens ad Aiſam* (uxorem aliam Mahumeti,) *retulit ei hoc totum.* Addit Zamchaſcerius: propter hoc Mahumetum repudiaſſe Haphſam, & ſeparaſſe ſe ab uxoribus ſuis, & per menſem in domo Mariæ commoratum fuiſſe. (Addunt quidam, ut rem magis gratam faceret Haphſæ, & cæteris uxoribus ſuis, legem promulgaſſe, qua vetabat, ne quis cum ancillis ultra rem haberet). Sed deſcendiſſe Gabrielem, & præcepiſſe Mahumeto, ut Haphſam ad ſe reduceret. Cùm verò Mahumeto nimis arduum eſſet à Mariæ commercio abſtinere, quemadmodum juraverat ſe facturum, finxit apparuiſſe ſibi Deum, atque ſe à juramento abſolviſſe: inſuper arguiſſe, quòd ea prohiberet, quæ Deus conceſſerat; ut placeret Haphſæ, & aliis uxoribus ſuis. Et prætereà declaraſſe ſibi, poſſe Moslemos per ſe diſſolvere juramenta ſua. Ita igitur, Deum ſibi in Sura jam allegata dicentem introducit: يا ايها النبی لِمَ تحرّم ما احلّ الله لک تبتغی مرضات ازواجک والله غفور رحیم: قد فرض الله لکم تحلة ایمانکم والله مولیکم وهو العلیم الحکیم:

O Propheta: quare prohibes id, quod Deus conceſſit tibi, ob deſiderium complacendi uxoribus tuis. Sed Deus eſt indultor & miſericors (ideſt ignoſcit tibi, & condonat hoc peccatum.) *Jam Deus ſanxit, poſſe à vobis diſſolvi juramenta veſtra: nam ipſe eſt dominus veſter: & ipſe eſt ſciens, ſapiens.*

Non mirum, ſi Mahumetus, cùm impotens eſſet ad frænandam libidinem ſuam, victus muliebribus delitiis, non ſolùm ſeſe à juramento abſolverit, ſed ſuis etiam aſſeclis, juramenti ſolvendi ampliſſimam facultatem conceſſerit. Erubeſcebat ſcilicet, ſi ſolus perjurus fuiſſet: quamobrem voluit in perjurio ſuo ſocios multos habere. Neque excuſat illum, quòd Doctores Moslemi velint, ita ab eo hanc facultatem ſolvendi ſe à juramento conceſſam, ut qui ſe abſolvere vellet, obnoxius eſſet quibuſdam pœnis, quas Sura 5. quæ المائدة *Menſa*, inſcribitur, præcripſit, verſ. 95. ubi repetens nonnulla ex iis, quæ in Sura 2. dixerat, hæc habet: لا یؤاخذکم الله باللغو ایمانکم ولکن یؤاخذکم بما عقدتم الایمان فکفارته اطعام عشرة مساکین من اوسط ما تطعمون اهلیکم او کسوتهم او تحریر رقبة فمن لم یجد فصیام ثلثة ایام ذلک کفارة ایمانکم اذا حلفتم واحفظوا ایمانکم:

Non puniet vos Deus ob dictum temerè prolatum in juramentis veſtris (ideſt quod falſum aliquid inconſideratè ac temerè juraveritis) *ſed puniet vos propter id, ſupra quod obſtrinxeritis juramenta* (ideſt quod cum intentione ac deliberatione juraveritis.) *Itaque expiatio ejus* (ideſt perjurii, vel potiùs violati juramenti) *erit cibare decem pauperes ex mediocri alimento, quo cibatis familias veſtras: vel veſtire eos: vel redimere captivum. Qui autem hæc præſtare non potuerit, jejunet tres dies. Hæc eſt expiatio juramentorum veſtrorum, cùm juraveritis:* (addit Gelaleddinus explicationis gratia: *& juramentum violaveritis.*) *Et obſervate juramenta veſtra.* Per hæc verba, credunt Moslemi, (& docet Alcoranus ipſe, ut vidimus) liberum eſſe ſibi juramenta quælibet violare, & (ut manifeſtè ex verbis ipſis colligitur) falſum jurare, cum hoc, quòd ex communi, tenuique victu prandium exhibeant decem pauperibus; vel eos veſtiant; vel captivum redimant; vel tres dies jejunent. In qua ſatisfactione, vel expiatione, manifeſtè apparet Mahumeti oſcitantia ob magnam compenſationem diſparitatem: nam ad decem pauperes mediocriter ſemel cibandos, decem nummi julii ſuperflui ſunt: ad veſtiendos verò, ne centum quidem ſufficient. Ad redimendum autem captivum, ut minimum, triginta, vel quadraginta aurei requirentur. At verò jejunium trium dierum more Mahumetanico, præſertim extra tempus æſtivum; nullo modo pro pœna, vel ſatisfactione reputandum eſt. Verùm quidquid ſit de hujuſmodi pœnis, vel ſatisfactionibus, nullo modo probari poteſt, imò rationi, naturæque repugnat, quòd liberum ſit cuique vel pejerare, vel falſum juramenta violare per compenſationem quamcumque leviſſimam, vel non adeò gravem, qualem præſcribit Alcoranus: præſertim ſi juramenti violatio vergat in alterius damnum, vel injuriam. Sed poterat tuta conſcientia Mahumetus hujuſmodi de juramento leges illis præſcribere, qui, ut omnes, qui inter eos verſati ſunt, fatentur, fidem nullam norunt, nulla juramenta obſervant: quin omnia hæc pro viliſſimo pretio venum exponunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VIGESIMUM.

De Repudio.

JAM superiùs innui, Mahumetum in Alcorano concedere viris repudium uxorum suarum. Id præcipuè facit, Sura 2. البقرة *Vacca*, verſ. 229. ubi ita ſtatuit; الطلاق مرتان فامساك بمعروف او تسريح باحسان: فان طلقها فلا تحل من بعد حتى تنكح زوجا غيره فان طلقها فلا جناح عليهما ان يتراجعا ان ظنا ان يقيما حدود الله وتلك حدود الله يبينها لقوم يعلمون:

Repudium duabus vicibus conceditur: deinde vel retinendæ ſunt uxores, & juſtè cum eis agendum: vel dimittendæ humaniter ac benefiçè. Quòd ſi quis tertiò repudiet uxorem, non licebit ei ultra eam accipere, niſi nubat alteri viro: qui ſi eam repudiet, poterit primus vir illam ſine piaculo recipere, dummodo exiſtiment, ſe ſervare poſſe leges à Deo præſcriptas conjugatis, quas ipſe manifeſtabit hominibus doctis. Et in eadem Sura, verſ. 237. hæc addit:

لا جناح عليكم ان طلقتم النساء ما لم تمسوهن او تفرضوا لهن فريضة ومتعوهن على الموسع قدره وعلى المقتر قدره متاعا بالمعروف حقا على المحسنين: وان طلقتموهن من قبل ان تمسوهن وقد فرضتم لهن فريضة فنصف ما فرضتم الا ان يعفون او يعفو الذي بيده عقدة النكاح وان تعفوا اقرب للتقوى ولا تنسوا الفضل بينكم ان الله بما تعملون بصير:

Nullum erit vobis peccatum, ſi repudietis uxores, quas nondum tetigiſtis, neque dotem illis aſſignaſtis. Sed præbete eis ſubſidium aliquod ad uſum neceſſarium. Qui in hoc liberalis fuerit, largiùs à Deo remunerabitur: qui verò parcior, minus præmium recipiet (vel, ditior tribuat juxta ſtatum ſuum: pauper verò juxta ſuum, nulla habita ratione conditionis uxoris.) *Hoc ſubſidium honeſtum eſt, & conveniens beneficis. Quòd ſi repudietis eas, antequam eas tetigeritis, & jam aſſignaveritis illis dotem: relinquetis illis dimidium ejus, quod aſſignaveritis: niſi indulſerint* (conjuges aliquid ſibi invicem) *aut niſi indulſerit* (totum uxori) *ille, in cujus manu eſt nexus conjugii* (ideſt maritus, ſeu procurator). *Si autem aliquid indulſeritis: magis Deo placebitis. Et ne obliviſcamini liberalitatis inter vos: nam Deus id, quod operamini, intuetur.* Omitto alia, quæ de uxorum repudio ſtatuit Mahumetus in Alcorano, quia parum faciunt ad ſubſtantiam rei. Neque etiam aliquid dico de tertio illo repudio, poſt quod non poteſt maritus iterùm uxorem repudiatam recipere, niſi ſe alii viro ſubſternat; à quo ſi repudietur, poterit primus vir eum illa iterùm copulari. Nam de hoc jam ſuprà ſatis multa dicta ſunt. Unum tantùm hic probare contendo, nullo modo licuiſſe Mahumeto repudium concedere: ac propterea, Alcoranum legem malam, atque injuſtam continere.

Opponent nobis Mahumetani Pentateuchum: ſed nos Evangelium illis è converſo reponemus. Nam Chriſtus apud S. Matthæum, cap. 19. interrogatus à Phariſæis, utrum liceret homini dimittere uxorem ſuam quacumque ex cauſa: reſpondit: *Non legiſtis, quia qui fecit hominem ab initio, maſculum & fœminam fecit eos? Et dixit: Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una. Itaque jam non ſunt duo, ſed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Cùm autem objeciſſent illi Phariſæi mandatum Moyſi de libello repudii, quod habetur Deuter. cap. 24. reſpondit illis: *Moyſes ad duritiam cordis veſtri permiſit vobis dimittere uxores veſtras: ab initio autem non fuit ſic. Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam, niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.* Eadem ferè leguntur apud S. Marcum, cap. 10. Ex quibus manifeſtè conſtat, Chriſtum à lege ſua repudium prorſus rejeciſſe tamquam illicitum, ex tribus rationibus.

Prima continetur in illis verbis Matth. cap. 19. *Qui fecit hominem ab initio, maſculum, & fœminam fecit eos. Quòd ergo Deus conjunxit, homo non ſeparet.* Nimirùm Deus fuit primus auctor conjugii inter virum, & mulierem, quos eos ita univit, ut nulli liceat eos disjungere, ac ſeparare.

Secunda deducitur ſpecialiter ex verbis illis: *Propter hoc dimittet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori ſuæ, & erunt duo in carne una: itaque jam non ſunt duo, ſed una caro.* Quaſi ita Deus virum, ac fœminam per conjugium univerit, ut ex duobus unum quiddam tertium fecerit, in quo neutrum amplius in eſſe ſuo recognoſceretur. Hinc fortaſsè acceperunt Thalmudiſtæ anſam fingendi, Deum creaſſe primum hominem androgynum, nempè utroque ſexu præditum: itaut idem corpus maſculi ſimul & fœminæ officio fungeretur. Deinde verò ſecuiſſe per medium corpus illud, & unam partem in maſculum, alteram in fœminam ingenioſiùs aptaſſe, quò conjugale officium poſſent exercere. Videnda hæc in Thalmud in *Bereſcit Rabbâ*, *Paraſcià* 8. &c. Verùm fabulæ ſunt hæ, quibus tamen non dubito, Hebræos Doctores innuere voluiſſe veritatem, quæ in verbis Chriſti continetur, nempè virum & uxorem non eſſe duos, ſed unam earnem; ac propterea non licere, nec poſſe ullo modo ſeparari.

Tertia ratio continetur in verbis illis: *Ab initio autem non fuit ſic*: quæ apertè demonſtrant, repudii legem, vel uſum, in primis mundi ætatibus prorſus ignotam fuiſſe, nimirùm uſque ad egreſſum Iſraelitarum ex Ægypto, tranſactis jam pluſquam duobus millibus, & quadringentis annis à creatione Adam. Prima autem mundi ſæcula proculdubio naturæ legem meliùs norant, & ſervabant, quàm poſteriora. Deinde verò inter alias gentes, præter Hebræos, rariſſimum fuiſſe repudium legimus. Teſtis eſt Valerius Maximus Auctor Ethnicus, lib. 2. *Factorum, ac dictorum memorabilium*, cap. 1. *ab Urbe condita uſque ad vigeſimum & quingenteſimum annum, repudium*

nter uxorem, & virum, nullum interceſſiſſe. Trimus autem (ut ideem addit) *Spurius Carbilius uxorem ſterilitatis cauſa admiſit: qui, quamquam tolerabili ratione motus videbatur, reprehenſione tamen non caruit, quia ne cupiditatem quidem liberorum conjugali fidei præponi debuiſſe arbitrabantur.* Eruditiſſimi Mahumetani, & Hebræi ad hanc tantam Romanorum adhuc Ethnicorum moderationem, ac temperantiam. Et quidem ſanctiſſimi viri, quamvis uxores ſteriles haberent, nunquam tamen adduci potuere, ut repudii libellum iiſdem darent. Id manifeſtum eſt in Abraham reſpectu Saræ: in Iſaac reſpectu Rebeccæ: in Jacob reſpectu Rachelis: in Eleana reſpectu Annæ: in Zacharia reſpectu Eliſabeth, & aliis. Et quamvis Abraham domo ejecerit ancillam Hagar, non tamen per hoc eam repudiavit, ſed tantùm divortium fecit ab ea, ut Saræ complaceret. Imò Doctores Hebræi, & quidam etiam ex Chriſtianis, putant, Abraham poſt mortem Saræ illam revocaſſe, & eſſe eamdem cum illa, quæ Gen. cap. 25. appellatur *Cetura*. Sed alia proculdubio fuit Cetura ab Hagar.

Præter rationes à Chriſto allatas, ex aliis etiam convincitur, illicitum eſſe repudium.

Primò, quia eſt contra legem naturæ; quod licèt ſatis probetur ex ipſis Chriſti rationibus; ulteriùs tamen demonſtratur: quia maris ac fœminæ conjunctio eſt ex inſtituto naturæ: ut patet exemplo omnium animalium. Ergo eorumdem diſjunctio erit contra inſtitutum, legemque naturæ, præſertim in homine, qui non temerè & caſu, ut cætera animalia, ſed ex cognitione, & approbatione finis operatur: neque intendit conjugium vagum, ſed fixum, & cum certa fœmina determinatum.

Objicient Mahumetani; Id, quod eſt contra legem naturæ, nunquam licitum eſſe poteſt. At repudium in lege Moyſi licitum fuit, alioqui Deus illud nunquam permiſiſſet: non erit igitur contra legem naturæ.

Reſpondeo, quædam eſſe contra legem naturæ primarió, cujuſmodi ſunt, alteri facere, quod tibi non vis: vel nullum Deum agnoicere, aut colere. Quædam verò ſecundarió, cujuſmodi ſunt, uſura, polygamia, & repudium. Prima illa nunquam licita eſſe poſſunt, neque à Deo concedi. Hæc verò ſecunda, quamvis ex ſua natura illicita, poſſunt tamen à Deo ex juſtis cauſis ita concedi, vel potiùs permitti, aut diſſimulari, ut in illis faciendis homines à peccato excuſentur. Cautæ autem, quæ Deum ad repudium Hebræis permittendum moverint, innuuntur à Chriſto verbis illis: *Ad duritiam cordis veſtri loquutus eſt Moyſes.* Erant quippè homines duræ ceruicis, & incircumciſi corde: & ſi repudium illis negatum fuiſſet: vel uxores occidiſſent, vel in adulteria, & alia flagitia proruiſſent.

Dices; Deus non ſolùm Judæis repudium permiſit: ſed etiam præcepit; ut patet ex verbis Deuter. cap. 24. *Si acceperit homo uxorem, & habuerit eam..., & non invenerit gratiam ante oculos ejus propter aliquam fœditatem: ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Chriſtus etiam id confirmavit, cùm dixit Phariſæis interrogantibus cum circa uxorum repudium: *Quid vobis præcepit Moyſes?* Et mox: *ad duritiam cordis veſtri ſcripſit vobis præceptum iſtud.*

Reſpondeo: Nuſquam præceptum, vel mandatum cadere ſupra repudium; ſed ſupra libellum repudii, ut patet ex verbis Evangelii. Hic autem præcipiebatur ad favorem fœminæ repudiatæ, ne ampliùs poſſet à marito vexari, & ut libera eſſet ad alium virum accipiendum.

Objicient iterùm: Quod eſt contra legem naturæ, omnibus notum eſt, & ab omnibus gentibus naturaliter rejicitur. At verò repudium in multis, vel ſaltem aliquibus nationibus, ut bonum ac juſtum admittitur.

Reſpondemus, falſum eſſe, quòd omnia, quæ ſunt contra legem naturæ ſecundarió, ut diximus, ab omnibus ut illicita cognoſcantur, vel evitentur: cùm non pauci eredant, uſuram, vel ſimoniam (nempè æſtimare pretio temporali res ſacras) vel polygamiam, vel alia hujuſmodi, non ſolùm nullum eſſe peccatum, ſed omninò licita, & juſta exiſtiment. Fatemur tamen, hoc non evenire niſi in gentibus rudioribus, & hebetioribus, quales erant Hebræi. Nam cæteræ politiores, magiſque exculræ, facilè cognoſcunt, quæ quocumque modo naturæ legi opponantur, quamvis ea non ſemper evitare velint, aut curent. Cæterùm quamdiù hæc non cognoſcuntur ut mala, vel licita eſſe cenſentur, poſſunt ſine peccato fieri: atque ita plerique cenſent, Hebræos in uxoribus repudiandis non peccaſſe. Alii tamen oppoſitum ſentiunt: quia aliqua mala permittuntur à legibus civilibus, ad graviora mala evitanda, cujuſmodi ſunt uſura, & meretricium; nec tamen hinc ſequitur, ut qui vel uſuram exerceat, vel fornicantur cum meretricibus, non peccent. Eadem ratione volunt, Deum permiſiſſe Hebræis repudium, uſuram, & alia hujuſmodi, tantùm ne in peccata graviora prolaberentur, quamvis in his iiſdem à peccato non excuſarentur.

Videtur tamen contra nos facere, quòd Chriſtus ipſe repudium conceſſiſſe videatur ob foraicationem, ſeu adulterium uxoris, verbis illis: *Dico autem vobis, quia quicumque dimiſerit uxorem ſuam niſi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur: & qui dimiſſam duxerit, mœchatur.*

Verùm quando Chriſtus hæc pronunciavit, non loquebatur cum Phariſæis de repudio: ſed cum diſcipulis ſuis privatim domi de divortio, ſeu ſeparatione quoad thorum, non quoad matrimonium; ut patet ex Evangelio Marci, cap. 10 Hæc autem ſeparatio longiſſimè diſtat à repudio: ſemper enim in illa perſeverat vinculum matrimonii: propterea dixit Chriſtus, uxorem per divortium ſeparatam, non poſſe alii viro nubere, ſine ſcelere adulterii. Repudiata autem poterat proculdubio virum alium accipere. Ita ſemper hæc Chriſti verba intellexerunt, & obſervaverunt omnes Chriſtiani, contra nonnullorum Græcorum Schiſmaticorum errorem, à Catholicis Doctoribus, ac Magiſtris damnatum.

Secundò, illicitum cenſendum eſt repudium, quia eſt contra bonam educationem liberorum. Si enim filios conjuges procrearint; ſive vir cælebs remaneat, ſive aliam ducat uxorem; ſemper vergit in damnum filiorum, itaut vix unquam poſſint ea ſedulitate & charitate educari, quibus, parentibus inter ſe concordibus & conjunctis, educati fuiſſent; præſertim ſi pernicioſum patris exemplum ante oculos habeant, quod non poſſunt non habere.

Tertiò, eum matrimonium ſit juſtus contractus, quo ita vir tradit poteſtatem corporis ſui uxori, ſicut uxor ſui viro: itaut ex duobus corporibus, ſieut jam diximus, fiat una caro: nonnili iniquiſſimum cenſendum eſt, viro liberum eſſe hujuſmodi contractum reſcindere pro libito ſuo, & invita uxore, ſi uxor non habeat hanc eamdem libertatem. Neque per ullam

legem

Digitized by Google

legem vel divinam, vel humanam, subsistere potest hujusmodi contractus, vel potiùs illius fractio, ac violatio.

Postremò, hæc repudii libertas aperit viris amplissimam januam ad omnia scelera ac flagitia. Quoties enim alicujus fœminæ, sive nuptæ, sive innuptæ, amore capientur, ad repudium uxoris, quam habent, confugient, quò libidines suas possint explere. Nullum aliud in hoc exemplum adducere opus est, quàm ipsum Mahumetum. Habebat hic libertum quendam, nomine Zeidum filium Harethæ, quem adoptaverat in filium, & per hoc contraxerat cum eo cognationem legalem, quæ apud Arabes, sicut etiam apud nos, erat impedimentum dirimens matrimonium. Mahumeti erga hunc suum libertum caritas, illum adduxit, ut puellam valdè formosam, nomine Zeinebam (ideſt Zenobiam) filiam Giahſei, ei procuraret in sponsum, quamvis Mahumetus ipse erga eam tantam amoris propensionem ostenderet, ut pater, & frater puellæ, valdè suspicarentur, ne illam Zeido prærriperet, quod sanè ægerrimè tulissent. At non erat adeò malus Mahumetus. Ultrò eam Zeido concessit: sed mox incalescente bono Propheta (scilicet) in amore Zeinebæ, non potuit morbum suum dissimulare. Hoc innuit Gelaleddinus in Sura 36. الاحزاب

Conjurati, in qua factum totum continetur, his verbis:

فزوجها النبي لزيد ثم وقع بصره عليها بعد حين

فوقع في نفسه حبها وفي نفس زيد كراهتها ثم قال

النبي ازيد فراقها فقال لعماك عليك زوجك:

Dedit eam Mahumetus in conjugem Zeido, sed flatim deinde defixit oculos in eam (verùm, mi homo, multò antè defixerat,) *& incaluit in amore ejus. Zeidus verò* (nimirùm ut domino suo, cui tantum debebat, rem gratam faceret) *cepit alienum se offendere ab ea, dixitque se paratum esse ad eam repudiandam* (nempè ut eamdem liberam ipsi relinqueret.) *Sed Mahumetus dixit ei* (fictè ac simulatè): *Tene tibi uxorem tuam*. Verùm obsecrante Zeido, urbanitatis gratia, ut eam acciperet; absque ulla contradictione:

دخل عليها النبي بغير اذن واسمع للعلمين خبرًا

ولعمًا : *accepit eam & concubuit cum ea sine assensu* (nempè Zeidi, vel Giahſei) *& exhibuit Moslemis panem, & carnem usque ad satietatem*. Vix dici potest, quantum offenderit omnes hæc tanti Prophetæ intemperantia, tùm quia apertè agnoverant repudium Zeinebæ fuisse ab eo fraudolenter, & malis artibus procuratum (nulla quippe erat causa, cur Zeidus eam, quam impensè amabat, repudiaret): tùm quia uxorem filii adoptivi, etiamsi impedimentum dirimens legalis cognationis intercedceret, acceperat: & cum populi scandalo retinebat. Verùm homo æquè impudens ac vafer, ut libidines suas cohonestaret, fecit auctorem earum Deum: adeòque ipsum introducit in eadem Sura, versf. 38. ita secum loquentem:

وانك تقول للذي انعم الله عليه وانعمت عليه

امسك عليك زوجك واتق الله وتخفي في نفسك ما

الله مبديه وتخشى الناس والله احق ان تخشيه فلما

قضى زيد وطرًا زوجناكها لكي لا يكون على المؤمنين

حرج في ازواج ادعيائهم اذا قضوا منهن وطرًا وكان

امر الله مفعولا: ما كان على النبي من حرج فيما

فرض الله له سنة الله في الذين خلوا من قبل

وكان امر الله قدرًا مقدورًا.

Et memento, cùm dixisti illi, cui Deus beneficus fuerat, & tu etiam beneficia contuleras (ideſt Zeido:) *Habe tibi uxorem tuam* (Zeinebam:) *& time Deum. Tu autem abscondebas in animo tuo id, quod Deus erat manifestaturus* (nempè amorem tuum in Zeinebam, ut explicat Gelaleddinus;) *quia timebas homines* (ne obloquerentur de te, si illam à Zeido acciperes.) *Sed justius erat, ut timeres Deum* (& acciperes eam.) *Postquam verò Zeidus repudiavit eam, nos concessimus eam in uxorem tibi, ne ullum piaculum existimet fideles, si accipiant uxores adoptivorum suorum, dum ipsi separaverint se ab eis. Porrò faciendum est omninò id, quod jubet Deus. Nullum est in Propheta crimen, si faciat quod âimperavit sibi Deus; juxta id, quod præceptum fuit ab ipso Deo* (Prophetis) *præcedentibus: nam præceptum Dei justissimum est, & æquissimum*. Ne verò in posterum à gradu cognationis aliquo modo possent efrænatæ ipsius libidines impediri; mox finxit diploma quoddam, seu privilegium sibi à Deo concessum, v. 50. ejusdem Suræ in hæc verba: يا ايها النبي انا

احللنا لك ازواجك اللاتي اتيت اجورهن وما ملكت

يمينك مما افاء الله عليك وبنات عمك وبنات عماتك

وبنات خالك وبنات خالاتك اللاتي هاجرن معك

وامرأة مومنة ان وهبت نفسها للنبي ان اراد النبي

ان يستنكحها خالصة لك من دون المؤمنين قد

علمنا ما فرضنا عليهم في ازواجهم وما ملكت ايمانهم

لكيلا يكون عليك حرج وكان الله غفورًا رحيمًا

ترجي من تشاء منهن وتوي اليك من تشاء ومن

ابتغيت ممن عزلت فلا جناح عليك ذلك ادنى ان

تقر اعينهن ولا يحزن ويرضين بما اتيتهن والله يعلم

ما في قلوبكم وكان الله عليمًا حليمًا:

O Propheta, nos sanè concessimus tibi uxores tuas, quibus dedisti dotes suas: & præterea ancillas tuas, quas tradidit tibi Deus in partitione prædarum: itemque filias patrui tui, & amitarum tuarum, & avunculi tui, & materterarum tuarum, quæ peregrè profectæ sunt tecum: & quamcumque mulierem fi-

delem, quæ seipsam Prophetæ tradidevit, si voluerit Propheta eam sibi matrimonio copulare. Hoc autem tibi peculiariter conceditur præter cæteros fidelles. Nos seimus quid sanciverimus circa matrimonia fidelium, tàm pro uxoribus liberis, quàm pro ancillis: ne tu hac in re conscientiæ scrupulis torqueatis: nam Deus est pius, ac misericors. Admittes quam voles ex tuis uxoribus ad concubitum, & rejicies quam voles. Quòd si aliquam ex illis, quas à te rejecisti, rursum adamaveris, & ad cubile admiseris; nullum erit tibi crimen. Per hoc facilius illas lætas, & à tristitia remotas servabis: & contentæ erunt eo, quod unicuique earum feceris, aut dederis. Deus autem novit intima cordium vestrorum: nam Deus gnarus est ac perspicax.

Ecce tibi lector, quàm amplam januam aperuit repudium Zeidi libidinibus Mahumeti. Eamdem procul dubio, & fortasse ampliorem aperiet aliis, præsertim Mahumeti similibus.

Concludo igitur, nullo modo licuisse Mahumeto repudii usum à Christo abolitum, utpote injustum, & naturæ legi repugnantem, & tot malorum fomitem, ad praxin, ut justum ac licitum, in Alcorano revocare; præsertim cùm ipse toties præcipiat observari Euangelium, utpote *Librum illuminantem, Directorem hominum, Directionem al lucem, traditum à Deo, &c.*

Respondebunt fortasse Mahumetani, Euangelium quidem bona ac justa præcipere; sed observandum esse ab iis, quibus traditum est, nempè à Christianis; quemadmodum observandus est Pentateuchus à Judæis, quibus traditus est à Moyse, & Alcoranus ab Arabibus, quem ipsi à Mahumeto acceperunt. Ita enim præcipit Mahumetus in Alcorano, præsertim Sura 5. vers. 48. & alibi.

Verùm hæc responsio manifestam continet æquivocationem, seu potiùs hallucinationem: quasi verò Christiani fuissent aliqua gens peculiaris, sicut Judæi, & Arabes, cui Euangelium traditum fuisset, & ad ipsam solam illius observantia pertineret. Porrò ex Euangelio ipso constat, non uni, sed omnibus gentibus prædicandum, & observandum fuisse. Nam Matth. cap. 28. mittens Christus Apostolos ad prædicandum, dixit eis: *Euntes, docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis.* Et Marci cap. 16. *Euntes in Mundum universum, prædicate Euangelium omni creaturæ.* Et paulo post subditur: *Illi autem profecti prædicaverunt ubique.* Neque verò hæc Moslemi ignorant, imò in historiis suis apertè fatentur, quemadmodum in prima parte videri potest. Porrò de Alcorano diversimodè loquitur Mahumetus: aliquando enim affirmat, Arabibus traditum fuisse, & ideò Arabica lingua conscriptum; aliquando omnibus hominibus: aliquando verò etiam Geniis, seu Dæmonibus. Sed hæc nos parum curamus.

ÇAPUT VIGESIMUM PRIMUM.

De Polygamia.

DE hac ita statuit Mahumetus in Alcorano Sura 5. النساء *Mulieres*, vers. 3. وان خفتم

الا تقسطوا فى اليتامى فانكحوا ما طاب لكم

من النساء مثنى وثلث ورباع فان خفتم الا

تعدلوا فواحدة او ما ملكت ايمانكم ذلك

ادنى الا تعولوا وآتوا النساء صدقاتهن نحلة

فان طبن لكم عن شىء منه نفسا فكلوه هنيئا مريئا:

Quòd si timuistis, ne justè vos gereretis cum orphanis: ducite tamen in matrimonium quæ placuerint vobis ex mulieribus, binarium, & ternarium, & quaternarium. Si verò timueritis, ne æquitatem servare possitis cum illis; ducite saltem unam: aut ancillas, quas possidetis. Hoc erit facilius, ut non declinetis ab æquitate: & date mulieribus dotum spontaneum (ideſt mundum muliebrem). *Quòd si ipsæ aliquid ex eo vobis condonaverint sponte, & liberaliter: utimini illo delectabiliter, & utiliter.* Ut hæc meliùs intelligantur, sciendum est, Arabes bona orphanorum, quos in curam suscipiebant, utpote ad furta & latrocinia proclives, in commodum suum magna ex parte insumere consuevisse. De quo cùm à Propheta suo (quamvis & ipse furacissimus esset) acriùs redarguerentur; maluerunt orphanorum curam dimittere, quàm ab eorum facultatibus diripiendis abstinere. Mahumetus igitur valdè inconsequenter, & extra rem, jubet illos, quandoquidem ab orphanorum tutela recesserunt, accipere uxores, quas, & quot velint: ex ingenuis quidem ac liberis, unam, duas, tres, quatuor: ex ancillis verò, decem, centum, mille, & plures etiam, si tot habeant, & alere possint. De ingenuis tamen monet eos, ut si timuerint, ne cum pluribus æquitatem servare possint, unam tantùm accipiant. Atqui in hac cautela non parùm se imprudentem stolidumque demonstrat. Nam paulò post in eadem Sura, vers. 128. loquens cum suis, ait:

ولن تستطيعوا ان تعدلوا بين النساء ولو حرصتم

فلا تميلوا كل الميل فتذروها كالمعلقة وان

تصلحوا وتتقوا فان الله كان غفورا رحيما:

Et nullo modo poteritis æquitatem servare inter mulieres, etiamsi multum cupiatis, & studeatis; itaut non inclinetis ulla propensione (ad unam plusquam ad alteram); *atque ita relinquatis eam* (quam plus amatis) *sicut suspensam* (ideſt ut gloſſant Expoſitores, quæ neque eſt cælebs, neque habet maritum: vel, ut explicat Beidavius; quæ non habet virum, nec eo caret), *quamvis studeatis eas concordes tenere* (vel rectè vos gerere erga illas.) *at timete Deum, quia Deus est indulgens, misericors.* Si igitur certum erat Mahumeto, nullo modo posse virum cum pluribus uxoribus æquitatem servare; non erat quòd hîc plures illis concederet: sed debebat absolutè unam tantùm illis præscribere. In eo tamen verax fuit, quòd inter plures uxores non possit in viro æqualitas, vel in ipsis uxoribus concordia subsistere. Id enim etiam ex sacris literis verum esse cognoscitur; ut in Sara, & Hagar: in Rachele, & Lia: in Anna, & Phenenna; & aliis, inter quas invidiæ, rixæ, iræque oriebantur, non quidem culpa virorum, qui erant probi, & justi; sed ipsarum mulierum, vel alterius ex ipsis. Verùm nulli magis, quàm Mahumetani ipsi veritatem hanc experiuntur.

Porrò

Porrò Polygamia (nempè, quòd unus vir plures eodem tempore habeat uxores) iisdem ferè argumentis, quibus repudium, injusta per se atque illicita esse demonstratur: ut propterea Christus illam meritò damnaverit, atque à lege sua Evangelica rejecerit.

Primò enim certum est, Polygamiam legi naturali, saltem secundarii ordinis, adversari. Deus enim à principio unam tantùm fœminam Adæ conjunxit: cæteri verò omnes usque ad Lamech, qui fuit sextus ab Adam, ex stirpe Cain, una tantùm uxore contenti fuerunt. Lamech verò primus uxores duas accepit, quæ in illius necem mox conspiravere, ut colligitur ex iis verbis, quibus eas à tanto scelere deterruit: *Septuplum ultio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies.* Cæterùm omnium usque ad Abraham, nempè per annos supra mille ab orbe condito, plures uxores habuisse nullus legitur. Abraham etiam, cujus se asseclam falsò jactat Mahumetus, unam tantùm Saram habuit. Et quamvis hæc sterilis esset, numquam tamen de alia ducenda cogitavit: hoc enim absque Saræ injuria fieri non posse intelligebat. Quòd si objiciant Moslemi, illum etiàm ancillam Hagar habuisse: respondebimus, Saram ipsam ad hoc eum coegisse: & tàm ipsam, quàm Abraham, bona fide existimasse, se ob necessitatem hoc facere posse. At verò ubi Sara filium peperit, ejecta est Hagar, quam Abraham ultrà non revocasse, nec cum ea commercium habuisse, communis est Christianorum contra Rabbinos sententia: itaut Sara sterilis, & Hagar fœcunda, facerent quodam modo unam tantùm uxorem. Certum est, Hagar nunquam uxoris nomine, sed ancillæ tantùm in sacris litteris vocari. Dixit etiam Abraham tertiam uxorem, nomine Ceturam; sed mortua jam Sara, post ejectam, & fortasse jam mortuam Hagar. Itaque vix dici potest, Abraham polygamum, vel etiam dygamum fuisse. Si hæc modestia in se, & in suis usus fuisset Mahumetus, posset aliquo modo se Abrahæ asseclam jactare: & nihilominus non debuisset hanc sibi licentiam assumere, postquam fuerat à Deo per Christum irritata.

Isaac etiam unam tantùm habuit uxorem Rebecam; & quamvis hæc sterilitate laboraret, non tamen vel eam repudiavit, vel aliam uxorem eidem superinduxit. Itemque Jacob unam tantùm accepit Rachelem. Sed cùm Laban furtim Liam ejus sororem illi supposuisset, eamque ipse ignoranter nocte compressisset; putavit se ad utramque retinendam teneri. Ad primam quidem, quia jam eam desponsaverat, ad secundam verò, quia eam defloraverat. Quòd autem etiam cum duabus ancillis concubuerit, id se facere posse bona fide existimavit: tùm quia vera uxor sterilis erat; tùm quia uxores ipsæ eum ad accipiendas ancillas suas coegerant. Quamobrem si quid in hac polygamia mali fuit, non ipsi Jacob, sed ejus uxoribus, & socero Laban tribuendum est: tantùmque per accidens Jacob polygamus fuit. Credibile autem est, ab his exemplis alios nonnullos ansam cepisse, duas ducendi uxores, qui tamen pauciissimi fuisse leguntur.

Porrò in Pentateucho nullibi reperimus, Deum expresisè & absolutè Polygamiam præcepisse. Quamvis enim in Deuter. cap. 25. jusserit, si quis sine prole obiisset, fratrem defuncti uxorem ejusdem ducere: hæc tamen non censebatur uxor fratris vivi, sed mortui, cujus etiam nomine proles deinde nascebatur. Probabile verò est, hanc legem non affeciisse fratrem vivum, qui aliam haberet uxorem. Imò etiamsi uxore careret, liberum erat illi, uxorem fratris defuncti recusare. Ita Genes. cap. 38. Onan accepit uxorem Her fratris sui: sed ipse Onan erat cælebs. Et Ruth, cap. 4. Elimelech noluit accipere Ruth ad suscitandum semen fratri, seu cognato suo Mahalon, quia habebat uxorem: sed accepit eam Booz item frater cognatus, qui erat cælebs. Posset in contrarium afferri lex illa Deuter. cap. 22. qua præcipiebatur, ut si vir puellam nondum despontatam defloraset, eamdem in uxorem accipere cogeretur, nec unquam illam dimittere posset. Duplex ad hoc potest esse responsio. Prima, supponi hunc virum uxore sua carusse; alioqui reputatus fuisset adulter: quemadmodum si uxor ejus, homini, licèt soluto, se prostituisset, adulterium perpetrasset: & consequenter tàm hæc, quàm ille morte digni fuissent. Secunda: etiamsi concedamus, illum habuisse uxorem, attamen in hoc Deum legem suam dispensasse, non ad utilitatem, vel commodum, sed ad pœnam illius: neque ad approbandam polygamiam, sed ad puellæ indemnitati consulendum. Cæterùm hi casus extraordinarii sunt, & non adeò frequentes; neque universalem, ac naturalem monogamiæ legem possunt convellere. Quòd si Deuter. cap. 21. supponitur, virum duas simul uxores habere posse, in illis verbis: *Si habuerit homo uxores duas, &c.* nihil tamen hoc juvat causam Mahumeti: imò cùm hinc, & aliunde è sacris litteris habeamus, dygamiam tantùm, licet rarò, usurpatam fuisse, non debebat Mahumetus uxorum turbam concedere. Hùc accedit, Deum verbis illis non præcipere, neque approbare polygamiam, vel dygamiam: sed in aliquibus jam introductam, sive per fas, sive per nefas, supponere: quemadmodum si Princeps ediceret per legem, ut si quis prolem ex meretrice susceperit, illam alere teneatur; non approbaret usum meretricum, sed abusum supponeret.

Superest potissimum pro Mahumeto argumentum in exemplo David Regis ac Prophetæ sanctissimi, & Salomonis filii ejus sapientissimi, qui item prophetiæ lumine illustratus fuit: quorum alter decem saltem & octo; alter super mille uxores habuisse dicitur.

Ut ad hoc argumentum respondeam, primò supponо, Deum in Deuter. c. 17. ita circa Regem statuisse: *Non multiplicabit uxores sibi, neque declinabit cor ejus.* Sic enim ad litteram vertitur ex fonte Hebraico, quod idem est ac illud quod legitur in Vulgatis Latinis: *Non habebit uxores plurimas.* Porrò quoties exceditur unitas, dici potest verè fieri multiplicatio, præsertim si sit locutio negativa. Præclarissimum hujus rei exemplum habemus in antiquissimo ferè omnium Scriptorum Homero, apud quem, lib. 1. Iliadis, ita pronunciat Græcorum prudentissimus Nestor.

Οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω,
Εἷς βασιλεύς.

Non est bonum, multorum dominatus; unus Dominus esto:
Unus Rex.

Certè hìc, dum multorum dominatus improbatur, duo etiam domini excluduntur, & unus tantùm probatur. Dum igitur Deus prohibet, ne Rex sibi uxores multiplicet, vel non habeat uxores plurimas, non propterea positivè concedit illi, ut plusquam unam possit accipere, (non nego tamen concedere potuisse, vel tacitè permisisse, ut plusquam unam posset habere) sicut unam tantùm habebat Summus Sacerdos, qui erat Rex Spiritualis. Hoc autem de Rege Israel potissimùm Deum statuisse puto, quia jam tum inoleverat consuetudo, ut Reges aliarum Gentium greges

Digitized by Google

fœminarum possiderent, quod nulla conditione, aut ratione potest cohonestari.

Hoc posito, quæritur, quomodo Davidi tot uxores ducere licuerit. Existimant nonnulli, id quidem illicitum fuisse: sed David exemplo Gedeonis, & Saulis licitum putasse: Deum verò illum in bona fide reliquisse, sicut reliquit Jacobum, quando nupsit duabus sororibus, quod in Alcorano quoque, ut illicitum, prohibetur: & ipsum David, quando accepit Maacham filiam Regis Gessur Ethnici: & Salomonem, quando accepit filiam Pharaonis, de quo certè in Scriptura vituperatur: & quosdam Reges optimos, qui non auferebant Excelsa, quæ contra Dei præceptum alii Reges ædificaverant. Nonnulli contendunt, id illi à Deo fuisse concessum, ut soboles ejus multiplicaretur, vel non extingueretur. Sed quamvis absolutè esset verum, hoc illi Deum concessisse: satis tamen improbabile mihi videtur, id factum fuisse ob prædictum finem, cùm neque Adamo humani generis propagatori, neque Noe, & tribus filiis ejus, ejusdem generis instauratoribus plusquam unicam uxorem esse voluerit. David autem post Absalonis rebellionem, uxores omnes, quas habebat, in custodia posuit, nec eas ampliùs cognovit: ut habetur lib. 2. Reg. cap. 20. Quo tempore valdè probabile existimo, illum Psalmorum librum magna ex parte composuisse. Nam, ut Hebræi ipsi fatentur, spiritus prophetiæ à Venere, quamvis licita, alienus est. Et ideò Moyses non solùm unam tantùm habuit uxorem: sed ex quo à Deo propheticum munus accepit, non ampliùs eam cognovit. Dicendum est igitur cum communi Patrum sententia, Deum cum David, & aliis Sanctis Patriarchis peculiariter dispensasse, concedendo illis, vel permittendo plures uxores, quod per se non fuisset licitum, cùm esset contra ipsam Dei institutionem in primi hominis creatione. De aliis verò Prophetis vel nulla fit mentio, quòd uxorem habuerint (& plerique censentur cælibes vixisse,) vel unam tantùm habuisse, ex Sacris literis colligitur. De Salomone, non est dubium, quin tàm in qualitate, quàm in numero uxorum enormiter peccaverit (Deo interim illius peccatum dissimulante.) Neque Sacræ literæ sinunt, nos de hoc dubitare, cùm hanc illius intemperantiam gravissimè redarguant.

Patet igitur, quàm levia & futilia sint ea, quibus ad effrænatam libidinem suam tuendam abutitur Mahumetus; qui tamquam Scarabæus à floribus refugiens, ad fœtcum avidissimè accurrit. Verùm contra ipsum pro monogamia habemus

Primò: Deum ab initio (ut jam diximus) conjugium unius viri cum unica uxore instituisse: & ita à primis illis Patribus, cùm humanum genus maximè multiplicationem indigeret, & deinceps per plura fœcula, feré ab omnibus fidelibus, usque ad Christi tempora, observatum fuisse. Nam si Scripturæ Sacras percurramus, inveniemus, omnes feré SS. Patres, ut Noe, Isaac, Joseph, Moysen, Job, Tobiam, Zachariam, unam tantùm uxorem habuisse. Nescio verò utrum decem polygami in universis Sacris libris legantur, sed plerique impii, & scelesti.

Secundò: Modus loquendi Scripturarum semper innuit unam uxorem unico viro deberi. Genes. cap. 2. *Relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Cùm verò de uno aliquo viro sermo est, feré semper additur, *uxor ejus*: rarissimè, *uxores ejus*, nisi in quibusdam Regibus, qui Ethnicorum Principum exempla sequentes, uxorum, pellicumque greges amaverunt.

Tertiò: Ethnici plures idolorum cultores, naturæ lumine ducti, unica uxore contenti fuere. In ipsis Sacris literis, Abimelech, Putiphar, Hamnan, Pilatus, aliique infideles monogami fuisse leguntur. Græci, saltem universaliter, unam tantùm uxorem habuisse videntur. Certè habemus ex Athenæo, lib. 13. cap. 1. Cecropem primum Athenienium Regem, lege sanxisse, ne viri præter unam haberent uxorem. Notum est illud Euripidis:

Καλὸν γὰρ ἕστως, ἢ γυναῖκα δὶς ἔχειν λέχη.

Malum certè narras, unum virum duos habere lectos.

Romani, qui in Sacris literis, lib. 1. Machab. cap. 8. eximiæ virtutis, prudentiæ, modestiæ, & fortitudinis supra omnes gentes laudantur, ab uxorum pluralitate adeò abhorrebant, ut Modestinus Juris consultus in Pandectis, lib. 23. tit. 9. de ritu nupt. lib. 1. scribat: *Neminem, qui sub ditione sit Romani nominis, binas uxores habere posse vulgò patet, cùm jam in Edicto Prætorii hujusmodi viri infamia notati sunt.* Pulcherrimum in hanc rem exemplum narratur ab Aulo Gellio, lib. 1. noct. Attic. cap. 23. & à Macrobio lib. 1. Saturnal. cap. 6. *Mos erat antiquitùs Romanis Senatoribus, in Curiam cum filiis adhuc pueris introire. Contigit, ut in Senatu de re magni momenti consultaretur, placuitque, ut ne quis de ea aliquid evulgaret, priusquam decreta esset. Adfuerat in Curia una cum parente suo puer quidam Papyrius nomine. Hunc domum reversum interrogavit mater, quidnam in Senatu Patres egissent. Respondit puer, id dici non licere. Avidior ex hoc factis mulier, filium vehementius urgebat: cumque violenter ab eo vellet rem exquirere: puer, ut se ab importunitate & violentia subtraheret, lepido mendacio dixit, adfuisse in Senatu inter Patres, utrum videretur utilius magisque è Republica esse, ut unus vir duas uxores haberet, an verò ut una mulier apud duos viros nupta esset. Agitur, hoc audito, fœmina in furias: domo amens egreditur, ad cæteras matronas defert, quod audierat. Concurrunt postera die matres familias ad Senatum, lacrymantes, atque obsecrantes, ut placeret Patribus, unam potiùs duobus nuptam fieri, quàm uni duas. Obstupuerunt Senatores ad illum mulierum tumultum, cùm de hujusmodi re ne quidem cogitassent, donec Papyrii pueri festivum mendacium illis eam curam ademit.* Hinc agnoscere licet, quantum abhorrerent fœminæ Romanæ à consortio alterius fœminæ in matrimonio: itaut mallent duobus simul viris nubere, quàm cum uno viro aliam habere consortem: qua in re quieti pacique propriæ fortassè consulebant: sed non bono prolis, & familiæ.

Quartò: Animalia ipsa bruta nobiliora, utpote natura uno tantùm in conjugio consorte contenta esse reperiuntur: imò quædam adeò monogamiæ tenacia sunt, ut si mas à fœmina conjugalem fidem violatam fuisse deprehendat, illam statim discerpat, atque interimat. Certè Deus ad Mundi diluvio perditi restaurationem, jussit servari in Arca non solùm Noe, & filios ejus; sed etiam cætera animalia masculini generis, cum una tantùm fœmina ad sobolem procreandam addicta.

Quintò: quia contractus matrimonii est mutuus: ut enim ait S. Paulus, sicut mulier tradit viro sui corporis potestatem: ita vir corporis sui potestatem tradit mulieri: quare neuter potest alii illam concedere. Neque capere possum, quomodo confitere possint cum Polygamia verba S. Pauli Epist. 1. ad Corint. cap. 7. *Unusquisque suam uxorem habeat, & una-*

unaquæque suum virum habeat . Uxori vir debitum reddat : similiter autem & uxor viro . Mulier sui corporis potestatem non habet , sed vir . Similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet , sed mulier . Ex his manifestissimè patet, repugnare naturæ matrimonii pluralitatem , tàm respectu fœminæ , quàm (& multò magis) respectu viri.

Sextò: Cùm tres præcipui sint fines matrimonii: nimirùm, procreatio prolis : remedium concupiscentiæ: & bonum societatis; non videtur ad primum finem requiri uxorum pluralitas , quemadmodùm non requisita fuit à Deo , quando tàm Adæ & Hevæ, quàm Noe & filiis ejus præcepit, ut multiplicarentur, dicens: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram .* Et nihilominùs si unquam polygamia non solùm concedenda , sed etiam præcipienda erat , tunc erat præcipienda . Nimirùm non erat Dei intentio, ut homines multiplicarentur sicut muscæ , aut formicæ; sed moderatè & prudenter crescerent, ac propagarentur: nimia enim multiplicitas potiùs officit, quàm profit bono Reipublicæ , vel generis humani. Præterea experientia docet , semperque docuit, regiones illas, vel gentes , in quibus unius tantùm uxoris usus viguit, æquè numerosas fuisse & esse ac illas , in quibus polygamia admissa fuit , non obstantibus aliquot exemplis nonnullorum , qui per plures uxores ac domesticæ pacis , itemque bona filiorum educatione ac domestica pacis , itemque bona filiorum educatione loquamur; amens omninò esset, qui illum magis melitive uxorum pluralitate , quàm unica tantùm conjuge obtineri posse pronunciaret . Ne Mahumetus quidem hoc concedit; sed tamen excusat se auctoritate Dei , affirmantis velle se dirigere Mahumetanos per viam à Prophetis calcatam , & facilem illis, suavemque reddere legem suam: quippe qui sciat , hominem fragilem esse & imbecillum : nec posse (ut explicat Gelaledd.) se à concupiscentiis fœminarum cohibere. Verùm non ignorabat hæc Deus , quando per Christum Euangelicam legem mundo tradidit. Sed nonnisi per impudentissimum mendacium , appellat Mahumetus polygamiam institutum eorum, qui fuerunt antè , nempè Patriarcharum , & Prophetarum , cùm paucissimi ex iis uxores plures habuerint. Neque verò propter hominum pravam depravatamque naturam æquum est , à Deo justas rectæ naturæ leges aboleri : alioquì rectè fecissent , si Arabibus ad furta & latrocinia pronis , & assuetis , peculiari lege communia omnia esse, etiam exterorum , concessissent: id quod certè Deum facere potuisse , nemo negabit: & re ipsa fecisse , ipsi sibi persuadent .

Quantum verò bonæ filiorum educationi polygamia adversetur , patet ex dictis. Quomodo enim poterunt probè ritèque liberi institui in ea familia , in qua perpetuæ iræ , rixæ , odia, invidiæ , maleficia, & præterea lascivіæ, & impudicitiæ parentum conspiciuntur?

Verùm quod aliud contra uxorum multitudinem testimonium quæramus, cùm Mahumetum ipsum testem habeamus? Jam superiùs vidimus, ipsum fateri, impossibile esse, unum virum cum pluribus uxoribus æquitatem , pacemque servare ; per quod necessariò etiam fateri debet , unam tantùm uxorem à viro esse accipiendam , ne semper in proxima domestici prælii occasione cum Dei offensa versari cogatur. Quòd verò huic malo, ancillarum conjugio mederi velit , nihil agit : de ancillis enim eadem ratio militat ac de liberis . Imò inter eas utpotè vilioris conditionis , & plerumque quodammodo barbarum nationum , acriores rixæ, invidiæ , atque æmulationes suscitabuntur : ut inter infimæ

ob confinetudinem cum aliis fœminis ; ex propria uxore vel nullam , vel admodùm fragilem prolem susciпiunt: ut miraculo tribuatur, si filius benè complexus & vegetus nascatur.

Quòd spectat ad secundum finem , nempè remedium concupiscentiæ , huic etiam uxorum multitudo videtur opponi. Veneream enim delectationes sunt velut aquæ, quæ quò plus sunt potæ , plus sitiuntur. David , & Salomon , cum tàm magno uxorum numero , in ea flagitia prolapsi sunt, quæ de aliis Regibus uniеam tantùm , vel pauciores uxores habentibus, non leguntur. Et Mahumetus etiam cum viginti ac duabus fœminis , ab incestu & adulterio cum uxore Zeidi, & ab illicito congressu cum Maria Cophtha, aliisque flagitiis non abstinuit. Pluralitas illa fœminarum est velut copia ciborum , quæ præsentium nauseam affert, absentium famem excitat. Mahumetani cum tot uxoribus adeò propriam non explent libidinem, ut non solùm in alienas fœminas (si possint) sed, quod omnibus notum est , in pueros & adolescentes , quantum dici possit, insaniant. In veteribus Græcorum comœdiis ferè semper legimus, patres familias ad avertendos filios adolescentes ab illicitis amoribus, eos semper cum certa , atque unica uxore copulare consueviſſe .

Si verò de tertio fine, nempè de bono societatis, ac domesticæ pacis , itemque bona filiorum educatione loquamur; amens omninò esset, qui illum magis melitive uxorum pluralitate , quàm unica tantùm conjuge obtineri posse pronunciaret . Ne Mahumetus quidem hoc concedit; sed tamen excusat se auctoritate Dei , affirmantis velle se dirigere Mahumetanos per viam à Prophetis calcatam , & facilem illis, suavemque reddere legem suam: quippe qui sciat , hominem fragilem esse & imbecillum : nec posse (ut explicat Gelaledd.) se à concupiscentiis fœminarum cohibere. Verùm non ignorabat hæc Deus , quando per Christum Euangelicam legem mundo tradidit. Sed nonnisi per impudentissimum mendacium , appellat Mahumetus polygamiam institutum eorum, qui fuerunt antè , nempè Patriarcharum , & Prophetarum , cùm paucissimi ex iis uxores plures habuerint. Neque verò propter hominum pravam depravatamque naturam æquum est , à Deo justas rectæ naturæ leges aboleri : alioquì rectè fecissent , si Arabibus ad furta & latrocinia pronis , & assuetis , peculiari lege communia omnia esse, etiam exterorum , concessissent: id quod certè Deum facere potuisse , nemo negabit: & re ipsa fecisse , ipsi sibi persuadent .

Quantum verò bonæ filiorum educationi polygamia adversetur , patet ex dictis. Quomodo enim poterunt probè ritèque liberi institui in ea familia , in qua perpetuæ iræ , rixæ , odia, invidiæ , maleficia, & præterea lascivіæ, & impudicitiæ parentum conspiciuntur?

Verùm quod aliud contra uxorum multitudinem testimonium quæramus, cùm Mahumetum ipsum testem habeamus? Jam superiùs vidimus, ipsum fateri, impossibile esse, unum virum cum pluribus uxoribus æquitatem , pacemque servare ; per quod necessariò etiam fateri debet , unam tantùm uxorem à viro esse accipiendam , ne semper in proxima domestici prælii occasione cum Dei offensa versari cogatur. Quòd verò huic malo, ancillarum conjugio mederi velit , nihil agit : de ancillis enim eadem ratio militat ac de liberis . Imò inter eas utpotè vilioris conditionis , & plerumque quodammodo barbarum nationum , acriores rixæ, invidiæ , atque æmulationes suscitabuntur : ut inter infimæ

Digitized by Google

fimæ plebis mulierculas quotidie experimur. Prætereà contra uxorem ingenuam sæpiùs insurgent & conspirabunt: quemadmodum in exemplo Saræ, & Hagar licet agnoscere. Hùc accedit, ancillam, cùm à Domino suo in conjugem assumitur, liberæ jus acquirere; quemadmodum præcipitur in Pentateucho, cap. 21. Profitetur autem Mahumetus, se Pentateuchum observare.

Contra ea, quæ jam dicta sunt, duplex argumentum à Moslemis fieri potest. Primum: Id quod plerisque nationibus commune est, non potest existimari esse nisi conforme legi naturæ. Sed polygamia, præsertim hoc tempore, communis ferè est omnibus gentibus præter Christianos. Concludendum igitur est, naturali legi esse conformem, ac propterea non posse jure damnari.

Respondetur facilè: id, quod est commune plerisque mortalibus, nec habet ullam deformitatem, neque à recta ratione disjungitur, esse naturali legi ac dictamini consonum, concedi facilè potest. At verò id quod plerisque, vel etiam omnibus est commune, vel ad illud omnes universaliter inclinant, sed à recta ratione recedit, vel deformitatem habet cum illa, nullo modo censendum est, esse secundùm legem naturæ, naturæ, inquam, rectæ, non pravæ, ac vitiosæ, cujusmodi est ex parte in omnibus filiis Adam propter culpam originalem. Alioqui, cùm ferè omnes gentes, præter Israelitas, imò & plerique etiam Israelitæ, saltem quibusdam temporibus, plures deos coluerint, dici poterit, plurium deorum cultum esse secundùm instinctum & legem naturæ. Responderi etiam potest: Id quod perpetuò commune fuit omnibus, vel plerisque mortalibus, concedi posse, esse secundùm legem naturæ. At polygamia neque perpetuò fuit omnibus communis, imò in primis mundi ætatibus vix nota fuit alicui: neque hodie dici potest ita communis, ut pleraque pars hominum ab illa non abstineat: cùm non solùm Christiani propter divinum præceptum, sed etiam plures Mahumetani, Judæi, atque etiam Ethnici propter bonum pacis, propriumque commodum, unica uxore contenti sint.

Secundum: ex negatione Polygamiæ sequitur magnum malum, nempe usus meretricum, & non rarò adulteria, stupra, & incestus. Ex quo etiam patet, Christianos inaniter jactare, gentem suam cum monogamia æquè excrescere, ac Mahumetanam cum polygamia: non enim ex propria, sed ex alienis uxoribus, vel meretricibus prolem multiplicant.

Respondetur, ex qualibet re, quamvis justa ac sancta, plura mala oriri posse, non ex culpa, seu defectu ipsius rei, sed ex hominum malitia, & pravitate. Credidit Mahumetus, (quamvis falsò) se legem bonam sanxisse, vinum prohibendo; utpotè Diaboli inventum, & sæpe natura malum. Atqui hujusmodi lex fuit, & quotidie est causa Moslemis innumerorum peccatorum: plerique enim, si detur occasio, non solùm vinum bibunt, sed etiam se eodem inebriant. Et apud Persas ita vinum commune est, sicut apud Christianos: ebrietas tamen apud illos frequentior, quàm apud istos. Cæterùm, quamvis negari non possit, apud Christianos esse meretricii abusum, quemadmodum est, semperque fuit apud alias plerasque gentes: in solis tamen magnis aut frequentibus urbibus, præsertim ubi exterorum commixtio est, ferè reperitur. Neque verò tàm copiosus earum numerus est, ut ex spuriis earum fœtibus possit respublica multiplicari: præsertim cùm experientia doceat, hujusmodi fœminarum genus ut plurimum sterile esse atque infœcundum. Porrò adulteria, vel stupra, cùm rigidè puniantur, rariora sunt; & non nisi in iisdem præcipuis urbibus: nam alibi & fides conjugalis, & virginalis integritas rigidè servatur. Neque verò quia meretrices, non quidem ubique, sed in aliquibus Christianorum ditionibus, ad majus malum evitandum tolerentur: ideò tamen positivè, seu exlege, vel decreto conceduntur: imò improbantur ut infames, neque à gravissima culpa, ob quam ad Gehennam damnandæ sint, unà cum iis, qui ad eas ingrediuntur, ullo modo excusantur. Interim è Sacris mysteriis, tanquam profanæ, atque immundæ arcentur, & tamen magna cura adhibetur à Sacerdotibus, ut ad meliorem frugem redeant: id quod in dies feliciter succedit: itaut magnus earum numerus, transactæ vitæ methodo relictâ, intra sacra claustra ad flagitiorum suorum pœnitentiam peragendam sese ad mortem usque concludat.

Non tamen admitto, abusum hunc inter Christianos, à monogamia, vel etiam à cælibatu eorum procedere: cùm tàm in Sacris literis, quàm in profanis historiis, etiam cum polygamia & fornicationes, & adulteria, & stupra, & alia pejora flagitia fuisse legatur. Hodie quoque apud Mahumetanos cum tota uxorum turba, meretrices esse, certissimum est, & quidem adeò impudentes, ut sese in publicis viis denudatas prostituant. Vide Petrum à Valle in Turcia, Epist. 12. cap. 456. Stupra verò & adulteria fortasse rariora sunt, ob severissimam custodiam, qua fœminæ omnes intra domestica claustra continentur, & ob atroces pœnas, quibus hæc puniuntur. Et nihilominus cùm datur occasio, pudore deposito, promptissimè eam arripiunt, & sæpè etiam non oblatam, ultrò requirunt sub specie religiosa loca, vel defunctorum monumenta invisendi. Verùm quantò arctiùs mulieres à virorum commercio remotæ continentur, tantò privatim inter se innatæ libidini fatisfaciunt. Non sinit modestia, earum nequitias, ac spurcitias detegere. Verùm, quid faciant miseræ, dum ardentissimis lasciviæ stimulis urgentur, si non possint in uno viro toc aliis fœminis consortibus distento, libidinem suam explere? Hoc verissimè ex polygamia malum oriri dicendum est. Majus tamen est illud, quod ad nefariam puerorum consuetudinem spectat: quod certè quemcumque inter Christianos meretricum abusum longissimè superat. Intelligant ex hoc Mahumetani, neque monogamiam causam esse vitiorum aliquorum in Christianis: neque polygamiam ipsos ab iisdem, & à multò majoribus immunes facere. Jam diximus, David, quamvis multas haberet uxores, in adulterium tamen cum aliena conjuge prolapsum fuisse. Salomonem verò non contentum fœminarum Israelitarum turba, ad alienigenas, & idolatras contra divinam legem effrænè transcurrisse. De reliquis verò Hebræis, quamvis ex Dei permissione polygamis, vel polygamis, horrenda sunt, quæ circa eorum flagitia in Sacris literis leguntur. Jeremias, cap. 5. ita Deum de illis conquerentem inducit: *Filii tui dereliquerunt me: saturavi eos, & mœchati sunt, & in domo meretricis luxuriabantur. Equi amatores, & emissarii facti sunt: Unusquisque ad uxorem proximi sui binniebat.* Ezechiel verò, cap. 22. enormiora de iisdem refert: audiamus ejus verba: *Verecundiora patris discooperuerunt in te: immunditiam menstruatæ humiliaverunt in te: & unusquisque in uxorem proximi sui operatus est abominationem: & socer nurum suam polluit nefariè: frater sororem suam filiam patris sui oppressit in te.*

Digitized by Google

te. Verùm ne intra hos quidem limites populi illius libido se continuit: in Venerem præposteram præceps ruit, nec erubuit cinædorum prostibula in Templo Dei collocare, quæ demum Josias Rex sanctissimus abstulit, ut habetur lib. 4. Reg. cap. 23. his verbis: *Destruxit quoque ædiculas effœminatorum, quæ erant in Domo Domini, pro quibus mulieres texebant quasi domunculas luci.*

Si igitur aliqua hujusmodi crimina, vel flagitia, inter Christianos nonnullos reperiantur, non eorum monogamiæ, vel cælibatui, sed humanæ naturæ fragilitati, & dæmonum suggestioni tribuendum est, cùm videamus in iis gentibus, quæ plures uxores habent, & à cælibe vita quodammodo abhorrent, non solùm eadem, sed alia multò majora & graviora scelera contra continentiam honestatemque reperiri.

Jam verò superiùs innuimus, quemadmodum in avaris, quò magis augentur divitiis, eò magis augetur fames habendi; atque in iis, qui honores ambitiosè aucupantur, ambitus majorum semper excrescit: ita eos, qui sese libidini effusiùs tradunt, propriis cupiditatibus obsequendo, non solùm illis non expleri, sed semper ardentiùs alias sitire; quemadmodum illi, qui hydropisi laborat, evenire videmus, de quo verissimè Poeta Lyricus cecinit, lib. 2. ode 2.

Crescit indulgens sibi dirus hydrops,
Nec sitim pellit, nisi causa morbi
Fugerit venis, & aquosus albo
Corpore languor.

Cùm igitur polygamia, quæ Lamech, ex damnata Cain stirpe prognatum, primum habuit auctorem, sit contra divinam institutionem, & naturæ legi, luminique adversetur: neque ad humani generis multiplicationem necessaria sit, præsertim eo tempore, quo adeò homines excrevere; quin etiam fœcunditatem ex multis causis impedire deprehendatur: maximè verò bonæ educationi, domesticæque paci adversetur: postremò non solùm non sit remedium concupiscentiæ, sed multorum flagitiorum ac scelerum occasio, & humanarum libidinum fomentum; justissimè ac sapientissimè Christus eam in lege sua prohibuit: quemadmodum impiè, stultè, ac nefariè eamdem Mahumetus in Alcorano suo, jam à Christo damnatam, restituit.

CAPUT VIGESIMUM SECUNDUM.

De Virginitate, ac cælibatu.

NOn ex Alcorano, sed ex Auctorum Moslemorum traditione & auctoritate habemus, Mahumetum affeclis suis cælibatum ac virginitatem severè interdixisse. Quemadmodum refert Thalebiensis in expositione Suræ 5. المايدة *Mensa*, v. 93. his verbis, quorum nonnulla in secunda Prodromi parte allegavi: جلس النبي ص يوما فذكر الناس وصف القيامة وبكوا فاجتمع عشرة من الصحابة فى بيت عثمان واتفقوا على ان يصوموا النهار ويقوموا الليل ولا ينامون على الفرش ولا ياكلون اللحم ولا الودك ولا يقربون النساء ويلبسون المسوح ويرفضون الدنيا ويسيحون فى الارض ويترهبون ويحبون مذاكرهم: فبلغ ذلك النبي ص فاتاهم فلم يصادفهم فقال لامراة عثمان ام حكيم بنت ابي امية واسمها الحولا وكانت عطارة أحق ما بلغني عن زوجك واصحابه فكرهت ان تكذب النبي ص وكرهت ان تبدي على زوجها فقالت يا رسول الله ان كان اخبرك عثمان فقد صدقك فانصرف ثم قال لهم الم انبا انكم اتفقتم على كذا وكذا قالوا بلى يا رسول الله وما اردنا الا الخير فقال النبي ص اني لم اومر بذلك ثم قال ان لانفسكم عليكم حقا فصوموا وافطروا وقوموا وناموا فاني اقوم وانام واصوم وافطر وأكل اللحم والدسم وأتي النساء ومن يرغب عن سنتي فليس مني ثم جمع الناس وخطبهم وقال ما بال اقوام حرموا النساء والطعام والطيب والنوم وشهوات الدنيا اما اني لست أمركم ان تكونوا قسيسين ورهبانا فانه ليس فى ديني ترك اللحم والنساء ولا اتخاذ الصوامع وان سياحة امتي الصوم ورهبانتهم الجهاد اعبدوا الله ولا تشركوا فيه شيا وحجوا واعتمروا واقيموا الصلاة وأتوا الزكاة واستقيموا يستقم لكم فانما هلك من كان قبلكم بالتشديد شددوا على انفسهم فشدد الله عليهم فاوليك بقاياهم فى الديارات والصوامع:

Sedit quadam die Mahumetus, commemorans hominibus ea, quæ de resurrectione dicuntur: illi verò fleverunt. Et congregati sunt decem ex sociis ejus in domo Othman, simulque convenerunt, ut jejunarent die, & surgerent nocte; neque dormirent in lecto, neque comederent carnem, neque adipem: neque attingerent fœminas: sed induerentur ciliciis, & repudiarent mundum, & sacras peregrinationes susciperent, & agerent vitam monasticam, ac meditationibus vacarent. Cùm autem de hac re Mahumetus commonitus fuisset, venit ad eos, sed minimè illos invenit. Dixit autem uxori Othman, matri Hakim, filiæ Abu-Ommiæ, quæ vocabatur Chaula, & erat unguentaria: Verum ne est id, quod pervenit ad aures meas de marito tuo, & sociis ejus? Illa verò nolebat mentiri Prophetæ Dei: nec tamen voluisset manifestare maritum suum. Dixit ergo: O Legate Dei, si loquutus fuerit tecum Othman, ille veritatem tibi aperiet hujus rei. Cùm itaque Mahu-

Digitized by Google

humetus discessisset, eosque invenisset, dixit illis: Verumne est, vos de tali ac tali genere vitæ instituendo convenisse? Respondérunt: Ita est, ò Legate Dei: nec aliud in hoc intendimus, quàm id, quod melius est. Quibus dixit Mahumetus: Mihi verò non fuit præceptum hoc: vos autem curam gerere debetis vestrum ipsorum. Itaque jejunate: & jejunium solvite: vigilate, & dormite: nam & ego vigilo, & dormio: & jejuno, & solvo jejunium: & comedo carnem, & adipem: & dormio cum mulieribus: & qui recedit ab institutis meis, non est ex parte mea. Deinde congregavit populum, & prædicans illi, dixit: Quid sibi volunt nonnulli ex vobis prohibendo usum fœminarum, & cibum, & escas, & unguenta suavia, & somnum, & desideria mundi? Atqui ego non præcipio vobis, ut sitis presbyteri, & monachi: neque in lege mea prohibetur caro, vel usus fœminarum, nec præcipitur ædificatio cœnobiorum. Circumambulatio ad peregrinandum gentis meæ est jejunium: & monachismus illius, est militia. Colite Deum, neque admiscete ei quidquam: & peregrinamini ad Meccam, & visitate loca sacra illius, & perfolvite statutas preces, & solvite sacras decimas, & jejunate mensem Rhomadan, & justè agite cum aliis, & justè agetur vobiscum. Porrò perierunt illi, qui fuerunt ante vos, ob rigorem vitæ, quem susceperè: & Deus rigidus fuit contra eos, & illorum reliquiæ remanent in monasteriis & cœnobiis. Ex his manifestè colligitur, Mahumetum nullo modo in secta sua, cælibem, & à muliebri consortio alienam vitam probasse, aut voluisse. Et nihilominus in Alcorano eamdem vitam non solùm non improbat, sed ut valdè excellentem, & Deo gratam, in Christo, Beata Virgine, & Joanne Baptista, (quos semper cælibes, & ab omni affectu, nedum actu, carnali immunes fuisse constanter credunt, ac fatentur Mahumetani) eximiis laudibus extollit. Monasticam etiam Christianorum vitam, quæ in cælibatu maximè sita est, conjugali præfert, utpote Deo gratiorem: Monachosque incusat, quòd eam non servaverint. Ita enim inducit Deum loquentem, Sura 28.

وقفينا بعيسى ابن مريم الانجيل وجعلنا في قلوب الذين اتبعوه رأفة
ورحمة ورهبانية ابتدعوها ما كتبناها عليهم
الا ابتغاء رضوان الله فما رعوها حق
رعايتها فآتينا الذين آمنوا منهم اجرهم

Ferrum, v. 28.

Et subsequi fecimus Jesum filium Mariæ, & dedimus ei Euangelium: & posuimus in cordibus eorum, qui sequuti sunt eum, pietatem & misericordiam, & vitam monasticam, quam instituerunt: neque præscripsimus eam illis, nisi ob desiderium beneplaciti Dei: sed non observaverunt eam debita ratione: & dedimus iis, qui crediderunt ex eis, mercedem suam. Neque inter Mahumetanos ipsos desunt tàm viri, quàm mulieres, qui cælibatum, sive verè, sive simulatè, saltem per aliquod temporis spatium profiteantur. Jam diximus, esse apud eos fœminas quasdam, quas sine virginitatis jactura, Spiritus Sancti, nescio cujus, opera prolem gignere fabulantur. Porrò virginitas apud plerasque gentes summo semper in honore habita est, quemadmodum etiam cælibatus. Norunt omnes quanta in æstimatione essent Romæ Virgines Vestales: itaut per urbem incedentibus Consules ipsi & Imperatores viam cederent. Unici propè sunt inter omnes mortales tàm speciosæ virtutis hostes, Judæi, præsertim hujus temporis: falsò quippe existimant, divino se præcepto ad gignendam prolem urgeri, cùm dixerit Deus: *Crescite, & multiplicamini, & replete terram.* Quasi verò ita voluerit Deus homines terram replere, ut in illa sicut pisces saliti in dolio sese mutuò urgerent, & comprimerent. Porrò verba illa Dei, dicta fuerunt primò Adæ & Hevæ: deinde verò Noe, & filiis ejus. Illi sanè, utpote paucissimi, tenebantur ex divino præcepto crescere, & multiplicari, & replere terram. Verùm quando jam homines adeò excrevérunt, & multiplicati sunt: nullus amplius in particulari ad præceptum illud arctatur. Etenim, ut prudentissimè pronunciavit R. Moyses Ægyptius, qui certè cæteros Judæos sapientia, ac doctrina præcellebat: cessante fine præcepti, intelligitur etiam præceptum ipsum cessare. Mirum verò est, quòd isti Judæi adeò magnum flagitium existiment perpetuum cælibatum, ac virginitatem; cùm ex sacris literis evidentissimè habeatur (& ita censeant omnes Christiani Doctores) Eliam, Elisæum, Danielem, & alios non paucos, semper uxore caruisse: à qua etiam semper abstinuit Moyses post munus Prophetiæum acceptum: quemadmodum Judith, amisso primo viro, quamvis adhuc juvenis, & fine liberis, quantum ex Sacris literis colligi potest, numquam virum alium ducere voluit. Imò Rabbini ipsi communiter sentiunt, filiam Jephte in perpetua virginitate, ex Sacerdotum consilio, vitam exegisse, ut patris voto, qui eam se sacrificaturum Deo promiserat, ea ratione satisfaceret. Sed libet Verpulos istos laqueo fuo capere. Maximo ipsi in honore ac veneratione habent R. Simeonem Ben-Azai. Fuit hic unus ex quinque Judicibus, qui coram Sapientibus judicabant, & fuerat discipulus & socius in doctrina R. Akibæ, cujus filia cùm ei in matrimonium promissa fuisset, noluit eam accipere, sed maluit cælebs permanere, ut facilius studio legis, quod summoperè coluit, posset adhærere. Prædicant autem de eo, quòd adhuc vivens ingressus fuerit in Paradisum: sed cùm curiosius, quàm par erat, intueri vellet divinitatem, in juventute mortuus est: deque eo dictum fuisse volunt versum illum, Psal. 10. *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Sed super omnia insignis fuit Rabbinica illius humilitas: ipse enim de se pronunciavit: *Omnes sapientes Israelitæ respectu mei, sunt tanquam tegumentum allii.* Excipiebat tamen R. Akibam magistrum suum. Vide cap. 2. Cod. Bechuroth in fine.

Verùm relinquamus Hebræos in cœno suo: neque enim adversus illos nobis certamen est: ad Mahumetum redeamus, qui licèt in Alcorano virginitatem, & cælibatum in aliis, & præsertim Christianis commendet: à secta tamen sua prorsus eliminat. Imò cùm inter Mahumetanos quidam, ut diximus, ad gloriam tàm præclaræ virtutis aucupandam, eamdem (saltem specie tenus) profiteantur; eos tamquam à lege ac religione sua extraneos, prorsusque alienos agnoscit, ac detestatur.

Ex hoc autem magis apparet sanctitas & excellentia legis Christi: qui quamvis virginitatem in ea non præcipiat, proponit tamen, & ad eam ultrò sequendam affectus suos invitat, & hortatur. Et nihilominus ad hanc illius hortationem tàm magnus in Christiana religione cælibum ac virginum ex utroque sexu numerus excrevit, ut nulla sit urbs, & nullum se-

Digitized by Google

ferè oppidum in orbe Christiano, ubi plura vitæ hujus sectatorum sacra claustra non reperiantur. Neque verò inter hos, eos, qui extra hujusmodi septa ad divina mysteria initiantur, enumero; qui etiam ferè ubique cælibem vitam servare tenentur, & magnam Christianorum partem efficiunt. Neque propterea Christianorum regiones populis imminuuntur, vel urbes, aut oppida eorum desolantur: imò Mahumetanos ipsos numero vel æquant, vel excedunt: & excederent omninò, ut plerique existimant, nisi illi captivorum, præsertim Christianorum, ingenti turba urbes suas inanes explerent.

CAPUT VIGESIMUM TERTIUM.

De Bello pro Religione.

DUplicem agit personam Mahumetus in Alcorano, utramque inter se oppositam: Pacifici, & Belligeri. Quamdiù enim se viribus opibusque destitutum vidit; nec quidquam pro regnandi libidine explenda moliri se posse intellexit (nempè antequam Mecca pulsus, Medinam emigraret, ibique multorum Arabum numerum ad partes suas attraheret) quamvis religionem novam simularet, ac prædicaret, nullum tamen ad eam cogi volebat: imò cum infidelibus (ut ipse eos appellabat) non solùm Judæis & Christianis, sed etiam idololatris, humaniter benignèque agere, eosque blandis verbis allicere, asseclas suos jubebat. Audiamus ejus verba: Sur. 2. *Vacca*, versu 257. ita pronunciat: لا اكراه في الدين قد تبين الرشد من الغي فمن يكفر بالطاغوت ويؤمن بالله فقد استمسك بالعروة الوثقي لاانفصام لها والله سميع عليم: *Nullus cogatur ad suscipiendam religionem invitus. Jam distincta apparuit recta institutio à deceptione. Qui ergo idola abnegaverit, & crediderit in Deum, jam tenet ansam firmissimam, quæ nunquam frangetur: & Deus est audiens, sciens.* Asserit Gelaleddinus, hæc verba dicta fuisse: فيمن كان له من الانصار اولاد واراد ان يكرههم علي الاسلام *pro quibusdam ex duodecim Adjutoribus, qui habebant filios: & volebant eos invitos cogere ad Mahumeticam sectam suscipiendam.* Sura 50. *Coph*, vers. 39. ita introducit Deum secum loquentem: نحن اعلم بما يقولون وما انت عليهم بجبار فذكر بالقران من يخاف وعيد: *Nos optimè novimus id, quod dicunt infideles Meccani. Tu verò non eris super eos violentus: sed commonefac per Alcoranum eos, qui timent pœnam à me comminatam.* Explicat Gelaleddinus. لا تجبرهم علي الايمان وهذا قبل الامر بالقتال: *Non coges eos violenter ad suscipiendam fidem. Verùm hoc dictum fuit ante præceptum ipsi datum de inferendo bello infidelibus.* Sura 88. *Cooperiens*, v. 21. introducit item Deum, his verbis se commonentem: فذكر انما انت مذكر لست عليهم بمصيطر الا من تولي وكفر فيعذبه الله العذاب الاكبر ان الينا ايابهم ثم علينا حسابهم: *Tu verò commone eos: ad te enim spectat commonere, neque debes eos* (ad fidem) *violenter cogere. Verùm, qui tergiversatus fuerit, & noluerit credere, puniet eum Deus pœna maxima* (idest Gehenna.) *Porrò ad nos* (post mortem) *erit reditus eorum: Tunc nostrum erit eos judicare.* Multoties verò jubet suos infidelibus compati, & ignoscere, & eum iis, omni asperitate remota, humaniter, benignèque tractare. Sura 45. الجاثية *Genuflessa*, vers. 13. fingit Deum hæc sibi præcipere: قل للذين امنوا يغفروا للذين لا يرجون ايام الله ليجزي قوما بما كانوا يكسبون: *Dic illis, qui crediderunt, ut ignoscant* (infidelibus,) *qui non timent dies Dei* (idest diem Judicii) *in quibus retribuet hominibus juxta opera eorum.* Sura 6. الانعام *Pecora*, vers. 104. ita præcipit suis: ولا تسبوا الذين يدعون من دون الله فليسبوا الله عدوا بغير علم: *Et ne contumeliosè tractetis eos, qui invocant falsos deos, ne contumeliosè ipsi tractent Deum tamquam inimicum, per ignorantiam.* Et Sura 17. الاسري *Iter nocturnum*, vers. 54. loquens de infidelibus, introducit Deum hæc sibi mandantem: وقل لعبادي يقولوا التي هي احسن ان الشيطان ينزع بينهم ان الشيطان كان للانسان عدوا مبينا: ربكم اعلم بكم ان يشاء يرحمكم وان يشاء يعذبكم وما ارسلناك عليهم وكيلا: *Et dic servis meis, ut loquantur* (eum infidelibus) *humanissimis verbis* (*nam Satanas dissidia serit inter eos: quippe Satanas est homini hostis manifestus*) (& dicant eis) *Dominus vester penitissimè novit vos: si voluerit, miserebitur vestri: & si voluerit, castigabit vos. Et non misimus te* (ò Mahumete) *ut esses super eos* (idest infideles) *procurator*: idest ad te non pertinet nisi illis prædicare, nec aliud agere, ut credant. Et Sura 16. النحل *Apes* vers. 129. iterùm inducit Deum ita sibi præcipientem: وادع الي سبيل ربك بالحكمة والموعظة الحسنة وجادلهم بالتي هي احسن ان ربك اعلم بمن ضل عن سبيله وهو اعلم بالمهتدين: *Voca* (infideles) *ad viam* (idest religionem) *Domini tui per sapientiam* (Alcorani) *& exhor-*

hortando eos leniter ac placidè: & discepta cum eis disceptatione modestissima. Nam Dominus tuus optimè novit eos, qui errant à via sua (ideſt qui reprobi ſunt, nec capaces credendi) *& optimè novit eos, qui ſunt dirigendi* (ideſt prædeſtinati ad credendum.) Ac ſi dicat: Inanis eſt violentia ad id, quod pendet ex præſcientia, & prædeterminatione Dei: ipſe enim prædeterminavit, & novit, quinam fidem ſuſcepturi ſint, qui verò rejecturi. Hæc ſexcenties in Alcorano leguntur. Ita ſcilicet ſimulatè loquebatur, ut faciliùs incautos deciperet Meccanos, & de ſe minimè ſuſpicantes violenter opprimeret.

Ubi enim ſe Medinenſium, & multorum etiam Meccanorum auxilio ſuffultum vidit, larva pietatis depoſita, univerſa, quæ antè pro infidelium indulgentia, & libertate edixerat, abrogavit per Suram 9. Alcorani, quæ inſcribitur à quibuſdam سورة التوبة *Sura Pœnitentiæ*: ab aliis سورة البراءة *Sura Immunitatis*: ab aliis سورة السيف *Sura Gladii*; ab aliis aliter: in qua jam non verbis, ſed armis cum infidelibus agendum eſſe, divina mentita auctoritate, decernit. Sed audiamus minacia ejus verba. براءة من الله ورسوله الى الذين عاهدتم من المشركين فسيحوا فى الارض اربعة اشهر واعلموا انكم غير معجزى الله وأن الله مخزى الكافرين: واذان من الله ورسوله الى الناس يوم الحج الاكبر ان الله برئ من المشركين ورسوله فان تبتم فهو خير لكم وان تولّيتم فاعلموا انكم غير معجزى الله وبشّر الذين كفروا بعذاب اليم:

Conceditur immunitas à Deo, & Legato ejus, illis idololatris, cum quibus vos (Fideles) *eſtis fœderati*: (cæteris autem edicitur): *Liberè ambulate per terram per quatuor menſes* (nam per hos vobis conceditur immunitas). *Scitote porrò vos non effugituros* (pœnam inferendam) *à Deo: & Deum confuſione ſuffuturum eſſe infideles* (per arma mea). *Et edicitur hominibus à Deo, & Legato ejus: Deum, tranſactio quadrimeſtri Peregrinationis majoris, itemque legatum ejus, non amplius idololatris indulturos* (quin eos bello invadant). *Si converſi fueritis* (ad religionem Eſlamiticam), *melius erit vobis: ſi autem tergiverſati fueritis, ſcitote vos non ablaturos Deo potentiam* (quin vos puniat). *Et tu* (ò Mahumete) *pœnuncia iis, qui credere nolucrint, pœnam dolorificam*: nempè eos armis tuis eſſe perdendos. Ab hoc edicto excipit fœderatos cum Mahumetanis, quamdiù tempus fœderis duraverit; & ipſi fœdus exactiſſimè ſervaverint. At Mahumeto non defuerunt prætextus, quibus eos violati fœderis reos eſſe, falsò criminaretur; vel etiam fœdus jam initum abrumperet. Notat autem Abul-Caſem Habat Allah in libro الناسخ والمنسوخ: *De Abrogante, & Abrogato*; per hanc Suram, نسخت فى القران مائة واربعا وعشرين, الة, *abrogatos fuiſſe centum viginti quatuor verſus ex Alcorano.*

Ubi igitur hoc ſuum Edictum Mahumetus vulgavit, ſtatim ſuos congerrones contra Infideles (exteræ ſcilicet religionis homines) cœpit incitare: utque ambitionem, atque avaritiam ſuam pietatis larva coho-neſtaret; bellum, quod pro imperio injuſtè ſibi acquirendo inſtituebat, الاجتهاد فى سبيل الله, *Decertationem pro via Dei*, ſeu *pro Religione*, nuncupavit. Ex eo tempore, omnes ferè Alcorani verſiculos, ad milites ſuos contra Infideles excitandos, atque irritandos, ſibi à Deo tradi fingebat. Sura 8. الانفال *Manubiæ*, v. 3 primò fingit ſibi hæc dici à Deo: قل للذين كفروا ان ينتهوا يغفر لهم ما قد سلف وان يعودوا فقد مضت سنة الاولين:

Dic iis, qui nolunt credere (in Alcoranum): *quòd ſi abſtineant ab incredulitate ſua, condonabitur eis infidelitas præterita. Si autem redierint ad infidelitatem, jam præceſſit lex Priorum*: ideſt punientur à Deo per arma mea, ſicut puniti ſunt primi Infideles per arma aliorum: & deinde per apoſtrophen ad ſuos milites, hæc habet: وقاتلوهم حتى لا تكون فتنة ويكون الدين كله لله فان انتهوا فان الله بما يعملون بصير:

Et pugnate contra eoſdem (infideles) *donec aboleatur falſa religio; & ſit religio tota Dei. Quòd ſi abſtinuerint ab infidelitate, Deus intuebitur id, quod facient*: ideſt, Deus ignoſcet illis, ſi verè crediderint. Sura 47. القتال *Bellum*, v. 3. & ſeqq. ita ſuos alloquitur: فاذا لقيتم الذين كفروا فرب الرقاب حتى اذا اثخنتموهم فشدّوا الوثاق فاما منّا بعد واما فداء حتى تضع الحرب اوزارها ولو يشاء الله لانتصر منهم ولكن ليبلو بعضكم ببعض والذين قُتلوا فى سبيل الله فلن يضل اعمالهم سيهديهم ويصلح بالهم ويدخلهم الجنة عرّفها لهم: يا ايها الذين امنوا ان تنصروا الله ينصركم ويثبت اقدامكم:

Horum verborum interpretatio, gloſſa Gelaleddini interpoſita, eſt hujuſmodi: *Cùm ergo infideles inveneritis: percuſſio cervicis* (ideſt occidite eos.) *Cùm verò debiles eos atque imbecillos reddideritis, (ideſt plures eorum trucidaveritis) tunc (abſtinete à cæde) & vinculis*

Digitized by Google

culis fortiter alligate (reliquos captivos abducendos). Porrò vel gratia post hoc (idest vel gratis eos dimittite, nulla re pro hoc accepta): vel redemptio, (idest vel accipite pro redemptione eorum pretium ab eis, vel permutatio fiat cum captivis Moslemis): donec deponat bellum onera sua (idest donec absoluto bello, milites arma deponant: cum hoc, ut infideles, aut Moslemi fiant, aut ingrediantur in pactum: & hic est finis ultimus cædis & captivitatis. Quòd si voluerit Deus, certè vindictam capiet de illis. Sed (hoc non semper faciet), ut probet alios vestrum per alios (per mutua bella). Eorum verò, qui occisi fuerint pro Religione Dei, non sinet opera sine mercede. Diriget eos, & prosperabit intentionem eorum; & introducet eos in Paradisum, quem notificavit eis. O qui credidistis, si adjuveritis Deum, ille adjuvabit vos, & diriget pedes vestros. Ut verò asseclas suos magis ad bellum contra infideles suscipiendum accenderet, nullum non lapidem movet in Alcorano. Affirmat per summum mendacium, illis hujusmodi bellum esse præceptum à Deo: non solùm in Alcorano, sed in Pentateucho quoque, & Euangelio, in eadem Sura 9. التوبة vers. 13. his verbis: ان الله اشتري من المومنين انفسهم واموالهم بانّ لهم الجنة يقاتلون فى سبيل الله فيُقتلون ويُقتلون وعدًا عليه حقًّا فى التوراة والانجيل والقران ومَن اوفى بعهده من الله فاستبشروا ببيعكم الذي بايعتم به وذلك هو الفوز العظيم: *Deus quidem accepit à fidelibus animas, & facultates eorum in pretium Paradisi, quem daturus est eis, si prælientur pro Religione Dei, & occidant, & occidantur* (pro ea). *Hæc est promissio illius vera in Pentateucho, & Euangelio, & Alcorano. Et quis fidelior est in adimplendo pactum suum, quàm Deus? Lætamini igitur ob hujusmodi mercimonium vestrum cum Deo; nam hæc est felicitas maxima.* Occidendos porrò statuit eos, qui illud bellum recusent: impios eosdem proclamat: in Gehenna perpetuò damnandos minatur. Illud verò amplectentibus præmia amplissima pollicetur: Paradisum illis omninò deberi asserit; non mortuos, sed viventes, in bello occisos jubet appellari: Martyres omnes eosdem esse pronunciat. Tullium, aut Demosthenem, dum belli laudes, & bellantium præmia atque encomia enumerat & exaggerat, Mahumetum credas. Religionis scilicet divinæ propagandæ studium & zelus illum urgebat. Nimirùm. Religio larva erat; ut dixi: nam ubi hostes tributum solvebant, seque illius imperio subjectos fatebantur, nihil prætereà de religione curabat. Ita enim loquitur suis, in Sura allegata, *de Pœnitentia*, vers. 30. قاتلوا الذين لا يومنون بالله ولا باليوم الاخر ولا يحرّمون ما حرّم الله ورسوله ولا يدينون دين الحقّ من الذين اوتوا الكتاب حتي يعطوا الجزية عن يد وهم صاغرون:

Pugnate contra eos, qui non credunt in Deum, neque in diem novissimum: & non prohibent, quod prohibuit Deus, & legatus ejus; & non profitentur religionem veram, (idest Eslamiticam) *ex iis, quibus datus fuit liber* (Pentateuchi, & Euangelii, nempè Judæis, & Christianis) *donec solvant tributum manu, & fiant parvi* (idest humilientur & subdant sese vestro imperio). Hoc idem confirmant Auctores Arabes, qui vitam illius scripsere, & inter alios Abu-Giaapher Tabarita, relatus à Georgio Almacino in Historia sua Saracenica his verbis: واتاه النصاري من العرب وغيرهم فامنهم وكتب لهم كتبًا وكذلك اليهود والمجوس والصابه وغيرهم فبايعوا له واخذوا منه الامان علي ان يودوا الجزية والخراج:

Et venerunt ad eum Christiani ex Arabia, & alii, & recepit eos in fidem suam, scripsitque illis literas securitatis: & eodem modo Judæi, Magi, & Sabæi, & alii, qui fidelitatis juramentum illi præstiterunt, & acceperunt ab eo securitatem, cum pacto, ut tributum, ac vectigal illi persolve ent. Refert prætereà Thalebiensis in expositione Suræ 5. المايدة *Mensa*, vers. 3. factum, ex quo clariùs colligitur, Mahumetum in bello contra Infideles, non religionis causam, sed rem suam egisse: in hæc verba: وعن ابن عباس ان النبي صلعم كتب الي اهل هجر وعليهم منذر بن ساوي التميمي يدعوهم الي الاسلام فان ابوا فليودوا الجزية فلما اتاه الكتاب عرضه علي مَن عنده من العرب واليهود والنصاري والمجوس فاقروا بالجزية وكرهوا الاسلام والسيف واما اهل الكتاب والمجوس فاقبل منهم الجزية فلما قرا عليهم كتاب النبي صلعم اسلمت العرب واعطي اهل الكتاب والمجوس الجزية فقال في ذلك منافقوا اهل مكّة عجبًا من محمد يزعم ان الله بعثه لقتال الناس حتي يقولوا لا اله الّا الله وقد قبل من مجوس هجر واهل الكتاب الجزية فهلا اكرههم علي الاسلام وقلّدها علي اخواننا فشقّ ذلك علي المسلمين مشقّةً شديدةً فنزلت اذا اهتديتم ونزلت بعد ما اسلمت العرب

العـــــرب لا اكـــــراه فى الدّيـــــن :

Refert Ebn-Abbas, Mahumetum literas scripsisse ad Higrenses, contra quos profectus fuerat Mondher filius Savai Temimensis, ut vocaret eos ad religionem Eslam (& in literis erant hæc verba.) Quòd si noluerint eam amplecti, solvant tributum. Mondher autem acceptam Epistolam legit Arabibus, qui erant cum ipso, & Judæis, & Christianis, & Magusæis. Porrò bi tres elegerunt solvere tributum, renuentes suscipere religionem, & per hoc, bellum volentes evitare. Quamobrem Mondher suscepit ab eis tributum. Arabes verò, audita Mahumeti Epistola, fidem Eslamiticam susceperunt. Id videntes Meccani maligni, cum admiratione de Mahumeto obloquentes, dixerunt: Jactat se missum fuisse à Deo ad pugnandum contra homines, ut suscipiant armorum vi religionem suam, & ecce nunc suscepit à Magusæis Higrensibus, & à Judæis, & Christianis tributum. Hoccine fuit eos ad suscipiendam religionem compellere? Et quidem ad tributum solvendum coegit fratres nostros. Hoc verò effecit Mahumeti durissimum fuit: sed (ad eos placandos) *revelata sunt verba Alcorani: O fideles attendite vobis ipsis: non nocebit vobis error aliorum..., si vos directi fueritis: & postquam Arabes crediderunt, revelata sunt illa alia verba: Non sit coactio in religione suscipienda.* Ingenium Mahumeti versipelle ac vulpinum Arabes ipsi, non sine stomacho, cognovere. Ex quibus patet, non studio religionis ac fidei, sed effrænata dominandi ambitione Mahumetum contra infideles (ut ipse vocat; quamvis plerique essent Christiani, & fideles) arma movisse, ut eos ad Eslamiticam sectam suscipiendam violenter adigeret. Nam ubi eos ditioni suæ subjectos, sibique tributum ac vectigal humiliter persolventes videbat; nihil jam ulteriùs de religione curabat. Et nihilominus hoc ipsum erat devictos populos ad superstitionem suam suscipiendam compellere: nam in tot tàmque gravia mala miseros conjiciebat; tot tributis cenſibusque gravabat; tàmque dura tyrannide eos premebat; ut, quò se ab intolerabili illo jugo subtraherent, in Alcoranicam sectam ultrò jurarent. Id hodie quoque in Christianis illis, qui sub Mahumetanorum imperio vivunt, præsertim li captivi sint, evenire videmus, & dolemus. Nam præter barbariem, quam in illos Mahumetani assiduè exercent, nullam non captant occasionem, quò eos in errorem suum vel invitos trahant. Non erit hic Lectori ingratum, me ea summatim referre, quæ Auctor libri Italicè inscripti, *Teatro della Turchia*, refert c. 1. artic. 11. Capitali (inquit) pœna puniunt eum, qui ira correptus vel unum verbum contra eorum sectam temerè protulisset. In Diarbaker, puellam quandam Christianam fatuam Mahumetanorum puerorum turba jocis, & conviciis lacessebat. Illa, ut injuriam ulciscereturur, quædam temerè in Mahumetum, ejusque sectam protulit. Repentè ad Judices rapta: diù de abjuranda Christi fide tentata: sed frustrà: quamvis enim fatua, semper se in sua religione constantissimam ostendit: quamobrem suspendio occubuit. Græcus quidam Scientis, ebrietate oppressus, juravit se Mahumeto nomen daturum. Jam lobrius exhorruit, ubi id, quod è se in ebrietate juratum fuerat, rescivit: juramentum coram Judice retractavit, re detestatus est: facultates suas omnes obtulit, ne fidei jacturam facere cogeretur: iniquum esse affirmans, si id, quod ebrius promisisset, & cujus ne recordaretur quidem, servare cogeretur. Christianum se esse, Christianumque moriturum protestatus est. Nihil horum apud Judicem valuit: statim jubet miserum fuste gravissimè cædi, aliisque modis discruciari; tandemque è patibulo suspensum plumbeis glandibus è tubo bellico explosis interimi. Erant ei tres, vel quatuor filii adhuc parvuli. Hos Judex justit è sinu matris divelli, atque ad Mahumetismum transferri. Frustrà mater Judicis impii barbariem lacrymis ac precibus emollire conabatur. Sed adfuit miseræ inſperatò auxilium divinum: nam maritimarum copiarum Imperator adveniens, matris lacrymis, precibusque permotus, filios eidem liberè restitui justit. Armenus quidam, panem emporus à Turca, qui per jocum dixerat ei, se illi libenter venditurum, si Mahumetanus fieret; respondit & ipse per jocum: Quidni? At deinde religione tactus, confessus est Sacerdoti hanc suam levitatem. Sacerdos imprudenter coegit eum, ut eodem in loco coram omnibus id, quod per jocum dixerat, retractaret. Obedivit statim Armenus. At Judex, re audita, illum accersitum, frustràque, ut Christianam fidem ejuraret tentatum, ad incendium condemnavit. Puer quidam decennis Christianus interrogatus à Mahumetanis, utrum literas calleret; se callere respondit. Exhibuerunt ei per summam matitiam, schedulam quandam, in qua Mahumetanicæ fidei professio scripta erat, ut eam legeret. Legit innocens; statimque illi in plausus erupere, tanquam si jam Mahumetanus factus fuisset. Ille verò constanter protestatus est, se nihil tale cogitasse. Schedulam quidem, ut se literarum peritum oltenderet, legisse: cæterùm, se Christianum esse, Christianumque moriturum. Tunc illi furore succensi, correptum puerum in Mare præcipitavere. Cùmque corpus ejus à fluctibus ad litus rejectum fuisset post triduum, à Christianis acceptum, honorificè Constantinopoli (nam ibi hoc evenit) sepultum fuit. Omitto alia hujusmodi exempla, cùm hæc cuilibet satis esse possint, ut intelligat, quantam per vim ac fraudem nitantur Mahumetani impietatem suam propagare, ita à Prophera suo instituti, atque edocti, qui ferro atque igni homines ad superstitionem suam cogendos esse decrevit: quamvis ipsemet in Alcorano Sura 21. الانبياء *Prophetæ*, versf. 103. fingat sibi dictum fuisse à Deo: وَمَـــا أَرْسَلْنَاكَ إِلَّا رَحْمَةً لِلْعَالَمِيْنَ *Et non misimus te, nisi ut exhiberes misericordiam omnibus creaturis.* Imò Mahumetani volunt illum absolutè à Deo بعثة *Misericordiam* appellatum fuisse.

At oppolita prorsus ratione Christus in lege ac religione sua promulganda ac propaganda usus est. Non bello aut terrore: non cædibus aut rapinis: non imperio aut tyrannide: sed lenitate, humilitate, patientia, paupertate, charitate, verbi divini efficacia, ac Spiritus Sancti auxilio, voluit Evangelium suum Gentibus prædicari, & legem suam Mundo vulgari, ac persuaderi. Ita orta est, ita adolevit, ita per totum terrarum Orbem propagata est Christiana religio. Mahumetismus alieno sanguine crevit: Christianismus proprio: ille per vim; hic per charitatem invectus est in Orbem. Duodecim habuit Mahumetus ad sectam suam disseminandam belli Duces, quos الانصار *Auxiliatores* appellavit. Hi armorum vi Tyrannidem illi, non religionem veram peperere. Duodecim habuit

Chri-

Digitized by Google

Christus Apostolos, qui unica illius virtute ac spiritu armati, quod cætera omnia imbecilles, pauperes, ignari, inermes, universum humanum genus fidei ac ditioni illius subegere. Neque tamen per hoc Christus contra ullum arma movit: ullum vita, vel facultatibus suis spoliavit: ullum Regno, vel ditione sua expulit. Non enim cripere volebat, vel curabat hominibus bona, aut regna terrestria, qui ut cœlestia illis largiretur, in terras è cœlo descenderat.

Quòd verò, ut suprà innuimus, asserat Mahumetus, in Pentateucho, & Euangelio præcipi à Deo, ut ad Religionem suscipiendam, per armorum vim mortales cogantur; jam dixi, impudentissimum esse mendacium, quod unum satis esset ad Alcoranicam illius Legem penitus condemnandam. Nusquam in *Pentateucho* habemus, Deum præcepisse Israelitis, ut alias gentes ad Religionem ac legem suam violenter attraherent; sed volentes tantùm, & spontaneos ad eamdem admitterent. Id etiam aperté testatur R. Moyses Majemonides in Tract. de Regibus, cap. 8. his verbis: *Moyses Doctor noster non tradidit hæreditatem legis, & præceptorum, nisi Israelitis, juxta illud Deuter. cap 33. vers. 4. Legem præcepit nobis Moyses, hæreditatem congregationis Jacob: & iis omnibus, qui volunt Proselyti fieri ex aliis gentibus, juxta illud Num. cap. 15. vers. 15. Sicut vos, sic proselytus erit. Verùm nemo invitus cogendus est suscipere legem, & præcepta.* Quòd si Israelitæ jussu Dei contra Chananæos Ethnicos pugnavere; hoc non fuit, ut eos ad Religionem suam suscipiendam armis cogerent: sed ut eorum regionem sibi à Deo traditam, occuparent, atque eorumdem Idola destruerent, ne sibi essent occasio eadem colendi, atque Indigenarum superstitionem imitandi.

Quòd verò addit idem R. Moyses in prædicto Tract. de Regibus, cap. 8. Moysem edoctum à Deo, præcepisse, omnes mortales cogendos esse ad recipienda septem præcepta data filiis Noe: (de quibus tamen Doctores Thalmudici inter se non conveniunt) quicumque verò ea non recepisset, occidendum esse: nullum habet fundamentum, neque exemplum in Sacris literis. Imò, si credere licet Hebræorum Magistris, & præsertim R. Salomoni Isaacensi, vulgò Rasci, & auctoritati Thargum Jerosolymitani; Deus ipse proposuit legem suam liberè recipiendam, primò Idumæis in Monte Seir: deinde Ismaelitis in Monte Pharan: & postremò Israelitis in Monte Syna: & primis duobus eam rejicientibus; hi tantùm illam sponte ac liberè acceptavere. Inconsequens igitur erit, quòd Deus præceperit Ismaelitis, ut alios vi adigerent ad eandem, vel aliam suam legem suscipiendam: Et nihilominus non videtur negandum, posse per legitimam potestatem, cogi homines ad acceptandam, & servandam legem naturalem, quæ continebatur etiam in præceptis traditis filiis Noe; inter quæ præcipuum erat, unum tantùm Deum colere. Verùm hoc spectat tantummodo ad Supremum, ac legitimum Principem. Atque ita jure poßunt (imò debent, nisi majus inde timeatur malum) Christiani Principes in Terris suis, cogere Ethnicos ad Idola rejicienda, & ad unum tantùm verùm Deum colendum: & Hebræos ad usuras relinquendas, & ad unam tantùm uxorem habendam. Neque dubium est, quin possint eosdem adigere ad audienda Christianæ religionis dogmata, ut illius veritatem agnoscere valeant: quamvis ad eandem suscipiendam invitos compellere non possint. Non loquor de iis, qui veram religionem jam susceptam deseruere: nam hi possunt & debent ad eandem iterum reciendam compelli; & etiam propter apostasiam suam gravissimè puniri. At Mahumetus nullam habebat auctoritatem supra Arabes Ethnicos, & multò minus supra Christianos, & Hebræos, qui unum tantùm Deum verum colebant, ut eos ad superstitionem suam suscipiendam cogere posset: idque ipsemet fexcenties in Alcorano (quamdiù scilicet vires non habuit) apertissimis verbis protestatus est.

Objicient nobis fortasse Mahumetani, Catholicos Hispaniarum Reges, cum aliensi Pontificis Maximi, armorum vi, & more belli, Christianam religionem in Occidentales Indias, & præsertim in Mexicanum Imperium invexisse.

Respondeo, verum quidem esse, Pontificem Maximum Alexandrum Sextum Regiones illas Catholicis Regibus concessisse, eam potissimum ob causam, ut in illis Christianam fidem, Christique Euangelium prædicandum curarent. Non tamen ut armis violenter Incolas cogerent ad eandem fidem suscipiendam: ut patet ex verbis Diplomatis Pontificii. Poterant nihilominus Catholici Regis Duces ac Ministri cogere Gentes illas, sibi jam jure subjectas, ad Idola deferenda, eorumque Aras ac Templa destruenda, vel in honorem unius Dei veri commutanda; eumque Deum tantummodo colendum: atque etiam ad omnia illa, quæ saltem primariis Naturæ legibus repugnant, relinquenda, atque evitanda; inter quæ unum erat, homines sacrificare, & comedere. Cæterùm neque Pontifex Maximus præcepit, Gentes illas ad Christianam Religionem suscipiendam violenter compelli: neque Hispani eas ad hoc compulsè leguntur; quamvis ob alias causas, quæ ad Religionem minimè spectabant, Populos illos fortasse severiùs tractaverint.

Verùm verò Pontifex Maximus potuerit hos Populos, qui nunquam Christianos læserant, semperque Regna sua pacificè possederant, neque ad Ovile Christi pertinebant, Christianis Regibus, saltem quoad supremum aliquod dominium, & velut feudum nobile, jure concedere, non est hic locus disputandi. Mihi tamen certum est, Gentes illas, cum ferarum more viverent, & Deos illos colerent, qui nullum cultum, sed summam potiùs abominationem mererentur: & præterea non modo homines illis immolarent, sed etiam ipsi humanis carnibus vescerentur; atque uno verbo, naturæ humanæ omnes ferè leges violarent: potuisse suprema aliqua potestate, quæ in terris reperiretur, intra rectæ naturæ limites per vim coerceri. Porrò cum nulla sit in terris potestas major ea, quam Vicario suo Petro, ejusque successoribus, Deus ipse immediatè tradidit, ut omnes Christiani fateri coguntur: huic soli fas & jus erat, hoc præstare. Quamvis enim Christus Ecclesiæ tantùm suæ Petrum Principem ac Pastorem constituerit, tradidit tamen eidem potestatem omnem, quæ ad eandem Ecclesiam regendam, conservandam, defendendam, ac per totum orbem propagandam necessariò requirebatur, & per consequens ad auferendam, quantum posset, ea omnia obstacula, quæ Euangelii prædicationem, veræque fidei propagationem per totum Orbem possent remorari. Per hoc igitur à Christo tradita est Petro, & successoribus ejus plena facultas & auctoritas in omnia Regna Mundi, in ordine scilicet ad prædicandum in illis Euangelium, veramque Religionem constituendam: idque aperté fatetur universalis Ecclesia, dum ejusdem Petri summam potestatem, supremamque auctoritatem commendans, ita eum alloquitur: *Tu es pastor ovium, Princeps Apostolorum: Tibi tradidit Deus omnia Regna Mundi; & ideò tibi traditæ sunt*

Digitized by Google

claves Regni cælorum: ideſt plenisſima poteſtas ligandi, atque ſolvendi, & diſponendi de omnibus rebus etiam temporalibus in ordine ad bonum Ovilis Chriſti tibi commiſſi, ut illud paſcere, tueri, ac dilatare poſſis per omnia Regna Mundi, auferendo & removendo ea omnia, quæ te ab officio tibi commiſſo poſſunt impedire. Poterit igitur Pontifex Romanus Petri ſucceſſor, Chriſtique ſupremus in Terris Vicarius, per Principes Chriſtianos, Principes Ethnicos cogere, ne Euangelicam prædicationem impediant: non tamen Regnis ſuis ſpoliare, ut quidam docent, (hoc enim nimis odioſam Chriſtianam Religionem redderet) neque etiam, ut ad fidem ſuſcipiendam per vim quodammodo addúcantur, tributis extraordinariis, aliiſque oneribus eos gravare, ut Mahumetani conſuevere: imò eos benigniùs atque humaniùs, quàm alios ſubditos tractare debet: ita enim facilièus ad religionem amplectendam allicientur. Ita gerebat ſe S. Gregorius Magnus cum Judæis, ut teſtatur ipſemet, lib. 4. Epiſt. 6 his verbis: *Nec hæc inutiliter facimus, ſi pro levandis penſionum oneribus, eos ad Chriſti gratiam perducamus. Et ideò non eſt grave, quidquid de penſione pro Chriſto dimittimus*. Utrum verò etiam ad Idola relinquenda, & ad primaria Naturæ præcepta ſervanda, eos adigere poſſit, dubium valdè mihi eſt. Non enim ſunt ſubditi Eccleſiæ: & laudabilius hoc fiet per Prædicatores Euangelicos ſpirituali gladio verbi Dei; quàm per Duces belli temporalibus armis.

Cæterùm per ſeptemdecim ferè ſæcula, ſemper à Romanis Pontificibus (ad quos ſpectat Chriſtianæ religionis per totum Orbem propagatio) in Euangelii prædicatione, veræque fidei inter Populos infideles promulgatione illud obſervatum eſt, quod Chriſtus in Euangelio docuit, & Apoſtoli, Diſcipulique ejus obſervavere: ut nimirùm non per temporalem potentiam, perque arma, & vires; (ut mentitur Mahumetus) ſed per paupertatem, patientiam, charitatem, perſecutiones, ſupplicia, atque ipſius ſanguinis, vitæque profuſionem Miniſtri Apoſtolici Chriſtum crucifixum, ejuſque Euangelicam legem Gentibus prædicarent. Neque alia ratione utitur hodie Pontifex Romanus, dum per Sacram Eminentiſſimorum Purpuratorum Congregationem de Propaganda fide, viros religioſos, & Apoſtolico ſpiritu præditos per omnes Infidelium regiones ad prædicandum Chriſti Euangelium expenſis ſuis mittit, & in iiſdem regionibus ſuſtentat, ne ab Infidelibus aliquid ad vitam neceſſarium emendicare, vel accipere cogantur.

Dices: etiam Mahumetanorum Moſtinos eodem modo mittere hodie ſuos congerrones inter Indos Orientales Ethnicos, ut illis Alcoranicam legem prædicent, & proſelytos faciant.

Reſpondeo, hoc commune eſſe, ſemperque fuiſſe etiam omnibus ſeductoribus, & impoſtoribus. Neque verò ex eo, quòd Mahumetani, ſive in hac, ſive aliis in rebus faciant ſe ſimias Chriſtianorum; poſſunt idcircò ſibi eorumdem gloriam tribuere, quòd ſcilicet non vi, & armis; ſed virtute Dei, oſtenſione miraculorum, & ſanctitate Legislatoris ſui, ejuſque aſſerlarum tantummodò, Religio ipſorum fundata ſit, ac per totum terrarum Orbem propagata.

CAPUT VIGESIMUM QUARTUM.

De Vindicta privata.

PRivatam vindictam, qua nimirùm quilibet propria auctoritate injuriam ſibi illatam ulciſcitur, eſſe contra omnes leges divinas, & humanas, & contra ipſum Naturæ lumen, nullus, ut reor, ignorat. Nam per hoc deſtrueretur magna ex parte publica poteſtas à Deo inſtituta, per quam privatorum injuriæ recognoſci debent, & puniri. Quamobrem Deus Optimus Maximus in Lege ſua, Levit. cap. 19. 18. ſeverè privatam ultionem prohibuit, verbis illis: *Non quæras ultionem, nec memor eris injuriæ Civium tuorum*. Hebraicè abſolutè legimus, לֹא תִקֹּם: *Non ulciſceris te*. In Deuter. etiam cap. 32. 35. pronunciat idem Deus de ſe: *Mea eſt ultio; & ego retribuam*: quæ verba à S. Paulo ad Rom. cap. 12. allegantur ad omnem privatam vindictam condemnandam: *Non vosmetipſos* (inquiens) *defendentes* (id eſt vindicantes) *Chariſſimi; ſed date locum iræ: ſcriptum eſt enim: Mihi vindicta; Ego retribuam: dicit Dominus*. Aliis etiam in locis Veteris Teſtamenti ultio privata improbatur. Ut Proverb. cap. 20. *Ne dicas: Reddam malum: Expecta Dominum, & liberabit te*. Et cap. 24. 29. *Ne dicas: Quomodo fecit mihi, ſic faciam ei: Reddam unicuique ſecundùm opera ſua*. Et in Lib. Eccleſiaſtici, qui etiam apud Hebræos Divinæ auctoritatis habetur, cap. 28. 1. *Qui vindicari vult, à Domino inveniet vindictam, & peccata illius ſervans ſervabit. Relinque proximo tuo nocenti te; & deprecanti tibi peccata ſolventur*. Omitto referre quæ in hanc rem in Euangelio, aliiſque Libris Apoſtolicis habentur: cùm in his nulla ſit, ut ita dicam, pagina, in qua privata vindicta non damnetur: quippe quæ non ſolùm ſit contra bonum publicum, & contra Principis auctoritatem; ſed etiam Divinam Majeſtatem graviſſimè lædat: ad quam propriè ſpectat injurias aliis ab aliis illatas punire: vel eas puniendi Principibus à ſe conſtitutis vices delegare. Hinc toties in Sacris literis, Deus appellatur, *Deus ultionum*, vel *Deus ulciſcens*. Et inter nonaginta novem nomina, quæ illi tribuunt Arabes, unum eſt المنتقم *Ultor*. In Alcorano quoque non ſemel dicitur Deus ذو انتقام *Dominus vindictæ*: ſeu, prædituus auctoritate ulciſcendi. Uſurpat igitur ſibi ſacrilegè auctoritatem Dei ille, qui de injuria acceptа ultionem capere propria auctoritate præſumit.

At Mahumetus, qui legem nullam novit, niſi quam propria libido ipſi ſuggeſſit; non ſolùm privatam ultionem in Alcorano concedit, ſed etiam remunerandam illam à Deo eſſe pronunciat. Ita enim habet in Sura 42. الشورى *Conſultatio*, v. 34. & ſeqq.

فما أوتيتم من شيء فمتاع الحياة الدنيا وما عند الله خير وأبقى للذين آمنوا وعلى ربهم يتوكلون .... والذين اذا أصابهم البغي هم ينتصرون وجزاء سيئة سيئة

Digitized by Google

سيئة مثلها فمن عفى واصلح فاجره على الله انه لا يحب الظالمين :

Quod vobis à Deo datum est, est provisio præsentis vitæ. Quod verò est apud Deum (in Paradiso) *melius est, & permanentius, pro iis, qui credidérint, & in Deo confisi fuerint .... & pro iis, qui, cùm illata sibi fuerit injuria, sese vindicaverint. Sed vindictæ gravitas non debet excedere gravitatem injuriæ. Qui verò condonaverit, & pacificè rem composuerit: habebit mercedem apud Deum. Certè ipse non amat iniqua agentes.* Et Sura 16. النحل *Apes*, vers. 130. وان عاقبتم فعاقبوا بمثل ما عوقبتم به ولئن صبرتم لهو خير للصابرين : *Si ultionem ex aliquo sumere vultis, ultio non excedat injuriam vobis illatam. Quòd si patienter sustinueritis, certè hoc erit melius iis, qui sustinuerint.* Scribunt Expositores, hæc revelata fuisse Mahumeto anno tertio Hegiræ, quando in bello Ohodensi occisus fuit Hamza patruus ejus, & corpus illius undique vulneribus transfossum, membrisque mutilatum. Cùmque Mahumetus illud vidisset, dolore iraque stimulatus, juravit se vindictam sumpturum de occisoribus Hamzæ septuagies majorem lævitie, quàm ipsi contra eum excreuissent: vel, ut alii scribunt, sumpturum pœnam in triplum ex septuaginta hostibus Corasinis, si eos in potestatem suam habere potuisset. Cùm verò Deus per Gabrielem illi prædicta verba revelasset: abstinuit ab eo, quod proposuerat. Denique Sura 17. الاسرى *Iter nocturnum*, vers. 34. hæc habet: ولا تقتلوا النفس التي حرم الله الا بالحق ومن قتل مظلوما فقد جعلنا لوليه سلطانا فلا يسرف في القتل انه كان منصورا : *Et ne occidatis animam* (ideſt hominem) *quam prohibuit Deus, nisi cum justitia. Qui verò occisus fuerit injustè; jam dedimus propinquo ejus potestatem* (occidendi eum.) *Verùm ne limes excedatur in eo occidendo, eò quòd is* (qui in ultione excedit) *defendendus sit.* Ideſt, ut explicat Geladeddinus: *Ne occidatur alius præter homicidam; aut iste aliter occidatur, quàm ipse occiderit alium: etiam si propinquus illius, qui injustè occisus est, habeat multos patronos, à quibus, etiam si modum excesserit, defendendum se esse confidat.* Alludit ur in his ultimis verbis ad legem à Deo latam in libro Numerorum, cap. 35. de qua paulò post differemus.

Concedit itaque Mahumetus suis asseclis primam ultionem, itaut unusquisque possit de injuria sibi illata, quæcumque tandem illa sit, se vindicare, dummodo vindicta gravitatem injuriæ acceptæ non excedat: quod ut jam dixi, contra omnes leges divinas, atque etiam humanas rectè constitutas, censendum est. Nec excusat iniquitatem hujus Mahumeticæ Sanctionis, quòd in ea non negetur, melius esse injuriam ignoscere, quàm ulcisci; dum ultio ut bona, & à Deo remuneranda conceditur, & approbatur.

O quam longè distat in hoc, ut in cæteris, ab Euangelio Alcoranus! Quantum scilicet distant tenebræ à luce, lutum ab auro, stercus à balsamo, à floribus spinæ. Non enim solùm prohibetur in Euangelio quodlibet vel minimum privatæ vindictæ genus, itaut *nulli malum pro malo reddatur*; sed etiam omnis voluntarius motus iræ, indignationis, & odii contra eum, qui nos lædit, sive exterius per verba, aut nutus significetur, sive interius tantùm corde foveatur. Verùm ulteriùs progreditur Sanctitas, ac perfectio legis Euangelicæ. Non enim solùm malum pro malo reddere vetat Christus; sed & bonum malum compensemus admonet, & hortatur. En verba ipsius Matth. cap. 5. *Ego autem dico vobis: Diligite inimicos vestros: benefacite his, qui oderunt vos: & orate pro persequentibus, & calumnientibus vos: ut sitis filii Patris vestri, qui in Cœlis est.* Et paulò superiùs dixerat: *Ego autem dico vobis; non resistere malo; sed si quis te percusserit in dexteram maxillam tuam, præbe illi & alteram: & ei, qui vult tecum judicio contendere, & tunicam tollere; dimitte ei & pallium.*

Cæterùm non solùm Christiani ex documento atque exemplo Christi, qui in Cruce, pro eorum, qui se tàm immaniter & verbis & factis vexabant, venia & salute, Patrem suum exoravit: sed Ethnici quoque Philosophi; imò & Principes ipsi, penes quos suprema potestas residebat, ex lumine naturæ cognoverunt, appetitum ultionis, atque ultionem ipsam, esse animi vilis, & ignobilis: & injuriam condonare, & multò plus beneficio compensare; valdè honorificum esse, & homine magnanimo dignum. In Pentateucho quoque, & aliis libris veteris Testamenti hoc ipsum summoperè commendatur: præsertim Exodi cap. 23. ubi ita præcipit Deus: *Si occurreris bovi inimici tui, aut asno erranti; reduc ad eum. Si videris asinum odientis te jacere sub onere, non pertransibis, sed fabricabis cum eo.* Salomon etiam in Proverbiis, cap. 25. monet: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitierit, da ei aquam bibere: prunas enim congregabis super caput ejus, & Dominus reddet tibi.*

Ab hujusmodi exemplis ac documentis admodum procul fuit Mahumetus, quippe qui in privatam ultionem ab ipsis incunabulis pronissimus fuerit. Nam, ut in ejus vita à Mahumetanis scripta refertur, Anno octavo Hegiræ, inter captivos, quos in bello contra Havazenos gesto, ceperat, fuit Sebama filia Harethi & Halimæ Saadiensis, soror collactanea Mahumeti, in cujus adhuc infantulæ dorso infans ipse, ex impetu iræ (nisi fortè lasciviæ; nam utroque morbo semper æquè laboravit) tàm rabido morsu dentes impresserat; ut post sexaginta annos adhuc cicatrix tàm immanis viseretur, ut ex ea potuerit Mahumetus sororem suam collactaneam agnoscere. Refert præterea Albocharius in trigesimam partem Alcorani, dictum hoc Mahumeti: لا عضين أفجر من الله : *Nullus est, qui majori zelotypia laboret, quàm Deus*: & in hanc rem ita scribit: وقال عبيد الله بن عمرو عن عبد الملك حدثنا ابو عوانة حدثنا عبد الملك عن وراد كاتب المغيرة عن المغيرة قال قال سعد بن عبادة لو رأيت رجلا مع امرأتي لضربته بالسيف غير مصفح فبلغ ذلك رسول الله ص فقال تعجبون من غيرة سعد والله

Digitized by Google

والله لانا اغير منه والله اغير منــــــــــي :

Et dixit Obeid-Allah filius Amru ex relatione Abdal-Malek: Narravit nobis Abu-Avana, narratum fuisse sibi ab Abdal-Malek, cui narraverat Varrad scriba Almogheiræ, qui asserebat dixisse, Saad filium Ebadat: Si invenirem hominem aliquem cum mea uxore, certè occiderem eum gladio absque ulla misericordia. Id cùm relatum fuisset Legato Dei Mahumeto, dixit: Cur admiramini de zelotypia Saad? Ego sum magis zelotypus, quàm Saad: & Deus majorem zelotypiam habet quàm ego. Ex ore suo se judicat homo nefarius, qui non solùm laudet privatam vindictam in aliis, sed in se etiam probet, deque ea glorietur; neque illum pudeat, exemplo Dei, iræ furorisque sui impotentiam cohonestare. At enim hoc ipsum etiam Christianorum Principum leges concedunt. Falsum omninò. Quamvis enim delictum hoc ex quadam indulgentia non puniant; non tamen vel probant, vel concedunt. Plura in vita illius exempla recensent Arabes, ex quibus constat, quàm pronus esset in vindictam. Ex his poterit Lector nonnulla in ea, quam ego summatim scripsi, recognoscere. Neque omittendum est, eundem non solùm manu ac ferro, sed etiam lingua & calamo rancoris sui pus, atque venenum in eos, à quibus injuriam aliquam accepisset, evomuisse. Id videre est in quibusdam Alcorani Suris, quas Satyras veriùs appellaveris: nam in illis, quosdam è suis Corasinis, & præsertim Abu-Gehel, contribules suos, & Abu-Laheb patruum suum, & Ommo-Gemil amitam suam, ob injurias nescio quas ab illis acceptas, enormiter proscindit.

Defendet fortè causam suam Mahumetus exemplis quorumdam Prophetarum, seu Patriarcharum; ut Noe, qui contumeliam sibi à Cham filio suo illatam, dum de se ob ebrietatem nudato jocum captaverat, vindicavit, malè precando filio ejus Chanaan David, qui Nabal Carmelum, tanquam sibi ingratum & injurium, occidere decreverat: Eliam, ad cujus imperium cœlestis ignis duos duces Regis Achab, eorumque milites, quòd se minus honorificè compellassent, absumpsit; Elisæi, qui quadraginta duos pueros, sibi illudentes, ursis devorandos exposuit; & aliorum hujusmodi. Verùm hi, non ex motivo privatæ ultionis, sed ex zelo justitiæ, & honoris Dei adducti sunt, ut injurias illas ulciscerentur: neque hoc sine divino impulsu fecerunt, cùm Deus ipse executor hujusmodi eorum vindictæ, seu veriùs justæ pœnæ, fuerit. De David tamen non videtur dubium, quin aliquantò in voluntate vindictæ contra Nabal excesserit. Sed nos neque asserimus, neque credimus, sanctos illos Patres ac Prophetas nunquam vel in hac, vel in aliis rebus deliquisse; cùm ex Sacris Scripturis constet oppositum. Atqui Mahumetus in condendis sanctionibus suis, & multò magis in actibus suis regulandis, debebat ut apes ad flores, non ut scarabæus ad stercus accurrere. Debebat, inquam, inspicere, atque imitari exempla indulgentiæ, & charitatis ejusdem David erga Saul, Absalom, ac Semei: Joseph erga fratres suos: Jacob erga Esau: Moysis erga populum suum; & alia hujusmodi sexcenta: non dico exemplum Christi, ejusque Apostolorum: nam nimis hebetes erant Mahumeti oculi ad lucem tàm claram inspiciendam.

Postremò objicit nobis (ut suprà innuimus) Mahumetus Sanctionem ipsius Dei in Pentateucho, Numer. cap. 35. qua præcipit, ut qui alium data opera occiderit, à propinquo ejusdem occisi, ubicumque ab eo inventus fuerit, interficiatur. Non solùm igitur probat, sed præcipit Deus privatam vindictam.

Sed facilè respondemus, nullo modo fuisse hanc, vel dici potuisse, privatam vindictam; cùm propinquus occisi non deberet interficere homicidam privata auctoritate, sed jussu Dei, cognita priùs causa in legitimo Judicum consessu. Itaque propinquus ille non exercebat privatam ultionem, sed exequebatur, ut minister, sententiam à Deo, ac judicibus prolatam. Hoc manifestè patet non solùm ex verbis Sacræ paginæ, sed etiam ex ipsa ratione. Quis enim credat, liberum fuisse cuique interficere eum, quem crederet occidisse propinquum suum, incognita causa, & ex propria tantùm suspicione, vel conjectura? Nonne poterat hic errare, & occidere innoxium pro nocente: in quo casu reus homicidii ipse fuisset, & à propinquo ejus, quem interfecerat, jure potuisset occidi? Debebat igitur vel factum esse adeò clarum ac manifestum, ut nullus de eo posset dubitare: qua ratione intelligebatur jam esse plenè probatum: vel si esset aliqualiter dubium, vel suspiciosum; per publicum judicium necesse erat discuti, & definiri. Porrò non solùm per legem divinam, sed etiam per leges humanas non raró statuitur, ut in pœna capitali quilibet possit esse executor, quando reus jam damnatus fuga se subripuit, nec potest in manibus haberi. Neque tamen per hoc intelligitur concedi ulli privatam vindictam: imò si quis ex odio, vel ultionis appetitu, illum occideret, gravissimè peccaret: quemadmodum etiam peccasset ille, qui Deo jubente propinqui sui occisorem interfecisset: nam odium, ac vindicta absolutè prohibentur ab ipso Deo. Cur verò voluerit Deus homicidam occidi à propinquo hominis interfecti; credo fuit, vel quia ita erat consuetudo in eo populo, dum esset in terra Ægypti: vel in majorem pœnam homicidæ ipsius. At enim hoc erat occasio & fomentum odii & vindictæ ipsi propinquo. Esto: sed in illius arbitrio ac libertate erat odium, & vindictæ appetitum admittere, vel rejicere. Plura enim alia sunt homini incitamenta ad malum, quæ ipse nullo modo potest evitare; & tamen tenetur motibus inordinatis, qui ex illis consurgunt, resistere. Nihilominus, ut hujusmodi occasionem propinquo occisi Deus minueret, jubebat eum statim homicidam jugulare; ne scilicet eum diutiùs detinendo, ac discruciando, vel lento mortis genere perimendo, posset odium suum rabidiùs exercere. Non dubito autem, quin plerique ab homine, quamvis inimico, ita in morem pecudis jugulando abhorrerent, præsertim cùm jam ardor iræ, ac vindictæ furor deferbuisset.

Addo, Deum hoc tantummodo in homicidio statuisse, non autem aliis in rebus, in quibus nulli concedebatur vindicem esse propriæ injuriæ. At Mahumetus privatam ultionem in omnibus indiscriminatim concedit. Præterea plerique Doctores sentiunt, hanc fuisse tantummodo permissionem, non autem absolutum præceptum Dei (quemadmodum etiam talionem, usuram, repudium, ac polygamiam) propter duritiem illius gentis, ad majora mala evitanda. Et Quicquid sit, non debuit Mahumetus his à Deo potiùs permissis, ac dissimulatis, quàm præceptis, & per se nullam bonitatem habentibus, ac proptereà à sapientibus communiter improbatis, legem suam infarcire, ac centonare: præsertim cùm legum omnium perfectissimam, sanctissimam, atque excellentissimam, se condere profiteretur.

CA-

CAPUT VIGESIMUM QUINTUM.

De Disputatione circa Religionem.

Verissimum est Christi axioma, Joannis cap. 3. *Omnis, qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus. Qui autem facit veritatem: venit ad lucem, ut manifestentur opera ejus, quia in Deo sunt facta.* Prima pars axiomatis in Mahumeto, ejusque Alcorano verificatur: secunda, in Christo, atque Euangelio illius, ut in hoc capite manifestissimè patebit.

Mahumetum semper refugisse, atque etiam prohibuisse disputationem circa legem ac religionem suam, omnibus notissimum esse existimo. Nihilominus libet ipsius testimoniis hoc comprobare. Sura 6. الانعام *Pecudes*, verf. 69. introducit Deum ita se commonentem: وإذا رأيت الذين يخوضون فى اياتنا فاعرض عنهم حتى يخوضوا فى حديث غيره وإمّا ينسينّك الشيطان فلا تقعد بعد الذكرى مع القوم الظالمين: *Et cùm videris eos, qui disputant de signis nostris* (Gelaleddinus, فى القرآن *de Alcorano*); *procul recede ab eis, donec disputent de alia re. Quòd si oblivisci fecerit te Satanas* (hoc quod nunc tibi dico); *saltem ubi recordatus fueris, ne sedeas cum his iniquis.* Sura 29. العنكبوت *Aranea*, verf. 46. fingit sibi, & suis hæc à Deo præcipi ولا تجادلوا اهل الكتاب الّا بالتى هى احسن الّا الذين ظلموا منهم وقولوا امنّا بالذى أنزل الينا وأنزل اليكم والهنا والهكم واحدٌ ونحن

Nolite disputare cum Scripturalibus (Judæis scilicet & Christianis) *exceptis iis, qui vos injuria affecerint*: (nam cum his, ut explicat Gelaleddinus, non verbis, sed gladio disputandum est) *sed modestis verbis dicite illis: Credimus in Alcoranum nostrum, & in Pentateuchum, & Euangelium vestrum: & Deus noster, & Deus vester est unus, & nos illum devotè colimus.* Sura 3 ال عمران *Familia Amran*, verf. 59. Novum modum disputandi de veritate Religionis fingit sibi à Deo fuisse demonstratum, his verbis: الحق من ربك فلا تكن من الممترين فمن حاجّك فيه من بعد ما جاءك من العلم فقل تعالوا ندع ابناءنا وابناءكم ونساءنا ونساءكم وانفسنا وانفسكم ثم نبتهل فنجعل لعنت الله على الكاذبين:

Deus revelavit tibi veritatem, itaque ne dubites de ea. Si quis verò disputare voluerit tecum de ea, postquam data est tibi scientia illius; dic illi: Venite, ad vocemus filios nostros, & filios vestros, & conjuges nostras, & conjuges vestras, & nos ipsos, & vos ipsos: Deinde oremus Deum, ut feriat maledictione sua eos ex nobis, qui sunt mendaces, & aberrant à veritate. Refert in hanc rem Gelaleddinus id, quod habetur in vita Mahumeti, Anno nono Hegiræ: venisse scilicet ad eum Legatos Christianorum Provinciæ Nageranæ, cum suo Episcopo Abu-Haretha. Cùmque hic cum Mahumeto de religione disceptare cœpisset: ille eum & cæteros Nageranenses ad causam ea ratione, quam diximus, decidendam provocavit. At Abu-Haretha ab hujusmodi conditione acceptanda suos dehortatus est. Illi nihilominus postera die convenere: sed cùm vidissent Mahumetum unà cum Aly, Phatema, & Hasano, & Hoseino, jam ad maledictionem à Deo contra eos, qui in errore essent, imprecandam, orare cœpisse, timuerunt: statimque Mahumeto sese dedidere, & de tributo illi persolvendo convenerunt. Sed fabula est hæc proculdubio. Cæterùm Deus non reliquit veram Religionem ita probationibus destitutam; ut necesse sit, vel etiam liceat, ad eam à falsa dignoscendam, per hujusmodi temeraria experimenta Deum tentare.

Alia tergiversatione utitur Impostor, ut disceptationes de religione possit effugere, vel prohibere. Etenim Sura 22. الحجّ *Peregrinatio*, verf. 65. hæc Deum sibi præcipientem indicit: لكلّ امّة جعلنا منسكًا هم ناسكوه فلا ينازعنّك فى الامر وادع الى ربّك انّك لعلى هدًى مستقيم: وإن جادلوك فقل الله اعلم بما تعملون: الله يحكم بينكم يوم القيمة فيما كنتم فيه تختلفون: *Cuilibet genti constituit Deus ritus religionis, quos exercerent. Ne ergo disceptent tecum de hoc negotio* (religionis:) *sed invita eos ad Dominum tuum: certè tu es in via rectâ. Quòd si tecum disputare voluerint; dic eis: Deus peritissimè novit id, quod operamini. Deus litem decidet inter vos in die Resurrectionis circa id, in quo discrepatis inter vos.* Similia habet Sura 42. الشورى *Consultatio*, verf. 14. ubi hæc sibi circa religionem Deum præcipientem introducit: فلذلك فادع واستقم كما أمرت ولا تتبع اهوآءهم وقل آمنت بما انزل الله من كتاب وأمرت لاعدل بينكم: الله ربّنا وربّكم لنا اعمالنا ولكم اعمالكم لا حجّة بيننا وبينكم الله يجمع بيننا واليه المصير: والذين يحآجّون فى الله من بعدما استجيب له حجّتهم داحضة عند ربّهم وعليهم غضب ولهم عذاب شديد:

Ad hanc igitur (Religionem) *invita alios; & tu in ea firmiter sta, quemadmodum jussus es: & ne secuaris desideria eorum, sed die illis: Credo in Libros, quos revelavit Deus: & jussus sum justè judicare inter*

Digitized by Google

ter vos. Deus eſt Dominus noſter, & Dominus veſter: nobis ſunt opera noſtra, & vobis ſunt opera veſtra: ne ſit diſceptatio inter nos, & inter vos. Deus componet litem inter nos, & ad eum revertemur. Qui verò diſputaverint de Deo (ideſt de Religione ejus) *in poſterum, cùm jam Deus Mahumeto veritatem revelavit: diſputatio eorum vana erit apud Dominum ipſorum: imò Deus iraſcetur contra eos, & infliget eis panam vehementem.* Hæc eadem, vel ſimilia, ſæpiùs in Alcorano repetuntur.

Prohibet igitur Mahumetus ſuis diſceptationes de Religione, præſertim cum Judæis, & Chriſtianis: nam cum Idololatris poterant tutiùs diſputare, non ad probandam Religionem ſuam, ſed ad confutandum errorem manifeſtiſſimum illorum. Cùm verò ab initio illius affectæ cum Judæis circa Religionis ſuæ veritatem diſſerere cœpiſſent; atque ab iiſdem manifeſti erroris convincerentur: præcepit eis, ut ab hujuſmodi diſſertationibus abſtinerent. Ea verò, quæ à Judæis in poſterum ſibi objicerentur, neque approbarent, neque reprobarent.

Valdè autem leves, ſeu potiùs ridiculæ, ſunt rationes, ob quas prohibet Mahumetus ſuis, & ipſe quoque refugit de Religione diſputare.

Prima ratio eſt (ut vidimus,) quia affectæ ſui credunt in eundem Deum, in quem credunt Scripturales (nempè Judæi, & Chriſtiani) & eoſdem Sacros libros recipiunt, ac venerantur: eademque bona opera cum illis habent communia. Ad quid ergo cum illis de Religione digladiari? Eodem modo hodie nobis Turcæ reſpondent, cùm eos ad Chriſtianam Religionem ſuſcipiendam hortamur: nimirùm: Eſto tu bonus Chriſtianus; ego verò ſim bonus Mahumetanus: nam omnes unum Deum, & bonam Religionem habemus.

Secunda: Deus unicuique Genti (nempè Judæis, Chriſtianis, Sabaitis, Magis, & Mahumetanis) dedit bonam Religionem, ut unaquæque obſervaret illam: Ergo importunum eſt, ut una cum alia de Religione diſputet, aut altereretur. Sed unuſquiſque videt, quàm vana ſit hujuſmodi ratio: cùm Mahumetus centies in Alcorano pronunciet, in nulla religione ſalutem reperiri, niſi in Eslamitica à ſe inſtituta, vel reſtaurata.

Tertia: Veritatem, vel falſitatem Religionis, non rationibus, aut argumentis, ſed divino Oraculo inquirere, & cognoſcere debemus; itaut precantibus nobis Deum, ut maledictione feriat eos, qui falſam Religionem profitentur; ſi id ipſe fecerit, tunc quænam vera ſit Religio intelligamus. Ad hanc rationem jam ſatis reſpondimus.

Quarta: Non eſt quòd Moslemi, & Scripturales, vel aliæ Gentes, circa Religionem lites inter ſe moveant, ad dignoſcendum, quinam eorum in vera Religione, & qui in falſa verſentur: nam Deus in die Judicii hanc cauſam diſcernet, & quorumnam vera, quorum autem falſa fuerit Religio, manifeſtè declarabit. Verùm ſi hoc Dei judicium expectandum eſt, omnes ſimus in tenebris, & ne Mahumetani quidem poſſunt citra formidinem & dubietatem, credere, Religionem ſuam eſſe bonam; Chriſtianorum verò, & Judæorum malam.

Addit quintam rationem Auctor quidam nomine معاوية بن قرة Mauvia filius Coræ, allegatus à Thalebienſi in Expoſitione Suræ 5. v. 15. quia ſcilicet: الخصومات فى الدين تحبط الاعمال : *Diſceptationes de religione, vana & inutilia reddunt opera.* Sed hoc gratis, & abſque ullo fundamento dicitur. Nihil enim, quod conducat ad cognoſcendam veritatem, poteſt per ſe inutilia reddere opera hominum: imò quò magis cognoſcitur veritas, eò magis convenit opus eſſe utile, & perfectum.

Cæterùm, vera, & unica ratio, ob quam Mahumetus diſputationes de ſua lege ac religione, nempè de Alcorano, affectis ſuis interdixit, ea fuit; quia, utpotè non omninò cæcus, manifeſtè agnoſcebat, nullam in ea eſſe veritatem: & ſi rectè inſpiceretur, ac ſolerter diſcuteretur, poſſe illius falſitatem, & impoſturam à quolibet facillimè deprehendi.

At verò Chriſtus, qui erat ſumma Veritas, &, ut ipſe dixit Pilato, *in Mundum venerat, ut teſtimonium perhiberet Veritati*, non timuit, ne ſi lex ſua Euangelica examini exponeretur, & adamuſſim trutinaretur, quidquam vel minimum in ea poſſet reperiri, quod falſi aliquid, vel ſuſpiciòſi contineret. Euangelio ſcilicet conveniunt ea verba, quibus Alcoranum ſuum Mahumetus immeritò exorſus eſt: ذلك الكتاب لا ريب فيه , *Iſte eſt liber, in quo nulla eſt erroris vel falſitatis ſuſpicio*: ſed magis verba David, Pſal. 11. *Eloquia Domini eloquia caſta: argentum igne examinatum, probatum terræ, purgatum ſeptuplum.*

Non ſolùm igitur non prohibuit Chriſtus, de Euangelio & de religione ſua, ad illius veritatem cognoſcendam, manifeſtandam, & ingerendam inhidelibus, diſputari: ſed ipſemet hujus rei exemplum dedit, quando adhuc duodennis, in Templo cum Doctoribus Legis de rebus, proculdubio ad religionem ſpectantibus, diſputare inventus eſt. Et deinde cum Scribis, Phariſæis, Sadducæis, Herodianis, Sacerdotibus, ac turbis non raro de rebus vel fidei dogmata, vel legis praxin continentibus, diſſertavit. Illum proculdubio in hoc ſectatores ejus imitari debebant. Verum quidem eſt, noſtriſſe ut primi illi, qui eum ſequuti ſunt, ſe multo ſtudio ad religionem ſuam contra infideles propugnandam pararent; quia eis ſpecialem Spiritus Sancti gratiam & auxilium ad hoc collaturus erat. Hinc Matthæi cap. 10. dixit Apoſtolis: *Cùm autem tradent vos, nolite cogitare, quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos eſtis, qui loquimini: ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Hoc manifeſtè apparuit mox poſt Chriſti reſurrectionem in S. Stephano, de quo ita legimus in Actis Apoſtolorum, cap. 6. *Stephanus autem plenus gratia, & fortitudine faciebat prodigia, & ſigna magna in Populo. Surrexerunt autem quidam de Synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenenſium, & Alexandrinorum, & eorum, qui erant à Cilicia, & Aſia, diſputantes cum Stephano: & non poterant reſiſtere ſapientiæ, & ſpiritui, qui loquebatur.* Sanctus etiam Paulus, divinitùs à Chriſto ad Apoſtolatum vocatus, ſtatim cœpit contra Judæos pro ipſius Chriſti religione aſſerenda, argumentis ac rationibus inſurgere. Sic enim de eo legimus in iiſdem Actis, cap. 9. *Et continuò in Synagogis prædicabat Jeſum*, (ideſt diſputando probabat) *quoniam hic eſt filius Dei.* Et mox: *Saulus autem multo magis convalescebat, &* (argumentorum vi) *confundebat Judæos, qui habitabant Damaſci, affirmans* (ideſt rationibus probans) *quoniam hic eſt Chriſtus.* Et in iiſdem Actis crebræ occurrunt diſputationes tàm illius, quàm S. Petri, cum Judæis, ad Chriſti divinitatem, fidem,

Digitized by Google

fidem ; ac religionem asserendam : & præsertim, cap. 28. cùm jam idem Paulus Romæ moraretur in suo conducto. Ibi enim, *venerunt ad eum in hospitium plurimi* (nempè Judæi) *quibus exponebat testificans Regnum Dei, suadensque eis de Jesu ex lege Moysi, & Prophetis à mane usque ad vesperam. Mansit autem biennio toto in suo conducto ; & suscipiebat omnes, qui ingrediebantur ad eum, prædicans Regnum Dei, & docens quæ sunt de Domino Jesu Christo, cum omni fiducia, sine prohibitione*. Sanctus etiam Petrus Prineeps Apostolorum, Epist. 1. cap. 3. vult Christianos esse paratos ad reddendam rationem omnibus de sua religione, & ad satisfaciendum argumentis eorum, qui contra eam insurgunt, ita enim monet : *Timorem autem eorum* (nempè infidelium) *ne timueritis, & non conturbemini. Dominum autem Christum sanctificate in cordibus vestris, parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea, quæ in vobis est, spe* : idest de vestra fide ac religione. Præterea S. Paulus in Epistola ad Titum, cap. 1. præcipit, Episcopum, ad quem præcipuè spectat Christi fidem prædicare, esse *justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundùm doctrinam est, fidelem sermonem : ut potens sit exhortari in doctrina sana, & eos, qui contradicunt, arguere* : idest rationibus, & argumentis confutare.

Documentum, & exemplum Apostolorum sequuti sunt omnes Christianorum Pastores & Doctores per sexdecim sæcula (& hodie quoque sequuntur) non solùm contra infideles & hæreticos ore tenus pro Christi fide acriter disceptando ; sed etiam innumera volumina conscribendo, in quibus Christianæ Religionis veritatem evidenter ostendunt, ejusque adversarios validissimis argumentis oppugnant.

Objicient Mahumetani, non posse fine impietate disputari de eo, quod Deus revelavit esse verum, ad inquirendum, utrum veritatem, an falsitatem contineat, ac proinde videndum, utrum illi fides adhibenda sit, nec ne. Sed hujusmodi est Religio : ergo nefas erit de ea disceptare, vel aliquid illius in dubium revocare.

Respondeo, Mahumetanos supponere id, quod probandum erat, nempè religionem suam esse à Deo revelatam. At verò hoc nunquam potenint probare : jam enim vidimus, veræ religionis characteres esse, oracula Sacrarum Scripturarum, seu divinam revelationem : demonstrationem verorum miraculorum, consonantiam dogmatum : sanctitatem & justitiam legum, quæ ad praxin spectant. At verò nihil horum Mahumetanos pro secta sua confirmanda ostendere posse, hactenùs evidentissimè probavimus : cùm tamen omnia pro se Christiana Religio, etiam juxta Moslemorum testimonium, manifestè demonstret.

At enim, Deus Alcoranum Mahumeto per Gabrielem revelavit. Ridiculum. Quem testem adducit pro se Mahumetus ? nullum certè alium, nisi seipsum. At etiam ex sacris literis habemus, non paucos jactasse falsò, sibi à Deo arcana revelata fuisse, seque ab eodem Deo missos, ut illa populo manifestarent : de quibus ita loquitur Deus ad Ezechielem, cap. 13. *Fili hominis, vaticinare ad Prophetas Israel, qui prophetant : & dices prophetantibus de corde suo : Audite verbum Domini : Hæc dicit Dominus Deus : Væ prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum, & nihil vident. Vident vana, & divinant mendacium ; dicentes : Ait Dominus, cùm Dominus non miserit eos. Et perseveraverunt confirmare sermonem*. Ex hoc genere fuit etiam Mahumetus, qui mendacia illa, ac fabulas, quas sibi finxit à Deo revelari, perseveravit confirmare non rationibus, sed armis.

Porrò fatemur etiam nos, non esse disputandum de vera religione ab iis, & inter eos, à quibus ut vera, & à Deo data, jam cognita, & suscepta fuit, nisi fortè ad exercendum ingenium, ut fit in Christianorum Gymnasiis, & Academiis ; vel etiam ad ejus mysteria perfectiùs capienda ac penetranda, ut eadem possint infidelibus faciliùs, & majori cum fructu prædicari ac persuaderi. Neque probamus, quòd cuilibet è vulgo, & etiam mulierculis, fas sit de Religione, ejusque mysteriis disceptare. Hoc enim tantùm competit viris Theologis, ac sacra doctrina probè instructis : præsertim verò Episcopis, atque animarum pastoribus.

Quòd verò quis clausis oculis, & bruto prorsus modo, debeat statim credere cuilibet, qui asserat ie esse prophetam, qualem se asserebat esse Mahumetus, & suscipere legem ac religionem illius tanquam à Deo datam, quæcumque tandem illa sit, ob unicum illius assertum, itaut satis sit dixisse, *αὐτὸς ἔφα, Ipse dixit*, quemadmodum de Pythagora fertur : hoc vero omninò negamus : oppositum enim docent nos Sacræ Scripturæ, & præsertim Epistola prima S. Joannis, cap. 4. his verbis : *Charissimi, nolite omni spiritui credere ; sed probate spiritus, si ex Deo sint : quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in Mundum*. Christus ipse protestatus est, se nolle, ut iis, quæ prædicabat, fides ulla haberetur, nisi eadem miraculis & auctoritate Sacrarum Scripturarum confirmaret. En ejus verba ad Judæos, Joan. cap. 5. *Scrutamini Scripturas, quia vos putatis in illis vitam æternam habere : & illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me*. Et cap. 10. 17. *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi. Si autem facio, & si mihi non vultis credere, operibus credite ; ut cognoscatis, & credatis, quia Pater in me est, & ego in Patre*. Hæc autem opera erant præcipuè miracula, quæ non poterat facere nisi Deus, ac proinde erant certissima argumenta veritatis illius, quam Christus prædicabat. Et quamvis Mahumetus etiam in Alcorano sæpè alleget pro se testimonium Sacrarum Scripturarum (nam miracula, falsem vera, non poterat allegare) manifesti tamen mendacii convincitur, cùm nihil in illis habeatur, quod ei possit suffragari, ut jam demonstravimus.

Sed intelligo, quid pro religione sua responsuri sint Mahumetani, nimirùm : si hæc bona & vera non esset, Deus non ita eam dilatasset, ac tot regnis & imperiis auxisset ; neque tamdiù consistere (jam enim supra decem sæcula perseverat) & quotidie incrementa majora sumere pateretur. Nàm hoc argumento usus est Gamaliel Doctor Hebræorum in Concilio Synedritico, ut legimus in Actis Apostolorum, cap. 5. ad disputandum, utrum Christiana Religio, quam Apostoli prædicabant, pro vera habenda esset, nec ne : ita pronuncians : *Et nunc itaque dico vobis, discedite ab hominibus istis, & sinite illos : quoniam si est ex hominibus consilium hoc, aut opus, dissolvetur. Si verò ex Deo est, non poteritis dissolvere illud : ne forte & Deo repugnare videamini*. Juxta hanc Gamalielis regulam, necessariò fatendum videtur, Mahumetanicam religionem esse à Deo, quæ tamdiù perseveravit, neque solùm non potuerunt eam homines dissolvere ; sed semper magis crevit, & hodie per totum ferè terrarum orbem disseminata est.

Hæc est confiuta cantio Mahumetanorum, contra quam suprà satis multa diximus : nec est quòd hìc ea repetamus. Nunc satis sit respondere : hæc eadem

quæ

quæ pro secta sua adducunt Mahumetani, etiam in Christianam religionem (imò multò magis) convenire. Nam hæc septingentos annos supra illam enumerat: Provincias, Regna, & Imperia, plura & ampliora quàm illa, per multa sæcula possedit: & hodie quoque (licet aliquibus amissis) tot possidet, ut omnem Mahumetanorum potentiam longè superet: cum solus Imperator LEOPOLDUS Augustus potuerit fere tota Hungaria Turcas spoliare; neque solùm ex eo Regno, sed è toto orientali imperio illos deturbasset, nisi Christianorum perfidorum armis adjuti fuissent. Hoc omnes norunt, & fatentur. Per plures provincias, & majori numero, quàm Mahumetanos, Christianos hodie diffundi, & Christum multò latiùs dominari, quàm Mahumetum, jam suprà demonstravimus. Cur verò Deus ita Mahumetanos crescere, ac perseverare, tantaque & tàm diuturna felicitate potiri permiserit: non est hominis divinare, neque indagare. In aliis quoque Gentibus, quæ rerum Deum ignorabant, hoc idem, & aliquid majus, evenisse, certissimum est. Fateor, hoc sanctos ipsos in magnam admirationem, animique suspensionem induxisse. Inter alios Jeremias cap. 12. ita de hoc cum Deo humiliter conqueritur: *Quare via impiorum prosperatur: benè est omnibus, qui prævaricantur, & iniquè agunt? Plantasti eos, & radicem miserunt: proficiunt, & faciunt fructum: propè es tu ori eorum, & longè à renibus eorum.* De hoc eodem conqueritur David in Psal. 72. his verbis: *Mei autem penè moti sunt pedes: penè effusi sunt gressus mei: quia zelavi super iniquos, pacem peccatorum videns: quia non est respectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.* Et patiò post: *Ecce ipsi peccatores, & abundantes in sæculo obtinuerunt divitias.* Ita etiam Job cap. 21. fatetur se obstupescere, & pertimescere, ac terrore concuti, & omninò ignorare causam, *quare impii vivunt, sublevati sunt, confortatique divitiis? Semen eorum permanet coram eis: propinquorum turba, & nepotum in conspectu eorum. Domus eorum securæ sunt, & pacatæ, & non est virga Dei super illos.* Et multa alia addit ad expressionem stuporis sui in hac re.

Neque tamen dicendum est, non benè ratiocinatum fuisse Gamalielem; nam Christus etiam, Matth. 15. 13. absolutè pronunciavit; *Omnis plantatio, quam non plantavit Pater meus cælestis, eradicabitur.* Sed Deus in eradicandis, & dissolvendis impiorum sectis, non ita præceps est, ut homines putant, & sæpè vellent. Ideò Sanctus Petrus, Epist. 2. c. 3. commones primos illos Christianos, qui etiam in hac admiratione, vel errore, verfabantur: his verbis: *Unum verò hoc non lateat vos, charissimi, quia unus dies apud Dominum sicut mille anni, & mille anni sicut unus dies. Non tardat Dominus promissionem suam, sicut quidam existimant: sed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire, sed omnes ad pœnitentiam reverti.* Etiam servi (ut habetur apud S. Marcum cap. 13.) volebant statim exorta evellere zizania tritico superseminata. At Dominus eos prohibuit illis verbis: *Sinite utraque crescere usque ad messem.* Certè Secta impiorum & peccatorum, incœpit à Cain: & jam per multa annorum millia perseveravit & perseverabit usque in finem; & quidem plerumque felix, ac potens: quid mirum, si Mahumetanorum Secta tamdiù, ac tàm felix & potens perseverat.

Optabile fuisset, ut quemadmodum Mahumetus in Alcorano, ad dignoscendam veram religionem à falsa, existimavit necessarium esse advocari filios, & uxores, & viros utriusque, ad imprecandas diras contra eos, qui falsam sequerentur: ita necessarium existimasset, ut advocarentur Antistites, Doctores, ac Sapientes ex utraque, ut inter eos pacificè, & sine studio partium, disquireretur, ac decideretur, quænam vera, & quænam falsa religio esset habenda. Christiani certè, qui in bona causa se esse cognoscunt, nunquam cum Mahumetanis, sive pro Evangelii veritate asserenda, sive pro Alcorani falsitate demonstranda, tàm lingua, quàm calamo congredi refugient, quemadmodum cum cæteris, sive Ethnicis, sive Hæreticis adversariis nunquam refugerunt. Idemne Mahumetani facient? Utinam! Verùm, ut jam dixi; *Qui male agit, odit lucem: & non venit ad lucem, ut non arguantur opera ejus.*

CAPUT VIGESIMUM SEXTUM.

Alie quadam ex Alcorano sanctiones censoria virga cursim castigantur.

PRimò: Communis nostrorum opinio, (ut alibi dixi) est, Mahumetum in Alcorano præposteram libidinem suis concedere. Neque opinio hæc falsa est, si de eonjugatis loquamur: etenim luculentissimis verbis concedit, imò præcipit viris, quomodocumque, & undecumque velint, cum uxoribus suis coire. Non est, quòd verba illius hic repetam; tantummodo Lectorem moneo, Mahumetum pleraque spurca atque obscena suæ legis ab Hebræorum Thalmudistarum disciplina hausisse: cujusmodi est nefarius hic concubitus cum uxoribus. Nam in Thalmude, Ord. 4. Nezakin. Cod. 5. pag. 58. quemadmodum refert eruditissimus vir D. Julius Bartolocius aliàs à me laudatus, in sua Bibliotheca Rabbinica, p. 3. pag. 586. *Dixit R. Eleazar: Dixit R. Chanina: Filius Noe, qui abnitur uxore extra viam suam, condemnandus est: S. D. Genes. 2. 24. & adhærebit uxori suæ: sed non contra naturam. Dixit Rava: Quid? anne est aliquid, ob quod Israel reus non existimetur, & Gentilis sit condemnandus? Sed dixit Rava: Filius Noe, qui ingreditur ad uxorem proximi sui, sed non secundùm viam; פטור liber est* (ideſt reus non est; nullam committit culpam.) *Quænam est ratio, quòd in uxore sua sit reus? Respondet: Quia dicitur* ודבק *& adhærebit uxori suæ* (scilicet secundùm viam suam;) *ut gignat liberos.* Igitur licebit Israelitæ id, quod non licet filio Noe (ideſt Gentili;) nempè rem habere cum uxore sua non secundùm viam, ideſt præposterè, ac nefariè. Hoc clariùs patet in *Tosaphoth*, ubi ita legimus: *Est ne aliquid, quod permittatur Israelitis, & prohibeatur Gentilibus? Utique: quia Israelitis licitum est uti uxore, non secundum viam suam.* Et ibidem additur: *Hoc non esse prohibitum nisi illis, qui hanc viam continuò exercent, ne uxor concipiat, & pulchritudinem amittat. Sed si usus viri, ut plurimum sit secundùm viam ordinariam, & aliquando, & per accidens ei appetitus excitetur non secundùm viam ordinariam; licitum est.* Quamobrem cum fœmina quædam de hoc coram quodam Rabbino conquereretur, dicens honestioribus verbis: *Rabbi: paravi mensam meam marito meo, & ipse invertit eam:* Respondit ei Rabbinus: *Filia mea, Lex eiid permittit.* Vides igitur, Lector, ex qua cloaca Mahumetus eruerit fœdissimam legem suam, quam etsi Moslemi violentis atque impropriis expositionibus honestare conentur, sen-

Digitized by Google

semper tamen seipsam verbis suis prodit, & propalat. Verùm (ut suprà monui) etiam juxta eorum falsas, & ineptissimas glossas, ita spurca, & obscœna est; ut contra omnes honestatis ac modestiæ leges, contraque naturam ipsam pugnare nemo non agnoscat.

Nefarium autem hoc flagitium in maribus (quod in sacris literis tanta severitate prohiberi, adeòque atrociter à Deo punitum fuisse legimus, & Mahumetus ipse fatetur) tàm leviter plectendum statuit, ut pœnæ ipsius levitate homines ad illud perpetrandum invitare & allicere videatur. Vide quæ suprà dicta sunt; non enim est otium hic eadem repetere. Certum est, notumque apud omnes, Mahumetanos in hoc fœdissimo cœno usque ad verticem immersos esse, & assiduè volutari. At enim inter alias quoque Gentes, atque etiam Christianos, hujusmodi flagitium reperiritur. Quidquid sit de cæteris; negari non potest, etiam aliquos Christianos hoc morbo laborare. Verùm hoc non provenit ex concessione vel indulgentia legis, cùm tàm per sacra, quàm per politica jura, ferro ac flamma hoc scelus puniendum esse statuatur; & cùm probatum fuerit, puniatur: sed ex corruptæ naturæ infirmitate; quæ infirmitas licèt per gratiam Christi valdè minuatur: non tamen ita semper tollitur, ut Christiani homines esse desinant; & aliquando etiam ipsi (utpote libero arbitrio ad bonum ac malum sibi relicto) in consueta cæteris hominibus peccata non labantur.

Secundò: Mahumetus in Alcorano decernit, coitum cum suis ancillis unicuique liberum esse, etiam prout distinguuntur ab uxoribus. Sura 23. المؤمنون *Fidelis*, vers. 1. قد افلح المؤمنون .... الذين هم لفروجهم حافظون الا على ازواجهم او ما ملكت ايمانهم فانهم غير ملومين فمن ابتغى وراء ذلك فاولئك هم العادون: *Jam felices sunt Fideles ... qui mentulas suas custodiunt, non utentes illis nisi cum uxoribus suis, & cum ancillis, quas possident: nam ipsi inculpabiles erunt in hoc. Qui verò præter has, alias fœminas appetierit, erit prævaricator.* Hic manifestè distinguit ancillas ab uxoribus: aliàs si loqueretur de ancillis, quas in conjuges legitimas acceperunt, esset inepta loquutio, & mera Tautologia. Eadem verba repetit Sura 70. المعارج *Gradus*, v. 20. Porrò ancillæ poterant, ut suprà vidimus, in uxores duci à Mahumetanis, quotquot ipsi voluissent, dummodo eas ita alere possent, ut in statu uxorum decenter permanerent. Et certè aliqua distinctio necessaria erat inter simplices ancillas, & ancillas conjugatas: alioqui non fuisset, cur Mahumetus concederet Moslemis, ut possent accipere in uxores ancillas suas. Præterea legimus in vita Mahumeti, illum quatuor tantùm, vel quinque ancillas in uxores accepisse; cùm tamen dubium non sit multò plures eum ex tot bellis acquisivisse. Concedit igitur suis Mahumetus usum omnium ancillarum, quas haberent, ad libidinem exercendam, etiamsi uxores non essent: quod absque dubio est crimen fornicationis contra legem Dei concedere. Quòd si obstinatè contendant Moslemi, omnes ancillas esse uxores Dominorum suorum, eo ipso, quòd sub eorum sunt potestate: respondebimus, in hoc etiam Alcoranum vituperationem magnam mereri. Cùm enim contingat, ut opulentiores ac potentiores Moslemi aliquot centenaria ancillarum possideant, nimis eorum libidini fræna laxantur, si cum omnibus commisceri illis concedatur: nemo enim non videt, id esse contra omnes regulas honestatis, ac temperantiæ. Quamobrem in ipso Salomone tàm profusam luxuriem damnatam à Deo fuisse, ex Sacris Scripturis cognovimus.

Tertiò: excusat Alcoranus à peccato illum, qui vi, metu, aut necessitate adductus, aliquid contra Dei leges, etiam per se & intrinsecè malum committit.

Sura 5. المائدة *Mensa*, vers. 4. Prohibentur inter alia, لحم الخنزير وما اهل لغير الله به وما ذبح على النصب: *Caro porcina: & id super quod invocatum est, dum macta retur, aliud nomen, quàm Dei: & id quod immolatum est super statuas.* Hæc duo ultima videntur censeri posse nomine idolothyti. Tum subditur: فمن اضطر في مخمصة غير متجانف لاثم فان الله غفور رحيم: *Qui autem ob magnam famem ad ea comedenda coactus fuerit, sine intentione aut libidine peccandi, utique Deus erit illi indultor, misericors.* Absolutè falsa est hæc Mahumeti doctrina. Nam si quis comederet idolothyta, vel alios cibos vetitos ita coactus ab infidelibus in odium religionis, vel cum scandalo eorumdem infidelium, vel fidelium; etiamsi esset in extrema fame, peccaret procul dubio: & hoc manifestè docet S. Paulus in Epistola ad Rom. cap. 14. & Epist. 1. ad Corinth. cap. 8. Cùm enim dixisset, licitum esse Fidelibus idolothyta, sine ullius offensione & absque prava conscientia, ut reliquos cibos, manducare; statim subdidit: *Videte autem, ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis. Si enim quis viderit eum, qui habet scientiam, in idolio recumbentem: nonne conscientia ejus cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolothyta? & peribit infirmus in tua scientia, frater, propter quem Christus mortuus est.* Et multò magis à cibis illicitis abstinendum, quando in eorum usu esset aliquis contemptus, etiam involuntarius, & tantummodo apparens, religionis: ut docet exemplum Eleazari, & aliorum Machabæorum, qui potiùs crudelissimam mortem oppetere, quàm cibis à divina lege interdictis vesci elegerunt.

Sed Alcoranus non solùm purgat à culpa eum, qui rebus per se licitis, quamvis à lege vetitis, in necessitate utitur, nulla habita ratione scandali: verùm etiam illum, qui coactus ea commiserit, quæ ex sua natura illicita sunt & mala. En ejus verba Sura 16. النحل *Apes* v. 110. من كفر بالله من بعد ايمانه الا من اكره وقلبه مطمئن بالايمان ولكن من شرح بالكفر صدرا فعليهم غضب من الله ولهم عذاب عظيم: *Qui post susceptam fidem abnegaverit Deum (præter eum, qui invitus ad hoc coactus fuerit; permanente corde ejus firmo in fide): qui, inquam, volenti & libenti*

Digitized by Google

libenti animo abnegaverit Deum; super hunc erit ira Dei, & punietur ab eo pœna magna. Itaque, juxta Alcorani sententiam, Deum fidemque ejus verbis tantùm (ut exponit Gelal.) abnegare, dummodo id fiat invitò, & ob metum, seu violentiam sibi illatam, & fides corde retineatur, non erit peccatum, neque merebitur pœnam illam à Deo. Longissimè distat doctrina hæc Mahumeti à doctrina Christi, insò illi prorsus opposita est. Ipse enim dixit in Euangelio Matth. cap. 10. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coram hominibus: negabo & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est.* Hinc tot myriades martyrum atrocissima tormenta perferre, & vitam cum sanguine profundere maluere, quàm Christum, ejusque fidem, etiam verbis tantùm, negare. Hujusmodi constantia & robur non est Mahumetanorum, neque sectatorum falsæ religionis; quamvis & in his aliquando Dæmon cæcum in errore suo obstinationem gignat, ac foveat, itaut pro eo asserendo ac tuendo, mortem ipsam subire non reformident. Verùm paucos admodum ex his invenias, quos tamen pœna miseros, causa infames efficit: nec defuere etiam apud Ethnicos, qui eos imitarentur. Mahumetani tamen per Alcorani doctrinam ab his tricis se facilè possunt expedire. Negent Deum; abjurent Mahumetum: fidem rejiciant, at verbis: tantùm si corde & Deum, & Mahumetum, & fidem retineant; in tuto sunt. Abnegare Deum, & ejus fidem, est intrinsecè malum; nec potest per contrariam voluntatem amittere malitiam suam: quamobrem ne ob vitam quidem tuendam, vel ob aliam quamcumque gravissimam causam potest Deus, vel fides sine execranda impietate negari.

Quartò: Sura 2. البقرة *Vacca*, vers. 22. Sancit illicita esse conjugia Mahumetanorum cum للمشركات fœminis *Associantibus*, ideſt, idolatris: & è converso Associantium virorum cum fœminis Mahumetanis, his verbis: ولا تنكحوا المشركات حتى يؤمن *Et ne nubatis fœminis Associatricibus, donec fideles fiant: neque nuptui detis filias vestras Associatoribus, nisi fidem fuscipiant.* Hîc laudem meretur Mahumetus; lumine enim naturæ cognovit, cultus disparitatem dirimere matrimonium. At Sura 5. المائدة, vers. 6. concedit conjugium inter suos Moslemos, & Scripturales, nempè Judæos & Christianos, his verbis: اليوم أحل لكم الطيبات من الذين اوتوا الكتاب من قبلكم اذا اتيتموهن اجورهن محصنين غير مسافحين ولا متخذي اخدان *Hodie licitum est vobis nubere cum mulieribus honestis eorum, quibus datæ sunt Sacræ Scripturæ ante vos; dummodò prius detis illis dotes ac dotalia earum, & sitis veri conjuges, non scortatores, aut amasii earum.* Et nihilominus hic etiam est cultus disparitas. Vel igitur Mahumetus sibi contradicit: vel censet Scripturalium (nempè Judæorum & Christianorum) religionem esse æquè bonam & veram ac suam: vel certè non esse talem, ut cultus disparitatem à sua verè dici possit habere. Cur ergo in Alcorano vocat eos كافرين *infideles, impios, & incredulos*, & ضالين *Errantes*, nempè à vera religione devios? Hoc Moslemis Sapientioribus magnas tricas parit: & quidam suspicantur, esse unum ex abrogatis in Alcorano: sed versum abrogantem non inveniunt. Quidam putant, explicandam esse hanc sanctionem juxta illam, qua prohibetur, ne Moslemi fœminas idololatras ducant, nisi Moslemæ & ipsæ fiant. Sed nunquam Mahumetus comprehendit Scripturales sub nomine للمشركين *Associantium*, seu Polytheorum; semperque alteros ab alteris apertissimè distinguit.

Quintò: notanda occurrunt hæc verba in Sura 4. النساء *Mulieres*, v. 16. & 17. انما التوبة على الله للذين يعملون السوء بجهالة ثم يتوبون من قريب فاولئك يتوب الله عليهم وكان الله عليما حكيما وليست التوبة للذين يعملون السيئات حتى اذا حضر احدهم الموت قال انى تبت الآن ولا الذين يموتون وهم كفار اولئك اعتدنا لهم عذابا اليما: *Certè pœnitentiæ locus apud Deum est pro illis, qui operantur malum cum ignorantia, deinde respiciunt quamprimùm. Iis propitius erit Deus: nam Deus est sciens, sapiens. Sed non erit locus pœnitentiæ pro iis, qui operantur mala quoad usque præsens sit illis mors, etiamsi dicat quis eorum: Nunc me pœnitet. Neque pro iis, qui moriuntur in statu infidelitatis. His enim præparavimus pœnam difficultatem.*

Ignorantia, Arabicè جهل, accipitur hîc pro culpabili, crassa, & supina, ut etiam plerumque in Sacris Literis, in quibus item *stultitiæ, & insipientiæ*, nomine appellatur. Imò peccatores, & prævaricatores, non rarò in iisdem *stultorum* nomine censentur. Cæterùm fatemur etiam nos, tàm his, quàm cæteris delinquentibus esse locum pœnitentiæ apud Deum, atque omnes ab eo indulgentiam suarum culparum posse obtinere, si ab illis resipiscant, & pœnitudinem ac dolorem pro iis concipiant, ac pro debito satisfaciant. Quod autem addit Mahumetus, hanc pœnitentiam esse debere من قريب *de proximo*, seu, quamprimùm: verum est, ut tutior sit, & Deo acceptior: non tamen hinc sequitur, quòd si differatur, non futura sit ampliùs salubris, neque à Deo sit acceptanda, ut sentire videtur Mahumetus: qui etiam toto cœlo errat, dum pronunciat, non esse locum pœnitentiæ illis, qui malè operantes perveniunt ad statum proximum morti, etiamsi eos peccatorum suorum pœnitcat, & pro iis doleant, ac veniam petant à Deo. Gelaleddinus censet, pœnitentiam prodesse proximis morti قبل ان يغرغروا *antequam gargarizent*, seu reciprocent in gutture gargarismum. Jahias ما لم يأت الموت *quamdiù non venit mors*. Alhasan relatus ab eodem

Digitized by Google

eodem Jahia ita explicat verba Alcorani: ولم يصب التوبة للذين يعملون السيّئات يعنى الشرك بالله تعالى حتى اذا حضر احدهم الموت قال عند معاينة ملك الموت قد تبت الان ولم يخرج من الدنيا:

Et non est panitentiæ locus pro iis, qui operantur mala, ideſt colunt plures deos, quando præſens fuerit alicui eorum mors; ideſt cùm viderit angelum mortis, antequam egrediatur ex hoc Mundo. Verùm aperta ſunt verba Alcorani, quibus negatur pœnitentiæ locus ante mortem, ſeu dum anima adhuc eſt in corpore, & homo petit à Deo veniam ſuorum peccatorum. Fatemur quidem & nos, difficilem tunc eſſe actum veræ pœnitentiæ iis, qui ad illud uſque tempus in peccatis perſeveraverunt; ſed non impoſſibilem. Quòd ſi hujuſmodi actus legitimè fiat, ideſt ex dolore intimo ob ſummum bonum, nempè Deum offenſum: vel etiam ex timore gehennæ adjuncto, cum Sacramento pœnitentiæ: pro certo habemus, acceptum fore Deo, & ad peccatorum veniam, æternamque ſalutem profuturum. Hoc verò manifeſtè probatur auctoritate divina, Ezechielis cap. 33. ubi ita loquitur Deus ipſe: *Impietas impii non nocebit ei in quacumque die converſus fuerit ab impietate ſua. Si autem dixero impio: Morte morieris: & egerit pœnitentiam à peccato ſuo, &c. vita vivet, & non morietur: omnia peccata ejus, quæ peccavit, non imputabuntur ei.* Quòd ſi objiciant Moslemi, non ſolùm exigi ab impio hujuſmodi pœnitentiam, ideſt interiorem converſionem ad Deum, cum deteſtatione peccatorum perpetratorum, ſed etiam *ut faciat juſtitiam, & judicium, pignus reſtituat, rapinas reddat, in mandatis vitæ ambulet, nec faciat amplius quidquam injuſtum:* Reſpondeo hæc addi ſub conditione: ſi nimirùm evadat mortem, & ulteriùs vivat; vel habeat quid reſtituendum, & poſſit reſtituere. Quòd ſi aliquis eſſet, qui nihil haberet cuiquam reſtituendum, vel nullo modo poſſet reſtituere; & poſt actum legitimum pœnitentiæ, ſtatim moreretur, vel non diù vitam protraheret; certè veniam & ſalutem à Deo conſequeretur.

Sextò: Non ſemel in Alcorano pronunciat Mahumetus, peccata omnia remiſſionem à Deo conſequutura, itaut nemo, ut docent Sapientes Moslemi, excludendus ſit propter quævis alia ſcelera ab æterna ſalute; præter الشرك *Aſſociationem*; nempè cultum plurium Deorum. Ita legimus in Sura 4. النساء *Mulieres*, v. 46. إنّ الله لا يغفر أن يشرك به ويغفر دون ذلك لمن يشاء ومن يشرك بالله فقد افترى اثما عظيما: *Certè Deus non parcet ei, qui cum ipſo ſocios poſuerit* (ideſt, adoraverit alios Deos:) *& ignoſcet præter hunc, cui voluerit. Nam qui ponit ſocios cum Deo, blaſphemiam magnam committit, & iniquitatem.* Eadem repetit paulò poſt, verſ. 116. Albocharius in trigeſimam partem Traditionum Alcoranicarum idem confirmat dicens: حدّثنا محمد بن بشار قال حدّثنا غندر قال حدّثنا شعبة عن واصل عن المعرور قال سمعت ابا ذر عن النبى ﷺ قال اتانى جبرائيل فبشّرنى انه من مات لا يشرك بالله شيئا دخل الجنة قلت وان سرق وان زنى وان سرق وزنى:

Narravit nobis Mohammed filius Baſciar, narratum ſibi fuiſſe à Gandar, qui dixerat, ſe audiviſſe à Sciaaba, qui audierat à Vaſel, qui audierat à Marur, qui dixerat: Audivi Abudar dicentem ſe audiviſſe à Propheta Mahumeto hæc verba: Venit ad me Gabriel, & attulit mihi fauſtum nuncium; quòd nimirùm quiſquis mortuus fuerit, nec aſſociaverit quidquam cum Deo (ideſt nullum alium Deum adoraverit præter eum) *ingredietur in Paradiſum. Ego verò dixi illi: Si fuerit aliquis fur, aut mœchus? Ille autem reſpondit: Etiamſi fur, aut mœchus fuerit*; ſcilicet Paradiſum ingredietur.

Non negant, neque negare poſſunt Mahumetus, & Mahumetani, idololatriæ ſcelus à Deo ignoſci, quando is, qui idola, vel plures deos colit, relinquit impietatem ſuam, & ad unius veri Dei cultum convertitur. Nam & Mahumetus ipſe, ut in ejus vita oſtendimus, & ex Alcorano manifeſtè patet, uſque ad annos quadraginta ætatis ſuæ idola coluit, ſicut etiam Arabes omnes, qui in illius ſectam deinde tranſierunt. Illud, quod certiſſimum habent, eſt: eos, qui in idololatria moriuntur, in æternum eſſe damnandos; neque Deum unquam eſſe illis indulturum: (quidam tamen cenſent, eos tandem gehennæ igne eſſe conſumendos, & ad nihilum redigendos). Reliquos autem, cujuſcumque tandem ſceleris vel gravifſimi reos, quamvis ſine pœnitentia moriantur, nihilominus, poſtquam in Gehenna ſcelerum ſuorum pœnas, per aliquod temporis ſpatium luerint, in Paradiſum tandem (& ſaltem poſt diem Judicii) eſſe tranferendos, atque ibi æterna felicitate fruituros. Hæc eſt communis, & certiſſima Mahumetanorum fides, quam Lutherus & Lutherani obviis ulnis amplexi ſunt, excludentes ab æterna ſalute tantummodo infideles.

Nos autem à Chriſto edocti, certiſſimè credimus, peccata omnia, quæcumque tandem illa ſint, in hac vita à Deo per pœnitentiam hominibus ignoſci. At verò eos, qui in aliquo gravi, ſeu mortali peccato, ſine pœnitentia moriuntur, in gehenna perpetuò damnandos, & æternis flammis cruciandos eſſe confitemur.

Sed objicient nobis Mahumetani, Chriſtum vel eandem, vel ſimilem propoſitionem docuiſſe illi, quam habet Mahumetus in Alcorano, & Moslemi profitentur. Nam in Euangelio S. Matthæi, cap. 12. ita legimus illum dixiſſe Judæis: *Omne peccatum, & blaſphemia remittetur hominibus: Spiritus autem blaſphemiæ non remittetur. Et quicumque dixerit verbum contra filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei neque in hoc ſæculo, neque in futuro.* Idem legimus in Euangelio Marci, cap. 3. & Lucæ, cap. 12. Porrò nullum peccatum, aut blaſphemia, videtur magis eſſe contra Spiritum Sanctum, quem Chriſtiani volunt eſſe ipſum unum Deum cum Patre, & Filio; quam الشرك, ſcilicet, credere, & colere plures Deos: quod peccatum tantum-

Digitized by Google

modo Mahumetus etiam asserit nunquam esse à Deo remittendum.

Respondemus in Sacris Literis tùm veteris, quàm novi Testamenti, plura reperiri ex iis, quæ Arabes vocant متشابهات *Assimilata*, & in Alcorano quoque inveniri non pauca, Moslemi Doctores affirmant. Hæc si accipiantur juxta absolutum sensum verborum, contra veritatem esse videntur. Hujusmodi sunt aliquot ex iis, quæ Christus ipse pronunciavit: exempli gratia Matth. cap. 5. *Si oculus tuus dexter scandalizat te, erue eum & projice abs te: Et si dextera manus tua scandalizat te, abscinde eam, & projice abs te.* Idem repetit, cap. 18. ubi addit: *Bonum est tibi ad vitam ingredi debilem, vel claudum: quàm duas manus, vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. Et, Bonum tibi est cum uno oculo in vitam intrare, quàm duos oculos habentem mitti in gehennam ignis.* Et Lucæ cap. 14. *Si quis venit ad me, & non odit patrem suum, & matrem, & uxorem, & filios, & fratres, & sorores, adhuc autem & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et Matth. cap. 10 *Nolite arbitrari, quia pacem venerim mittere in terram: non veni pacem mittere, sed gladium. Veni enim separare hominem adversus patrem suum, & filiam adversus matrem suam, & nurum adversus socrum suam: & inimici hominis domestici ejus.* Itemque, cap. 19. *Sunt eunuchi, qui seipsos castraverunt propter regnum Cælorum.* Hæc omnia si accipiantur in eo sensu, quem verba efficiunt, nullo modo subsistere possunt, & sunt contra doctrinam ipsius Christi, quam alibi prædicavit. Explicanda sunt igitur non juxta verba, sed juxta mentem Christi, qui, ut Sapientes consueverunt, non raro sub alienis verbis veritatem proponebat. Et ideò plerumque in parabolis loquebatur: ut testantur Evangelistæ.

Dicimus igitur, verba Christi, quibus asseruit, omnia alia peccata remittenda esse hominibus, præter blasphemiam, seu peccatum in Spiritum Sanctum, significare summam gravitatem hujus peccati, summamque difficultatem obtinendi remissionem illius, itaut sine specialissima gratia Dei, homo non sit hujus peccati veniam consequuturus. Sed quemadmodum cùm dixit: *omne peccatum & blasphemia remittetur hominibus*: non intellexit, remissionem obtinendam ab omnibus omnium peccatorum, sicut putant Mahumetani, sed ab iis tantùm, qui legitimam eorum pœnitentiam egerint: ita cùm dixit, peccatum in Spiritum Sanctum, neque in hoc sæculo, neque in futuro remittendum, non intellexit, impossibilem esse pro ullo hanc remissionem, si verè illius pœniteat, illudque detestetur, & salutaribus pœnis expiet; sed solùm innuere voluit maximam difficultatem, & propè impossibilitatem, moraliter loquendo, tùm eliciendi veræ pœnitentiæ actum pro hoc peccato, tùm debitè pro illo satisfaciendi; ac proinde illius remissionem consequendi. Alibi etiam Christus ostendit quandam impossibilitatem æternæ salutis pro hominibus divitibus: cùm dixit Matthæi cap. 19. *Dives difficile intrabit in regnum cælorum. Facilius est camelum per foramen acus transire, quàm divitem intrare in regnum cælorum.* Et subdit Evangelista: *Audito autem his, discipuli mirabantur valdè dicentes: Quis ergo poterit salvus esse? Aspiciens autem Jesus dixit illis: Apud homines hoc impossibile est: apud Deum autem omnia possibilia sunt.* Porrò quando aliquid summas patitur difficultates, moraliter impossibile appellatur. Alii aliter exponunt verba Christi circa blasphemiam in Spiritum Sanctum. Omnes tamen Christiani Doctores contra Mahumeti doctrinam conveniunt: nullum esse peccatum, quod non possit per potestatem à Christo Ecclesiæ suæ traditam remitti, nisi sit defectus aliquis ex parte peccatoris ad remissionem obtinendam: & omnia peccata gravia, seu mortalia, nisi in hoc sæculo per legitimam pœnitentiam expientur: æternis gehennæ pœnis à peccatoribus esse luenda.

Septimò: Sura 4. النساء *Mulieres*, v. 20. & 21. fancit gradus in cognatione, vel affinitate, per quos illicitum redditur, & dirimitur matrimonium, his verbis.

لا تنكحوا ما نكح ابائكم من النساء
الا ما قد سلف انه كان فاحشة ومقتا وساء سبيلا
حرمت عليكم امهاتكم وبناتكم واخواتكم وعماتكم
وخالاتكم وبنات الاخ وبنات الاخت وامهاتكم اللاتي
ارضعنكم واخواتكم من الرضاعة وامهات نسائكم
وربائبكم اللاتي في حجوركم من نسائكم اللاتي دخلتم
بهن فان لم تكونوا دخلتم بهن فلا جناح عليكم
وحلائل ابنائكم الذين من اصلابكم وان تجمعوا بين
الاختين الا ما قد سلف ان الله كان غفورا رحيما.

Et ne accipiatis in matrimonium mulieres, quas acceperunt patres vestri: excepto quod jam præteriit: (id est, si jam accepistis, retinete eas: in his quippe Deus vobis indulget) *nam hoc est flagitium, & abominatio: & via ejus mulus per hanc viam. Prohibitæ sunt vobis in matrimonium matres vestræ, & filiæ vestræ, sorores vestræ, & amitæ vestræ, & matertera vestra* (nempe sorores patrum ac matrum, ac avorum, & aviarum) *& filiæ fratris, & filiæ sororis: & matres vestræ, quæ lactaverunt vos* (id est nutrices) *& sorores vestræ collactaneæ: & matres uxorum vestrarum* (id est socrus): *& privignæ vestræ, quæ sunt in mansionibus vestris, ortæ antea ex uxoribus vestris, cum quibus matrimonium consummastis. Quòd si non consummaveritis cum eis matrimonium: non erit peccatum vobis* (accipere privignas filiasve rum in matrimonium): *& uxores filiorum vestrorum, qui egressi sunt ex lumbis vestris: & illicitum etiam est vobis copulari cum duabus sororibus* (etiam collactaneis, uno eodemque tempore: nam separatim potest quis unam ducere post aliam: vel ambas tenere, sed cum una tantùm rem habere). *Excipitur id quod jam præteriit* (nempe matrimonia jam contracta contra has sanctiones, in tempore idololatriæ), *quippe Deus est indulgens, misericors.*

Nulla est mihi lis cum Mahumeto circa gradus cognationis, & affinitatis ab eo assignatos ad impediendum, vel dirimendum matrimonium. Solùm dico, magis in hoc, naturali honestati consuluisse Christum per Apostolos & Ecclesiam suam, quàm Mahumetum. Nam hic non excedit secundum gradum tàm in cognatione, quàm in affinitate: Christus autem per Ecclesiam suam extendit interdictum conjugale

Digitized by Google

gale usque ad quartum gradum non solùm in cognatione & affinitate naturali, sed etiam legali. Et præterea ex cognatione spirituali; itemque ex copula illicita statuit oriri impedimentum ad matrimonium usque ad secundum gradum: ex sponsalibus verò tantùm usque ad primum gradum. Hæc voluit Mahumetanos docere, ut intelligant, quantò perfectior sit lex Christiana, quàm Mahumetana.

Sed objicient nobis Sapientes Moslemi, in Alcorano decerni impedimentum ad matrimonium, cognationem seu affinitatem ortam ex lactatione: itaut nulli liceat dicere in conjugem illam, cum qua lactatus fuit, neque matrem ejus. In hoc autem videtur Alcoranus perfectior esse, quàm Euangelium, aut lex Christiana.

Respondemus, hoc impedimentum confictum fuisse à Mahumeto è suo cerebro, absque ullo fundamento in jure gentium, vel naturæ, vel rationis. Quamvis enim lac sit sanguis defæcatus, & per concoctionem mutaverit colorem, ut plerique Philosophi cum Aristotele sentiunt, non tamen dici potest inducere consanguinitatem, cùm præbeatur à nutrice, & sumatur à puero per modum cibi: alioquin suspicari possemus, ne sugendo lac ab ove, vel vacca, cum iisdem, & agnis, & vitulis eorum consanguinitatem contraheremus. Sed fortassè Mahumetus blandiri voluit, vel assentari Halimæ nutrici suæ, vel potiùs reconciliari cum Scebama ejus filia, cujus dorsum, cùm adhuc puer simul cum ea lac sugeret, dentibus enormiter laceraverat. Laudabilius certè feciſſet Mahumetus, si impedimentum legalis cognationis, quòd Arabes servabant, & Christiani quoque servant, reliquiſſet. Verùm cùm Zeidi liberti sui, quem in filium adoptaverat, uxorem deperire cœpiſſet, impedimentum hoc sustulit, ut eam liberiùs sibi arripere posset.

Quod verò in hac Alcoranica Sanctione dissimulari non potest, est, quòd Proselytis suis, qui matres etiam naturales in uxores duxerant, dum idola colebant, deinde quoque easdem retinere concedat. Et nihilominus asserit hoc esse flagitium, rem abominabilem, & pessimi finis, ac proinde ex natura sua malum, & illicitum. Qua ergo confcientia potuit Mahumetus, illud concedere, vel etiam dissimulare? Legimus certè in veterum Græcorum Historiis, OEdipum Laii Thebanorum Regis filium, cùm ex errore matrem suam Jocastam, quam à puero nunquam amplius viderat, in uxorem duxisset; re cognita, tantum ex hoc suo errore dolorem cepisse, ut utrumque sibi oculum eruerit, atque in alienas regiones in voluntarium exilium confesserit. In libro quoque Esdræ 1. cap. 10. habemus, cùm Judæi in captivitate uxores alienigenas contra divinam legem duxissent; ad hortationem, & imperium Esdræ Summi Sacerdotis, post regressum à captivitate, illas repudiasse, ac rejecisse, & pro hujusmodi flagitio sacrificia, & victimas obtulisse. Et nihilominus Mahumetus filiorum cum matribus conjugia Proselytis suis concedit, quod conjugii genus omnibus gentibus, nisi penitùs barbaris, ac bestialibus, quales erant Arabes, semper horrorem incussit.

Objicient Mahumetani exemplum filiarum Lot, Gen. cap. 19. quæ patrem in maritum habuere, atque ex eo liberos genuere.

Sed respondemus, hoc non fuisse verum matrimonium, cùm nullum Lot in eo assensum præbuerit, & nihilominus minus flagitium fuisset, patrem nubere filiabus, quàm filium matri: quia in patre servata fuisset naturalis potestas, & auctoritas in filias: non autem matris in filium, qui jam in matrem imperium acquisivisset, contra ordinem naturæ. Utrum verò filiæ Lot concumbendo cum patre peccaverint, affirmativa sententia est communior, & verior. Aliqui tamen eas excusant à peccato ex erronea earum opinione, quòd nullus homo superfuisset in Mundo: quamobrem credierunt se teneri ad suscipiendam ex patre prolem, ne universum genus humanum interiret.

Non est hic dissimulanda malignitas Zamchascerii, qui verba Alcorani لا ما قد سلف *excepto eo, quod jam præteriit*; explicat ولكن ما مضى بدليل قوله ان الله كان غفورا *Sed quod jam præteriit, indultum est. Id ostendunt verba sequentia: quoniam Deus est indultor.* Porrò si Interpres ille extendat Dei indulgentiam tantummodo ad peccatum in contrahendo matrimonio perpetratum, non autem ad matrimonium ipsum continuandum; errat toto cœlo: nam verba Alcorani non respiciunt indulgentiam peccati in matrimonio contrahendo commissi, sed matrimonium ipsum, super quod cadit الاستثنى scilicet particula exceptionis لا. Quòd verò subdatur ان الله كان غفورا رحيما: *quia Deus est indultor, misericors*; nihil probat: nam poterat etiam Deus dici indultor, & misericors, in concedendo illis continuationem matrimonii jam contracti. Hùc accedit, quòd in versu antecedenti, ubi prohibetur conjugium inter filium, & uxorem patris ejus, nempè novercam, vel non vocatam matrem, ponitur eadem exceptio, لا ما قد سلف *excepto eo quod jam præteriit*: & tamen non sequitur, ان الله كان غفورا رحيما: *quia Deus est indultor, misericors.* Ergo saltem ibi conceditur continuatio matrimonii inter filium, & novercam, seu uxorem patris. At hoc non solùm S. Paulus, Epist. 1. ad Corinth. cap. 5. ut execrandum ac propè inauditum scelus detestatur, tradens in potestatem Satanæ eum, qui illud perpetraverat; sed Ethnici ipsi vehementer exhorruere, ut patet ex historia, seu fabula Hippolyti, qui à Phædra noverca ad incestas secum nuptias invitatus, in frustà discerpi maluit, quàm impudentissimæ fœminæ assentiri. Sed per Alcoranum ipsum falsi ac fraudis convincitur Zamchascerius. Nam Sura 2. *Vacca*, vers. 276. loquens Mahumetus de usura, quæ apud Arabes idololatras erat consueta, hæc habet: الذين ياكلون الربوا لا يقومون الا كما يقوم الذي يتخبطه الشيطان من المس ذلك بانهم قالوا انما البيع مثل الربوا واحل الله البيع وحرم الربوا فمن جاءه موعظة من ربه فانتهى فله ما سلف وامره الى الله ومن عاد فاولئك اصحاب النار هم فيها خالدون: *Qui comedunt usuram non resurgent*

in die Judicii) *nisi quemadmodum surgit ille, quem sollisit Satanas tactu suo. Hoc, quia ipsi dicunt, certè emptio & venditio sunt sicut usura. At concessit Deus emptionem ac venditionem, & prohibuit usuram. Cui ergo advenerit admonitio hæc à Domino suo, & abstinuerit* (ab usura)*: illi* (erit) *quod præcessit; & negotium illius spectabit ad Deum. Qui verò* (ad eam exercendam) *redierint, illi erunt habitatores Gehennæ, in qua perpetuò morabuntur.* Hic manifestè patet, dum Mahumetus prohibet usuram, in exceptione ما سلف *illius quod præcessit*, non intelligere remissionem peccati jam in usura perpetrati, sed concedere, ut il, qui adhuc idololatræ ex usura aliquid illicitè acquisierant, possent illud retinere, eoque uti absque ullo debito restituendi, ut explicat Gelaleddinus, لا يحترن منه *ne tenerentur illud restituere*: dummodo ad novam usuram exercendam non redirent. Eodem modo concedit, ut matrimonia illicita jam contracta retineantur; dummodo iterùm non contrahantur. Et fortasse hoc idem voluit Zamchascerius, afferens Deum *indulturum* his matrimoniis non tàm quoad culpam, quàm quoad continuationem eorum. Nam verba Alcorani nimis aperta sunt. Et quamvis Mahumetus damnet ut nefaria hujusmodi conjugia, damnat etiam *comedere usuras*: & tamen concedit, ut usuræ præteritæ comedantur.

Ex his, quæ hactenùs in Alcorani sanctionibus practicis notavimus (multis aliis ad ejusdem Alcorani confutationem reservatis) poterit quilibet manifestè cognoscere, utrum Lex Mahumetica sit supra omnes leges excellens, perfecta, & absoluta, quemadmodum Mahumetus ipse, & Mahumetani inaniter jactant: an verò uni tantùm Euangelicæ Christi Legi conveniat summa veritas, æquitas, sanctitas, & perfectio; itaut nulla alia præter eam perducere possit homines ad æternam salutem.

Cùm verò jam eam Alcorani partem trutinaverimus, quam ad الاحكام ideſt *Judicia*, seu leges ac sanctiones, diximus pertinere: superest nunc, ut etiam reliquas duas, quæ ad الوعظ *Paræneſes*, & الاخبار *Hiſtorias*, spectant breviter expendamus.

Paræneſes diriguntur utplurimùm ad proselytos, novam scilicet Mahumeti religionem professos: ad Arabas idololatras: & ad Scripturales; Judæos scilicet, & Christianos. Primos hortatur plerumque ad bella pro religione contra infideles capessenda; ad quæ, quia pecuniarum subsidio opus erat, eleemosynam illis, rerumque terrenarum contemptum sæpiùs inculcat. Paradisi cujusdam fusilli deliciis eos allicit; Gehennæ fabulosæ terrore percellit: prædarum etiam spe eos excitat, denique omnia efficaciora motiva proponit, quò illorum marsupia emungat, ut suum referciat, quò facilius possit contra sibi obsistentes bella sustentare. Reliquos autem futilibus plerumque argumentis, ac stramineis rationibus ad sectam suam pertrahere conatur; etiam supremi Judicii, & Gehennæ terriculamenta interponens. Denique inter pauca sana, sexcentas infanias admiscet; ut in ipsius Alcorani confutatione manifestiùs patebit. Neque de hac parte est, quod hic alia in medium proferamus.

Quod spectat ad الاخبار, seu القصص nempe *Hiſtorias*, seu *Narrationes*, adeò illas in Alcorano, utpotè mirabiles, novas, & nunquam antèà auditas, suspiciunt Moslemi, ut propter eas solùm, divinam illi tribuunt auctoritatem, itaut nec humanum, nec angelicum ingenium ad librum simílem conscribendum sufficere posse pronuncient, quemadmodum Alcoranus etiam ipse testatur. Sed quàm falsa, & inanis sit hæc tanta laus, quam Trasones isti tribuunt Alcorano, ex paucis, quæ nunc ex eodem proferemus, Christianus Lector intelliget, & non veras historias, aut sinceras narrationes, sed fabulas, & mendacia tantummodo in illo comineri cognoscet. Præcipua ex singulis Suris, ipsis Alcorani verbis, additis Expositorum Moslemorum glossis, hic recensebo.

Verùm Lectorem priùs commonitum volo, multos ex nostris auctoribus quædam Alcorano tribuere, quæ revera in eo non reperiuntur: sed vel in libro Sonnæ, vel in aliis Auctoribus Moslemis habentur; vel etiam fallax rumor inter nostros vulgavit. De his ego non loquar, nisi ab Alcorani verbis immunatur, & ab illius Expositoribus referantur.

CAPUT VIGESIMUM SEPTIMUM.

Fabuloſa, falſa, impia, ac ſuperſtitioſa, quæ in Alcorano continentur, ex parte referuntur.

Ex Sura Prima التائحة *Proœmiali*.

VErſ. 1. vocat Deum رب العالمين *Dominum Mundorum*: per quod apertè demonstrat, se esse in errore Manichæorum, Democriti, & Metrodori, & aliorum quorundam veterum Philosophorum, qui plures Mundos esse somniavere. Hebræi quoque in libro טעמי כתורות, in expositione eorum verborum Psal. 145. 13. *Regnum tuum Regnum* כל עולמים *omnium mundorum* (vel, *ſeculorum* juxta Vulgatam) deducunt per kabalam, Deum esse Regem quinquaginta, vel quinquaginta millium Mundorum. Nam duo characteres primi כל, arithmeticè summant numerum *quinquaginta*. Si autem duo puncta singulis superponantur, ita, כל; *quinquaginta millia* conficient. Sed audiamus Interpretes Alcorani, à Thalebienſi relatos: قال معيد للسبب الله تعلى الف عالم فمنها متمانية فى البحر وارجعاية فى البر وقال الضحاك فيهم ثلثمائة وستون عالما خلقة غرلا لا يعرفون من خلقهم وستون عالما يلبسون الثياب: وقال ابو سعيد الخدرى ان لله تعلى اربعين الف عالم: الدنيا من عرقها الى غربها عالم واحد: وقال مقاتل بن سليمان تعالون الف عالم اربعون الف فى البر واربعون الف فى البحر: ولم تصرف العالمين لاجتمعت الى الف جلد من الف ورقة وقال كعب الاحبار لا بعصى

Digitized by Google

يحصي عدد العالمين احد الا الله:

Dixit Said Almosajeb: Deus habet mille Mundos: sexcentos in mari, & quadringentos in terra. Et dixit Aldhahak: sunt inter eos trecenti ac sexaginta Mundi, quorum incolæ discalceati sunt, ac nudi, nec cognoscunt illum, qui creavit eos. Sexaginta autem, qui vestibus induuntur. Et dixit Abu-Said Hadriensis: Deus habet quadraginta millia Mundorum, quorum unus est hic Mundus ab oriente ad occidentem. Et dixit Mocatel filius Solyman: Sunt octogiuta millia Mundorum: quadraginta millia in terra, & quadraginta millia in mari. Si autem vellem explicare hujusmodi Mundos, & quæ sunt in eis, indigerem mille voluminibus, quorum quodlibet mille paginas contineret. Et dixit Kaab Alahbar: Nemo potest numerare Mundos, nisi Deus.

Existimabit fortassè Lector, hujusmodi Mundos esse pumiliones ac pygmæos: sed audiat, obsecro, quid de uno ex ipsis referatur in Libro السبعيات الشيخ عبد الرحمان الهمداني *Septenariorum Doctoris Abdal-Rhaman Hamdaniensis*. Introducitur hìc quidam Adallah coram Othman filio Ophan, quarto Arabum Chalipha, qui imperavit Anno Hegiræ 23. Christi, 644. ita loqui: يا امير المومنين وقع في يدي كتاب من كتب الدفان من كتب دانيال عليه السلام وجدت فيه مكتوب مذكور ما خلق الله تعالي وقدرته على كل شي واما قولك في الدنيا وسعتها فاما هذه الدنيا في ملك الله تعالي ومخلوقاته كمثل كوكب صغير بين الكواكب في السما: ووجدت في هذا الكتاب ان الله تبارك وتعالي خلق هواء طوله الف الف الف عام وعرضه مثل ذلك ثم خلق فوقه بحرا طوله الف الف الف سنة ثم خلق على جانب البحر عن يمينه الف الف الف مدينة وعن شماله مثل ذلك فملاها خلقا من خلق الله تعالي وجعل لهم ليلا ونهارا وشمسا وقمرا وارسل فيهم الرسل وانزل عليهم الكتب وجعل لهم مناسك هم ناسكوها ومنهم الصالحون والظالمون ولهم جنة ونار يعذب مسيئهم وينعم محسنهم يحاسبون بغير حسابنا ولا يحشرون معنا: لكل مدينة عشرون الف مرج في كل مرج عشرون الف روضة في كل روضة عشرون الف حديقة في كل حديقة عشرون الف شجرة في كل شجرة عشرون الف ثمرة كل ثمرة لها عشرون الف نوع من الورق تحت كل نوع من الاشجار الف من الدواب ياكلون ويشربون تلك الدواب بما يسقط من اوراق الاشجار ومايدة تلك الدواب اصغر ما فيها ما تسعه دنيانا هذه وهم رزق تلك الاقوام الذين وصفتهم لك يا امير المومنين: ثم اطبق في ذلك البحر طوله وعرضه وخلق فوقه ارضا من حديد وجعل بين الارض والبحر مسيرة الف الف سنة وجعل في ذلك البحر حيتانا كبارا كل حوت منهم ثلاثمائة ذراع يقصدون تلك الي كل جهة من المشرق والمغرب:

O Imperator fidelium, incidit in manus meas liber ex libris Danielis, cui sit pax: & inveni in eo scriptum, & commemoratum id, quod creavit Deus Excelsus, & dispositionem ejus circa unamquamque rem. Quoad verò illud, de quo requisisti me circa hunc Mundum, & amplitudinem ejus; pro certo habe, hunc Mundum in Regno Dei, & rebus ab eo creatis, esse veluti stellam ex minimis inter omnes stellas cœli. Inveni autem in prædicto libro, Deum Benedictum, & Excelsum creasse aerem quemdam longitudinis (itineris) mille millionum annorum; & latitudinis ejusdem spatii. Deinde creavit supra eum, mare longitudinis (itineris) mille millionum annorum. Deinde creavit ad latus maris illius à parte dextera mille milliones Urbium, totidemque à parte sinistra, replevitque eas multitudine hominum, quos creavit: constituitque illis diem, ac noctem, & Solem, & Lunam: misitque ad eos Legatos, & tradidit illis è Cœlo Sacros Libros: præscripsitque illis Religionis ritus, quos exercerent. Ex illis autem quidam boni sunt, quidam mali. Habent suum Paradisum, suumque Infernum: in hoc mali puniuntur: in illo boni fruuntur. Judicabuntur in alio Judicio, quàm nostro; neque resurgent nobiscum. Unaquæque Civitas habet viginti millia Prata: singula prata habent viginti millia viridaria: singula viridaria habent viginti millia nemora arborum fructiferarum: singula nemora habent viginti millia arborum: in unaquaque arbore sunt viginti millia poma: singula poma habent folia viginti millium specierum. Sub unaquaque specie arboris sunt mille bestiæ, quæ comedunt, & bibunt ex eo, quod cadit ex foliis arborum illarum. Minima ex mensis, super quas comedunt illæ bestiæ, habet tantam amplitudinem, quantam habet hic noster Mundus. Ipsæ verò bestiæ deserviunt ad cibum illis Gentibus, quas jam descripsi tibi, ò Imperator fidelium. Deinde tamquam fornice operuit illud mare in longitudine, & latitudine ejus, & creavit super illud terram ex ferro: & posuit inter illam terram, & illud mare spatium itineris millies mille annorum. Posuit autem in eo mari pisces magnos, singulos trecentorum cubitorum;

Digitized by Google

qui natantes decurrunt per omnem partem ab Oriente ad Occidentem.

Tædet ulteriùs hunc nugivendulum audire. Satis sint jam audita ad Alcoranicorum Mundorum inanias intelligendas. Ne verò quisquam me hæc Mahumeto Mahumetaniſque impoſuiſſe ſuſpicaretur, malui manum delaſſare, verba ipſa Arabica afferendo, quàm mendacis, vel falſarii ſuſpicionem ſubire. Nullus certè ſanæ mentis perſuadere ſibi potuiſſet, hoc hominum genus eſſe adeò ridiculum, ac ſtultum, ut tàm portentoſis ineptiis fidem adhiberet.

Recentiores Interpretes ad tuendum Mahumeti, ejuſque Alcorani honorem, dictionem Arabicam العالمين non *Mundos*, ſed *Creaturas omnes*, & præſertim *Angelos*, *Dæmones*, & *Homines*, exponunt.

Ex Sura 2. البقرة *Vacca.*

Verſ. 2. Exorditur tribus characteribus ſolitariis, nempè الم A. L. M. qui nihil ſignificant: & Expoſitores ipſi ſapientiores fatentur, Deum ſolum noſſe ſenſum eorum. Neque ſolùm huic Suræ, ſed aliis quoque nonnullis vel hos, vel alios characteres ignotæ ſignificationis præfigit. Eas hic notabo. Præmittit Suræ 3. الم A. L. M. Suræ 7. المص A. L. M. S. Suræ 10. 11. 12. 13. 14. 15. الر A. L. R. Suræ 19. كهيعص K. H. I. A. S. Suræ 20. طه T. H. Suræ 26. طسم T. S. M. Suræ 27. طس T. S. Suræ 28. طسم T. S. M. Suræ 29. 30. 31. 32. الم A. L. M. Suræ 36. يس I. S. Suræ 38. ص S. Suræ 40. & 41. حم H. M. Suræ 42. حمعسق H. M. A. S. Q. Suræ 43. 44. 45. 46. حم H. M. Suræ 50. ق Q. Suræ 68. ن N.

Non eſt dubium, hujuſmodi characteres ſuperſtitionem ac magiam continere. Nullam certè habent utilitatem, prorſuſque ociosi ſunt, cùm nemo ſit, qui eos intelligat. Neque unquam perſuadebit ſibi vir ullus prudens, Deum mittere ſcripturam aliquam hominibus, quam nemo ſit intellecturus. Quòd ſi dicatur, Deum poſuiſſe hos characteres in Alcorano non propter homines, ſed propter ſeipſum: reſpondetur, Deum non indigere characteribus ad hoc, ut eorum ope notitiam aut memoriam alicujus rei habere poſſit.

Ver. 25. Promittit aſſeclis ſuis Paradiſum: ſed quem? audi وبشر الذين امنوا وعملوا الصالحات ان لهم جنات تجري من تحتها الانهار كلما رزقوا منها من ثمرة رزقا قالوا هذا الذي رزقنا من قبل واوتوا به متشابها ولهم فيها ازواج مطهرة وهم فيها خالدون: *Et annuncia* (ò Mahumete) *iis qui crediderint, & fecerint bona; eos habituros eſſe hortos, ſubter quos decurrunt flumina. Quotieſcunque cibati fuerint ex aliquo fructu ex illis, dicent: hic eſt ille, quo cibati ſumus antea. Sed erit ſimilis illi,* (non autem ille idem) *In his autem hortis habebunt uxores purificatas: & ipſi in illis perpetuò morabuntur.*

Dicuntur flumina currere ſub hortis, ideſt, ut explicat Gelaleddinus, تحت اشجارها وقصورها: *ſubtus arbores, & palatia eorum.* Dicuntur etiam *uxores purificatæ*; nempè ut idem cum aliis Sapientibus explicat, من الحيض وكل قذر *à menſtruo, & omnibus ſordibus*: non enim utentur illis ad prolem, ſed ad meram voluptatem; & quamvis aſſiduè copiam ſui faciant viris, ſemper tamen remanebunt virgines. De his ita ſcribit Jahias ex relatione Malek, qui id accepérat ab Alhaſan: قال رسول الله من في احداها عمرا الرأيا لا يحضن ولا يلدن ولا اهل الجنة يدخلها عمرا الرأيا لا يحضن ولا يقضين حاجة: *Dixit Legatus Dei Mahumetus de uxoribus habitatorum Paradiſi: Ingredientur in Paradiſum ſociatæ conjugibus ſuis, iiſdem coætaneæ: non patientur menſtrua, non parient; non emungent nares; non egerent cibi potuſque excrementa.* Poſtremò de fluminibus Paradiſi ita idem Auctor. بلغني عن ابان بن عياش عن انس بن مالك قال انهار الجنة تجري من غير حدود الماء واللبن والعسل والخمر وهو لياس كله ولبن النهر مسك اذفر واريا حصاه الدر والياقوت: *Audivi ab Ajano filio Ajaſci, qui audiverat ab Anaſo filio Maleki: flumina Paradiſi fluere ſine ullo termino, aqua, lacte, melle, & vino, quod ſemper eſt album. Limus autem fluviorum eſt muſcus fragrantiſſimus: & glareæ eorum ſunt margaritæ & hyacinthi.* Omnia placent, præter vinum ſemper album, nam rubrum etiam non parùm guloſis arridet. Miraris Lector, Paradiſum tàm ſpurcum à Mahumeto proponi? *Laudibus arguitur vini vinoſus Homerus.* Erat ipſe ſpurciſſimus, totuſque Veneri, gulæque addictus. Quamobrem, referente Thalebienſi in expoſitione Suræ 4. verſ. 52. قالت اليهود لطرفا لي هذا الذي لا والله لا يشبع من الطعام ولا والله ما له همّ الا النساء لو كان نبيًا لشغله امر النبوة عن النساء: *Dicebant Judæi* (de Mahumeto): *Videte hunc hominem, qui, per Deum, non poteſt ſatiari cibo; neque, per Deum, aliam habet ſolicitudinem, quàm de fœminis. Si eſſet propheta, ſolicitus eſſet de iis, quæ ſpectant ad munus propheticum, non autem de fœminis.* Sed quid Judæorum egemus teſtimonio? cùm ipſemet de ſe teſtetur: (prout refert Ismael filius Aly in ejus vita) الى الله جعل لذتي في النساء والطيب: *Deus poſuit delicias meas in fœminis ac ſuavibus unguentis, & odoribus.* Sed relinquamus ſuem in luto ſuo.

Verſ.

Vers. 29. Hæc habet de Deo: هو الذي خلق لكم ما في الارض جميعاً ثم استوى الى السماء فسوّيهن سبع سموات وهو بكل شيء عليم: *Ipse est, qui creavit vobis omnia, quæ sunt in terra: deinde intendit ad cœlum cœlum, & conformavit illud in septem cœlos: & ipse in omni re est sciens.* Quicquid sit de septem cœlis, directè Alcoranus pugnat contra Pentatenchum, ex quo apertè constat, Deum priùs creasse cœlum, quàm terram: & hæc est communis omnium, etiam Hebræorum sententia: semper enim cœlum primo loco ponitur in creatione, excepto cap. 2. Genes. vers. 4. ubi in textu Hebraico terra cœlo præponitur. At Græca, & Latina, atque etiam Samaritana, Syriaca, & Arabica repugnant. Quicquid sit; ordo à Moyse servatus est hic. Primò: Cœlum, deinde terram Deus creavit. Secundò: Lucem utrique communem produxit. Tertiò: Firmamentum, quod ad cœlum spectat, formavit. Quartò: Maria congregavit. Quintò: Arbores & herbas fussit germinare. Sextò: Solem, Lunam, & Stellas in Cœlo constituit: postremò quadrupedia, reptilia, volucres, pisces, in terris, & aquis produxit, hominemque formavit. Huic autem ordini absque dubio repugnat Alcoranus, dum asserit, Deum primò creasse terram, & omnia, quæ sunt in illa: deinde verò ad cœlum creandum animum intendisse.

Vers. 30. De creatione Adam, & rebus aliis ad eum spectantibus, ita nugatur: وان قال ربك للملائكة اني جاعل في الارض خليفة قالوا اتجعل فيها من يفسد فيها ويسفك الدماء ونحن نسبح بحمدك ونقدس لك قال اني اعلم ما لا تعلمون: وعلّم آدم الاسماء كلها ثم عرضهم على الملائكة فقال انبؤني باسماء هؤلاء ان كنتم صادقين: قالوا سبحانك لا علم لنا الا ما علّمتنا انك انت العليم الحكيم: قال يا آدم انبئهم باسمائهم فلما انبأهم باسمائهم قال الم اقل لكم اني اعلم غيب السموات والارض واعلم ما تبدون وما كنتم تكتمون: وان قلنا للملائكة اسجدوا لآدم فسجدوا الا ابليس ابى واستكبر وكان من الكافرين: وقلنا يا آدم اسكن انت وزوجك الجنة وكلا منها رغداً حيث شئتما ولا تقربا هذه الشجرة فتكونا من الظالمين: *Cùm dixisset Dominus tuus (ò Mahumete) Angelis; Ego sanè decrevi constituere in Terra unum supremum Principem: Responderunt Angeli: Constituesne principem in terra, qui corrumpat eam, & effundat sanguinem? Nos porrò laudamus te, & sanctificamus te:* (satis tibi sit hoc, absque alio principe in terra; vel constitue unum ex nobis.) *Dixit illis Deus. Ego scio, quod vos nescitis.* (Interim Deus creavit Adam) *& docuit eum nomina omnium rerum. Deinde* (advocato Adam, & Angelis) *exposuit coram Angelis omnes res creatas, dixitque eis: Divinate mihi, quæ sint nomina harum rerum;* (nam ex hoc cognoscam) *si estis veraces. Respondérunt Angeli: Laus tibi: nos non habemus scientiam, nisi quam tu nobis impertitus fueris; nam tu es Scions, Sapiens. Tunc dixit Deus:* O *Adam, die tu nomina harum rerum. Cùmque Adam* (quippe à Deo antè edoctus) *ea probè enunciasset; dixit Deus Angelis: Nonne prædixi vobis, me scire arcana cœlorum, & terræ, & ea omnia, quæ vos celatis, & quæ propalatis? Tunc dixit Angelis:* (Quandoquidem doctior fuit vobis) *procidentes adorate Adam. Omnes igitur adoravérunt: sed* (unus eorum nomine) *Eblis* (idest Diabolus) *elatus in superbiam, noluit eum adorare: quamobrem inter infideles & ingratos computatus est. Deinde dixit Deus Ada:* O *Adam, habita tu, & conjux tua in Paradiso, & comedite in eo affluenter quæcumque voluerítis: sed ne appropinquetis arbori huic; ne incurratis in iniquitatem.* Audisti, Lector, Judicium puerile inter Deum, & Angelos, quod magna ex parte in Thalmud à R Eliezer in פרקים, cap. 13. refertur. Impinguant Expositores Moslemi Mahumeticas nugas ineptiis suis, quas hîc solùm innuam. Scribit Gelaleddinus; *Deum creasse Adam ex superficie terræ, desumpto pugillo illius ex omnibus ejus coloribus, & cum aquis variis pinsuisse.* Ismael filius Aly in sect. de Adam, cap. 1. hæc habet. *Creavit Deus corpus Adæ ex* ملصل *Salsal* (idest luto sicco, nondum cocto); *& reliquit illud quadraginta noctibus, vel, juxta alios, quadraginta annis, jacens sine anima: veniebatque Diabolus ad illud, & pede percutiebat, & resonabat. Et sufflavit Deus in eo animam de flatu suo, immittens per oculos ejus: & ipse vidit nasum suum adhuc luteum, & animam currentem per illum, donec pervenit ad pedes, & stetit rectus. Et docuit Deus Adam nomina omnium rerum, & linguas omnium animalium maris, & terræ.* Et post nunnulla: *Diabolus autem ingredi voluit Paradisum, ut tentaret Adam: sed prohibuerunt eum Angeli custodes illius. Ille verò obsecravit omnes bestias, ut portarent ipsum in Paradisum, quò alloqui posset Adam, & uxorem ejus. At omnes recusaverunt portare eum, præter Serpentem, qui accepit Diabolum inter duos dentes molares suos, & introduxit eum furtim in Paradisum. Erat autem Serpens eo tempore figuræ pulcherrimæ.* Refert deinde ejectionem Adæ, Hevæ, Serpentis, Diaboli, & Pavonis è Paradiso, post peccatum Protoplastorum: dicens: *Et defendere fecit Deus eos omnes in terram* (volunt enim in Mahumetani Paradisum hunc esse in septimo cœlo.) *Et Adam quidem amandavit in Indias super montem Sarnadib. Habebat autem pro indusio unum de foliis Paradisi, quod cùm ventus disperssisset per illam regionem, inde nata sunt aromata ejus. Heva verò descendit in Geddan; & Diabolus in desertum Meisam: Serpens autem in Asphahan, & Pavo in Mare. Perseveravit autem Adam flens peccatum suum, quoadusque Deus placatus est illi; & tunc venit ad Templum Meccæ, ubique coivit cum Heva inter Saphaam, & Mervam: quæ concepit masculum, & fœminam; sed*

Digitized by Google

sed mense octavo fecit abortum. Iterùm concepit, & abortivit. Tertiò concepit, peperitque masculum, & fœminam. Postquam verò centies peperisset, semper masculum & fœminam, (Quidam tamen volunt toto hoc tempore illam dæmones seu familiares Genios peperisse), *concepit & peperit Habel, & sororem ejus: & postea Cain, & sororem ejus. Misit autem Deus Adam ut prædicaret Genti suæ; & tradidit ei è cœlo libros viginti, & unum.*

De Arbore illa, quam Deus Protoplastis prohibuit, variæ sunt, & omnes ridiculæ tàm Hebræorum, quàm Mahumetanorum opiniones. Jahias ex auctoritate Ebn-Abbas, vel potiùs Rabbinorum in Thalmud, Ordine 4. *Nezikin*, Cod. 5. *Sanhedrin*, Cap. 7. sentit fuisse *Spicam tritici*. Cottada, *Ficum cum fructu*; alii *Vitem cum uva*. Sed non est, quòd diutiùs in his quisquilis immoremur.

Vers. 54. hæc habentur: وقال موسى لقومه يا قوم

انكم ظلمتم انفسكم باتخاذكم العجل فتوبوا الى

بارئكم فاقتلوا انفسكم ذلكم خير لكم عند بارئكم

فتاب عليكم انه هو التواب الرحيم:

Dixit Moyses populo suo: O populo meus, certè vos iniquè egistis contra vos ipsos adorando Vitulum. Convertimini igitur ad Creatorem vestrum, & occidite vos ipsos: hoc erit melius vobis apud Dominum vestrum, & parcet vobis, quia ipse est propitiabilis, misericors. Exponit Gelaledd. فوقتلكم

الفعل ذلك وارسل عليكم صاعقة سودا ليلا بري

بعضكم بعضا فيرحمه حتى قتل منكم سبعين الفا

Et adjuvit vos ad hoc faciendum Deus: nam misit super vos nubem nigram, ne alii vestrum alios videre possent, illorumque misereretur; donec occisi sunt ex vobis septuaginta millia. Verùm in Libro Exodi c. 32. non legimus, Moysen mandasse Israelitis, ut more cæcorum occiderent se ipsos propter perpetratam Vituli idololatriam, sed ipsummet, adjunctis sibi Levitis, qui Deum timebant, occidisse viginti tria millia eorum, qui vitulum adoraverant. Vide quantum distent commenta Alcorani, & Moslemorum à veritate sacræ Historiæ.

Vers. 55. ita exprobrat Judæis: واذ قلتم يا موسى

لن نؤمن لك حتى نرى الله جهرة فاخذتكم

الصاعقة وانتم تنظرون: ثم بعثناكم من بعد موتكم

لعلكم تشكرون: *Et dixistis: O Moyses nunquam credemus tibi, donec videamus Deum clarè. Propterea invasit vos mors, vobis videntibus: & deinde resuscitavimus vos post mortem vestram, si fortè vos gratias ageretis.* Tantum abest, ut Israelitæ vellent videre Deum, ut vocem quoque ejus audire recusarent, dicentes Moysi, Exod. cap. 20. *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur.* Pugnant hæc aperte cum verbis Alcorani: ac proinde infigne est mendacium, quòd Israelitæ ob hoc mortui sint, & deinde à Deo resuscitati. Ismael filius Aly ut ab hoc mendacio Mahumetum purget, asserit, septuaginta illos tantummodo mortuos esse, & resuscitatos, quos Moyses secum duxit in montem, quia Deum videre volnerunt. Sed hoc quoque mendacium est: habemus enim de his, Exodi cap. 24. *Et viderunt Deum Israel, & comederunt, & biberunt*, non autem, *mortui sunt, & resuscitati.*

Vers. 60. Fingitur Deus hæc Mahumeto suggerere: ان لموسى لقومه فقلنا اضرب بعصاك

الحجر فانفجرت منه اثنتا عشرة عينا قد علم كل

اناس مشربهم: *Memento, cùm Moyses petiit potum pro populo suo: nos verò diximus ei: Percute virga tua petram.* (Quod cùm fecisset) *emanaverunt ex ea duodecim fontes. Jam cognoverunt omnes homines* (singularum Tribuum) *locum sunum ad bibendum.* Bis Moyses è petra aquam, virga percutiendo, eduxit: Exodi cap. 17. & Numer. cap. 20. nec usquam leguntur hi duodecim fontes, ex quibus singulæ Tribus biberent. Quamobrem vel est commentum Rabbinicum; vel Mahumetus, more suo, duas sacras Historias confudit: nempè percussionem petræ in Horeb: & duodecim fontes aquarum, quos Israelitæ invenerunt in Elim, Exodi cap. 15. & Num. cap. 33. Certè, cùm petra illa adhuc extet, quemadmodum plures ex nostris, qui eam viderunt, affirmant; tres tantùm in illa hiatus, vel ora confpiciuntur, ex quibus aquas cum impetu & violenter erupisse cognoscitur.

Vers. 63. sic fingitur loqui Deus cum Judæis: واذ

اخذنا ميثاقكم ورفعنا فوقهم الطور خذوا ما اتيناكم

بقوة واذكروا ما فيه لعلكم تتقون:

Et mementote, quando accepimus pactum vestrum (de observando Pentateucho): *& elevavimus supra vos Montem* (Syna & Horeb, diximusque vobis) *Accipite quod attulimus vobis* (& obiervate illud) *strenuè: & memoria retinete id, quod continetur in eo, ut vos caveatis* (pœnas transgressionis vestræ). Fingitur hic, Deum radicitùs evulsisse Montem Syna, & elevasse illum in aera, atque ita suspensum tenuisse, minitando se eum impetu projecturum illum super Israelitas, nisi prompte reciperent legem suam, quam recusabant. Gelal. اقتلعناه من اصله

عليكم لما ابيتم قبولها. *Evulsimus eum à radicibus, & elevavimus super vos, quia renuebatis accipere eam*; nempè, legem meam. Figmentum hoc, & mendacium. Nam de hujusmodi Montis Synai evulsione nullum in Pentateucho vestigium. Israelitæ verò promptissimè legem datam suscepere, ut patet Exodi cap. 19. ubi proponenti illam Moysi à Deo tradendam: *respondit omnis populus simul: Cuncta, quæ loquutus est Dominus, faciemus.* Et clariùs etiam Deuteron. cap. 5. ubi populus, Dei Majestate perterritus, dixit ad Moysen: *Si audierimus ultrà vocem Domini Dei nostri, moriemur. Tu magis accede, & audi cuncta, quæ dixerit Dominus Deus noster tibi: loquerisque ad nos, & nos audientes faciemus*

Digitized by Google

mus ea. Quod cùm audisset Dominus, dixit ad Moysen: Audivi vocem verborum populi hujus, quæ locuti sunt tibi: bene omnia loquuti sunt. Nec usquam legimus populum à divinis mandatis recipiendis recidisse.

Vers. 65. ita legimus.

ولقد علمتم الذين اعتدوا منكم في السبت فقلنا لهم كونوا قردة خاسئين فجعلناها نكالا لما بين يديها وما خلفها وموعظة للمتقين:

Et jam quidem nostis quid, evenerit illis ex vobis, qui transgressi sunt Sabbatha. Diximus enim illis: Estote simiæ abactæ: Et posuimus eas in exemplum illis, qui fuerunt ante eas, & posteas, & in admonitionem piorum. Fabulam obscurè ab Alcorano indicatam, ita explicat ac dilucidat Sciahinsiah in sua historia cap. de David. Arabica Latinè fideliter reddo. *Fuerunt tempore David, cui sit pax, Israelitæ quidam, qui habitabant ad litus maris in Civitate Ailæ. Pisces autem exibant è mari nocte Sabbati, & non movebantur usque ad noctem. Dominicæ, nec regrediebantur in mare. Illi verò dixerunt: Certè interdixit Deus patribus nostris piscationem die Sabbati: at nobis non interdixit. Piscati itaque sunt, & assaverunt pisces, & comedenunt. Cùm autem alii fideles ex ofsatu id cognovissent, prohibuerunt eos. Illi verò ne dignata quidem sunt respicere prohibentes. Quamobrem fideles pugnantes contra eos, divisserunt Civitatem, & fecerunt murum sublimem intermedium. At scelesti illi foderunt foveas, vivos per eas derivantes ex mari intra portas domorum suarum. Cùmque pisces nocte Sabbati per rivos illos egredirentur, ne possent habere regressum ad mare, in nocte Dominicæ occludebant eosdem rivos versus mare. Cæperunt autem fideles impedire eos; at ipsi obstinatius se gerebant in hac re. Maledixit itaque eis David, & Deus transformavit illos in similes. Veniebatque ad aliquem eorum amicus ejus, & inveniebat eum similem, oculos hùc illùc moventem. Dicebatque ei: Tune es talis? Ille verò capite annuebat: ac si diceret; Ego sum. Dicebatque amicus: Nonne prohibui te? At similis fiebat. Permanserunt que in hoc statu tres dies: deinde perierunt. Misit autem Deus ventum, qui arreptas simias projecit in mare.* Hanc esse fabulam, patet quia Civitas Aailæ pertinebat ad Idumæos, ut habetur, lib. 3. Reg. cap. 8. Idumæi verò non observabant Sabbatum, nec legem Hebraicam. Denique si David hoc miraculum fecisset; aliquod illius vestigium in Sacris Literis haberemus.

Vers. 67. Refertur multis nugis admixtum id, quod legimus in lib. Numer. c. 19. de Sacrificio Vaccæ rufæ, quæ extra castra erat immolanda, & comburenda; & ejus cineribus aqua dilutis, is, qui cadaver hominis tetigerat, erat expiandus. Fingitur itaque in Alcorano hominem quendam occisum fuisse: cùmque cædis auctor non reperiretur, Deum jussisse Moysen immolare hujusmodi Vaccam, nam hac ratione homicida reperiri posset. Sic igitur, vers.

فذبحوها وما كادوا يفعلون وإذ قتلتم نفسا فادّارأتم فيها والله مخرج ما كنتم تكتمون فقلنا اضربوه

Ad Refut. Alcor. Pars IV.

ببعضها كذلك يحيي الله الموتى ويريكم اياته لعلكم تعقلون: *Itaque immolaverunt eam* (ideft vaccam) *& parum abfuit, quin hoc non facerent:* (quia fcilicet venditor ejus, nimium pretium exigebat.) *Cùmque hominem occidiffetis, & de auctore cædis contenderetis: Deus manifeftavit id quod occultabatis. Diximus enim: Percutite hominem occifum parte vaccæ immolatæ.* (Quod cùm fecifient, revixit mortuus, & detexit occifores fuum.) *Ita vivificat Deus mortuos, & oftendit vobis miracula fua, ut vos intelligatis.* Charûs ex Taarich Sciahinsiah, cap. في موسى De Moyse, rem totam tene. *Infanti filio reliquit pater moriens vitulam, qua donec filius adoleficeret, in defertis, nullo cuftode, morata eft. Mater filio jam adulto fignificavit, vitulam per deferta liberè vagantem, fuam effe: iret, eamque captam venum deportaret: tres denarios pro pretio acciperet. Obtulit fe illi in foro Angelus fub fpecie humana, qui pro vitulæ pretio fex obtulit denarios, dummodo nihil de hoc matri fignificaret. At ille pretium accipere noluit fine matris affenfu: quo obtento, regreffus eft in forum, ubi Angelum invenit, qui duodecim ei denarios obtulit, cum pacto ne matri fignificaret. Ille autem non acquievit, fed regreffus ad matrem, quid fibi evenifset, expofuit. Mater intellexit, hunc effe Angelum, dixitque filio; Revertere, ac require ab illo emptore, quid de hac vitula faciendum fit. Regreffo juveni dixit Angelus: Evaniet quamprimùm, ut filii Ifrael emant à te hanc vitulam tanta auri copia, quantam pellis ejus capere poffit. Brevi igitur contigit, ut occiderentur quidam inter Ifraelitas, nomine Hammiel, à patruele fuo, qui tranftulit cadaver ex Urbe, in qua erat, in aliam Urbem.* (Ae in Defierto, nullæ erant Urbes). *Venerunt autem propinqui ejus, qui occifus fuerat, ad Moyfen, adducentes eos, quos cædis reos effe putabant. His autem negantibus, & re dubia, præcepit Deus, ut Vaccæ tufa, mediæ ætatis, fine macula, non attrita jugo, vel oncre, macteretur. Cùmque nulla alia cum his notis reperiretur præter eam, quam orphanus ille apud fe habebat, hanc emere coacti funt tanta auri copia, quantam capiebat pellis illius. Alii dicunt, quantum erat pondus Vaccæ. Alii, decem vicibus fupra pondus ejus. Immolaverunt igitur illam, & accigerunt cadaver hominis occifi partieula illius* (nempe lingua, vel cauda, ut fcribit Gelaled.) *At homo revixit, ftetitque rectus, & ait: Occidit me talis. Et mox cadens iterùm mortuus eft.*

Vers. 102. Hæc habet de Judæis:

واتبعوا ما تتلوا الشياطين على ملك سليمن وما كفر سليمن ولكن الشياطين كفروا يعلّمون الناس السحر وما انزل على الملكين ببابل هاروت وماروت وما يعلّمان من احد حتى يقولا انّما نحن فتنة فلا تكفر فيتعلّمون منهما ما يفرّقون به بين المرء وزوجه وما هم بضارّين به من احد الّا باذن الله ويتعلّمون ما يضرّهم ولا ينفعهم

ولقد

ولقد علموا لمن اشتراه ما لـــه فى الاخرة من خلاق

Et sectati sunt id, quod moliti erant Dæmones contra regnum Salomonis. Neque Salomon infidelis fuit; sed Dæmones erant infideles; docebant enim homines artem magicam, & scientiam traditam duobus Angelis Harut, & Marut, in Babylone. Non tamen (hi Angeli) *docebant hujusmodi magicam artem ulli, quin prius dicerent illi: Nos certè* (hæc docemus) *ad tentandum* (homines): *at tu cave, ne fis infidelis* (idest ne ea utaris). *Verùm* (homines) *didicerunt ab his duobus* (Angelis) *artem separandi virum ab uxore sua: non tamen nocere poterant ulli per eam, nisi permittente Deo. Et didicerunt id, quod erat ipsis noxium, non autem quod erat utile: & quidem sciebant, eos, qui hac arte usi fuissent, non habituros partem in sæculo futuro.* Dat lucem commento Alcoranico expositio Jahiæ, quæ est communis cæteris Expositionibus. Do tantùm verba latina; *Dixit Kalebius: Postquam probavit Deus Salomonem per operam Satanæ* (spoliando eum regno): *scripserunt Dæmones plures libros magicos, & absconderunt eos sub throno Salomonis. Cum autem hic mortuus esset; venerunt Dæmones ad homines amicos suos, qua arte Salomon imperabat hominibus, & subjiciebat sibi Genios, & ventos? Cumque illi id se velle responderent: dixerunt Dæmones: effodite sub Throno ejus. Hoc cùm illi fecissent, plurimos inde libros extraxerunt; quos legentes invenerunt continere infidelitatem contra Deum. Dixerunteque Optimates filiorum Israel: Absit, ut hæc addiscamus. Vulgus autem ea addidicit: & crulgaverunt Pontifices hoc de Salomone interfilios Israel, donec Deus purgavit illum ab hac calumnia per linguam Mahumeti, dicens: Neque Salomon infidelis fuit.* Hactenùs Jahias.

De duobus illis Angelis Harut, & Marut habetur ex traditione Alhafan, illos commoraturos

ببابل

الى يوم القيمة وان من زهم على تعلـــم السحر

ثم انامـــا مع كلهما من غمـــر ان يرامها:

in Babylone usque ad diem Resurrectionis. Et si quis cupiat addiscere artem magicam, pergens ad eos, audit vocem eorum, absque eo quòd videat eos. Ex Mogiahedo autem, cujus traditionem cæteri sequuntur, habetur: *Cùm Angeli conquererentur apud Deum de scelcribus hominum, missi fuerunt hi duo, Harut, & Marut, ad judicium inter homines exercendum. Justèque judicaverunt, donec descendit ad eos* (ex orbe cœlesti) *Venus in figura pulcherrimæ mulieris litem motura contra maritum suum. At cùm vidissent eam Angeli, exarserunt in concupiscentia ejus, & tentaverunt commisceri cum ea. At Venus avolavit, & rediit ad locum suum in cælo. Duo quoque Angeli redierunt in Cælum: sed prohibiti sunt ab ingressu ejus. Rogaverunt igitur quemdam hominem, ut intercederet pro ipsis, dicentes ei: Audivimus Deum optimam de te commemorationem facientem. Ille verò se excusavit, dicens: Quomodo intercedent terrigenæ pro cœligenis? Attamen constituit diem, in qua promisit se pro eis rogaturum. Oravit igitur pro illis, & obtinuit, ut liceret ipsis eligere panam, vel in hoc Mundo, vel in altero. Illi verò elegerunt puniri ac torqueri in Babylone usque ad diem Resurrectionis.* Pœnam autem describit Auctor Doctrinæ Mahumeti, aliàs allegatus, ita: *Dependi sunt per catenas ferreas demissis capitibus in puteo Babel, usque in diem Judicii.* Totam hanc fabulam Mahumetus & Mahumetani è Cornucopia Rabbinica eruerunt. Vide eam in ילקוט *Jalcut*, sect. בראשית *Bereseith*, ex מדרש *Midrasch*, ubi *Harut*, vocatur שמחזי *Scembazai*: *Marut* autem עזיאל *Azael*.

Verf. 125. Legimus ولذا ابتلى ابراهيم ربه بكلمات

فاتمهـــن: *Et cùm tentavit Abraham Dominus ejus quibusdam verbis, & ipse complevit ea.* Quænam fuerint hæc verba, & qua in re Deus Abraham tentaverit, ita refert Gelaleddinus, ex traditione proculdubio ipsius Mahumeti: وقيل هـى مناسك

الحج وقيل المضمضـــة والاستنشاق والختان وقص

الشارب وفرق الراس وقلـــم الاظفار ونتف الابط

وحلـــق العانـــة والختان والاستنجـــاء:

Quidam dicunt fuisse ritus sacræ Peregrinationis. Alii verò volunt fuisse præcepta, abluendi os aqua per nares eam attrahendo, ad illas purgandas: confricandi os, & dentes: tondendi barbam, seu pilos labii superioris: discriminandi capillos ad verticem: præcidendi ungues: depilandi axillas: radendi pubem circa genitalia: circumcidendi præputium; & abluendi aqua, vel abstergendi alia re obscænas partes ad eas purgandas. At Pentateuchus apertè docet, Deum tentasse Abraham, præcipiendo ei, ut Isaac filium suum sibi immolaret.

Verf. 128. Fingit Abraham, & Ismael fabricasse Templum Meccanum, ita scribens:

واذ يرفع ابراهيم

القواعد من البيت واسمعيل ربنا تقبل منا انـــك

انت السميع العليـــم: *Et cùm exollerent Abraham & Ismael fundamenta Domus* (Templi Meccani), *dicebant: Domine noster suscipe hoc obsequium à nobis; quia tu es Auditor, Cognitor.* Alibi ostendi Abraham nunquam fuisse in Mecca, & de Templo ibi constructo ne quidem somniasse. De eodem Templo mira fabulantur Arabes à Mahumeto per traditionem accepta. Refert hæc Zanschaïcerius: *Cùm Adam ex India ad illud invisendum peregrinus proficisceretur; obvios habuit Angelos, qui dixerunt ei: Nos jam peregrinati sumus ad hoc templum ante te per duo millia annorum. Adam porrò peregrinatus est ad illud ex India pedestris quadraginta vicibus. Tempore universalis Diluvii Deus elevavit hoc Templum ad quartum cœlum, ubi adhuc manet, & dicitur* البيت للعمور *Domus visitata* (quia fœliciter invisunt eam quotidie septuaginta millia Angelorum, nec unquam redeunt iidem). *Deinde Deus præcepit Abrahæ, ut in eodem loco construeret aliam Domum prorsus similem illi, missoque eidem exemplari ejus è cælo per Gabrielem; qui ad ejus structuram attulit Lapi-*

pidem Nigrum è cælo (de quo alibi diximus). *Alii tamen malunt hunc Lapidem conceptum ac in lucem editum fuisse à Monte* ابو قبس *Abu-Kais, & conservatum fuisse vivum in eo, tempore Diluvii. Erat autem hyacinthus candidus ex Paradiso: sed cùm tetigisset eum mulier menstruata, evasit niger.* Hactenus Zamchascerius. Thalebiensis in Suram 3. v. 96. refert de Templo Meccano, hanc ex Vahebo traditionem وقال وهب مكتوب فى التوراة ان الله يبعث معجمانية الف من الملايكة للقربين بيد كل واحد منهم سلسلة من ذهب ويقول لهم اذهبوا الى البيت الحرم فزمروه بالسلاسل ثم قودوه الى المحشر فيأتونه فيزمرونه بصعجمانية الف سلسلة ثم يقودونه.

Dixit Vaheb: Scriptum est in Pentateucho, quòd Deus mittet septingenta millia Angelorum sibi proximorum. Singuli habebunt in manu catenam auream: & dicet eis: Ite ad Templum Meccanum, & alligate illud catenis: deinde adducite illud in locum Judicii. Venientes igitur Angeli alligabunt illud septingentis millibus catenis & adducent ad locum Judicii. Mox subdit, Templum illud loquuturum coram Deo, & imploraturum Deum pro iis, qui se visitaverint. Templi hujus descriptionem ex Gabriele Bremond Massiliensi, vide in vita Mahumeti circa finem.

Verf. 244. Ita fingitur Deus loqui cum Mahumeto أَلَمْ تَرَ الَّذِينَ خَرَجُوا مِن دِيَارِهِمْ وَهُمْ أُلُوفٌ حَذَرَ الْمَوْتِ فَقَالَ لَهُمُ اللَّهُ مُوتُوا ثُمَّ أَحْيَاهُمْ.

Nonne animum advertisti ad eos, qui egressi sunt de domibus suis (& ipsi erant multa millia) ob timorem mortis? Dixitque illis Deus: Morimini. Deinde ad vitam revocavit eos. Obscurè loquitur Alcoranus, quod Interpretes clarius exponunt. Gehaleddinus. هم قوم من بنى اسرايل وقع عليهم الطاعون بمدائنهم فخرجوا فقال لهم الله موتوا فماتوا ثم احياهم بعد ثمانية ايام او اكثر بدعاء نبيهم حزقيل فعلموا ذعرا عليهم انزلوت لا يلبسون ثوبا الا عاد كالكفن واستمرت فى اعقابهم.

Hi fuerunt quidam de filiis Israel, in quorum regionem cùm pestilentia incidisset, fugam inierunt. Dixit autem illis Deus: Morimini; & mortui sunt. Deinde post octo, aut plures dies resuscitavit eos ad preces Ezechielis prophetæ eorum: vixeruntque per multum tempus. Apparebant autem in illis vestigia mortis: neque induebant vestem, quæ non evadceret nigra sicut pix. Et perseveravit hoc in nepotibus eorum. Idem ferè habet Jahias ex traditione Cottadæ: & juxta Calebium, asserit, hos fuisse octo millia. Alii tamen volunt fuisse quatuor millia: alii decem millia: alii triginta vel quadraginta, vel septuaginta millia. Ismael Ebn-Aly in suo Taarich, cap. ذكر حكم بنى اسرايل: *De Judicibus filiorum Israel*; ex auctoritate Thalebiensis, & aliorum, ponit حزقيل *Ezechielem*, Judicem post برميا *Barsajas* filium Caleb. At hujusmodi Judex nunquam fuit Israelitis, quemadmodum neque Ezechiel, quem Auctor fuisse affirmat ابن بوزى *Filium Buzi*, & cognominatum ابن العجوز *Filium vetulæ*, quia mater ejus vetula & sterilis obtinuit eum precibus à Deo. Sed confundit Auctor Samuelem cum Ezechiele, quemadmodum etiam ipsum Ezechielem cum Ochoniele, vel alio illius ævi. Ezechiel enim vixit multis sæculis post Judices. De eo igitur refert Ismael, quòd fuerit ille الذى احياه الله لقوم بعد وفاتهم بدهائه, *in cujus gratiam, & ad cujus preces suscitavit Deus gentem, quæ mortua fuerat* (de qua loquitur Alcoranus) & fugerant ex Civitate Davardan, in quam pestis advenerat: vel à prælio pro religione suscepto, ob timorem mortis. Cùm autem [in Vallem quandam pervenissent, ibi, Deo jubente, omnes mortui sunt. Et cùm ibi ossa tantum eorum remansissent خرج حزقيل فمر بهم فلما راهم بكى فاوحى الله تعالى اليه يا حزقيل ناديهم فانى احييهم لك فنادائهم حزقيل فقاموا جميعا وكبروا بكبرة واحدة وعاشوا بعد ذلك دهرا: *Transivit juxta eos Ezechiel; cùmque vidisset eos, flevit. Inspiravit autem illi Deus, dicens: O Ezechiel, voca eos: nam ego reflituam eos tibi ad vitam. Id cùm fecisset Ezechiel, surrexerunt omnes, & congregati sunt in unam turmam: & postea vixerunt longo tempore, &c.* Vides, quòt fabulis, ac mendaciis deforment Mahumetus & Mahumetani visionem imaginariam Ezechielis cap. 37.

Verf. 247. Cùm Israelitæ postulassent Regem à Samuele, asserit Samuelem illis respondisse: هل عسيتم ان كتب عليكم القتال الا تقاتلوا قالوا وما لنا الا نقاتل فى سبيل الله وقد اخرجنا من ديارنا وابنائنا فلما كتب عليهم القتال تولوا الا قليلا منهم: *Si indictum fuerit vobis prælium, an à prœliando refugietis?) At illi responderunt: Et cur refugiamus pugnare pro religione Dei?* Nihil tale vel dixit Samuel, vel responderunt Israelitæ. Subdit فلما كتب عليهم القتال تولوا الا قليلا منهم: *Cùmque indictum fuisset illis bellum: terga verterunt omnes, præter paucos.* Hoc quoque magnum mendacium: nam tibi primum indictum fuit Israelitis bellum contra Ammonitas, omnes ad trecenta triginta millia egressi sunt, ftrenuè-

Digitized by Google

nuèque pugnaverunt, donec ex hostibus victoriam retulere. Vide lib. 1. Reg. c. 11. Quòd si aliàs Israelitæ ab hostibus fugerunt, vel se absconderunt, non fecit pro Mahumeto: nam hic apertè loquitur de prælio illo, quod ipsis primùm indictum fuit.

Vers. 249. Fingit populum Israeliticum recusasse recipere in Regem Saul (quem ipse vocat depravatè طالوت *Talut*) tribuens omnibus id, quod pauci tantùm fecisse leguntur: ac propterea postulasse à Samuele aliquod signum, per quod cognoscere possent, ipsum electum fuisse à Deo. Sic igitur vers. 250. وقال لهم نبيهم ان اية مُلكه ان يأتيكم التابوت فيه سكينة من ربكم وبقية مما ترك آل موسى وآل هرون تحمله الملائكة ان فى ذلك لاية لكم ان كنتم مومنين:

Dixitque illis Prophetæ eorum (Samuel): *Certè signum regni ejus erit, quòd veniet ad vos Arca, in qua est securitas à Domino vestro, & reliquiæ eorum, quæ reliquit familia Moysis, & familia Aaron. Portabunt eam Angeli. Certè in hoc erit signum vobis, si estis credentes.* Glossist hic Gelaleddinus. *In Arca erant icones Prophetarum: Demiserat eam Deus super Adam: Erant etiam in ea reliquiæ familiæ Moysis, & Aaron; ea scilicet, quæ uterque reliquerat: nempè crepida Moysis, & virga ejus; & Tiara Aaron: & vas mannæ, quæ pluerat eis è cœlo: & fragmenta Tabularum legis. Portaverunt itaque eam Angeli inter cœlum & terram, videntibus illis, donec depositurunt eam ante Talut. Ideòque acquievérunt regno ejus: & certatim properaverunt ad bellum. Ille verò elegit septuaginta millia juvenum ex illis.* Fabulæ, meræque ineptiæ. Nihil enim tale legimus in Sacris Literis; imò pleraque illis manifestè repugnant.

Vers. 250. Pergit ita nugari: فلما فصل طالوت بالجنود قال ان الله مبتليكم بنهر فمن شرب منه فليس منّي ومن لم يطعمه فانّه منّي الاّ من اغترف غرفة بيده فشربوا منه الاّ قليلاً منهم فلما جاوزه هو والذين امنوا معه قالوا لا طاقة لنا اليوم بجالوت وجنوده: قال الذين يظنون انهم ملاقوا الله كم من فئة قليلة غلبت فئة كثيرة:

Cùm autem discessisset Talut cum exercitu, dixit militibus: Deus probaturus est vos in flumine. Qui enim biberit ex eo, non erit ex parte mea: qui autem non gustaverit illud, ille erit ex parte mea; præter eos, qui unum tantùm hausfum hauserint manu. Biberunt igitur omnes, paucis exceptis. Cùm autem flumen transissent ipse, & qui crediderant (nec biberant) *cum eo; dixerunt alii: Non erit nobis hodie vis contra Gialut* (ita deformat Goliam) *& milites ejus. Respondérunt illi, qui credebant se esse à Deo judicandos: Quoties parvus exercitus magnum devicit?* Gelaleddinus, & Jahias volunt, eos, qui manu hausfum aquam biberunt, fuisse circiter trecentos. Et quidem tot fuerunt: sed in hac historia, more suo, Mahumetus turpiter hallucinatus est, confundens Saulem cum Gedeone. Vide librum Judicum, cap. 7.

Vers. 259. Fingitur Deus ita alloqui Mahumetum الم تر الى الذي حاج ابراهيم فى ربه ان اتيه الله الملك اذ قال ابراهيم ربّي الذي يحيي ويميت قال انا احيي واميت قال ابراهيمُ فانّ الله ياتي بالشمس من المشرق فات بها من المغرب فبهت الذي كفر.

Nonne animum advertistis ad eum, qui disputavit cum Abraham de Domino ejus, (in superbiam elatus) quòd dedisset ipsi Deus regnum? Cùm dixisset Abraham: Dominus meus est, qui vivificat, & mortificat: respondit ille: Ego quoque vivifico, & mortifico (occidendo quem volo, & vivum relinquendo quem volo). *Dixit Abraham: Deus surgere facit Solem ab Oriente: tu porrò fac surgere eum ab Occidente. Tunc attonitus hasit ille infidelis.* Regem hunc, qui cum Abraham disputavit, fuisse Nemrod, affirmant communiter Expositores. Vide hanc totam historiam, seu fabulam, apud Thalmudistas in מדרש *Medrasc*: Et in Bibliotheca Magna Rabbinica P. Bartolocci, pag. 440. Dixi, seu fabulam, quia ex recta annorum computatione convincunt doctiores Chronologi, Nemrod, antequam Abraham nasceretur, mortuum fuisse. Hebræi certè ponunt Abrahæ ortum eo tempore, quo Nemrod jamdiù cœperat imperare. Neque verò probabile est, si hæc, quæ inter Nemrod & Abraham evenere, vera fuissent, Moysen ea tacuisse, cùm totalia minoris momenti de eodem Abraham narraverit.

Vers. 260. Pergit nescio quis fictitius Deus petere à Mahumeto, an animum adverterit ad eum الذي مرّ على قرية وهي خاوية على عروشها قال انّي يحيي هذه الله بعد موتها فاماته الله مائة عام ثم بعثه قال كم لبثتَ قال لبثتُ يوماً او بعض يوم قال بل لبثتَ مائة عام فانظر الى طعامك وشرابك لم يتسنّه وانظر الى حمارك ولنجعلك اية للناس وانظر الى العظام كيف ننشزها ثم نكسوها لحماً فلما تبيّن له قال اعلم ان الله على كل شئ قدير

qui transivit juxta Urbem dirutam ac destructam. Dixit: Quomodo restituet hanc Deus in vitam post mortem (habitatorum) *ipsius. Deus autem fecit eum mori per centum annos: deinde resuscitavit eum: & dixit illi: Quamdiù hic moratus es? Ille verò: Moratus sum diem, aut partem diei. At Deus: Imò moratus es centum annos. Respice ad cibum tuum, & potum tuum, qui nondum sunt corrupti: & respice ad asinum tuum* (in ossa redactum. Hoc fecimus) *ut poneremus te in signum hominibus. Et respice ad*

ad ossa asini tui, quomodo elevemus ea, & deinde carne vestiamus ea. Cùmque hoc ille clarè vidisset, dixit: Cognosco Deum esse Omnipotentem.

Conveniunt omnes, quos videre potui, Alcoranum hìc loqui de עזיר *Ozair*, idest Ezra: qui transiens juxta Civitatem Jerusalem ùm à Chaldæis destructam, infidens asino cum canistro ficorum, & cyatho pleno musto, cœpit ambigere, quomodo posset Deus urbem illam restituere, & habitatores ejus in ea extinctos suscitare. Deus autem mori fecit eum, mansitque mortuus per centum annos: post quos suscitatus à Deo, vidit ficus, & musti cyathum adhuc integros, & incorruptos: asinum verò extinctum & in ossa redactum: ad quæ respiciens Ezra justu Dei, vidit illa elevari, atque inter se compacta carne vestiri, & fieri asinum, in quem cùm Deus spiritum immisisset, statim cœpit rudere.

Plura sunt in hac narratione figmenta, quàm verba. Non Ezra, sed Nehemias fuit ille, qui ut habetur lib. 2. Ezræ cap. 2. transivit juxta Urbem Jerusalem ab ea parte, quæ adhuc diruta erat (nam magna ex parte jam fuerat restaurata), infidens jumento, sive illud asinus esset, sive equus, aut mulus. Et quia erat pincerna Artaxerxis Regis Persarum, fingitur habuisse cyathum vini; cui addiderunt, nescio unde, canistrum ficorum. En verba ipsius Nehemiæ: *Et veni Jerusalem, & eram ibi tribus diebus, & surrexi nocte ego & viri pauci mecum: & jumentum non erat mecum, nisi animal cui sedebam: & considerabam murum Jerusalem dissipatum, & portas ejus consumptas igni. Et transivi ad portam fontis, & ad aquaeductum Regis, & non erat locus jumento, cui sedebam, ut transiret.*

Ubi hìc mors Nehemiæ, & asini illius? ubi utriusque post centum annos ad vitam revocatio? ubi cyathus musti, & calathus ficorum, per integrum sæculum à corruptione immunes? Nonnulli, ut refert Zamchascerius, agnoscentes hunc non potuisse esse Ezram, neque Nehemiam, dixerunt, fuisse الخضر *Alchedrum*, individuum scilicet vagum, cujus anima primò fuit in Phinees filio Eleazari; deinde in Elia; & postremò in S. Georgio, per μετεμψύχωσιν. Sed hoc tempore Phinees mortuus erat à multis antè sæculis: Elias raptus fuerat in cœlum: Sanctus verò Georgius necdum natus fuerat. Ridiculus prorsus est Mahumetus, cum suis Expositoribus.

Vers. 26. Connectit fabulas fabulis, introducens Deum hæc de Abraham loquentem. وإذ قال ابراهيم

رَبِّ أَرِنِي كَيْفَ تُحْيِي الْمَوْتَىٰ قَالَ أَوَلَمْ تُؤْمِن قَالَ بَلَىٰ وَلَٰكِن لِّيَطْمَئِنَّ قَلْبِي قَالَ فَخُذْ أَرْبَعَةً مِّنَ الطَّيْرِ فَصُرْهُنَّ إِلَيْكَ ثُمَّ اجْعَلْ عَلَىٰ كُلِّ جَبَلٍ مِّنْهُنَّ جُزْءًا ثُمَّ ادْعُهُنَّ يَأْتِينَكَ سَعْيًا وَاعْلَمْ أَنَّ اللَّهَ عَزِيزٌ حَكِيمٌ:

Et cùm dixisset Abraham: Domine mi, ostende mihi, quomodo vivificabis mortuos: respondit illi Deus: An nondum etiam credis? Dixit Abraham: Utique credo: sed cupio omninò in hoc fedare cor meum.... Dixit illi Deus Cape ergo quatuor aves, & inclina eas ad te (& in frusta dilcinde): deinde pone super omnem montem partem earum: deinde voca eas; nam venient ad te velociter: & scito Deum esse excellentem, sapientem. Explicat, seu potiùs absolvit fabulam Gelaleddinus hoc modo: *Accepit igitur Abraham pavonem, & aquilam, & corvum, & gallum gallinaceum, & occidit eos, & in frusta discidit, & permiscuit, simulque confudit plumas, & carnes eorum: sed retinuit capita eorum penes se. Deinde vocavit eos ad se ex diversis locis, in quibus eorum frusta collocaverat: & volavit pars eorum ad alteram partem, donec perfectè redintegrati sunt, & deinde accesserunt, & conjuncti sunt cum capitibus suis.* En quomodo depravet, atque nugis permisceat Mahumetus Sacras Scripturas. Non est dubium, quin hoc commentum fundatum sit in eo, quod legimus in Geneſi cap. 15. his verbis: *Dixit Deus ad Abraham: Ego Dominus, qui eduxi te de Ur Chaldæorum, ut darem tibi terram istam, ut possideres eam. At ille ait: Domine Deus, unde scire possum; quòd possessurus sim eam?* (non dicit, quomodo resuscitabis mortuos?) *Et respondens Dominus: Sume, inquit, mihi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque, & columbam* (non dicit, quatuor ex avibus). *Qui tollens universa hæc, divisit ea per medium; & utrasque partes contra se altrinsecus posuit* (non posuit super quatuor montes, neque vocavit eas, ut venirent ad se; neque illæ venientes unitæ sunt inter se, & cum capitibus suis) *Aves autem non divisit* (mentitur ergo Mahumetus). *Descenderuntque volucres super cadavera, & abigebat eas Abraham.*

Ex Sura 3. آل عمران *Familia Amran.*

Vers. 15. Repetit ineptias de hortis, & fluminibus Paradisi, & de puellis puris à menstruo, ad exercendam amasiorum suorum libidinem paratis.

Vers. 33. Hæc habet: إن الله اصطفى آدم ونوحا وآل ابراهيم وآل عمران على العالمين ذرية بعضها من بعض. *Certè Deus elegit Adam, & Noe, & familiam Abrahæ, & familiam Amran super Mundos* (idest, super creaturas omnium Mundorum): *per generationes aliorum ex eis ab aliis* (idest per generationes sibi succedentes). Nomine عمران *Amran*, intelligitur hìc pater Beatissimæ Virginis, quem nos S. Joachim fuisse credimus. Per familiam verò, & generationes sibi succedentes, agnatos collaterales, & descendentes: nempè ipsum Amran, cum Zacharia, eorumque uxoribus Anna, & Elisabeth; Joannem Baptistam, & Jesum. Dum igitur Mahumetus asserit, Mariam matrem Jesu esse filiam Amran, manifestè ostendit, se confundere simul duas Marias, nempè Mariam filiam Amran, & sororem Moysis & Aaron; & Mariam matrem Christi, quam etiam in Sura 19. مريم *Maria*, vers. 31. vocat اخت هرون *sororem Aaron*. Nunquam verò auditum fuit inter Christianos, qui ab Apostolis, & ab iis, qui matrem Christi noverunt, quoſnam genitores ipsa habuerit, & utrum unica illis fuerit, didicerunt, patrem illius fuisse Amran: vel fratrem habuisse, qui vocaretur Aaron. Semper enim certissimum fuit apud Christianos, patrem Mariæ Virginis fuisse Joachim: nullumque ipsam fratrem nomine Aaron è genitoribus suis habuisse in-

dubitatum est. Expositores Moslemi conantur sese ab hoc laqueo extricare, sed frustrà.

Dices: quomodo fuit tàm stolidus Mahumetus, ut sibi persuaderet, Amran patrem Moysis, Aaron, & Mariæ, fuisse patrem Mariæ matris Christi?

Respondeo, hoc nullam admirationem afferre debere, cùm in hujusmodi achronismis Mahumetus, & Mahumetani frequentissimè peccent. Satis sit unum exemplum. Sura 17. الامري *Iter nocturnum*, vers. 4. introducitur Deus hæc Israelitis prædicere: وقضينا الى بني اسرايل في الكتاب لتفسدون في الارض مرتين ولتعلن علوا كبيرا. *Et prædiximus filiis Israel in Libro* (Pentateuchi): *Certè vos pravè agetis in terra* (Syriæ) *duabus vicibus*: & *certè exorbitabitis excessu magno*. Verba, ac mentem Mahumeti ita nobis exponit Moslemorum Magister Gelaleddinus. وقد اتحدوا الاولى بقتل زكريا فسلط عليهم جالوت وجنوده فقتلوهم وسبوا اولادهم وخربوا بيت المقدس وقد اتحدوا ثانيا بقتل يحيى فسلط عليهم بخت نصر فقتل منهم الوفا وسبى ذريتهم وخرب بيت المقدس. *Pravè autem egerunt prima vice, occidendo Zachariam: propterea misit Deus contra eos Goliam, & exercitus ejus, qui occiderunt eos, & captivos duxerunt filios eorum, & destruxerunt Domum Sanctam. Secunda autem vice pravè egerunt, occidendo Joannem: quamobrem misit Deus contra eos Nabuchodonosor, qui occidit multa millia eorum; & captivos duxit filios eorum, & destruxit Domum Sanctam.* Eodem modo duo celeberrimi Interpretes Jahias Ebno-Salam; & Mohammad Abu-Abdallah: nisi quòd isti non exprimunt peccatum Israelitarum prima vice: secunda autem vice volunt fuisse eædem Joannis filii Zachariæ. Sed audiamus Zamchascerium, cujus auctoritas summa est apud Moslemos: اتحدوا مرتين اولاهما قتل زكريا ثم وحيى ايضا حين اندرهم سخط الله ولاهوة قتل يحيى بن زكريا وقصد قتل عيسى بن مريم عقبا عليهم هذا لنا مغاربت وجنوده وقتيل بخت نصر وان عساكر جالوت فقتلوا ملاهم واحرقوا التوراة وخربوا المسجد وسبوا منهم معين الفا. *Duabus vicibus peccaverunt: prima vice occidendo Zachariam, cui sit pax: & carcere includendo Jeremiam, quia iram Dei ipsis comminabatur. Secunda, occidendo Joannem filium Zachariæ, cum intentione occidendi etiam Jesum filium Mariæ. Misimusque contra eos servos nostros, nempè Sennacherib, & exercitus ejus. Alii volunt hunc fuisse Nabuchodonosor: sed Ebn-Abbas mavult fuisse Goliam. Hi occiderunt Doctores eorum, & combusserunt Pentateuchum, & demoliti sunt Templum, captivosque duxerunt ex eis septuaginta millia.* Hæc latis persuadent, nil mirum esse, si Mahumetus adeò hallucinatur, ut unius ejusdemque ætatis faciat Amran patrem Mariæ Sororis Moysi & Aaron, & Mariam matrem Christi, ac si una tantùm fuisset Maria. Et fortasse impositit el Christianus aliquis, aut Judæus, animam unius Mariæ per μετεμψύχωσιν, quam plures Mahumetanorum tenent, transisse in alteram Mariam, sicut anima Phinees transivit in Eliam, & in S. Georgium. P. Guadagnolus in Apologia, sect. 3. cap. 8. refert opinionem quorundam Mahumetanorum, qui volunt, Mariam filiam Amran per miraculum à Deo conservatam fuisse usque ad tempora Christi, itaut eadem fuerit eum Maria, quæ peperit eundem Christum. Certè, nisi hæc eorum deliria admittantur, non video, quo pacto possit Mahumetus mendacis simul & stulti notam effugere.

Vers. 36. Introducit S. Annam ita Deum pro filia suscepta preeantem: وانى اعيذها بك وذريتها من الشيطان الرجيم: *Equidem commendo tibi eam, & prolem ejus, ut custodias eam à Satana lapidato.* Explicat Gelaleddinus للطرد *projecto*. Alludit ad fabulam, qua fingunt Dæmones ab orbibus cœlestibus, in quibus antè residebant, post natum Mahumetum fuisse projectos: vel ad commentum aliud, quo ferunt, Abraham lapidasse Satanam, à quo tentabatur, ne filium immolaret, sicut ei Deus præceperat. In cujus rei memoriam hodie quoque in Peregrinatione Meccana Moslemi lapillos jaciunt in Monte Araphat, & in Valle Mina contra Diabolum. Precatur autem Anna Deum, ut tuetur filiam natam, & prolem ex ea orituram, à Satana lapidato, quia, ut explicat Gelal. فى الحديث ما من مولود الا مسه الشيطان حين يولد فيستهل صارخا الا مريم ولدها: *Habetur in Historiis, nullum puerum nasci, quem, dum nascitur, non tangat Satanas: & ideò erumpit in vagitus, præter Mariam, & filium ejus.* Nam ut scribit Thelabiensis, auctore ipso Mahumeto: جعل بينهما حجابا فاصابت الطعنة الحجاب ولم يقدر اليهما منه سوء وذكر لنا انهما كما لا يصيبان من الذنوب كما يصيبه ما يبنى ادم: *posuit Deus inter eos & Satanam velamen: & tactus Satanæ substitit in velamine, & non pervenit ad eos. Præterea habemus ex traditione, ipsos nullum unquam commisisse peccatum, quem admodum cæteri omnes filii Adam.*

Vers. 37. Loquens de Beata Virgine Maria recenter nata, hæc habet: فتقبلها ربها بقبول حسن وانبتها نباتا حسنا وكفلها زكريا كلما دخل عليها زكريا فى المحراب وجد عندها رزقا: قال يا مريم انى لك

Digitized by Google

لك هذا قالت مريم من عند الله :

Et suscepit eam Dominus ejus susceptione pulchra; & germinare fecit eam germine pulchro: & accepit eam in curam Zachariæ; quoties ingrediebatur ad eam in Adytum, inveniebat apud eam cibos. Dixitque ei: O Maria; unde tibi hæc esca? At illa: Hæc, inquit, venit mihi à Deo. Gelaleddinus ita explicat hunc locum: *Et suscepit eam Dominus ejus à matre ejus, & adolescere fecit eam indole pulchra: crescebat enim in una die, quantum crescunt alii infantes in uno anno. Et attulit eam mater ejus ad Pontifices præsides Templi, dixitque eis: Accipite hanc votivam oblationem. Illi verò valdè lætati sunt de ea, eò quòd esset filia Antistitis ipsorum* (sed pater Virginis etiam juxta Mahumetanos, erat è Tribu Juda, nec poterat esse Antistes eorum.) *Dixit autem Zacharias: Hæc mihi jure debetur, nam amita ejus est apud me. Respondérunt alii: Nequaquam: sed mittamus sortes. Abierunt ergo decem ac novem ex eis ad fluvium Jordanem, & projecerunt in aquas ejus virgas suas cum conditione, ut is, cujus virga confisteret in aqua, & supernataret, ceteris præferretur. Cùm ergo virga Zachariæ subsitisset, accepit eam educandam, & ædificavit ei cœnaculum sublime, & afferebat ei cibum, & potum, & unguenta: sed inveniebat apud eam fructus hyemales in æstate; & fructus æstivos in hyeme.* Hos verò addit delatos illi fuisse è Paradiso. Omitto alia, quæ de B. Virgine referuntur hic in Alcorano, quemadmodum etiam de Christo, partim apocrypha, partim fabulosa; quia jam pleraque eorum in secunda Prodromi parte indicavi.

Vers. 41. Postulanti Zachariæ signum ab Angelo, quo credere posset se habiturum filium, respondit Angelus :

ايتك الا تكلم الناس ثلثة ايام الا رمزا :

Signum tuum erit, quòd alloqui non possis homines per tres dies, nisi per nutum. Mendacium manifestum; cùm Zachariæ impedita fuerit loquutio non per tres dies, sed per novem menses.

Vers. 46. Fingitur Gabriel prædixisse B. Virgini de filio nascituro:

وكلم الناس فى المهد وكهلا ومن الصالحين . *Et alloquetur homines in cunabulis, & in ætate provecta: & erit ex Probis.* Non legimus, Christum in cunabulis loquutum fuisse; neque pervenisse ad ætatem ab Alcorano signatam, in qua quis canescere incipiat. Quamobrem inter fabulas hæc recensenda. Mahumetani, qui credunt Christum ad cœlos raptum trigesimo tertio ætatis anno, dicunt, secundum partem verificandam esse, quando idem redibit in Mundum prope diem Judicii. Primam verò negare non possunt, cùm asseratur ab Alcorano, quamvis falsò.

Vers. 66. Ita loquitur de Abraham :

ما كان ابراهيم يهوديا ولا نصرانيا ولكن كان حنيفا مسلما وما كان من المشركين :

Non fuit Abraham Judæus, neque Christianus, sed fuit orthodoxus, Moslemus: & non fuit polytheus. Utrum Abraham fuerit unquam polytheus; quidam dubitant: mihi probabilius est non fuisse. Moslemus certè non fuit, itaut Mahumetieam sectam, seu superstitionem professus sit. Judæus verò, & Christianus fuit, non quoad ceremonialia, seu judiciaria; sed quoad spectantia æternas veritates à Deo revelatas in utraque lege, seu religione. Quamobrem multipliciter mentitur hic Mahumetus.

Vers. 80. Hæc habet :

واذ اخذ الله ميثاق النبيين لما اتيتكم من كتاب وحكمة ثم جاءكم رسول مصدق لما معكم لتؤمنن به ولتنصرنه قال أاقررتم واخذتم على ذلكم اصرى قالوا اقررنا قال فاشهدوا وانا معكم من الشاهدين :

Et cùm accepit Deus pactum Prophetarum, dixit eis: Hoc sanè est quod tradidi vobis spectans ad Librum sacrum, & Jurisprudentiam. Deinde veniet ad vos Legatus (ideſt Mahumetus) *confirmans* (librum eumdem) *qui erit apud vos: prorsùs credetis in eum, & adjuvabitis eum. Addidit: An firmi estis, & accipitis super hoc pactum meum? Responderunt: Firmi sumus. Dixit Deus: Testes estote, & ego testis sum vobiscum.*

Magnum Thalmudistarum commentum, animas omnium Prophetarum, etiam futurorum, fuisse in monte Synai cum Moyse, quando Deus tradidit illi Legem, auget Alcoranus insigni figmento; nempè Deum iniisse pactum cum iisdem Prophetis, ut crederent in Mahumetum (quem Legati nomine appellat) & adjuvarent illum, & exegisse ab eis, mutuòque eis dedisse super hoc fidem, & fecuritatem.

Vers. 93. Hæc habet :

كل الطعام كان حلا لبنى اسرائيل الا ما حرم اسرائيل على نفسه من قبل ان تنزل التوراة قل فاتوا بالتوراة فاتلوها ان كنتم صادقين . *Omnis cibus liciturs fuit filiis Israel præter eum, quem illicitum fecit sibi ipsi Israel, ante traditionem Pentateuchi. Dic* (Judæis): *Afferte Pentateuchum, & legite illum, si estis veraces.* Cibus iste, quem illicitum fecit sibi Israel, juxta glossas, præsertim Gelalis, fuit camelus, ob hanc rationem:

لان حمل لحمة عرق النساء فنذر ان لا ياكلها

: *quia supervenit illi morbus sciaticus, quamobrem vovit, si convaluisset, se non esurum ex eo* (sc. camelo) : *& ideò prohibitus fuit etiam illis*, scilicet Israelitis. Pro camelo autem accipiunt tàm carnem, quàm lac cameli. Tàm autem fidenter & audacter effutit Mahumetus has nugas, ut provocet Judæos ad afferendum & legendum Pentateuchum, ut cognoscant se vera proloqui: quippe id, quod afferebat, in Pentateucho reperire potuissent. Non est dubium, quin id, quod hic fingitur de morbo sciatico, & abstinentia à carne cameli in persona Jacob, sit depravatio veræ historiæ Genes. cap. 32. ubi refertur, emarcuisse nervum femoris Jacob, dum luctaretur

Digitized by Google

retur cum Angelo: ac propterea Israelitas ab esu nervi abstinere.

Vers. 110. Laudans suos Arabes hæc habet: كنتم خير امّة اخرجت تأمرون بالمعروف وتنهون عن المنكر وتؤمنون بالله

Estis optima gens, quæ sit inter mortales: præcipitis justum; probibetis injustum, & creditis in Deum. Si loquatur universaliter de gente Arabum, nulla unquam alia adeò rapinis ac latrociniis addicta reperta est. Si de iis tantum, qui ipsius sectam profitebantur: satis sit historias eorum legere, ab ipso Mahumeti excessu, ut quilibet agnoscat, cujus farinæ essent hi, quos mortalium optimos appellat. Sed ne exeamus ab Alcorano, Sura 4. النساء *Mulieres*, vers. 103. ita fingitur Deus Mahumetum commonere: انّا انزلنا اليك الكتاب بالحق لتحكم بين الناس بما أراك الله ولا تكن للخائنين خصيما. واستغفر الله ان الله كان غفورا رحيما ولا تجادل عن الذين يختانون انفسهم ان الله لا يحبّ من كان خوانا اثيما:

Nos certè demisimus ad te librum (Alcorani) *cum veritate, ut judices inter homines juxta id, quod ostendit tibi Deus; & ne sis fraudolentorum patrocinator. Et veniam pete à Deo,* (pro eo quod peccasti) *nam Deus est indulgens misericors. Et ne patrocinceris eos, qui decipiunt se ipsos: nam Deus non amat deceptores, & iniquos.* Cur Deus ita Mahumetum redarguat, causam audi ab Alhafuo apud Jahiam in hujus loci explicatione: *Quidam* (inquit) *ex Auxiliatoribus furatus fuerat loricam, de qua suspiciones variæ ortæ sunt, donec percrebuit rumor, illum esse furti auctorem. At Auxiliator deposuit loricam apud quendam Judæum; deinde redit ad suos, & ait: Suspicati estis me, quòd loricam furatus fuerim. Ter Deum juro, me non cessasse illam inquirere, donec reperi eam apud quendam Judæum. Venerunt igitur ad Judæum, & invenerunt apud illum loricam. Judæus verò jurabat, se minimè illam furatum fuisse, sed à quodam Auxiliatore, apud se fuisse depositam. Cæteri autem Auxiliatores, ut furem socium suum defenderent, venerunt ad Mahumetum, rogantes eum, ut socienum suum à calumnia contra Judæum vindicaret.*

Subdit Alhafan: فاراد رسول الله ان يفعل ذلك : *Voluitque Legatus Dei hoc facere.* Imò fecit; & ut Auxiliatorem furem tueretur, Judæum miserum, & innocentem condemnavit. Quamobrem agnoscens se iniquum judicem, fingit, se à Deo de hoc redargui. En quales erant assectæ Mahumeti, & quidem primarii & principes cæterorum, nempe duodecim Auxiliatores. En qualis erat judex ipse Mahumetus; qui apud suos ipsos furis notam aliùs bellè reportavit. Nam Sura 3. آل عمران *Familia Amran*, vers. 162. sese ab hujusmodi nota purgare conatur, dicens: وما كان لنبيّ ان يغلّ ومن يغلل يات بما غلّ

يوم القيمة. *Et non est prophetæ fraudare: qui autem fraudaverit, afferet id, quod fraudavit, in die Judicii*, nempe ad collum alligatum: ut exponit Geleled. qui addit: نزلت لمّا فقدت قطيفة حمراء يوم بدر: فقال بعض الناس لعلّ النبيّ اخذها:

Hoc dictum fuit à Mahumeto, quando in partitione prædæ Bedrensis defuit vestimentum quoddam holosericum rubrum: & dixerunt quidam ex hominibus: Fortasse prophetа Mahumetus abstulit illud. En qualis erat de Mahumeto assectarum ipsius opinio.

Vers. 133. ita suos alloquitur: وسارعوا الى مغفرة من ربّكم وجنّة عرضها السموات والارض اعدت للمتقين: *Et certatim festinate ad indulgentiam obtinendam à Domino vestro, & ad paradisum, cujus latitudo æquat cælos & terram; & præparatus fuit piis.* Cùm Mahumetani communiter credant, Paradisum Beatorum esse in septimo cœlo, & per consequens ne unum quidem ex cœlis latitudine æquare; quomodo verum erit id, quod asserit hic Mahumetus, quòd scilicet Paradisus æquet amplitudine cœlos omnes, & terram? Erit igitur hic Paradisus extra cœlos & terram. Si Mahumetani sensum aliquem mysticum in Alcorano admitterent, posset hæc aliqua ratione excusari. Sed jam vidimus, hæresin apud eos esse, Alcorani verba, prout sonant, non accipere.

Ex Sura 5. المائدة *Mensa*.

Vers. 13. hæc habentur: ولقد اخذ الله ميثاق بني اسرائيل وبعثنا منهم اثني عشر نقيبا وقال الله انّي معكم لئن اقمتم الصلوة واتيتم الزكاة وامنتم برسلي وعزّرتموهم واقرضتم الله قرضا حسنا لاكفرنّ عنكم سيّاتكم ولادخلنّكم جنّات تجري من تحتها الانهار:

Et jam quidem accepit Deus pactum filiorum Israel; & eligimus ex eis duodecim Duces. Dixitque Deus: Certè ego ero vobiscum si observaveritis Orationem, & persolveritis censum, & credideritis in Legatos meos, & opem tuleritis eis, & fenerati fueritis Deo fœnus bonum (expendendo & dilargiendo pro religione ejus) *certè expiabo vos à peccatis vestris, & introducam in hortos, subtus quos flumina decurrunt.* Somniavit Mahumetus hæc verba, quæ in Pentateucho nusquam reperiuntur.

Vers. 35. Refert historiam Cain, & Habel; & inter alia post occisum Habel à Cain, hæc habet: فبعث الله غرابا يبحث في الارض ليريه كيف يواري سوأة اخيه قال يا ويلتى أعجزت ان اكون مثل هذا الغراب

Digitized by Google

الغراب فاراى موّة لحتى فاصبح من النادمين: من
لجل ذلك كتبنا على بني لسرايل انه من قتل نفسًا
بغير نفس او فساد فى الارض فكانّما قتل الناس جميعًا
ومن احياها فكانّما احيا الناس جميعًا:

Misitque Deus corvum, qui scalpere cœpit (rostro & unguibus) *terram* (& sepelivit in ea alium corvum mortuum) *ut ostenderet illi* (hoc exemplo) *quomodo cooperiret* (ideſt ſepeliret) *cadaver fratris ſui. Dixit* (tunc Cain): *Væ mihi; ergo ne potui quidem imitari hunc corvum, cooperiendo cadaver fratris mei? Itaque pœnituit eum mali, quod fecerat. Propterea præſcripſimus filiis Iſraël: Qui occiderit unum hominem, etiamſi nullum alium occidat, neque devaſtet terram: erit ac ſi occidiſſet omnes homines. Et qui vitam hominis unius ſervaverit: erit ac ſi vitam dediſſet hominibus univerſis.* Quod habet de corvo, & Cain, olet fabulam Rabbinicam. Quod Cain verè peccati ſui pœnituerit: non poteſt ex Scriptura probari: imò oppoſitum, ut certum habetur, etiam ex modo loquendi ipſius Scripturæ. Præſcriptio illa facta à Deo filiis Iſrael, ſomniata eſt à Mahumeto; nec uſquam inventur in Pentateucho, & abſolute eſt falſa. Si tamen aliquid ſimile à Deo præſcriptum fuiſſet, deberet in ſano ſenſu explicari. Quemadmodùm illud ex Epiſtola S. Jacobi cap. 2. *Quicumque autem totam legem ſervaverit, offendat autem in uno, factus eſt omnium reus*: quatenùs ſcilicet (ut mox innuit S. Jacobus) qui una in re Deo non obedit, irrogat ei eandem injuriam, ac ſi in cæteris non obediret: quacumque enim in re non obediat, contemnit ſupremum ejus dominium eodem modo, ac ſi in cæteris non obediret; quamvis reſpectu plurium inobedientiarum plura peccata committat, & graviorem pœnam mereatur.

Verſ. 69. Jubetur à Deo hæc dicere Scripturalibus:

هل انبيكم بشر من ذلك مثوبة عند الله من
لعنه الله وغضب عليه وجعل منهم القردة والخنازير
وعبد الطاغوت اولئك شر مكانًا واضل عن سواء
الصبيل:

An prophetabo vobis aliquid pejus hoc (quod jam dixi) *quod pœnam mereatur gravirem à Deo? Illi, quibus maledixit Deus, & fecit ex iis ſimias, & porcos, & qui colunt Tagut* (ideſt Satanam) *hi ſunt pejoris conditionis, & magis errant à via recta.* Loquitur de Judæis, qui ob Sabbati transgreſſionem converſi ſunt in ſimias: & de iiſdem, qui ob irriſum Chriſtum, & violatam menſam ejus, converſi ſunt in porcos: Vide alias dicta, & mox dicenda de hac tam ridicula metamorphoſi Judæorum in ſimias, & porcos.

Verſ. 121. Fit mentio de quadam Menſa, quam Chriſtus deſcendere fecit è cœlo ſuper Apoſtolos: de qua nonnulla dicta ſunt in Part. 2. Prodromi, cap. 2. Addam hic expoſitionem Thalebienſis omiſſis Arabicis ob prolixitatem narrationis.

Sic igitur ille. *Diſſentiunt Auctores circa hanc menſam, utrum verè deſcenderit è cœlo, necne. Verùm certior ſententia eſt, eam verè deſcendiſſe, propter verba apertiſſima Alcorani. Dixit Kaab: Deſcendit die Dominicæ, quam propterea Chriſtiani ſolemnem habent. Sed non convenunt in modo deſcenſionis, & in ſpectantibus ad ipſam menſam. Refert Ommar filius Jadas, Mahumetum dixiſſe: Deſcendit cum pane & carne: quia ipſi petierant à Jeſu cibum, qui nunquam deficeret: dixitque illis Jeſus: Certè perſeverabit menſa donec nihil ex ea abſcondatis, vel auferatis. Si autem hoc feceritis; puniet vos Deus. Et dixit Iſaac filius Abdallah: Quidam furati ſunt ex ea, dicentes: Fortaſsè non deſcendet ſemper, ſed auferetur à nobis: & tranſmutati ſunt in ſimias & porcos. Et dixit Ebn-Abbas: Dixit Jeſus filius Mariæ fauſtæ memoriæ, filiis Iſrael: Jejunate triginta dies: deinde petite à Deo id, quod vultis, & dabit vobis. Id cùm feciſſent, dixerunt: O Jeſu, ſi cui operam noſtram navaviſſemus; perfecto jam opere, certè cibaviſſet nos. At nos jejunavimus, & eſurimus: voga ergo Deum, ut demittat menſam è cœlo ſuper nos. Attulerunt igitur Angeli menſam, in qua erant novem placentæ, & novem piſces magni; & poſuerunt eam ante illos, comederuntque ex ea ita primus, ut noviſſimus. Dixerunt Zadan, & Meiſera: Cùm appoſita fuiſſet menſa illa filiis Iſrael, variabantur ſuper eos manus è cœlo cum omni cibo, præter carnem. Et dixit Said filius Giobeir ex auctoritate Ebn-Abbas: Demittebatur ſuper menſam omnis eſca, præter panem & carnem. Et dixit Atta: Demittebantur ſuper eam omnia, præter piſces, & carnem. Et dixit Attia-Auphienſis: Deniſſus eſt è cœlo unus piſcis, in quo erat ſapor omnium rerum. Et dixerunt Ommar, & Cottada: Deſcendebat menſa è cœlo, in qua erant fructus ex arboribus Paradiſi. Et dixit Vaheb filius Monabbeh: Deniſit Deus paſtillos bordaceos, & piſces. Dictum autem fuit Vahebo: Quid hæc proderunt eis? Reſpondit: Nihil: ſed Deus duplicavit illis benedictionem: & comedebant homines, & egredichantur, donec comederent omnes. Dixerunt Kalebius, & Mocatel: Exaudivit Deus Jeſum, & dixit: Equidem deſcendere faciam eam ſuper vos, ut petiſtis: ſed qui comederit ex eo cibo, & deinde incredulus fuerit; maledicam, & puniam eum in exemplum poſteris. Reſpondernnt: Contenti ſumus de hoc. Deinde rogavrunt eum alia vice; & oravit Jeſus, & demiſit Deus quinque liba, & duos piſces: & evenit ſicut prima vice. Cùm autem reverſi fuiſſent ad urbes ſuas, & hoc divulgaſſent; riſerunt illi, qui non fuerant præſentes, & dixerunt: Faſcinavit oculos eorum. Deus autem ſtabilivit eos, quibus volut bonum, in eo, quod viderant. Illi autem, quorum volvit perverſionem, reverſi ſunt ad infidelitatem ſuam, & tranſmutati ſunt in porcos (non erat inter eos puer ullus, neque ulla mulier) & ita permanſerunt per aliquot dies; deinde perierunt, quia non comedebant, neque bibebant. Et dixit Kaab: Deſcendit menſa inverſa deorſum è cœlo, quam ſorebant Angeli volantes inter cœlum, & terram. Erat autem in ea omne ciborum genus, præter carnem. Et dixit Cottada: Deſcendebat ſuper eos manè, & veſperè, ubicumque fuiſſent, ſicut manna, & coturnices filiis Iſrael. Et dixit Jeman filius Riab: Comedebant ex ea quantum volebant. Et dixit Salman: Cùm rogaſſent Jeſum Apoſtoli, ut deſcendere faceret ſuper eos menſam è cœlo, indutus eſt veſte lanea, & flens dixit: O Deus Domine noſter, demitte ſuper nos menſam, & pone in ea, quod comedamus: tu enim optimus es nutrientium. Deſcendit autem menſa rubra inter*

Digitized by Google

duas nubes, delabens cum sonitu, videntibus illis. Jesus autem flevit, ac dixit: O Deus, fac ut simus tibi grati: è Deus, fac ut sit nobis ad misericordiam, & non ad panam ac supplicium. Judæi autem intuebantur in eam, & nihil tale unquam viderant; nec fenserant odorem similem odori illius. Dixitque Jesus: Surgat optimus vestrum, & discooperiat eam; & invocato nomine Dei, comedat. Respondit Simon caput Apostolorum: Tu es ad hoc omnium dignissimus. Tunc surrexit: & sublato linteo, quo mensa cooperiebatur, dixit: In nomine Dei, qui est optimus nutrientium. Et ecce ibi pisces assus, sine squamis & spinis, stillans pinguedinem: & ad caput ejus erat sal; & juxta caudam acetum: & in circuitu ejus omnis species olerum, præter porrum. Erant etiam in ea quinque placentæ: super primam erant olea: super secundam mel: super tertiam ova: super quartam caseus: super quintam caro siccata. Dixit Simon: O Spiritus Dei, est ne cibus hic ex hoc mundo, an ex altero? Respondit Jesus: Horum, quæ hic videtis, nihil est ex hoc mundo, neque ex altero: sed omnia creavit Deus potentia prædominante. Comedite ex eo, quod petistis; nam roborabit vos, & augebit vos Deus gratia sua. Dixerunt Apostoli: Vellemus, ut ostenderes nobis in hoc miraculo aliud miraculum. Tunc dixit Jesus: Opiscis, vivens voluntatem Dei Altissimi. Capitque pisces motitare se; & reverse sunt ad cum squamæ, & spinæ; itaut Apostoli timore percellerentur. Dixitque illis Jesus: Cur petistis illud, quod cum obtinuistis, revertitis? Tunc iterum dixit: O pisces, revertere qualis eras antè, per voluntatem Dei. Et reversus est piscis assus. Illi verò dixerunt ei: O Spiritus Dei; tu primus comede ex eo; deinde nos etiam comedemus. Respondit Jesus: Avertat Deus, ne comedam ex eo; sed comedat ex eo, qui id postulavit. At illi timuerunt ex eo comedere. Et vocavit Jesus pauperes, & mutilos, ac mancos, & claudos, & miserabiles, & ait illis: Comedite alimoniam Dei, nam vobis erit in bonum: cæteris autem in malum. Comederunt igitur ex ea mille ac trecenti viri, & mulieres, qui omnes erant pauperes, ægroti, & arumnis pressi: & omnes saturati sunt. Deinde respexit Jesus in piscem, & ecce erat in eadem forma, qua missus fuerat è cælo. Deinde evolavit mensa sursum in cælum, aspicientibus ipsis, & abscondita est ab eis: nullusque ex ea comedit illa die ætate confectus, qui non vegetus evaderet: nullus infirmus, qui non sanaretur: nullus arumnosus, qui non levaretur: nullus pauper, qui non ditesceret, ac dives perseveraret usque ad mortem. Et panituit Apostolos, & cæteros, quòd non comedissent ex ea. Cùm autem descendebat mensa è cælo, congregabantur divites, & pauperes, pusilli, & magni, viri, ac mulieres: & sese comprimebant, ut ad eam accederent. Jesus autem per vices ad eam illos admittebat. Perseveravit autem quadraginta dies, manè bora prandii descendens è cælo; & stabat fixa usque ad declinationem umbræ meridianæ, itaut omnes comederent eo tempore ex illa: & tunc elevabatur sursum, cunctis videntibus umbram ejus, & absondebatur ab eis. Descendebat autem alternis diebus, sicut camela Thamudæorum (de hac postea dicemus). *Et revelavit Deus Jesu, dicens: Pone mensam meam, & alimoniam meam pauperibus, sine dubitatione. Et dubitare cæperunt circa illam, an verè descenderet è cælo: & dixit eis Jesus: Peristis: præparate vos ad panam à Deo infligendam.*

His fabulis explicant Auctores Moslemi verba Alcorani, & mentem Mahumeti. Et quidem licèt hæc figmenta sint, probari tamen potest ad hominem contra Mahumetanos, Christum in miraculis patrandis longè superiorem fuisse Mahumeto, etiam fictitiis hujus miraculis admissis.

Ex Sura 6. الانعام *Tecudes*.

Vers. 71. Introducit Abraham disceptantem cum Azar patre suo de unitate Dei; & postea subdit de eodem Abraham: فَلَمَّا جَنَّ عَلَيْهِ اللَّيْلُ رَأَى كَوْكَبًا قَالَ هَذَا رَبِّي: فَلَمَّا أَفَلَ قَالَ لَا أُحِبُّ الْآفِلِينَ: فَلَمَّا رَأَى الْقَمَرَ بَازِغًا قَالَ هَذَا رَبِّي فَلَمَّا أَفَلَ قَالَ لَئِنْ لَمْ يَهْدِنِي رَبِّي لَأَكُونَنَّ مِنَ الْقَوْمِ الضَّالِّينَ: فَلَمَّا رَأَى الشَّمْسَ بَازِغَةً قَالَ هَذَا رَبِّي هَذَا أَكْبَرُ فَلَمَّا أَفَلَتْ قَالَ يَا قَوْمِ إِنِّي بَرِيءٌ مِمَّا تُشْرِكُونَ. *Cùm autem nox super eum ingruisset, vidit stellam, & dixit: Hic est Dominus meus. At cùm stella occubuisset, dixit: Nolo deos occumbentes. Cùmque vidisset Lunam orientem, dixit: Hic est Dominus meus. Sed cùm Luna occidisset, dixit: Certè, nisi direxerit me Dominus meus, ero ex erraticis. Cùm postea vidisset Solem orientem, dixit: Hic est Dominus meus: nam hic est major (syderibus cæteris). Sed cùm Sol etiam occubuisset, dixit: O gens mea; ego sane immunis sum ab idolis vestris.* Hanc fabulam refert in Thalmud, R. Bechaii in מדרש *Midras*. Vide eam in Bibliotheca Magna Rabbinica Bartholocii, Part. 1. pag. 640. Quòd verò patet Abrahæ vocaretur *Azar*, falsum prorsus est: *Thare* enim appellabatur: neque hoc nomen Azar in Sacris literis usquam reperitur. Verum quidem est, Thalmudistas appellare eum עזרא *Zarah*, & apud Eusebium in Historia Ecclesiastica, nominatur עזר *Athar*, itaut primum per transpositionem literarum; secundum per similes characteres conveniant non parum cum *Azar*. Quis porrò credat, cùm Abraham ab infantia semper vidisset Solem, Lunam, & stellas quotidie oriri, & occumbere; deinde ut deos hæc eadem adorasse: &, ut ait R. Bechaii, tota die & nocte coram illis in oratione permansisse: & quia vidit ea occumbere, ab eorum cultu destitisse?

Ex Sura 7. الاعراف *Aaraph*.

Vers. 8. Loquens de die Judicii, hæc habet: والوزن يومئذ الحق فمن ثقلت موازينه فاولئك هم المفلحون: ومن خفت موازينه فاولئك الذين خسروا انفسهم. *Et pondus die illa erit justum. Et quorum graves fuerint bilances, bi erunt felices. Quorum verò leves, bi sunt, qui perdiderunt seipsos.* Vide de his Bilancibus, seu Stateris ea, quæ diximus p. 5. Prodromi in Professione Fidei Islamiticæ.

Vers.

Vers. 11. Recoquit crambem, repetens fabulam de Adam ab Angelis adorato, & de illius peccato, atque ejectione è Paradiso. In hoc autem notanda sunt verba vers. 22. :

فَلَمَّا ذَاقَا الشَّجَرَةَ بَدَتْ لَهُمَا سَوْاٰتُهُمَا

Cùm autem gustassent arborem, apparuerunt illis pudenda eorum. Verbum Arabicum بدت *apparuerunt*, significat proprié, esse de novo aliquid, quod antè non fuerat: quasi verò antè genitalibus caruerint. Jahias vult, illos quidem genitalia habuisse; sed cùm crinibus, seu comis prolixioribus tegerentur, ea non vidisse: & refert hæc verba dicta à Mahumeto.

كَانَ

آدم رجلاً طوالاً كأنه نخلة سحوق كثير شعر الرأس

فلما وقع بدت له عورته وكان لا يراها

قبل ذلك *Erat Adam valdè altus statura, velut palma sublimis; plurimamque casariem habebat. Cùmque in peccatum incidisset, apparuit illi pudendum suum, quod antea non videbat.* Porrò si crines eum ita tegebant, non erat quòd ad folia arborum recurreret, quibus genitalia tegeret. Sed falsum censendum est, protoplastos ante peccatum Genitalia sua non vidisse, sicut etiam non animadvertisse, se esse nudos, vel cæcos fuisse, eò quòd scriptum sit: *Et aperti sunt oculi amborum: cùmque cognovissent se esse nudos, &c.* Videbant sanè hæc omnia, sed propter innocentiam, *non erubescebant*; ideòque, non apprehendebant utcausam, vel materiam ruboris quemadmodum videmus etiam in Beatis jam resuscitatis.

Vers. 23. Refert, Protoplastos à Deo post peccatum vocatos, & cur pomum vetitum comedissent interrogatos, respondisse:

رَبَّنَا ظَلَمْنَا أَنْفُسَنَا وَإِن لَّمْ تَغْفِرْ لَنَا وَتَرْحَمْنَا لَنَكُونَنَّ مِنَ الْخَاسِرِينَ :

O Domine noster, nos iniquè ejimus in animas nostras: & nisi peperceris nobis, & misertus fueris nobis, certissimè peribimus. Hoc est aperté contra Sacras Scripturas, ex quibus habemus, non solùm illos non accusasse peccatum suum, neque veniam pro eo petiisse: sed quantum potuerunt excusasse, refundendo culpam Adam quidem in Hevam; Hevam autem in Serpentem. De venia autem ne verbum quidem. Quòd posteà veniam petierint, ac pœnitentiam egerint, quamvis ex Pentateucho non habeatur, non tamen negamus, imò certissimè credimus.

Vers. 46. Fingit, Beatos è Paradiso confabulari cum Damnatis in Gehenna; & subdit:

وَبَيْنَهُمَا حِجَابٌ وَعَلَى الْأَعْرَافِ رِجَالٌ يَعْرِفُونَ كُلًّا بِسِيمَاهُمْ وَنَادَوْا أَصْحَابَ الْجَنَّةِ أَن سَلَامٌ عَلَيْكُمْ لَمْ يَدْخُلُوهَا وَهُمْ يَطْمَعُونَ وَإِذَا صُرِفَتْ أَبْصَارُهُمْ تِلْقَاءَ أَصْحَابِ النَّارِ قَالُوا رَبَّنَا لَا تَجْعَلْنَا مَعَ الْقَوْمِ الظَّالِمِينَ

وَنَادَىٰ أَصْحَابُ الْأَعْرَافِ رِجَالًا يَعْرِفُونَهُم بِسِيمَاهُمْ قَالُوا مَا أَغْنَىٰ عَنكُمْ جَمْعُكُمْ وَمَا كُنتُمْ تَسْتَكْبِرُونَ :

Inter eos erit Velamen: & super Aaraph (est paries medius inter Paradisum & Gehennam) *stabunt viri, qui cognoscent omnes* (beatos, & damnatos) *ex signis eorum, & clamabunt ad habitatores Paradisi: Pax super vos. Sed non ingredientur in Paradisum, quamvis avidè cupiant intrare. Cùm verò convertent aspectum ad habitatores Ignis, dicent: O Domine noster, ne ponas nos cum hominibus iniquis. Et clamabunt qui stant super Aaraph ad quosdam, quos cognoscent ex signis ipsorum. Quid vobis profuit copia divitiarum, & prolium vestrarum? & quid ita propter eam in superbiam efferebamini?* Non est dubium, quin fictitius hic paries Aaraph (quem etiam Velamen appellat) alludat ad *Chaos illud magnum inter Infernum & Sinum Abrahæ firmatum*, Lucæ cap. 16. & quæ hic inter Beatos & Damnatos colloquia ponuntur, desumpta esse ex eo, quod Dives Epulo cum Abraham colloquebatur. Nam & hic:

وَنَادَىٰ أَصْحَابُ النَّارِ أَصْحَابَ الْجَنَّةِ أَنْ أَفِيضُوا عَلَيْنَا مِنَ الْمَاءِ وَمِمَّا رَزَقَكُمُ اللَّهُ قَالُوا إِنَّ اللَّهَ حَرَّمَهُمَا عَلَى الْكَافِرِينَ :

Clamabunt habitatores Ignis ad habitatores Paradisi: Effundite super nos de aqua, & de alimonia data vobis à Deo. At illi respondebunt: Verumque prohibiti sumus dare infidelibus. Porrò viri illi, qui ponuntur super Aaraph, (juxta interpretes) illi, لَيْسُوا مِنْ حَسَنَاتِهِمْ وَسَيِّئَاتِهِمْ *quorum opera bona sunt æqualia malis operibus eorum.* Ex juxta Ebn-Abbas ex ore ipsius Mahumeti, هُمْ قَوْمٌ غَزَوْا بِغَيْرِ إِذْنِ أَبَوَيْهِمْ

فَاسْتُشْهِدُوا : *illi, qui sine consensu patrum suorum pugnaverunt pro religione, & in bello occisi sunt.* Nam propter inobedientiam non meruerunt Paradisum: nec propter martyrium, debita fuit illis gehenna. Ex relatione etiam Abdallah Ebn-Ahareth habetur, Mahumetum dixisse:

لَا أَحَدَ حَمَلَ بِحَسَنَةٍ وَلَا عَمِلَ سَيِّئَةً وَبَيْنَهُ وَبَيْنَ الْقِيَامَةِ بِمِثْلِ بَيْنِ الْجَنَّةِ وَالنَّارِ

يَعْتَصِمُونَ عَلَيْهِمْ أَوْلُو يَعْرِفُونَ كُلًّا : *Obest mors, qui diligit nos, & nos diligemus eum; & die Resurrectionis conflictuetur inter Paradisum & Gehennam: superque eum detinebuntur quidam, qui agnoscent omnes, &c.* concludit:

وَعَلَى الْأَعْرَافِ رِجَالٌ مَلَائِكَةٌ *Et qui stabunt super Aaraph, erunt Angeli homines;* seu ἀνθρώπινοι, *Virangeli*. Verùm, præterquamquòd hæc omnia delira sunt & fabulæ, non solùm juxta Sacras litteras, Ezechielis cap. 18. sed etiam in doctrina plurium Mahumetanorum, in negotio vel salutis, vel damnationis æternæ, attenditur solùm status ille bonitatis vel malitiæ, in quo moritur homo: itaut decedenti in malo statu etiam uniushoræ

Digitized by Google

horæ, nihil profit bonus ſtatus præteritus etiam plurium annorum; & ex oppoſito, decedenti in malo ſtatu: nam ultimum tantùm opus ſeu ultimus ſtatus hominis attenditur à Deo in ordine ad Paradiſum, vel ad Gehennam. Neque ullo modo dari poteſt ſtatus ille medius operum, per quem neque Gehennam, neque Paradiſum quis mereatur. Et quemadmodùm impoſſibilis eſt hic ſtatus: ita etiam impoſſibile eſt dari illos inſeſſores Parietis Aaraph, qui ſimul Angeli ſint & homines, quemadmodùm impoſſibilem pronunciant Philoſophi Hircocervum, vel Chimeram: niſi fortè velint Mahumetani admittere myſterium incarnationis; itaut in uno ſuppoſito Angeli, vel hominis uniantur duæ naturæ, humana, & Angelica.

Verſ. 59. Ab hac periodo, uſque ad finem Suræ omnia figmenta ſunt & fabulæ. Introducit enim quoſdam Legatos, magna ex parte inauditos, qui populis ſuis deferant mandata Dei, eoſque commoneant de peccatis ſuis. Quia verò hi eoſdem Legatos rejicientes, ab erroribus ſuis refilire renuunt, à Deo graviſſimè puniuntur. Primò itaque ita fingitur loqui Deus.

لقد ارسلنا نوحًا الى قومه فقال يا قوم اعبدوا الله ما لكم من اله غيره اني اخاف عليكم عذاب يوم عظيم :

Jam quidem miſimus Noe ad populum ſuum; & dixit: O populi meus, colite Deum: nullum alium... Deum habetis præter eum. Certè ego timeo ſuper vos pœnam diei magnæ. Deinde proſequitur dialogiſmum fatis ineptum inter Noe, & populum ejus; & concludit eum adventu diluvii. Zamchaſcerius ſcribit hic:

ونوح خمسين سنة وكان نجارًا

Noe erat quinquaginta annorum (erravit, pro quingentorum) *& exercebat artem carpentarii.* At populus Noe: non erat gens aliqua peculiaris, ſed univerſum genus humanum: nec adorabat idola, ut hic ſupponitur, & alibi aſſeritur: nam in communi ſententia, quam docet S. Thomas 2. 2. q. 94. art. 4. & ſundatur in verbis Sapientiæ cap. 14. 13. idololatria poſt diluvium à poſteris Cham exorta eſt. Quòd ſi antè homines idola coluiſſent, id neque Moyſes, neque Chriſtus ipſe ſiluiſſent: & certè cùm nullum ſit majus ſcelus idololatria, debuiſſet hæc, ut potiſſima communis diluvii cauſa aſſignari: & tamen neque Moyſes, neque Chriſtus, ullam de ea mentionem faciunt.

Verſ. 65. Refert ſecundam legationem:

والى عاد اخاهم هودًا قال يا قوم اعبدوا الله

Et ad populum Aad miſimus fratrem eorum Hud, qui dixit eis: O populi meus, colite Deum, &c. De populo Aad, ſeu Aadæis ſcribit Iſmael Ebn-Aly in ſuo Taarich:

هم من ولد عاد بن عوص بن ارم بن سام بن نوح

Hi fuerunt prognati ex Aad filio Aus, filio Aram, filio Sem, filio Noe. Hud verò Auctor

لعلام الهدى

De Signis Directionis, autumat fuiſſe حابر Heber filium Saleh, filii Arphaxad, filii Seni, filii Noe. Idem ſentiunt Euthychius Alexandrinus, & Georgius Almacinus Arabes Chriſtiani. Judæi etiam affirmant in *Seder Olam*, Heber prophetam fuiſſe: dicit enim ibi R. Joſe נביא נחול היה עבר: *Propheta magnus fuit Heber.* At in Sacris literis nihil tale de Heber legimus; & multò minus illum dictum fuiſſe *Hud*, ut Mahumetus appellat. Cæterùm inter Hud, & Aadæos finguntur iidem dialogiſmi, ac inter Noe, & populum illius. Inter alia, verſ. 69. dixit illis Hud:

واذكركم اذ جعلكم خلفاء من بعد قوم نوح وزادكم في الخلق بصطة

Et auxit vos Deus in creatione extenſione; ideſt longitudine ſtaturæ. Nam, ut explicat Gelal.

كان طولهم مائة ذراع وقصيرهم ستون

Longior inter eos erat centum cubitorum: brevior autem ſexaginta. Idem habet Zamchaſcerius, & traditum fuit ab Ebn-Abbas, & aliis communiter, tamquam ex ore Mahumeti: ſed Ahmed Ebno-Juſeph, Auctor magnæ auctoritatis, oſtendit, omnes hos cum Mahumeto eſſe mendaces, dum affirmat, adhuc extare domos Aadæorum, & ab omnibus videri; & addit,

بمساكنهم على قدر مساكن اهل عصرنا وهذا بدل على ان اجسامهم كاجسامنا

habitationes eorum ſunt ad menſuram habitationum ætatis noſtræ: quod oſtendit corpora eorum fuiſſe ſicut corpora noſtra. Quia verò Aadæi obſtinati in errore perſeverarunt, ſubditur in Alcorano pœna illis inflicta à Deo:

وقطعنا دابر الذين كذبوا بايتنا وما كانوا مؤمنين.

Et præcidimus poſteriora eorum, qui negaverunt ſigna noſtra, & credere noluerunt. Explicat Beidavius.

كانت الصبح تدخل اولى وتخرج من اخراهم

Ingrediebatur ventus urens فيقطع اعضاؤهم *ac poſtilens in nares* eorum infidelium, *& egrediebatur per partes poſteriores eorum, & diſrumpebantur membra eorum.* Cùm autem omnes interiiſſent (ſubdit Iſmael Ebn-Aly) remanſit vivus quidam nomine Locman, qui erat vir probus; conceſſitque ei Deus ætatem ſeptem aquilarum, quarum ſingulæ viverent octoginta annos.

Verſ. 73. Ponit aliam legationem his verbis:

والى ثمود اخاهم صالحًا قال يا قوم اعبدوا الله ما لكم من اله غيره قد جاءتكم بينة من ربكم هذه ناقة الله لكم اية فذروها تأكل في ارض الله ولا تمسوها بسوء فياخذكم عذاب اليم

Et ad populum *Themud legavimus fratrem eorum Salch, qui dixit eis: O populi meus, colite Deum, præter quem nullus alius eſt vobis Deus. Jam venit ad vos probatio manifeſta veritatis à Domino veſtro. Hæc camela Dei erit vobis in ſignum: ſinite eam ut paſcatur in terra Dei; & ne nocatis ei, ne invadat vos pœna doloriſica.* Themud ſive Themudæi (ut autumat Iſmael Ebn-Aly) habitaverunt primò in Æthiopia; deinde tranſtulerunt ſeſe in الحجر *Hegram*: de qua regione fit mentio in Alcorano. Ad hos, utpote infideles, miſſus fuit à Deo prophe-

ta

ta Saleh, qui juxta eundem Ismael, vixit post Hud, ante Abraham. Ut autem crederent, eum missum fuisse à Deo, postulaverunt ab eo miraculum. Itaque (ut scribit Zamchascerius, cum cæteris Expositoribus hujus loci) *Oravit Saleh, & precatus est Dominum suum, & parturivit petra cum mugitu veluti mater fluctuantis; & discissa peperit camelam gestantem uterum decem mensium, totam pilis obsitam. Deinde peperit pullum similem sibi, jam ablactatum. Perseveravit autem camela, cum pullo suo, vescens arborum foliis, & bibens aquam. Redibat autem ad potum alternis diebus* (nam altera die bibebat ipsa, altera autem pullus). *Ea verò die, qua redibat, mergebat caput in puteum* (alii volunt fluvium) *& absorbebat totam aquam illius, absque eò quòd caput à puteo elevaret. Deinde voce quadam instar gemitus emissa, advocabat homines, qui emungebant ab ea quantum lactis volebant: itant impletis vasis suis biberent, & lac etiam reservarent. Dixit Abu-Musa Asciariensis: Ego veni in terram Themud, & mensuravi aperturam petræ, unde egressa est camela, & inveni eam esse sexaginta cubitorum.* Consuetum est Moslemis Auctores fictos tamquam veros loquentes inducere, ut aliàs vidimus. Claudit fabulam Alcoranus his verbis:

فعقروا الناقة وعتوا عن امر ربهم فاخذتهم الرجفة فاصبحوا في دارهم جاثمين:

Et peremerunt camelam, succidentes ejus crura, & desiverunt à præcepto Domini sui, quamobrem invasit eos terræmotus, & mane inventi sunt in domibus suis prostrati ac mortui.

Vers. 83. post relatam prædicationem Lot ad Sodomitas, subdit:

فانجيناه واهله الا امرأته كانت من الغابرين وامطرنا عليهم مطرا فانظر كيف كان عاقبة المجرمين:

Et liberavimus eum, & familiam ejus: sed uxor ejus fuit ex remanentibus: Et pluimus super eos pluviam: & vide cujusmodi fuerit finis sceleſtorum, nempè remansit cum cæteris Sodomitis: quod falsum est. Nam Scriptura manifestè docet, illam cum Lot egressam fuisse, sed in itinere respexisse post tergum, contra divinum præceptum, & propterea versam esse in statuam salis. Quamobrem falsum est etiam id, quod habet Zamchascerius, & alii, nempè:

انها الحجارة فلما اصابها حجر فمات: *illa dum retrò se verteret percussa fuit à lapide* (ex iis, qui pluebant è cœlo super Sodomam) *& ita mortua est.*

Vers. 85. Sequitur alia legatio, his Dei verbis: والى مدين اخاهم شعيبا قال يا قوم اعبدوا الله

Et ad Madianitas legavimus fratrem eorum Scioaib, qui dixit eis: O populo meus, colite Deum, &c. Certissimum est, etiam ex ipso Alcorano, *Scioaib*, eumdem esse cum Jethro, socero Moysis, qui in Scripturis quatuor nominibus vocatur; *Raguel, Jethro, Hobab, & Cinæus.* Unde autem Mahumetus quintum eruerit, prorsus ignoro. Porrò ex Sacris literis ne verbum quidem habemus de hac legatione Scioaib, seu Jethro. Ex illis enim solùm novimus, illum fuisse Sacerdotem ac Principem Madianitarum, & dedisse filiam suam Sephoram Moysi ex Ægypto in Madian fugienti, in uxorem: & deinde perrexisse, ut inviseret Moysen generum suum, in deserto cum Israelitis commorantem: & postea in Madian ad suos rediisse. Cætera, quæ hic ab Alcorano referuntur, fabulæ ac figmenta Mahumeti censenda sunt.

Vers. 103. Narratur profusè, fatisque fabulosè legatio Moysi ad Pharaonem: ac primò, vers. 106. dicitur de Moyse, statim ac stetit ante Pharaonem:

فالقى عصاه فاذا هي ثعبان ونزع يده فاذا هي بيضاء للناظرين: *Et projecit virgam suam, & ecce ipsa versa est in draconem: & extraxit manum suam* (è sinu) *& ecce ipsa apparuit candida intuentibus.* Deinde refert Pharaonem congregasse omnes Magos, qui cùm adessent, dixerunt Moysi, vers. 113.

يا موسى اما ان تلقي واما ان نكون نحن الملقين قال القوا فلما القوا سحروا اعين الناس واسترهبوهم وجاءوا بسحر عظيم واوحينا الى موسى ان الق عصاك فاذا هي تلقف ما يافكون: فوقع الحق وبطل ما كانوا يعملون فغلبوا هنالك وانقلبوا صاغرين: والقي السحرة ساجدين قالوا امنا برب العالمين رب موسى وهرون: *O Moyses: vel projice tu prior virgam tuam, vel projiciemus nos. At ille: Projicite vos. Cùmque hi projecissent, fascinaverunt oculos hominum, & perterruerunt eos, & fecerunt præstigium magnum* (convertentes virgas in colubros). *Nos verò inspiravimus Moysi dicentes: Projice virgam tuam.* (Cùmque projecisset) *ecce* (facta est draco) *& devoravit id, quod illi præstigiosè effecerant. Apparuit igitur veritas, & evanuit id, quod illi fucrant operati. Victique sunt ibi Magi, & remanserunt inferiores, & confusi: & projecerunt se in terram adorantes: & dixerunt: Credimus in Dominum Mundorum; Dominum Moysis, & Aaron.* Pergit deinde fabulari, quomodo Pharao jusserit præcidi manum dexteram, & pedem sinistrum singulis Magis, ac deinde eosdem crucifigi; atque ita Martyres magna cum patientia, & constantia obiisse. Hoc autem absolutè falsum, & contra Scripturam existimandum est. Nam ex libro Exodi manifestè habetur, Magos post primum illud signum, alia præstigia, Rege jubente, fecisse, femperque Moysi obstitisse fuisse. Quamobrem de iisdem loquens S. Paulus Epist. 2. ad Timoth. cap. 3. scribit: *Quemadmodum autem Jannes & Mambres restiterunt Moysi: ita & hi resistunt veritati, homines corrupti circa fidem.* Quòd si Magi illi statim in Deum credidissent, & martyres mortui fuissent; numquam hoc Moyses tacuisset, nec de illis S. Paulus ita scripsisset. Omitto hìc fexcentas Interpretum ineptias, quæ revera non pertinent ad Alcoranum, neque probari poterit, à Mahumeto intentas fuisse.

Vers. 125. Cùm timerent Magnates Pharaonis malum à Moyse, & Hebræis: dixit illis Pharao: منقتل ابناءهم

Digitized by Google

. لنامت وصنعي نعامهم . *Occidemus filios eorum, & vivere finemus feminas eorum.* Sed hoc decretum fuit à Pharaone, antequam nasceretur Moyses.

Verf. 134. Post transitum Maris rubri, fingit Israelitas, cum vidissent populos, ad quos pervenerant, adorare idola; dixisse Moysi: يا موسى اجعل

لنا الهًا كما لهم الهة قال انكم قوم تجهلون:

O Moyses, fac nobis aliquem Deum, quemadmodum habent illæ gentes. Respondit illis Moyses: Certè vos estis homines stulti, & ignari. Nunquam in Scripturis legimus, Israelitas postulasse à Moyse, ut faceret illis idolum; atque hoc omninò mendacium censendum est.

Verf. 135. Sic fingitur loqui Deus: ووعدنا موسى

ثلثين ليلة واتممنا بعشر فتم ميقات ربه اربعين

ليلة: *Et condiximus Moysi triginta noctes, & complevimus eum decem: completumque est tempus constitutum à Domino ejus, quadraginta noctium.* Explicat Gelal. *Condiximus triginta noctes,* بكلمه

عند انتهائها بان يصومها فصامها فلما تمن انكر

خلوف فمه فاستاك فامره الله بعشر اخرى ليكلمه

بخلوف فمه: *ut alloqueretur eum post finem illarum, cum pallo ut in iisdem jejunaret. Jejunavit autem in illis Moyses: sed postea displicuit illi fœdus halitus oris sui, curavitque illum tollere, probè os confricando. Sed Deus præcepit ei, ut decem alias noctes jejunaret, quò liceret ei alloqui Deum, non obstante ingrato illo oris halitu.* De hujusmodi Dei condicto cum Moyse, primò de triginta noctibus, seu diebus; (nam Arabes diem naturalem nomine noctis exprimere consueverunt) ac postea decem, nullum est vestigium in Pentateucho. Ridicula verò est ratio, cur Deus decem illas noctes addiderit; quia scilicet pudebat Moysem loqui cum Deo post contractum ex jejunio triginta noctium fœdum oris halitum. Atqui appendix illa decem noctium cum jejunio, non minuebat, sed augebat oris fœtorem. Quis verò sanæ mentis credat, Deum abhorrere à prava humani oris aura, præsertim cùm à jejunio propter eum suscepto procedit? Quamobrem etiamsi fœtor ille fuisset Moysi naturalis, non erat, cur Deus propter eum decem noctes cum jejunio illi imponeret. Falsum præterea est, Deum, non nisi transactis quadraginta diebus, cum Moyse loquutum fuisse, ut constat ex libro Exodi à cap. 24. ad 34. quamvis tabulas Legis duas, (non septem aut decem, ut fingunt Mahumetani) non nisi post quadraginta dies illi tradiderit.

Verf. 139. Ita depravat Sacram historiam, quæ habetur Exodi cap. 33. ولما جاء موسى لميقاتنا

وكلمه ربه قال رب ارني انظر اليك قال لن تراني

ولكن انظر الى الجبل فان استقر مكانه فسوف تراني

فلما تجلى ربه للجبل جعله دكًا وخر موسى صعقًا فلما

افاق قال سبحانك تبت اليك وانا اول المؤمنين:

Cùm autem venisset Moyses juxta conditum nostrum (idest post quadraginta dies) *& alloquutus fuisset eum Dominus suus; dixit: Domine mi, fac, ut possim te aspicere. Respondit ei: Numquam me videbis. Sed respice ad Montem: & si is firmus steterit in loco suo, mox videbis me. Cùm autem gloriosum se Deus Monti ostendisset, redegit eum in pulverem. Tunc corruit Moyses exanimatus. Cùm autem in se rediisset, dixit: Laus tua: converto me pœnitens ad te: & ego sum primus fidelium.* Compara Alcorani verba cum verbis Pentateuchi, & videbis nihil hic esse nisi fictum, & commentitium.

Verf. 141. Fingitur loqui Deus: وكتبنا له في

الالواح من كل شيء موعظة وتفصيلا لكل شيء:

Et scripsimus ei (idest Moysi) *in Tabulis de omni re parænesin, & distinctionem pro omni re.* Certum est, Deum nihil dedisse scriptum Moysi, nisi Decalogum in duabus Tabulis: cætera enim legalia scripsit ipse Moyses immediatè accepta ab ore Dei: ut habetur Exodi cap. 24. 4. *Scripsit autem Moyses universos sermones Domini.* Quamobrem mentitur Mahumetus, dum asserit, Deum scripsisse Moysi in Tabulis, non duabus, sed multis (utitur enim numero plurali الالواح non duali اللوحين) omnia ad universam legem spectantia. Nam hoc significant ejus verba, etiam secundum glossas Alcoranistarum. Quamobrem scribit Gelal. de his tabulis, وكانت من مدر

الجنة او زبرجد او زمرد سبعة او عشرة.

Erant septem, vel decem; factæ ex ligno Sedri Paradisi, vel ex chrysolitho, sive smaragdo. Et quidem ad continendam totam legem non minor numerus tabularum requirebatur.

Verf. 144. Hæc habet: واتخذ قوم موسى من بعده

من حليهم عجلا جسدا له خوار:

Et fabricavit populus Moysi, post discessum ejus, ex anulis suis Vitulum habentem corpus, & edentem mugitus. Pro *corpore*, intelligit Gelaled. eum aliis Expositoribus لحمًا ودمًا *carnem, & sanguinem*: & hoc reverà significat vox Alcorani جسد: & addit انقلب كذلك بوضع الترب الذي اخذه من حافر

فرس جبرائيل في فمه فان اثرة للحياة فيما يوضع فيه:

Ita autem conversus fuerat per positionem pulveris, quem acceperat (Samarita fusor illius) *ex ungula equi Gabrielis, in ore ejus: nam ubi is ponebatur, vitæ vestigia apparebant.* Magnum figmentum, fortasse à Thalmude exceptum.

Verf. 150. Pergit mentiri: ولما سكت عن موسى

الغضب

Digitized by Google

. النفخت لحد الاولى *Et posquam quievit Moyses ab*

ira, accepit Tabulas, quas scilicet ex ira projecerat. At certum est, tabulas illas confractas fuisse, quamvis Alcoranus hoc taceat: ita enim legimus Exodi cap. 22. *Iratusque valdè projecit de manu tabulas, & confregit eas*: itaut alias tabulas jussus sit præcidere, in quibus Deus scriberet legem suam. Nec dicas, eum collegisse earum fragmenta: nam hæc erant jam inutilia ad finem intentum à Moyse: nisi fingas cum Rabbinis, illum è fractis tabularum venditis divitias immensas sibi comparasse. Et præterea non cohæret hoc cum verbis sequentibus in Alcorano.

Vers. 151. Hæc habentur: واختار موسى من قومه

سبعين رجلاً لميقاتنا فلما اخذتهم الرجفة قال ربّ لو

شئت اهلكتهم من قبل وايای أتهلكنا بما فعل

السفهاء منّا . *Et elegit Moyses è populo suo se-*

ptuaginta viros juxta conditum nostrum: cumque à terræmotu occisi fuissent, dixit: Si voluisses, Domine mi, perdidisses antèà illos, & me. An verò perdes nos propter id, quod fecerunt fatui ex nobis? Somniavit hæc Mahumetus, non scripsit Moyses in Pentateucho.

Vers. 152. Oranti Moysi pro peccato Populi, fingitur Deus ita respondere, promittendo adventum Mahumeti . رحمتی وسعت کل شیء فساکتبها للذین

یتقون ویؤتون الزکوٰة والذین هم بایاتنا یؤمنون

الذین یتبعون الرسول النبیّ الامیّ الذی یجدونه

مکتوبا عندهم فی التوراة والانجیل یأمرهم

بالمعروف وینهیهم عن المنکر ویحلّ لهم

الطیبات ویحرّم علیهم الخبائث :

Misericordia mea amplectitur omnem rem: scribam eam illis, qui pii fuerint, & persolverint sacras decimas, & crediderint in signa nostra: qui sequentur Legatum Prophetam Idiotam, quem invenient scriptum apud se in Pentateucho, & Evangelio: qui præcipiet ipsis justa, & vetabit injusta: & licitas faciet eis res bonas: & prohibebit malas. Omitto alia, quæ de hoc Legato Prophetæ Idiota hic prædicuntur. Mahumetus hoc de se vaticinium finxit in Alcorano; non autem scripsit Moyses in Pentateucho. Et mea quidem sententia, tàm impudens, & apertum est hoc mendacium, seu figmentum; ut satis sit ad totum Alcoranum cum Auctore suo condemnandum.

Vers. 169. Hæc dicuntur Mahumeto . واذ اخذ

ربك من بنی ادم من ظهورهم ذریتهم واشهدهم

علی انفسهم ألست بربکم قالوا بلی شهدنا ان تقولوا

یوم القیمة انّا کنّا عن هذا غافلین :

Et (memento) *cùm accepit Dominus tuus à filiis Adam ex dorsis eorum progeniem eorum, & testificari fecit eos super animas eorum* (ac dixit): *Nonne ego sum Dominus vester? Respondérunt: Utique.* (Dixit illis Deus): *Testificati sumus* (hoc vobis) *ne diceretis in die Resurrectionis: Certè nos fuimus in hoc negligentes* (quia non fuerat dictum nobis). Explicat Jahias ex auctoritate Ebn-Abbas, quæ habetur

infallibilis: لمّا خلق الله ادم بالهند ثم مسح ظهره فاخرج

منه کل نسمة هو خالقها الی یوم القیمة فخم قال

ألست بربکم قالوا بلی شهدنا ; وقال الکلبی

مسح ظهر ادم فاخرج منه کل خلق خلقه الله

ثم قال ألست بربکم قالوا بلی فقال

للملائکة اشهدوا فقالوا شهدنا قال لئلا تقولوا

یوم القیامة انّا کنّا عن هذا غافلین :

ثم اهبطهم فی صلب ادم

Descendere fecit Deus (è Paradiso) *Adam in Indiam; deinde attrectavit dorsum ejus, & eduxit ex eo omnem animam, quam creaturus erat usque ad diem Resurrectionis. Deinde dixit: Nonne ego sum Dominus vester? Respondérunt: Utique; testificamur hoc. Et dixit Calebius: Attrectavit Deus dorsum Adam, & eduxit ex eo omnes homines, quos creavit: deinde dixit eis: Nonne ego sum Dominus vester? Respondérunt: Utique. Tunc dixit Deus Angelis: Testes estote. Illi verò dixerunt: Testes sumus. Dixit Abassan: Deinde regredi fecit Deus illos in lumbos Adam.* Non poterant Alcorani mysteria probè intelligi sine prævia Expositorum luce.

Vers. 186. Refert, Hevam gravidam rogasse Deum, unà cum Adamo, ut conderet sibi felicem partum

& prolem rectè formatam: tum subdit: فلمّا اتاهما

صالحًا جعلا له شرکاء فیما اتاهما فتعالی الله عمّا

یشرکون : *Cùmque dedisset illis Deus prolem rectè formatam, posuerunt eidem Deo deos socios pro eo, quod concesserat eis. At absit à Deo, ut habeat socios.* Ponam hic explicationem Calebii relatam à Jahia. *Portavit* (inquit) *Heva pondus leve in utero à principio, tum quo facilè sese movebat, stando, & sedendo. Venit ad eam Satanas in forma humana, & dixit ei: Quid est illud, quod habes in utero? At illa: Nescio* (inquit). *Et ille:* Estne (inquit) *aliquod pecus ex bis, quæ vides? Cùmque illa, se id ignorare respondisset; abiit ab ea Satanas. Sed cùm Heva gravius onus in dies experiretur, accessit iterùm Satanas, interrogans, quomodo se haberet. Illa verò respondit: Timeo, ne verus sit metus, quem mihi injecisti: nam nequeo, posquam sedi, assurgere. Cui Satanas: Si precibus meis tibi Deus humanum fetum similem tibi, & Adæ concedat, vocabisne eum nomine meo? Promisit illa se facturam: & Satanas discessit. Cùm autem peperisset, rediit Satanas, exigens ab ea, ut staret promissis. At illa: Quodnam est, inquit, nomen tuum? Respondit: nomen meum* est عبد الحارث *Abdalhareth:* (ideſt, *servus ferentis*).

Cùm

Digitized by Google

Cùm autem Heva hoc nomine filium suum appellasset, is statim mortuus est. Concludit Jahias ex Calebio: قال الله فلما انامعا صالحا جعلا له شركاء فيما

انامعا : قال قتادة فكان شركاً فى طاعتهمـــا لابليس

فى تسميتهمـــا ابنـــاء عبـــد الحارث :

Dixit Deus (idest hoc significant verba Alcorani): *Et cùm dedissèt illis Deus prolem refùè formatam, posuerunt illi deos socios pro eo, quod dederat illis. Dixit Cortada: Idololatriam commiserunt, dum obedierunt Diabolo, vocando filium suum Abdalhareth.* Multum debent Protoplasti Mahumeto, qui eos idololatrarum principes evulgavit.

Ex Sura 8. الانفال *Manubiæ.*

Vers. 53. Ita fingitur Deus alloqui Mahumetum: ولو ترى اذ يتوفى الذين كفروا الملئكة يضربون وجوههم

وادبارهم وذوقوا عذاب الحريق ذلك بما قدمت ايديكم:

Et ò si videres, quando Angeli tradunt morti infideles! Percutiunt facies eorum, & dorsa eorum; (& dicunt eis): *Gustate pœnam combustionis, quæ vobis debetur ob peccata vestra præterita.* Paucis verbis innuit longam fabulam de examine, & tormento mortuorum in sepulcro per duos Angelos Monker, & Nakir. Vide eam in tertia parte hujus Prodromi pag. 90. Porrò juxta doctrinam Mahumeticam & Rabbinicam, vel homines non moriuntur, nisi quando jam sunt in sepulcro: vel iterùm animæ jam egressæ, restituuntur in corpora intra sepulcrum: & præterea corpora ipsa, si fortè combusta sint, aut à feris devorata, debent redintegrari intra aliquod sepulcrum: ut ibi fiat ab Angelo mortis, juxta Rabbinos; vel à Monker, & Nakir juxta Alcoranum, examen; & infligatur tormentum. Zamchaserius ex auctoritate Albarà filii Azeb refert, ان رسول الله ﷺ ذكر قبـــض

روح المؤمن ثم يعود روحه الي جسده فيأتيانـــه ملكان

فيجلسانه فى قبره . *Legatus Dei Mahumetus dixit, animam Fidelis egressam è corpore in morte, iterùm in illud regressuram esse: & venturos duos Angelos, qui sedebunt juxta eum in sepulcro*, nempè Monker, & Nakir. Vah ineptias.

Vers. 70. Ita alloquitur suos milites, qui fortassè conquerebantur, se in prælijs susceptis exiguas prædas lucratos fuisse; ماكان لنبي ان يكون له اسرى

حتي يثخن فى الارض تريدون عرض الدنيا والله يريد

الاخرة والله عزيز حكيـــم : *Nullus propheta potuit habere captivos, donec stragem multam faceret in terra. Vos vultis bona accidentalia Mundi: & Deus vult bona futuri sæculi: & Deus est excellens, sapiens.* Prædicat suis contemptum bonorum mundanorum; & interim ipse sibi blanditur de futura copia captivorum per stragès à se faciendas. Sed quinam fuere isti prophetæ, qui per plurimas stragès ac cædes, captivorum turbas sibi comparavere? Ego nullum invenio, saltem sub præcisa ratione prophetæ. Nam Reges, Ducesque exercituum, ut sic; non gesserunt personam prophetæ.

Ex Sura 10. يونس *Jonas.*

Vers. 86. Hæc de morte Pharaonis habentur: وجاوزنا ببني اسرائيل البحر فاتبعهم فرعون وجنوده

بغياً وعدواً حتي اذا ادركه الغرق قال امنت بانه لا

اله الا الذي امنت به بنوا اسرائيل وانا من المسلمين:

الان وقد عصيت قبل وكنت من المفسديـــن:

Et traduximus filios Israel per mare, & insequutus est eos Pharao, & exercitus ejus, invidiæ, & hostilitatis gratia: sed cùm mergi cœpisset, dixit: Credo, nullum esse Deum præter eum, in quem credunt filii Israel, & ego sum ex Moslemis. (Dixit illi Gabriel) *Nunc* (credis) *at antè rebellis Deo fuisti, & homo pravus ac perversus.* Atque ita submersus est. Nam, ut scribit Gelaleddinus: فى جبرائيل

فيه من جملة البحر مخافة ان تناله الرحمـــة

impegit Gabriel in os ejus ex cœno maris, ob timorem, ne consequeretur misericordiam: si scilicet perrexisset in confessione unius Dei. Ita figmenta sunt hæc, sicut illud, quod addit idem Gelal. فمضغت

اموالهم حجارة وابن فرعون حتي ادركـــه الغرق.

Commutatæ sunt omnes opes eorum (idest Ægyptiorum) *in lapides; nec tamen credidit Pharao, donec sensit se mergi.*

Vers. 97. Vocat Ninivitas, ad quos missus fuit Jonas à Deo, قوم يونس *Populum Jonæ*, seu gentem, in qua, & ex qua natus est Jonas: juxta perpetuum modum loquendi Alcorani, atque etiam communem omnium expositionem. At Jonas non fuit Ninivita, sed Hebræus, ut ipsemet confessus est nautis.

Ex Sura 11. هود *Hud.*

In hac Sura recoquit totam ferè Suram 7. الاعراف nempè legationes illas fictitias Noe, Hud, Saleh, Lot, Scioaib, &c. semper tamen cum parergis novatam ineptiarum, quarum præcipuas tantùm breviter attingam.

Vers. 40. Agens de adventu diluvii, hæc habet: اذا جاء امرنا وفار التنور قلنا احمل من كل زوجيـــن

اثنين واهلك الا من سبق عليـــه القول ومن امن وما

امن معه الا قليـــلٌ : *Cùm venit præceptum nostrum* (de diluvio) *& ebullivit fornax, diximus* (ad Noe) *Defer* (in Arcam) *ex omnibus animantibus duo paria* (nempè masculum & fœminam) *& familiam tuam; præter eum, super quem præcessit dictum* (quod

Digitized by Google

(quod debeat perire) : *& eos, qui crediderunt: & non crediderant cum eo, nisi pauci.*

Illa ebullitio Fornacis (quicquid sit) fingitur tamquam signum à Deo constitutum pro immediato diluvii adventu. Sed nullum habet in Scriptura Sacra fundamentum. Non autem duo tantùm paria ex cunctis animantibus, sed ex immundis tantùm, introduxit Noe in Arcam : ex mundis verò, & ex volucribus, septem paria, seu septena & septena. Præter familiam suam, nullum alium Noe introduxisse in Arcam, certum est non solùm ex libro Genesis, sed ex epistola 1. S. Petri cap. 3. ubi asseritur, *octo tantùm animas in Arca ab aquis salvatas fuisse* : nempè ipsum Noe cum uxore, & tres ejus filios cum uxoribus suis. Mentitur itaque aperté Alcoranus, dum præter familiam Noe, alios, qui illi crediderant, in Arcam introducit. Et Jahias refert contra dictum Alcorani, auctoritatem

Cottadæ, ita pronunciantis لا ينجو في السفينة

نوح وثلثة بنين سام وحام ويافث ونساؤهم

فجميعهم ثمانية . *Non sunt salvati in Arca nisi Noe, & tres filii ejus Sem, Cham, & Japheth, & uxores eorum : in totum octo.* Agnovit Cottada errorem Alcorani; quemadmodum etiam Zamchascerius, qui ait, Mahumetum in voce tradidisse, fuisse tantùm octo : quamvis oppositum scripserit in Alcorano. At Gelal. vult in Arca fuisse duodecim, & juxta alios, octoginta. Mohammed filius Iliae, decem ; & juxta alios, duos & septuaginta, vel etiam octo & septuaginta. Alii aliter. Sed non minus mentitur, dum ne totam quidem familiam Noe in Arca salvatam fuisse pronunciat, illis verbis : *præter eum, super quem præcessit dictum* : ideſt, decretum Dei, quod debeat in diluvio perire. Accipitur autem hic من ideſt, *eum, quem*, collectivè ab expositoribus, itaut non de uno tantùm intelligatur, sed de pluribus. Gelal., Zamchascerius, & alii plerique volunt hos fuisse كنعان وولده : *Uxorem ejus* (nempè Noe) *& filium ejus Chanaan.* Verùm nunquam dixit Mahumetus, uxorem Noe in diluvio periisse : & falsò ei hoc Moslemi imponunt.

Verſ. 42. Ita legimus : وهي تجري بهم في موج

كالجبال ونادي نوح ابنه وكان في معزل يا بني اركب

معنا ولا تكن مع الكافرين : قال ساوي الى جبل

يعصمني من الماء قال لا عاصم اليوم من امر الله

الا من رحم وحال بينهم الموج وكان من المغرقين :

Et ipsa (Arca) *impulit eos in fluctus velut montes. Et clamavit Noe ad filium suum, qui erat in loco ab Arca separato, dicens : O filiole mi, veni nobiscum in Arcam, & noli remanere cum infidelibus. At ille respondit : Recipiam me ad montem, qui defensabit me ab aqua. Cui Noe : Non est hodie qui defendere possit ab eo, quod præcepit Deus : præter eum, cui ipse misertus fuerit. Et pertransiit inter eos unda, & ille submersus est.* Noe tres filios tantùm (saltem ante Diluvium) genuisse, & eos cum eodem in Arcam ingressos ac salvatos fuisse, nullus unquam, ut puto, dubitavit. Itaque filius hic, qui mersus est, non potuit esse unus ex illis. Unde ergo erupit ? Asserunt communiter Expositores, illum fuisse alium à tribus, nomine Chanaan. At Chanaan non fuit filius Noe, sed Cham, neque ortus est, nisi post diluvium. Alii putant fuisse privignum, non filium; fuisceptum scilicet ab uxore ex altero marito. Alii verò malunt fuisse filium adoptivum Noe. Verùm hoc est temerè, & sine ullo fundamento divinare, ad defendendum Mahumeti mendacium.

Verſ. 49. Concludit Deus Mahumeticus historiam Diluvii his verbis : تلك من انباء الغيب نوحيها

اليك ما كنت تعلمها انت ولا قومك من قبل هذا.

Hæc est ex historiis arcanis, & ignotis : revelamus eam tibi : non noveras eam tu, neque gens tua antè. Nihil in Orbe notius, præsertim ævo Mahumeti, quàm historia Diluvii ; tunc enim Pentateuchus in omnibus linguis ubique gentium legebatur. Et quidem etiam Ethnici ante Christi adventum, universalem Mundi alluvionem non ignorabant, ut patet ex Ovidio, Metamorph. lib. 1. & aliis Auctoribus. Erant igitur pecudes, vel stipites Mahumetus, & Arabes, si nihil de hac re tàm vulgata ac nota, audierant. Potest tamen Mahumetus excusari, eo quòd pro انباء الغيب *historiis arcanis*, intelligeret solùm nugas illas & quisquilias, quibus ipse, veram historiam corruperat.

Verſ. 67. Abraham posuit vitulum coctum ante Angelos, quos hospites existimabat : mox subditur : فلما راى ايديهم لا تصل اليه : *Cùm autem vidisset* (Abraham) *manus eorum non pertingere ad illum*, nempè Angelos non attingere vitulum, ut eum comederent. Hoc est contra id, quod habetur Genes. cap. 18. ubi Angeli, offerenti Abrahæ vitulum respondent : *Fac ut loquutus es*. Et mox subditur : *Cùmque comedissent, dixerunt ad eum, &c.*

Verſ. 78. Dixerunt Angeli ad Lot : فاسر باهلك

بقطع من الليل ولا يلتفت منكم احد الا امراتك انه

مصيبها ما اصابهم : *Perge cum familia tua in aliqua parte noctis, & ne retrò se vertat ullus ex vobis ; præter uxorem tuam ; quippe illi eventurum est, quod eveniet aliis* : nempè Sodomitis. Vera expositio, quam etiam affert Gelal. eli : *Perge noctu cum familia tua, præter uxorem tuam (& ne retrò se vertat ullus vestrum) : nam ipsi eventurum est malum, quod eveniet cæteris Sodomitis* : nempè remansura est cum illis in incendio extincta. Atqui cereissimum est ex Sacro textu, uxorem Lot egressam fuisse cum illo, neque cum aliis Sodomitis cœlestibus flammis extinctam fuisse : ut mentitur Alcoranus.

Ex Sura 12. يوسف *Joseph.*

Verſ. 4. Fingitur loqui Deus cum Mahumeto : ذمن نقص عليك احسن القصص بما اوحينا اليك

هذا

Digitized by Google

هذا القرآن وان كنت من قبله لمن الغافلين:

Nos quidem narrabimus tibi pulcherrimam Historiarum in eo, quod revelavimus tibi hunc Alcoranum: quòd si fuisses anteà: non eam curasses. Ideſt, ut explicat Gelal. *eam ignorasses.* Quamobrem in fine

Suræ, hæc hiſtoria appellatur الغيب من انباء *ex hiſtoriis arcanis, & ignotis.*

Hiſtoria verè in ſe eſt pulcherrima, ſed ita eam fœdat, ac depravat Mahumetus, totque fabulis admiſcet, ut Sapientiores Moslemi, quales fuerunt العجارية *Agiareditæ*: المومنية *Maimunitæ*, & alii præſertim ex الخوارج *Charegitis*, illam ex Alcorano eliminandam eſſe affirment, nec ullo modo divinam auctoritatem tribuendam ei eſſe exiſtiment. Cæterùm hiſtoria hæc erat notiſſima omnibus gentibus, ſicut hiſtoria Diluvii (ſi nugas à Mahumeto illi admixtas excipias): quamobrem ridiculè inter انباء الغيب *Hiſtorias arcanas & occultas* recenſetur.

Verſ. 5. Cùm dixiſſet Joſeph patri ſuo:

يا ابت انى رايت احد عشر كوكبًا والشمس والقمر رايتهم لي ساجدين قال يا بُنيّ لا تقصص رويك على اخوتك فيكيدوا لك كيدًا: *O pater mi, certè ego vidi undecim ſtellas, & Solem, & Lunam adorantes me: reſpondit pater: O filiole mi, ne narres viſionem tuam fratribus tuis, ne machinentur tibi inſidias.*

Cùm contendant Moslemi, hanc hiſtoriam à Mahumeto exactiſſimè, ac perfectiſſimè referri, patet hìc ejuſdem defectus, dum primum Joſephi ſomnium, cùm videbatur ſibi in agro cum fratribus alligare manipulos, ſubticetur. In eo etiam peccat Alcoranus, dum ſupponit Joſeph narraſſe patri ſuo tantùm hoc ſecundum ſomnium, cùm tamen manifeſtè pateat ex libro Geneſis, fratribus etiam, & quidem antequam patri, illud narraſſe.

Verſ. 9.

اذ قالوا ليوسف واخوه احب الى ابينا منّا ونحن عصبة انّ ابانا لفي ضلال مبين:

Cùm dixerunt (fratres ejus ad invicem): *Certè Joſeph, & frater ejus* (Benjamin) *dilectiores ſunt apud patrem noſtrum, quàm nos: & nos ſumus plures: certè pater noſter eſt in errore manifeſto.*

In Geneſi non legimus, conqueſtos fuiſſe filios Jacob, niſi de peculiari amore patris erga Joſeph. De Benjamin verò nullam habuere querelam: agnoſcebant enim, illum, utpote natu minimum, jure à patre cæteris in amore præferri.

Verſ. 12.

قالوا يا ابانا ما لك لا تأمنّا على يوسف وانّا له لناصحون ارسله معنا غدًا يرتع ونلعب وانا له لحافظون قال انّي ليحزنني ان تذهبوا به واخاف ان يأكله الذيب وانتم عنه غافلون:

Dixerunt (fratres Joſeph): *O pater noſter, quid tibi eſt, quòd non concredis nobis Joſeph? Mitte illum nobiſcum cras, ut liberiùs ſpatietur, & ludamus: & nos ſanè illum cuſtodiemus. Reſpondit* (pater): *Ego ſanè ægrè fero, quòd ducatis eum vobiſcum: nam timeo, ne comedat eum lupus, dum vos curam illius negligitis.*

Supponitur hìc, Jacobum retinuiſſe Joſeph, ne cum fratribus ad paſcendas oves proficiſceretur: & nonniſi importunis eorum precibus, ut Joſeph cum illis pergeret, permiſiſſe. At verò ex Geneſi habetur oppoſitum; ubi Jacob ultrò filium ſuum miſit ad fratres viſendos; cum quibus etiam conſtat illum quotidianam conſuetudinem in paſcendis pecoribus habuiſſe, ex illis verbis c. 37. *Joſeph paſcebat gregem cum fratribus ſuis adhuc puer; & erat cum filiis Bala, & Zelphæ uxorum patris ſui.*

Verſ. 20. Dicitur de Viatoribus, vel Mercatoribus Madianitis:

فارسلوا واردهم فادلى دلوه: قال يا بشرى هذا غلام واسرّوه بضاعة: *Et miſerunt aquatorem ſuum, qui demiſit ſitulam ſuam*) in ciſternam, ubi erat Joſeph. Et videns ipſum hærentem manibus funi ſitulæ, dum eam retraheret): *dixit: O latum nuncium! Hic eſt puer. Et* (fratres ejus) *occultabant eum* (ideſt, non fatebantur eſſe fratrem ſuum, ſed aſſerebant eſſe ſervum ſuum) *ad lucrandam pecuniam.* Refert hìc Gelal. Cùm fratres Joſeph in ciſternam illum fune demitterent, ubi ad medium deveniſſet, laxato fune, ſiviſſe eum præcipitem ruere. Cùmque in aquam cecidiſſet Joſeph, arripuiſſe manibus ſaxum, quo ſe ſuper aquas ſuſtineret, ne illis mergeretur. Addit Zamchaſcerius, Joſeph habuiſſe ſecum in quodam Amuleto, quod ad collum alligatum gerebat, tunicam factam ex ſerico Paradiſi, qua Gabriel induerat Abraham, cùm nudus projectus eſt in fornacem, ne à flammis læderetur: & nunc etiam Gabrielem extraxiſſe eam ex Amuleto, eaque Joſephum induiſſe, ut ab aquis immunis ſervaretur.

Ex Pentateucho certum habemus, fratres Joſeph, cùm vidiſſent Madianitas tranſire, extraxiſſe illum è ciſterna, in qua nulla erat aqua, & iiſdem Mercatoribus vendidiſſe. Quamobrem totum, quod hìc narratur, fabula eſt, & mendacium. Quomodo verò poterant fratres Joſeph vendere Madianitis illum, quem Madianitæ ipſi invenerant? Neque auſi fuiſſent dicere, ſe illum in ciſternam projeciſſe, fatendo fratrem ſuum eſſe; nam parricidii ſeſe condemnaſſent. Quòd ſi ſervum ſuum illum fuiſſe aſſeruiſſent: eo ipſo, quòd in ciſternam projecerant, inutilem, vel etiam ſceleſtum eſſe confeſſi fuiſſent.

Verſ. 24. Loquens de eo, quod accidit Joſepho cum Domina ſua, uxore Putipharis, hæc habet:

وراودته التي هو في بيتها عن نفسه وغلّقت الابواب وقالت هيت لك قال معاذ الله... ولقد همّت به وهمّ بها لولا ان راه برهان ربّه: كذلك لنصرف عنه السوء والفحشاء انّه من عبادنا المخلصين:

Et expetivit eum illa, cujus ipſe erat in domo, in perſona ipſius (ideſt ad actum venereum) *& clauſit portas, & dixit: Ades hùc. Reſpondit Joſeph: Deus libe-*

liberet me ab hoc flagitio. Et jam quidem illa destinaverat peccare cum eo: & hic etiam destinabat peccare cum ea, (& feciſſet,) niſi vidiſſet manifeſtum ſignum Domini ſui. Ita egimus cum eo, ut averteremus ab eo malum, & flagitium; quippe ipſe erat ex ſervis noſtris ſinceris. Hoc ſignum, quo Deus deterruit Joſeph à flagitio, quod deſtinaverat perpetrare; fuit juxta Gelalem, alioſque Expoſitores, quia

مثل له يعقوب فضرط فى صدره فخرجت شهوته من

: *apparuit ei ſpecies patris ſui Jacob,*

qui percuſſit pectus ejus, & egreſſa eſt concupiſcentia ejus (ſeu ſperma) *ex extremis digitorum ejus.* Addit Zamchaſcerius, *Joſeph ſolviſſe zonam ſuam, & feciſſe ex ea pulvillum, quod inſerviret ad commodiorem congreſſum cum ea: & præterea ſolviſſe aſtringmentum femoralium ſuorum: & ſediſſe unà cum ea, inniteníe ipſa ſuper collum ejus. Cùmque audiſſet vocem dicentem ſibi: Cave tibi ab ea, ſemel, & bis; non curaſſe eam: imò nec tertiò commonentem attendiſſe: donec apparuit ipſi forma patris ſui Jacob mordentis dentibus extremitatem digiti ſui: & percuſſit manu pectus illius, atque ita libidinoſus humor erupit ab extremis digitorum ejus:*

Verùm hoc totum eſt manifeſtum mendacium, & graviſſima injuria contra Juvenem caſtiſſimum, quem certum eſt nullo modo in adulterium cum Domina neque re, neque animo conſenſiſſe, imò ab eo ſemper refugiſſe. Sed excuſandi ſunt Mahumetus & Mahumetani in his obſceniſſimis figmentis; nam bona fide hauſerunt ea à Judæis, in Thalmude Babilonico, Ordine 3. נשים pag. 36. ad ea verba Geneſis cap. 39. *Accidit autem die, &c.* Vide Bibliothecam Rabbinicam Bartholocii Par. 3. pag. 519.

Verſ. 26. Pergit fabulari de Joſeph, & Domina ejus, quam زليخا *Zalicham* dictam fuiſſe communiter affirmant: ولسبقتا الباب وقدت قميصه من دبر

ولقيا سيدها لدى الباب: وشهد شاهد من اهلها ان

كان قميصه قد من قبل فصدقت وهو من الكاذبين

وان كان قميصه قد من دبر فكذبت وهو من الصادقين:

فلما راي قميصه قد من دبر قال انه من كيدكن انه

كيدكن عظيم. *Conatique ſunt ſe invicem præcurrere ad januam. Et illa* (currens poſt eum) *arripuit, & ſcidit interulam ejus à tergo, & obvium habuerunt dominum,* (maritum) *ejus juxta portam.* Cùm verò alter in alterum crimen rejiceret: *teſtificatus eſt quidam de familia ejuſdem* (Zalichæ), *dicens: Si interula ejus ſciſſa eſt à parte anteriori: hæc vera dicit, & hic eſt mendax. Si autem interula ejus ſciſſa eſt à parte poſteriori: hæc mentita eſt: & hic eſt veridicus. Cùm autem vidiſſet maritus, quòd interula ejus ſciſſa eſſet à parte poſteriori, dixit: Certè hæc eſt ex technis veſtris* (fœminis) *certè technæ veſtræ magnæ ſunt.* Pergit deinde Alcoranus referre, quo pacto Putiphar, Joſephi innocentia cognita, uxorem ſeriùs redarguerit: interim verò per Civitatem Zalichæ factum inter fœminas

divulgatum fuerit. Cùm autem illa ægrè ferret de ſe jocum ab illis captari; invitavit præcipuas earum ad convivium, & dedit unicuique earum in menſa cultrum (Interpretes addunt, citrum, ſeu malum medicum, quod cultro ſcinderent.) Cùm autem omnes jam diſcubuiſſent, introduxit Zalicha Joſephum, cujus pulchritudine adeò captæ ſunt, ut dum in illius vultum totæ intenderent, pro citris ſcinderent cultris manus ſuas, neque tamen animadverterent. Tunc Zalicha dixit eis: Hic eſt ille, propter quem culpatis me. Ne miremini igitur, ſi ego diuturna conſuetudine, in amore ejus exarſi; dum vos ſemel tantùm illum intuendo; ita inſanitis. Cùm verò non poſſet Zalicha obtinere à Joſeph intentum ſuum, utque etiam probrum ſuum tegeret, obtinuit à Marito, ut carceri per aliquod tempus manciparetur. Joſeph autem elegit potius carcerem, quàm Dominæ voluntati aſſentiri. Hactenùs fabula Alcorani.

Omitto parerga non minùs fabuloſa Interpretum, uno tantùm Gelalis contentus, nempè illum, qui admonuit Putipharem, ut ſciſſuram interulæ obſervaret, fuiſſe filium patrui Zalichæ, & adhuc infantem in cunabulis. Cæterùm contra veritatem Sacræ Hiſtoriæ eſt, quòd veſtis illa, quam apprehendit uxor Putipharis, fuerit interula, ſeu veſtis interior, eamque ſciderit à parte poſteriori: fuit enim pallium, quod fugiente Joſeph, integrum in manu fœminæ remanſit. Falſum etiam eſt, Zalicham, dum Joſeph inſequeretur, ad januam obvium habuiſſe maritum; tunc enim maritus aberat. Quamobrem primùm cum domeſticis de Joſeph conqueſta eſt: deinde marito domum regreſſo, rem, ut ipſa confinxerat, narravit, & pallium, quod retinuerat, oſtendit. Poſtremò magnum mendacium eſt, Putipharem ob ſciſſuram interulæ à parte poſteriori, ſtatim innocentiam Joſeph agnoviſſe, nec aliquid pœnæ in eum ſtatuiſſe. Oppoſitum aſſerit Moyſes: nempè Putipharem, uxoris verbis ſtatim fidem adhibuiſſe, & Joſephum in carcerem detruſiſſe.

Verſ. 37. Habetur, cùm Joſeph in carcerem conjectus eſt: ودخل معه السجن فتيان . *Et ingreſſi ſunt cum eo in carcerem duo juvenes:* illi ſcilicet, quibus ſomnia divinavit. At hi multò poſt Joſeph in carcerem detruſi ſunt, ut patet ex Sacra Geneſis hiſtoria.

Verſ. 42. Dicitur de Joſeph: فلبث فى السجن

بضع سنين: *& moratus eſt in carcere plures annos.* Et verſ. 4. De illo, cui Joſeph ſomnium interpretatus fuerat, ſeque illi commendaverat, dicitur

وذكر بعد امة: *Et recordatus eſt Joſeph poſt multum tempus.* Porrò بضع ſignificat, ut minimum, tres: & extenditur uſque ad novem. Sentiunt autem communiter Expoſitores, hoc loco accipiendum eſſe pro ſeptem. Ita Zamchaſcerius: والبضع

ما بين الثلث الى التسع واكثر الاقاويل على انه

سبع فيه سبع سنين: Hæc dictio بضع *ample-*

ditur numerum à tribus ad novem: ſed plerique vo-

lunt illum manſiſſe in carcere ſeptem annos. Vox autem لُمَّة ſignificat abſolutè multitudinem, & exponitur per جماعة *congregationem*: quamobrem ſaltem ſeptem annos complecti videtur. Quicquid ſit, habemus ex Moyſe, Joſeph duos, vel ad ſummum tres annos in carcere moratum fuiſſe; quamobrem fallitur Alcoranus, ſi ſtandum ſit illius Expoſitoribus.

Verſ. 45. Cùm Pharao exquireret, qui ſibi ſomnia ſua interpretaretur, dixit ille, qui liberatus fuerat, nempè pincerna Regis: لنا لعلّي أرجع إليكم بتأويله فأرسلوني

يوسف أيها الصديق أفتنا في سبع بقرات

Ego exponam vobis interpretationem eorum, ſed dimittite me. (Dimiſſus autem venit ad Joſeph, & dixit ei): *O Joſeph Veridice, dic nobis quid ſignificent ſeptem vaccæ, &c.* Joſeph autem, cùm adhuc eſſet in carcere, interpretatus eſt illi utrumque ſomnium Regis. Hoc manifeſtè repugnat Sacræ Hiſtoriæ, quæ docet, Joſeph non nuncio Regis in carcere, ſed Regi ipſi extra carcerem ſomnia ipſius interpretatum eſſe. Fingit deinde Alcoranus, Regem miſiſſe nuncium, qui ad ſe Joſeph adduceret. At nuncius cùm veniſſet ad Joſeph, dixit ei: ارجع إلى ربّك فاسئله ما بال النسوة اللاتي قطّعن أيديهن إن ربي بكيدهن عليم: قال ما خطبكن إذ راودتن يوسف عن نفسه

Revertere ad Dominum tuum (Putipharem) *& reſciſce ab eo, quanam fuerit mens fœminarum, quæ cultris ſe derunt manus ſuas: nam Dominus meus* (Pharao) *jam inſtructus eſt de techna illarum*: (Pharao autem advocatis ad ſe fœminis illis) *dixit: Quidnam cogitaſtis, cùm concupiſtis frui concubitu Joſeph?* Pergit deinde referre, quomodo illæ ſeſe ab hac culpa coram Rege purgavere; ſed Zalicha ingenuè confeſſa eſt peccatum ſuum, & innocentiam Joſeph; qui, hoc audito ab aliis, valdè lætatus eſt, quòd manifeſta facta fuiſſet fides ſua erga herum ſuum Putipharem, ſed addidit: وما أبرئ نفسي إن النفس لأمّارة بالسوء إلا ما رحم ربّي

Non tamen facio me ipſum innocentem: nam homo ſanè proclivis eſt ad malum, niſi Dominus meus miſertus fuerit illius. Per quod confirmatur impia Thalmudiſtarum ſententia de peccato Joſeph.

Nemo hic non videt, quàm enormiter Alcoranus ſaltet extra chorum. Pharao jubet accerſiri Joſeph ad explicanda ſomnia ſua; & Nuncius monet illum, ut exploret à Putiphare mentem fœminarum, quæ in ipſum ſæviebant. Interim verò Joſeph advocatus à Rege, non comparet; ſed pro eo prodeunt in ſcenam Zalicha cum fœminis coram Rege de propria honeſtate diſceptantes. Tolerabiliora eſſent Alcorani figmenta, ſi aliquam inter ſe connexionem haberent: Zamchaſcerius, ut pro viribus Alcorani ineptias excuſet, contendit, nuncium miſſum ad Joſeph accerſendum, ſerebis illis: *Redi ad Dominum tuum, & reſciſce ab eo mentem fœminarum*; pro *Domino tuo*, ſignificaſſe Regem. Sed quomodo redire Joſeph ad Regem, ad quem nunquam venerat, & quem fortaſſè nunquam viderat? & cùm Rex accerſeret illum pro explicatione ſomniorum, qua dementia Nuncius propoſuiſſet ei tractandum coram illo negotium fœminarum, nulla interim de ſomniis facta mentione? Decidit Zamchaſcerius è ſartagine in ignem.

Verſ. 55. Joſeph coram Pharaone dixit اجعلني على خزائن الأرض إني حفيظ عليم. *Conſtitue me ſuper horrea: nam ego ero cuſtos, ſciens*: ideſt aptus & idoneus ero ad ea cuſtodienda. Non ſatis fuit Mahumeto caſtitati Joſeph turpem notam inurere, niſi modeſtiæ etiam illius inureret. Ubi is ſomnia Regi explicavit, dixit ei, ut habetur Geneſ. cap. 41. *Nunc ergo provideat Rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum Terræ Ægypti*. Non dixit; conſtituat me, virum ſapientem, & induſtrium, ut mentitur Alcoranus. Quamobrem Pharao modeſtiam Joſeph admiratus, dixit Satrapis ſuis: *Num invenire potcrimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit?* Et ſponte eum elegit in miniſtrum ſuum primarium.

Verſ. 60. Cùm prima vice Joſeph dimiſit fratres ſuos, præcepit eis, ut adducerent ad ſe Benjamin, & addidit: فإن لم تأتوني به فلا كيل لكم عندي ولا تقربون: *Quòd ſi non adduxeritis eum, non dabitur vobis à me frumentum, neque appropinquabitis mihi*. Supponit hìc Alcoranus, omnes fratres Joſeph prima vice rediiſſe in Chanaan, cùm ne verbum quidem habeat de Simeone pro obſide in vinculis retento; hoc autem eſt contra veritatem, & contra fidem hiſtoriæ.

Verſ. 67. Quando Jacob miſit ſecunda vice filios in Ægyptum, dixit eis: يا بني لا تدخلوا من باب واحد وادخلوا من أبواب متفرقة: *O filii mei, ne ingrediamini* (in Urbem regiam) *per eandem portam: ſed ingredimini per portas diverſas*: ne ſcilicet, ſi omnes per eandem portam ingrederentur, ſuſpicionem aliquam mali civibus præberent. At nihil de hoc Moyſes: & figmentum prorſus exiſtimandum eſt.

Verſ. 69. Loquens de reditu fratrum Joſeph in Ægyptum cum Benjamin: hæc habet: ولما دخلوا على يوسف آوى إليه أخاه قال إني أنا أخوك فلا تبتئس بما كانوا يعملون: *Cùm autem ingreſſi fuiſſent ad Joſeph, ille excepit ad ſe ſecretò fratrem ſuum* (Benjamin) *& dixit ei: Certè ego ſum frater tuus: & ne affligaris ob id, quod hi fecerunt* (contra me).

Conſtat evidenter ex Sacro textu, Joſeph nunquam ſe manifeſtaſſe, niſi omnibus ſimul fratribus: quamobrem hoc, quod refertur de peculiari manifeſtatione facta Benjamin, falſum omninò cenſendum eſt. Quemadmodum etiam illud, quod additur, verſ. 76. فبدأ بأوعيتهم قبل وعاء أخيه ثم استخرجها من وعاء أخيه: *Capitque Joſeph ſcrutari ſaccos eo-*

rum antequam scrutaretur saccum fratris sui: deinde extraxit scyphum è sacco fratris sui. Constat enim ex Sacra Historia, Genes. cap. 44. non Joseph in Regia, sed dispensatorem ejus in via extra Urbem ante reditum eorum ad Joseph, scrutatum fuisse saccos singulorum, & invenisse scyphum in sacco Benjamin; & deinde reversos fuisse ad Joseph.

Vers. 81. Post inventum scyphum in sacco Benjamin, dixit Joseph fratribus suis:

ارجعوا الي ابيكـــم فقولوا يا ابانا ان ابنك سرق وما شهدنا الا بما علمنا

وما كنّا للغيب حافظيـــن: *Redite ad patrem vestrum, & dicite ei: O pater noster, filius tuus* (Benjamin) *furtum perpetravit: neque testamur nisi quod scimus: Et non fuimus arcanum servantes:* idest, non potuimus observare id, quod promiseramus de eo tibi reducendo, quia ignorabamus, ipsum esse furaturum. Cùm autem ad patrem rediissent, eique hæc retulissent,

قال بل سوّلت لكم انفسكم امرًا فصبـــر جميـــل: *Dixit illis: Quin potiùs hanc rem vos ipsi confinxistis. Sed* (convenit mihi) *patientia speciosa.*

Reditus hic ad patrem in Chanaan est prorsus fictitius, & repugnat Sacræ Geneseos historiæ, cap. 44. ubi expressè Judas dixit Josepho volenti remittere eos sine Benjamin ad patrem: *Non enim possum vedire ad patrem meum absente puero.* Et patet ex contextu impossibile esse eos rediisse.

Vers. 93. Remittens Joseph ultima vice fratres ad patrem suum, dixit eis:

اذهبوا بقميصي هذا فالقوه على وجه ابي يات بصيرًا وأتوني باهلكم اجمعيـــن:

Pergite cum hac mea interula, & conjicite eam super faciem patris mei, & evadet videns: & venite ad me cum universis familiis vestris. Deinde refertur, quomodo in ipso filiorum discessu ex Ægypto, dixerit Jacob, se sentire odorem Joseph: quod dum domestici tribuunt delirio, interim supervenit Judas cum fausto nuncio; & cùm interulam super vultum ejus conjecisset, ille visum recuperavit. Tunc autem dixit illis Jacob:

الم اقل لكم انّي اعلم من اللـه ما لا تعلمـــون: *Nonne dixi vobis, quòd ego sciebam ex revelatione Dei quod vos nesciebatis?* Volunt porrò Expositores interulam illam fuisse eandem, de qua suprà dictum est. Additque Gelal.

فيه ريح الجنّة ولا يلقـى علـى ممتلى الاّ عوفى: *Erat in ea odor Paradisi, neque ponebatur super ullum, qui morbo laboraret, quin sanaretur.*

Hoc totum inter fabulas rejiciendum: imò inter mendacia computandum. Tantum enim abest, ut Jacob ex odore interulæ Joseph, ab euo (ut fingunt,) delato, vel ex revelatione divina (ut ipse dixit), crediderit, aut speraverit adventum Joseph, ut nunciantibus illum filiis, *quasi de gravi somno evigilans, tamen non crederet eis*, ut habetur Genes. cap. 45.

Ad Refut. Alcor. Pars IV.

Quòd verò Jacob tunc cæcus fuerit, hactenus inauditum. Post plures deinde, nempè decem ac septem annos, dicitur, Genes. cap. 48. *Oculi Israel caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat.* Neque tamen erat cæcus.

Vers. 100. Dicitur de Joseph jam in Ægypto regnante:

ورفع ابويه على العرش: *Et exaltavit parentes suos super Thronum.* Pater tantùm Josephi superstes erat, nam mater obierat: nisi fortè Bala noverca, aut Lia, pro vera matre hìc accipiatur. Cæterùm nullo modo dici potest, Joseph exaltasse parentes suos super Thronum, cùm patrem & fratres pastores ovium in Terra Gessen collocaverit: nec ullum munus honorificum in Regno, vel apud Regem illos habere voluerit. In omnibus ferè Suris Mahumetus se mendacem; sed in hac mendacissimum ostendit.

Ex Sura 14. ابراهيم *Abraham.*

Refricantur in ea, quæ suprà commenta sunt de Moyse, Noe, Aad, Themud, Abraham; & de disceptationibus inter legatos, & populos eorum. Nugæ omnia ac fabulæ.

Ex Sura 15. الحجر *Hegra.*

Iterùm introducuntur Angeli cum Adam; hi illum adorant: Diabolus adorare recusat: quamobrem ejicitur è Paradiso, &c.

Vers. 27. Fingitur Deus dicere:

ولقد خلقنـــا الانسان من صلصال من حمإ مسنون والجآن خلقناه

من قبل من نار السمـــوم. *Et jam quidem creavimus hominem ex argilla siccata: ex luto nigro conformato. Et Dæmones creavimus antè ex igne samum* (idest, carente fumo, & penetrante). Ex eodem igne mox docet creatos fuisse Angelos. Homo creatus fuit ex pulvere terræ rariori & subtiliori, hoc enim significat dictio hebraica עָפָר, & quidem terræ rubræ, ut fert communis sententia: hinc enim dictus fuit אָדָם quasi *ruber*. Angelos verò non ex igne productos, sed ex nihilo creatos à Deo fuisse, Christiana, & vera docet Theologia.

Vers. 43. Legimus:

وان جهنّم لموعدهم اجمعيـــن

لها سبعة ابواب لكل باب منهـــم جزء مقسوم:

Et quidem Gehenna promissa est illis omnibus (idest peccatoribus): *Hæc habet septem portas: unicuique portæ assignabitur* (ad ingressum) *pars eorum separata.* Hæ septem portæ nullum habent fundamentum. Cùm verò in Sacris literis portæ tribuuntur Inferis, seu Gehennæ; censenda est metaphorica locutio; quemadmodum etiam cùm Cœlum portas, vel claves dicitur habere.

Vers. 51. Redit in scenam Abraham cum Angelis hospitibus; Lot cum Sodomæis: Hegrenses seu Thæmudæi cum camela Saleh. Habitatores Leicæ, seu Scioaïb, & Madianitæ: fabulæ centies recantatæ.

Digitized by Google

Ex Sura 16. النحل *Apes*.

Vers. 124. Ita legimus: انّما جُعِلَ السبت على الذين اختلفوا فيه وان ربك ليحكم بينهم يوم القيمة فيما كانوا فيه يختلفون:

Certè præcepta est observatio Sabbati illis, qui discordes fuerunt circa illud. Sed sanè Dominus tuus judicabit inter eos die Resurrectionis de eo, in quo fuerunt discordes. Verba Alcorani dilucidat Glossa Gelalis: اختلفوا فيه على نبيهم وهم اليهود امروا ان يتفرغوا للعبادة يوم الجمعة فقالوا لا نريد ولكنا نختار السبت فعدد عليهم فيه:

Discordes fuerunt Judæi in illo contra Prophetam suum (Moysen): *nam præceptum fuerat illis, ut vacarent operibus religionis in die Veneris* (seu feria sexta). *At illi dixerunt: Nolumus hanc diem: & elegerunt Sabbatum. Quamobrem obstricti sunt ad illud observandum.*

Splendidò mendacio voluit Mahumetus Moslemis suis blandiri, affingendo Moysi præceptum celebrandi diem Veneris. At Moyses nunquam Judæis tale præceptum proposuit. Imò in Sabbati feriatione ab ipso Pentateuchi initio semper constantissimus fuit.

Ex Sura 17. الاسرى *Iter nocturnum*.

Vers. 1. Prima hujus Suræ verba, nempè: سبحان الذي اسرى بعبده ليلاً من المسجد الحرام الى المسجد الاقصى: *Laus illi, qui transtulit servum suum* (Mahumetum) *noctu à Templo Meccano ad Templum remotissimum*: nempè Jerosolymitanum: hæc inquam verba continent fabularum omnium ac figmentorum portentum; nempè raptum nocturnum Mahumeti per Gabrielem in Paradisum: de quo quia alibi satis diximus, hic nihil loquemur. Vide in 2. parte Prodromi.

Vers. 4. Ita loquitur Deus Mahumeto: وقضينا الى بني اسرائيل في الكتاب لتفسدون في الارض مرتين ولتعلن علوا كبيرا:

Et prædiximus filiis Israel in Libro (Pentateuchi): *Certè pravè agetis in Terra* (Chanaan) *duabus vicibus, & exorbitabitis excessu magno.* Jam suprà dixi, Expositores explicare hæc verba de excessu à Judæis perpetrato, primò in cæde Zachariæ patris S. Joannis Baptistæ; & deinde ejusdem S. Joannis: propter quæ duo peccata puniti sunt à Deo, primò per Goliam, & deinde per Nabuchodonosor. Sed quicquid sit de his deliriis: dico, falsum prorsùs esse, quòd Deus aliquandò prædixerit ea verba Israelitis in Pentateucho, quamvis non semel iisdem prædixerit, ipsos non bis, sed sæpiùs in peccata magna, & scelera prolapsuros.

Vers. 13. Idem sic loquitur: وكل انسان الزمناه طائره في عنقه ونخرج له يوم القيمة كتابا يلقيه منشورا: *Et unicuique homini appendimus avem suam in collo ejus: & producemus ei librum in die resurrectionis, & inveniet eum apertum & explicatum.* Pro *ave*, intelligunt sapientiores Interpretes, auspicium, vel fatum, quemadmodum etiam Latini dicunt *bonam*, vel *malam avem*; pro fausto, vel infausto augurio. Hinc dixit Mogiahed: ما من مولود يولد الاّ وفي عنقه ورقة مكتوب فيها شقي او سعيد: *Nullus est, qui nascatur, quin in collo ejus appendatur chartula, in qua scriptum est: Infelix: vel Felix.* Sapit hoc ethnicam superstitionem: & si prout sonant verba, juxta Sonnitarum regulam, intelligatur; est manifestum delirium; quemadmodùm etiam liber ille in die resurrectionis proferendus, qui pro libro materiali proculdubio à Mahumetanis accipitur, ut constat ex professione fidei ipsorum.

Vers. 60. Iterùm obtrudit Themudæos & Saleh cum camela à rupe prognata.

Vers. 61. Hæc pronuntiat Deus ille fictitius: وما جعلنا الرويا التي اريناك الاّ فتنة للناس والشجرة الملعونة في القرآن: *Et non posuimus visionem, quam videre te fecimus, nisi ad tentationem hominibus* (idest, ut de ea diversimodè loquerentur, & inter se disceptarent): *& Arborem maledictam in Alcorano.* Hæc visio fuit iter illud nocturnum Mahumeti, quo translatus est in Paradisum. *Arbor autem maledicta*, est quædam arbor, quæ nascitur ex imo Tarturi, & vocatur الزقوم *Zacum*: Gelal. وهي الزقوم فتنت في اصل الجحيم حملناها فتنة لهم ان قالوا النار تحرق الشجر فكيف تنبت: *Hæc vocatur Zacum, & nascitur ex imo Tartari: & posuimus eam in disceptationem hominibus; dicunt enim: Ignis comburit arbores, quomodò ergo possunt arbores ab eo progigni?* De hac arbore alibi dicitur in Alcorano, producere fructus كرؤس الشياطين *sicut capita Diabolorum*. Si Diaboli habent capita: etiam hæc arbor fortasse habebit fructus. O crassum Mahumeti non tàm caput, quàm cerebrum!

Vers. 62. Refert in scenam fabulam de adoratione exhibita Adæ ab Angelis, negata à Diabolo; & cæteras nugas suprà expositas.

Vers. 101. Iterùm prodit Moyses cum Pharaone: & signatim dicitur: ولقد اتينا موسى تسع ايات بينات: *Et jam quidem dedimus Moysi* (potestatem patrandi) *novem signa evidentia.* Hoc fœnùs repetitur in Alcorano, & ponitur ab omnibus Chronologis Moslemis. At Moyses plusquam novem signa in Ægypto patravit; & quidem omnia evidentia: quamobrem falluntur Mahumetus & Moslemi, dum novem tantùm semper constanter enumerant: per

per hoc enim ostendunt, illum nulla alia signa fecisse.

Ex Sura 18. الكهف *Spelunca*.

Refert primò in hac Sura historiam Sanctorum Septem Dormientium, qui Ephesi per ducentos circiter annos, quamvis alibi scribant supra trecentos, in spelunca quadam dormierunt; de quibus tàm Græci, quàm Latini celebrem mentionem faciunt. Quamobrem nonnisi temerè & impiè hæc Hæreticorum Hottingerus eam fabulam appellat. Cardinalis quidem Baronius in Notis ad Martyrologium Romanum, die 27. Julii, in dubium revocat, utrum dicti sint *Dormientes*, quia per tot annos verè dormierint: an verò quia, ut de sancto Stephano, & aliis pro Christo passis dicitur, *intra* speluncam propter Christianam fidem inclusi, mortui sint, & obdormierint in Domino. Sed quidquid sit, verè Sancti semper ab Ecclesia universali habiti sunt, & ut tales, Sanctorum honoribus culti. Mahumetus in ea enarranda non multùm à nostris Scriptoribus recedit: nonnullas tamen quisquilias è suo interferit.

Vers. 16. Ita dicitur Mahumeto: وترى الشمس اذا طلعت تزاور عن كهفهم ذات اليمين واذا غربت تقرضهم ذات الشمال وهم في فجوة منه :

Et videres Solem, postquam ortus fuerat, declinare à spelunca eorum versus meridiem: cùm autem vergeret ad occasum, relinquere eos, & declinare versus aquilonem. Itaut Sol nunquam tangeret eos, ne tectè turbaret somnum eorum. Videtur figmentum.

Vers. 17. وتحسبهم ايقاظا وهم رقود ونقلبهم ذات اليمين وذات الشمال وكلبهم باسط ذراعيه بالوصيد لو اطلعت عليهم لوليت منهم فرارا ولملئت منهم رعبا :

Et existimasses eos vigilare (tenebant enim oculos apertos), *& tamen dormiebant. Et versabamus eos ad dexteram & ad sinistram* (ne semper in eodem situ positi marcescerent): *& canis eorum extensis brachiis stabat* (dormiens) *in ore speluncæ. Si apparuisses eis ex improviso, certè terga vertisses fugiendo ab eis, ob magnum timorem.* Et hoc figmentum sapit.

Vers. 23. سيقولون ثلثة رابعهم كلبهم ويقولون خمسة سادسهم كلبهم رجما بالغيب ويقولون سبعة وثامنهم كلبهم قل ربي اعلم بعدتهم ما يعلمهم الا قليل: *Dicunt* (quidam, hos Dormientes fuisse) *tres: & quatuor cum cane ipsorum*; (alii) *dicunt, quinque; & sex cum cane ipsorum, opinantes de re arcana.* (Alii) *dicunt; septem, & octo cum cane ipsorum. Dic* (tu ò Mahumete): *Dominus meus optimè novit numerum eorum; & non noverunt eum nisi pauci.* Ridiculum se ostendit Mahumetus, qui tantæ molis putet esse horum Dormientium numerum nosse, itaut nonnisi Deus, & aliqui pauci illum sciant. Ipse certè ostendit, se nescire, dum non exprimit illum: cùm tamen alii, quamvis pauci sciant. Vah Propheta! Mirum verò, quòd numerum annorum, quibus *in* Spelunca morati sunt, divinaverit, vel divinasse se putaverit, vers. 26. scribens: ولبثوا في كهفهم ثلثمائة سنين وازدادوا تسعا : *Et commorati sunt in spelunca trecentos annos; & additi sunt his anni novem*, nimirùm postquam à sopore suo excitati sunt. Sed à Deeio, sub quo hi cœperunt dormire, usque ad Theodosium juniorem, sub quo experrecti sunt; ducenti tantùm anni fluxere. Verùm excusandus est Mahumetus, cùm Metaphrastes tribuat eorum sopori trecentos septuaginta ac duos annos.

Vers. 32. Describit felicitatem Paradisi, & incolarum ejus: اولئك لهم جنات عدن تجري من تحتهم الانهار يحلون فيها من اساور من ذهب ويلبسون ثيابا خضرا من سندس واستبرق متكئين فيها على الارائك نعم الثواب وحسنت مرتفقا.

Illis concedentur horti Eden (ideò deliciarum): *current subter ipsos flumina: ornabuntur ibi armillis aureis, & induentur vestibus viridibus ex serico pretioso, auro intertextis, & amictu splendenti. Accumbent ibi super lectos spousales. O felix præmium, & pulchrum reclinatorium!* Hæc verò omnia tenentur Moslemi materialiter, & juxta sonum verborum accipere.

Vers. 51. Redit Adam cum Angelis ipsum adorantibus, & Diabolo adorare renuente.

Vers. 62. Exorditur fabulam, quam ipsis Alcorani verbis fideliter translatis, & Expositorum glossis, ubi opus fuerit, interpositis, hìc latinè tantùm referam. Ita igitur Gabriel, seu Deus nescio quis fictitius Mahumetum alloquitur: *Memento, cùm dixit Moyses puero suo* (Josuæ filio Nun): *Non cessabo ire agere, donec perveniam ad conjunctionem duorum marium* (Jonii, & Perfici): *aut incedam per longum iter* (spatii octoginta annorum). *Cùm autem ambo pervenissent ad horum marium conjunctionem, obliti sunt accipere piscem quendam, quem secum ferebant pro viatico. At piscis ibi relictus aufugit in mare per subterraneam viam. Ubi verò, longiùs inde recedentes, pervenerunt ad quendam locum; Moyses fatigatus piscem à Josue, ut prandere posset, postulavit. Ille verò ingenuè fassus est, se oblitum fuisse illius ex æstu dæmonis. Et ecce vidit uterque piscem illum, cum magno stupore per aquas maris incedentem. Reversi igitur ambo per eandem viam, invenerunt virum quendam servum Dei, pietate ac do-*

ctrina insignem: (erat hic الخضر *Alchedrus*, nempè Phinees nepos Aaron, cujus anima postèa transivit in Eliam, & demùm in S. Georgium). *Moyses igitur obtulit se illi socium ac discipulum. At ille dixit ei: Si vis me sequi, mecumque morari, de nulla re, quam fecero, me interroges, donec ego reddam tibi rationem de ea: alioqui statim dimittam te. Promisit Moyses, se in hoc ipsi obsequentem fore: cùmque mox ambo in navem ascendissent: ille eam con-*

Digitized by Google

confregit. At Moyses, Cur, inquit, navem confregisti, cum periculo submersionis eorum, qui erant in ea? Tunc Alchedrus: Nonne, inquit, dixi tibi, quòd tu non poteris mecum perdurare? Excusavit se Moyses, ac veniam petiit, promittens, se non ultrà eum de illa re, quam fecisset, interrogaturum. Processerunt igitur, & cum juvenem quemdam obvium habuissent, Alchedrus occidit eum. Tunc dixit ei Moyses: Cur hunc, qui reus non erat, occidisti? rem nefariam perpetrasti. At Alchedrus: Jam dixi, inquit, tibi, quòd tu non poteras mecum perdurare. Moyses verò rursum se excusans, ac veniam petens; pollicitus est, se in posterum fore magis cautum, neque ulla de re ipsum interrogaturum. Procedentes igitur pervenerunt ad Urbem quamdam (Antiochiam); *cumque cibum ab ejus civibus petiissent, illi negaverunt eis. Erat autem ibi paries* (altitudinis centum cubitorum) *qui minabatur ruinam. Alchedrus manu sua erexit, & stabilivit eum. Sed Moyses, Cur, inquit, parietem hunc jam dirutum, iterùm non ædificasti? magnam enim mercedem ex opere tuo acquisivisses. Tunc Alchedrus: Hic, inquit, omninò à te separabor. Sed priùs reddam tibi rationem de iis, de quibus me interrogasti.*

Reddit deinde rationem, primò cur navem confregisset: ne scilicet in manus piratarum venientium à tergo, cum iis, qui in ea erant, deveniret. Deinde, cur juvenem occidisset; quia scilicet, cùm esset infidelis, periculum erat, ne parentes suos, qui fideles erant, ad infidelitatem pertraheret. Tertiò, cur parietem illum minantem ruinam, manu erexisset, ac stabilivisset; quia nimirùm sub eo erat thesaurus, qui spectabat ad duos orphanos adhuc pueros, qui jam adulti inventuri erant eum.

Non magno ingenio, nec multa arte opus est ad convincendum, hoc merum esse figmentum. Certè cùm, juxta Zamchaserium, & alios, hoc contigerit, dum Moyses erat in Deserto (neque verò alio tempore contingere potuit), ridiculum est putare, illum cum solo Josue adhuc adolescente, tamdiù à suis Israelitis abfuisse; & præterea discipulum se, atque assecłam tradidisse Alchedro, seu Phinees, qui vel nondum natus erat; vel adhuc erat puer, & vivebat cum cæteris Israelitis in Deserto.

Vers. 85. Ineipit aliam fabulam de ذو القرنين *Dhulcarnain*, idest *Bicorni*, quem Expositores communiter volunt esse Alexandrum Magnum, fortasse ex eo, quod à Daniele cap. 8. prædicatur sub nomine *hirci caprarum*. Ita igitur Mahumetus Deum secum loquentem inducit (refero fideliter latinè verba Alcorani Arabica). *Et interrogabunt te* (Judæi) *de Bicorni. Responde eis: Referam vobis historiam ejus. Nos quidem firmavimus ei locum in terra, & concessimus ei viam liberam ad omnia. Ingressus est ergo viam, donec pervenit ad locum occasus Solis: invenitque eum occidere in fonte luti nigri: & reperit prope eumdem fontem populum quemdam infidelem. Diximus ei: O Bicornis: vel infer bellum huic populo; vel utere erga eum benignitate: ita tamen, ut captivum ducas. Respondit Bicornis: Ego puniam eos, qui fuerint infideles*, (neque credere voluerint). *Deinde reducentur ad Dominum suum in die Judicii; & ipse puniet eos pœna vehementissima. Qui verò crediderint, & rectè operati fuerint; habebunt pro retributione pulcherrimam mercedem* (In Paradiso); *& dabimus eis præcepta facilia.*

Deinde prosequutus est iter suum, donec pervenit ad locum ortus Solis: invenitque eum oriri supra quosdam populos, quibus non dedimus tegumentum, quo defenderent se à calore ejus (idest nudi incedunt). *Ita se res habuit: & jam novperamus ea, quæ ipse habebat* (nempè exercitus, & potentiam ejus). *Deinde prosequutus est iter, donec pervenit inter duos Montes, infra quos invenit populos quosdam, qui vix poterant intelligere sermonem. Ili dixerunt ei: O Bicornis: certè Jagug, & Magug devastant terram nostram. Visne ergo, ut persolvamus tibi tributum cum pacto, ut ædifices inter nos & inter illos murum,* (ne transire possint ad nos)? *Respondit ille: Imperium, quo stabilivit me Dominus meus, melius est tributo vestro. Adjuvate tantummodo me opera vestra, ut ponam inter vos, & inter illos munimentum validum. Afferte mihi frusta ferri, ut coaquem duo latera* (horum Montium). *Deinde dixit: Insufflate, donec ferrum evadat ignitum, & molle. Tum dixit: Afferte mihi æs liquefactum, ut effundam super ferrum illud; itaut non possint Jagug, & Magug* (ascendere) *super illum murum, neque illum perfodere. Dixit Bicornis: Hoc, quod feci, fuit per gratiam Domini mei. Cùm autem advenerit promissio Domini mei* (ut egrediantur Jagug, & Magug, prope diem Judicii) *reducet hunc murum in pulverem minutissimum. Est autem promissio Domini mei vera.*

Si pro Bicorni, Alexander Magnus, ut communiter Expositores sentiunt, intelligatur: nullus erit, qui non videat, quàm enormiter erret Mahumetus, & quàm absurdas fabulas contineat Alcoranus. Conflat enim ex testimonio omnium Scriptorum, Alexandrum Macedonem, idololatram fuisse, ac multis & infignibus vitiis fœdatum: nihilque propè eorum, quæ in Alcorano habentur, illi convenire. Hoc agnoscentes recentiores quidam Expositores, ne cogerentur fateri, Mahumetum vel insanum, vel mendacem fuisse; finxerunt hunc esse alium Regem ab eo diversum. Verùm alii, cùm nec nomen, nec tempus, nec regnum illius, neque in Sacris, neque in profanis literis reperirent; asseruerunt fuisse Angelum è cœlo delapsum. Sed nugæ sunt hæ, & ineptiæ; quemadmodum illæ, quòd Sol occidat in fonte, seu palude cœni nigri; itemque quòd habeat locum certum, unde oriatur, & ad eum Bicornis hic pervenerit: cùm vel pueri sciant, Solem terrarum Orbem in immensa propè distantia circumgyrando, nullum proprium ortus, vel occasus sui locum habere, sed ubique oriri, & ubique occidere. Postremò figmentum omnium maximum est, murus ille ex ferro ignito, æreque liquefacto constructus, quo Bicornis aditum Gentibus Gog & Magog præclusit, ne ad finitimos populos devastandos transilirent.

Ex Sura 19. مريم *Maria*.

Vers. 2. Revocat in scenam ea, quæ superiùs dixerat de Zacharia, & Joanne Baptista: de quo vers. 7. dixit Gabriel: يا زكريا انا نبشرك بغلام اسمه يحيى لم نجعل له من قبل سميا

O Zacharia: Nos sanè annunciamus tibi puerum, cujus nomen erit Jahia (idest Joannes). *Non posuimus ei anteà cognominem*: idest: nullus anteà vocatus fuit hoc nomine. Hoc autem omninò falsum est:

nam

nam multi ante eum hoc nomen habuerunt, quod Hebraicè dicitur יחיה : ut patet lib. 3. Regum cap. 22. lib 1. Paralip. cap. 3. & alibi. Verum quidem est, in illius gente nullum fuisse hoc nomine vocatum.

Vers. 16. Loquens de nuncio Gabrielis ad Mariam, hæc habet: ولذكر في الكتاب مريم اذ انتبذت من اهلها مكانا شرقيا فاتخذت من دونهم حجابا فارسلنا اليها روحنا فتمثل لها بشرا سويا:

Et commemora in libro (ideſt Alcorano) *Mariam, quando, diſceſſit à familia ſua ad locum orientalem*: (nam, ut explicat Zamehaſcerius, feceſſerat ad orandum in locum, qui reſpiciebat partem orientalem verſus Templum; vel etiam in Domo ſua ſeparata ab hominibus) *Et accepit clam ipſis velamen* (quo ſe, ut explicat Gelal. honeſtatis cauſa tegeret, quando ſe purificabat, & aqua abluebat): *Et miſimus ad eam ſpiritum noſtrum* (ideſt Gabrielem) *in ſimilitudine humana perfectâ, illi ſimili*: nempè Mariæ. Pergit narrare, quomodo Maria timens à Gabriele violentiam, ſeſe Deo commendaverit. At Gabriel ſolatus eam, promiſit illi puerum, ſine virili opera à ſe gignendum. Et interim fingunt Expoſitores, Gabrielem inſuffluſſe in aperturam interulæ illius ad collum, & flatum perveniſſe ad vulvam; atque ita Jeſum concepiſſe. Cùm verò ſe gravidatam cognoſceret, diſceſſit abitura in locum longinquum: & cùm eſſet juxta arborem palmæ, ſupervenit ei dolor partus: illa verò ad quamdam deſperationem adacta, mortem ſibi exoptavit. Sed Gabriel ei apparens ſolatus eſt eam; oſtenditque illi rivum, qui ſubitò divinitùs eruperat: & juſſit, eam excutere ad ſe palmam (quam aſſerunt Expoſitores antèà aridam, & ſine fructu fuiſſe) nam dactylos illi præbuiſſet: itaut cibo, ac potu poſſet ſe recreare. Deinde juſſit eam Infante pergere ad ſuos, nullumque alloquium in itinere. Pergit Alcoranus:

فاتت به قومها تحمله قالوا يا مريم لقد جئت شيئا فريا يا اخت هرون ما كان ابوك امرأ سوء وما كانت امك بغيا: فاشارت اليه قالوا كيف نكلم من كان في المهد صبيا قال اني عبد الله اتاني الكتاب وجعلني نبيا

Venit ergo cum Infante ad Gentem ſuam, geſtans illum brachiis. Dixerunt ei: O Maria, jam ſanè perpetraſti rem miram. O Soror Aaron, non fuit pater tuus vir malus, & non fuit mater tua ſcortatrix. At illa innuit ad Puerum, (dixitque illis: Loquimini cum eo). *Reſponderunt: Quomodo alloquemur eum, qui eſt infans in cunabulis? Tunc dixit Infans: Certè ego ſum ſervus Dei: tradidit mihi Librum*, (ideſt Evangelium): *& conſtituit me Prophetam*. Et addit alia, quæ loquutus eſt pro ſe, & de ſe puer, magnifica quidem, ſed non quæ Deum illum eſſe probarent.

Hæc, quæ in Alcorano habentur, pleraque fabuloſa ſunt, & ex apocryphis Schiſmaticorum, & Hæreticorum libris eruta: nec eſt, quòd in iis refutandis tempus teramus. Quòd verò Maria Deipara vocetur hic اخت هرون ; *Soror Aaron*, confirmat errorem craſſiſſimum Mahumeti, qui putavit Mariam filiam Amran, & ſororem Moyſis, & Aaronis; fuiſſe eamdem cum Maria matre Jeſu. Sexcentas ineptias excogitarunt Interpretes Alcorani, ad vindicandum Mahumetum ab hoc tàm enormi errore: ſed ineptiæ ſunt; & illius verba ſunt nimis aperta. Vide, quæ ſuperiùs dicta ſunt.

Vers. 38. Redit in ſcenam Abraham diſceptans cum patre ſuo contra idola, pro unitate Dei.

Vers. 48. Prodit iterùm Moyſes.

Vers. 51. Laudatur Iſmael his verbis: واذكر في الكتاب اسمعيل انه كان صادق الوعد وكان رسولا نبيا وكان يامر اهله بالصلوة والزكوة وكان عند ربه مرضيا:

Et commemora in Libro (Alcorani) *Iſmaelem, quippe ipſe fuit verax in promiſſis, fuit apoſtolus, & propheta: & præcipiebat familiæ ſuæ orationem, & eleemoſynam: & fuit Domino ſuo gratus*. Jam vidimus in prima parte Prodromi, Iſmaelem potiùs malum & impium, quàm probum ac pium, nedum apoſtolum, aut prophetam, in ſacris literis nobis inſinuari. Nihil certè laude dignum de geſtis ejus legimus.

Vers. 58. Regeritur Paradiſus Mahumetanicus.

Vers. 68. Loquens de Gehenna, hæc habet: وان منكم الا واردها كان على ربك حتما مقضيا: ثم ننجي الذين اتقوا ونذر الظالمين فيها جثيا:

Nullus eſt ex vobis, qui non deſcenſurus ſit ad illam: Decretum eſt firmum apud Dominum tuum. Deinde liberabimus eos, qui pii fuerint, iniquos verò relinquemus in ea genuflexos. Quis unquam credat, tàm pios, quàm impios, & ſceleſtos, ex certo decreto Dei, in Gehennam eſſe deſcenſuros? Nullo modo vel ex Sacris literis, vel ex ratione poteſt hoc probari.

Ex Sura 20. طٰهٰ *Ta.*

Redit Moyſes in Scenam cum Pharaone, Magis, & aliis, quæ ſuprà dicta ſunt; cum aliquibus tamen appendicibus.

Vers. 9. Interrogatur Mahumetus tanquam de re nova, nec amplius audita: (poterat verò id, quod Gnato parafitus Thraſoni apud Terentium, reſpondere: *Plus millies jam audivi*). وهل اتاك حديث موسى اذ رأى نارا فقال لاهله امكثوا اني انست نارا لعلي اتيكم بقبس او اجد على النار هدى:

Pervenitne unquam ad aures tuas hiſtoria Moyſis? Cùm ſcilicet vidit ignem, & dixit familiæ ſuæ: Expectate hic: nam ego conſpexi ignem; (donec vadam)

dam) *& afferam vobis ex eo torrem: aut inveniam per ignem rectam viam.* Pergebat scilicet cum familia sua è Madian in Ægyptum, ut explicant Glossæ, & innuit Alcoranus. Et ecce tibi primum mendacium: nam Moyses vidit hunc ignem, non in reditu suo cum familia è Madian in Ægyptum: sed cùm solus pascret oves Jethro soceri sui in deserto Montis Horeb: & cùm de reditu in Ægyptum nihil adhuc deliberasset. Deinde non perrexit ad ignem à se visum, ut acciperet ex eo torrem ad usum familiæ, vel ad iter noctu agendum; sed ipsemet dixit: *Vadam & videbo visionem hanc magnam: quare non comburatur rubus.* Hoc totum conflat ex libro Exodi cap. 3.

Vers. 13. Loquitur Deus Moysi è rubo:

انا الله لا الٰه فاعبدني واقم الصلوة لذكري ان الساعة

اتية اكاد اخفيها لتجزى كل نفس بما تسعى فلا

يصدنك منها من لا يؤمن بها واتبع هويه فتردى

Ego sum Deus: non est Deus nisi ego: Cole ergo me, & institue orationi in memoriam mei. Certè Hora (ideſt dies Judicii) *ventura est: & propè est tempus, ut manifestem eam, ut unusquisque recipiat mercedem illius, quod studiosè operatus est. Ne ergo avertat te à memoria ejus is, qui non credit in eam, & sectatur concupiscentiam suam: alioquin peribis.* Nihil hujuſmodi legimus in Exodo Deum dixiſſe Moyſi è rubo; & certè hæc non erant ad rem pro ea viſione, quæ Moyſi facta fuerat. Poſt prædicta verba refertur mutatio virgæ in colubrum, & manus Moyſi lepra infectæ: & poſteà demùm indicitur Moyſi legatio ad Pharaonem, de quo, ac de Iſraelitarum oppreſſione mentio nulla antè facta fuerat, ut par erat; nam hic erat ſcopus hujus viſionis.

Verſ. 25. Moyſes Deum precatur:

اجعل لي وزيرا من اهلي هرون اخي

(adjutorem in legatione) *de familia mea, Aaron fratrem meum.* Ex Sacro textu manifeſtum eſt, Moyſen non poſtulaſſe à Deo fratrem in adjutorium; ſed Deum ipſum ultrò ei illum obtuliſſe, addita etiam ratione cur id faceret; illis verbis: *Aaron frater tuus Levites, scio quòd eloquens sit: ecce ipse egreditur in occursum tuum, &c.*

Verſ. 57. Loquitur de Magis Pharaonis:

فاذا حبالهم وعصيهم يخيل اليه من سحرهم انها تسعى فاوجس

في نفسه خيفة موسى قلنا لا تخف انك انت الاعلى

Et ecce funes eorum, & virgæ eorum phantasticè apparuerunt ei per magiam eorum hùc atque illùc discurrentes: & sensit Moyses in seipso timorem: sed nos diximus ei: Noli timere, nam tu eris superior. Quòd Magi cum virgis etiam funes projecerint, non habetur niſi ex cerebro Mahumeti. Quòd Moyſes timuerit, videns præſtigia Magorum, quaſi dubitans, ſe fore vincendum ab illis; eſt injuria inſignis in ipſum Moyſen.

Verſ. 84. Moyſes iratus contra Aaron ob adorationem Vituli, apprehendit eum per barbam, & caput: ille verò clamabat:

يا ابن ام لا تاخذ بلحيتي

ولا برلسي: *O fili matris meæ, ne arripias me per barbam & caput.* Quaſi verò inter duas mulierculas res ageretur.

Verſ. 87. Interrogatus Samarita, qui fuderat vitulum aureum, quomodo vocatus illi, & carnem, & ſanguinem dediſſet, reſpondit:

بصرت بما لم يبصروا

به فقبضت قبضة من اثر الرسول فنبذتها وكذلك

سولت لي نفسي: *Sciebam id, quod ipſi non sciebant: & accepi pugillum* (ex pulvere) *veſtigii* (equi) *Legati* (ideſt Gabrielis), *& conjeci illud* (in fornacem, in qua conflabatur vitulus): *ita enim perſuaſit mihi anima mea.* De equo Gabrielis, qui vocatur حيزوم *Haizum*, frequens ſit mentio apud Arabes.

Verſ. 93. Loquens de die Judicii, hæc habet:

يوم ينفخ في الصور ونحشر المجرمين

يومئذ زرقا: *Die quadam inſufflabitur in tubam, & congregabimus ſceleratos.* Si Mahumetus in ſenſu Scripturarum de hac tuba loqueretur, nihil contra eum dicendum occurreret. Sed, ſi Alcorani Expoſitoribus, qui mentem ejus norant, ſtandum eſt, nihil eſt hæc tuba, niſi ſolemnis fabula. Ex illis fortaſſe D. Pauli verbis ad Corinthios Epiſt. 1. cap. 15. *In momento, in ictu oculi, in novissima tuba*: duas fingunt tubas: primam, quam inſufflabit Angelus Aſraphel quadraginta annis ante ſecundam. Secundam verò inſufflabit idem Aſraphel (vel, juxta alios, Gabriel) plenam animabus omnium hominum:

& ut ſcribit Jahias:

اذا نفخ فيه صاحب الصور خرجت

الارواح مثل النحل كل روح الى جسده:

Cùm Angelus in eam ſufflabit, exibunt animæ, velut apes; & unaquæque ibit ut intret in corpus ſuum. Omitto alias ineptias.

Verſ. 106. Iterùm Adam adoratus ab Angelis.

Verſ. 107. Dicitur Adæ in Paradiſo collocando:

ان لك الا تجوع فيها ولا تعرى ولك لا تظمؤ فيها

ولا تضحى: *Certè tibi competet, ut non eſurias in eo, neque ſis nudus: & tu certè non ſities in eo, neque calore ſolis æſtuabis.* Quòd Adam in Paradiſo calore Solis non æſtuaret, probabile eſt ob perfectiſſimam loci illius temperiem. Quòd verò neque eſuriret, neque ſitiret, difficile credo; præſertim ſi à cibo & potu diù abſtinuiſſet. Fames enim & ſitis ſunt affectiones naturales corporis humani in quocumque ſtatu, etiam innocentiæ; & proculdubio ſi Adam in Paradiſo nihil comediſſet aut bibiſſet, naturaliter extinctus fuiſſet. Si quis fortè non aſſereret, illum comediſſe nec bibiſſe ſine fame ulla aut ſiti; ad ſolam nutritionem & ſuſtentationem vitæ, vel ad ſolam voluptatem capiendam ex cibo, & potu: quòd ſine ullo fundamento aſſereretur. Denique quòd Protoplaſti in Paradiſo nudi non fuerint, eſt aperté contra Sacras literas;

Digitized by Google

teras; Geneſ. cap. 2. *Erat autem uterque nudus, & non erubeſcebat*. Reſpondet Jahias, veſtibus quidem illos caruiſſe, ſed كانا كميا الظفر *crinibus*, ſeu comis *illos pro veſtibus uſos fuiſſe*. Duos ſcilicet urſos, non duos homines, Deus creaverat.

Ex Sura 21. الانبيآء *Prophetæ*.

Verſ. 53. Introducit Abraham cum Gente ſua contra idola dighadiantem. Cùm verò illi ad neſcio quam feſtivitatem profecti fuiſſent, Abraham ingreſſus in Templum idolorum, جعلهم جذاذا الا كبيرا لهم لعلهم اليه يرجعون قالوا من فعل هذا بالهتنا انه لمن الظالمين قالوا سمعنا فتى يذكرهم يقال له ابراهيم قالوا فاتوا به على اعين الناس لعلهم يشهدون قالوا أأنت فعلت هذا بالهتنا يا ابراهيم قال بل فعله كبيرهم هذا فسئلوهم ان كانوا ينطقون: *redegit ea in fruſta, præter maximum eorum, ut ipſi ad illud converterentur* (& appendit ſecurim, qua alia conciderat, ad collum ejus. Interim verò reverſi) *dixerunt: Quis fecit hoc contra Deos noſtros? certè hic eſt iniquus. Dixerunt quidam; Audivimus puerum obloquentem de illis, qui vocatur Abraham. Reſponderunt cæteri; Adducite eum hùc in conſpectu hominum, ut teſtes eſſe poſſint.* (Cùm adductus fuiſſet) *dixerunt illi: Tu ne feciſti hoc contra Deos noſtros, ò Abraham? At ille reſpondit: Quinimò hoc fecit Maximus eorum: interrogate eos; nam ipſi vobis hoc dicent.* Cùm autem illi ita ſe à puero illuſos viderent, juſſerunt illum projici in ignem, à quo Deus mirabiliter liberavit eum. Sunt hæc commenta Rabbinica; neque ſolidum ullum habent in Sacris literis fundamentum.

Verſ. 28. Hæc refert de David, & Salomone. وداود وسليمن اذ يحكمان فى الحرث اذ نفشت فيه غنم القوم وكنا لحكمهم شاهدين ففهمناها سليمن: *David, & Salomon judicium protulerunt circa agrum, quem depaſti fuerant greges quorundam: & fuimus judicio eorum teſtes: & dedimus intelligentiam ejus cauſæ Salomoni.* Hanc fabulam ita elucidat Gelal. *Depaſtæ fuerant noctu agrum oves quorundam, quæ, abſente paſtore, irruperant in illum. Delata autem cauſa ad David, & Salomonem: dixit David: Tradantur oves domino agri pro damno illato: Salomon autem dixit: Compenſetur damnum lacte, fœtibus, & velleribus ovium, donec redeat ager ſicut erat antea, expenſis paſtoris ovium: deinde oves ei reſtituantur.* Concludit Auctor; David prætuliſſe ſententiæ ſuæ ſententiam Salomonis. Verùm non erat hæc cauſa tantæ molis, ut requireret judicium David & Salomonis: poteratque à quovis ruſtico decidi, & quidem ſapientiùs quàm à Davide.

Verſ. 79. Hæc habentur de iisdem Davide, & Salomone: وسخرنا مع داود الجبال يسبحن والطير وكنا فاعلين وعلمناه صنعة لبوس لكم لتحصنكم من بأسكم فهل انتم شاكرون ولسليمن الريح عاصفة تجرى بأمره الى الارض التى باركنا فيها وكنا بكل شىء عالمين: ومن الشياطين من يغوصون له ويعملون عملا دون ذلك وكنا لهم حافظين: *Et ſervire coegimus cum David montes, ut laudarent Deum, ſimul cum avibus. Hoc certè fecimus. Et docuimus eum artem faciendi loricas vobis, ut munirent vos in præliis veſtris. Eſtis ne vos ob hoc grati? Et Salomoni ſubegimus ventum vehementem, qui currebat ad imperium ejus ad terram, in qua poſuimus benedictionem* (ideſt terram promiſſionis): *Et fuimus in omni re ſcientes. Et ſubjecimus illi ex Dæmonibus aliquos, qui urinarentur illi* (in mari gemmas, ac margaritas): *& operarentur alia opera præter hoc: & nos fuimus illos cuſtodientes* (nempè, ne deſtruerent noctu quod in die fabricaverant, quod conſueverunt Dæmones facere, quando aliam non habent occupationem).

Hæc, quæ de David, & Salomone fabulatur Alcoranus, eruta ſunt ex Thalmud Hebræorum, in quo mirabilia magna narrantur de hoc imperio Salomonis ſupra Dæmones, quibus tanquam famulis ad opera quælibet difficiliora conficienda utebatur. Hoc autem cum Dæmonibus commercium ac familiaritas non fingitur ſine maxima Salomonis injuria, cùm ex lege divina hominibus omninò prohibeatur.

Ex Sura 22. الحج *Peregrinatio*.

Verſ. 53. Loquitur cum Mahumeto fictitius deus illius: وما ارسلنا من قبلك من رسول ولا نبى الا اذا تمنى القى الشيطان فى امنيته فينسخ الله ما يلقى الشيطان: *Et nullum ante te miſimus Legatum, neque prophetam, qui cùm legeret* (ea quæ ſibi à Deo revelata fuerant) *conjeceret Satan* (aliquem errorem) *in lectionem ejus. Sed abolebit Deus id, quod conjecit Satan.* Hoc fingitur dictum Mahumeto ad illum conſolandum in magno mœrore, in quem inciderat, ut refert Gelal., cæterique Expoſitores, ob prolatam à ſe blaſphemiam coram omni populo ex ſuggeſtione Sataneæ, dum recitaret Suram 53. Alcorani, quæ inſcribitur النجم *Stella*. Nam poſt ea verba أفرايتم اللات والعزى ومناة الثالثة الاخرى: *Quid vobis videtur de Allat, & Alozæ, & Manat tertia alia* (erant autem hæc tria idola Meccanorum): ſubdidit وان تلك الغرانيق العلى شفاعتهن لترتجى: *iſtæ ſunt puellæ excelſæ, in quarum interceſſione nobis ſperandum eſt.* Quo audito, Meccani valdè gaviſi ſunt, quòd novus Propheta ita laudaſſet deos eorum. Sed quidquid ſit de blaſphemia Mahumeti, alioqui blaſphemorum omnium cory-

Digitized by Google

coryphæo: blasphemia certè maxima est, & mendacium impudentissimum id, quod affirmat Deus Mahumeticus: nempè, nullum legatum, aut prophetam fuisse, qui, dum legeret sacros libros sibi à Deo revelatos, blasphemiam aliquam ex Satanæ suggestione non intersereret.

Vers. 66. Dicit de Deo: ويمسك السمآء ان تقع على الارض الا باذنه ان الله بالناس لرؤف رحيـــم:

Et retinet cœlum, ne cadat super terram, nisi ipse id ei concesserit: quippe Deus est erga homines benignus ac misericors. Si tàm peritus fuisset Mahumetus in re Astrologica, quàm in Venerea, non effutisset has ineptias; scivisset enim tàm esse contra naturam cœli cadere super terram, quàm contra naturam terræ cadere super cœlum.

Ex Sura 23. المومنون *Fideles*.

Repetit ferè verbatim ea, quæ superiùs narraverat de Noe, Hud, & Moyse, & tàm in hac Sura, quàm in aliis, semper recoquit crambem, eamdemque cantat cantionem.

Ex Sura 25. الفرقان *Distinctio*.

Hic item Noe, Aad, Themud, Scioaïb, & alia superiùs cocta recoquuntur. Cætera nugæ & quisquiliæ.

Ex Sura 26. الشعرآء *Poetæ*.

Repetit primò omnia, quæ dixerat suprà de legatione Moysis ad Pharaonem, cum tota fabula conversionis, & martyrii Magorum.

Vers. 58. Hæc leguntur: فاخرجناهـــم مـــن جنّٰت وعيون وكنوز ومقام كريـــم: كذلك واورثناها بني اسرايـــل فاتبعوهـــم مشرقيـــن:

Et egredi fecimus eos (idest Ægyptios) *ex hortis, & fontibus, & loco honorifico: Ita: & dedimus possidenda hæc filiis Israel: & persequuti sunt eos surgentes in ortu Solis.*

Falsum est, Deum dedisse Israelitis possidenda ea, quibus Ægyptii spoliati fuerant à Deo, dum eos demersit in mare. Zamchascerius explicat, data fuisse à Deo Israelitis alia similia illis in Palæstina. Sed repugnat verbis Alcorani, & expositioni cæterorum, & præsertim Jahiæ, qui fideliter exponit: فلما رجعـــوا الى مصر بعد ما اهلك اللـــه فرعون وقومـــه:

Nam Israelitæ reversi sunt in Ægyptum, postquam perdiderat Deus Pharaonem & populum ejus: & ita possederunt hortos, fontes, & reliqua bona Ægyptiorum. Quod certè est contra omnem veritatem.

Vers. 70. Redit Abraham altercans cum gente sua contra cultum idolorum pro unitate Dei.

Vers. 102. Iterùm Noe digladiatur cum populo suo; iterùm diluvium, cum cæteris figmentis.

Vers. 120. Rursus tota fabula Asadæorum, & Hud Legati eorum.

Vers. 138. Redit in scenam Saleh cum Thæmudæis & camela ex rupe prognata.

Vers. 173. Iterùm Scioaïb, & populus Leicæ, seu Madianitæ, cum iisdem nugis, ut suprà.

Ex Sura 27. النمل *Formica*.

Vers. 8. Redit Moysis, rubus, virga conversa in colubrum, manus leprosa, legatio ad Pharaonem, &c.

Vers. 17. Hæc habentur de Salomone, quæ cum textu Arabico referre necessarium duxi, ne à me conficta crederentur: وورث سليمن داود وقال يا ايها الناس عُلّمنا منطق الطير واوتينا من كل شـــى ان هذا لهو الفضل المبين: وحُشر لسليمـــن جنوده من الجنّ والانس والطير فهم يوزعون حتى اذا اتوا على واد النمل: قالت نملة يا ايها النمل ادخلوا مساكنكم لا يحطمنّكم سليمن وجنوده وهم لا يشعرون: فتبسّم ضاحكًا من قولها وقال ربّ اوزعنى ان اشكر نعمتك التى انعمت علىّ وعلى والدىّ ان اعمل صالحًـــا ترضيه وادخلنى برحمتك فى عبادك الصالحين: وتفقّد الطير فقال ما لى لا ارى الهدهد ام كان من الغايبين لاعذّبنّه عذابًا شديدًا او لاذبحنّه او لياتينّى بسلطان مبين: فمكث غير بعيد فقال احطتُ بما لم تحط به وجيتك من نبًا يقين: انّـــى وجدت امرأة تملكهم واوتيت من كل شى ولها عرش عظيم وجدتها وقومها يسجدون للشمس من دون الله وزيّن لهـــم الشيطان اعمالهم فصدّهم عن السبيل فهـــم لا يهتدون... قال سننظر أصدقت ام كنت من الكاذبين: اذهب بكتابى هذا فالقه اليهم ثم تولّ عنهم فانظر ماذا يرجعون: قالت يا ايها الملؤا انّى القى الىّ كتاب كريم انه من سليمن وانه بسم الله الرحمن الرحيم الّا تعلوا علىّ واتونى مسلمين: قالت يا ايها الملؤا افتونى فى امرى ما كنت قاطعة امرًا حتى تشهدون: قالوا نحن اولوا قوة واولوا بأس شديد والامر اليـــك فانظرى ماذا تأمرين

Digitized by Google

تأمرين قالت ان الملوك اذا دخلوا قرية افسدوها وجعلوا اعزّة اهلها اذلّة وكذلك يفعلون: واني مرسلة اليهم بهدية فناظرة بم يرجع المرسلون: فلما جاء سليمان قال اتمدّون بمال فما اتاني الله خير مما اتيكم بل انتم بهديتكم تفرحون: ارجع اليهم فلناتينّهم بجنود لا قبل لهم بها ولنخرجنّهم منها اذلّة: قال يا ايها الملؤ ايكم يأتيني بعرشها قبل ان يأتوني مسلمين: قال عفريت من الجنّ انا اتيك به قبل ان تقوم من مقامك واني عليه لقويّ امين: قال الذي عنده علم من الكتاب انا اتيك به قبل ان يرتدّ طرفك فلمّا راه مستقرًّا عنده قال هذا من فضل ربي ليبلوني ءاشكر ام اكفر ومن شكر فانّما يشكر لنفسه ومن كفر فان ربي غني كريم: قال نكّروا لها عرشها ننظر أتهتدي ام تكون من الذين لا يهتدون: فلمّا جاءت قيل أهكذا عرشك قالت كأنه هو وأوتينا العلم من قبلها وكنّا مسلمين: وصدّها ما كانت تعبد من دون الله انها كانت من قوم كافرين: قيل لها ادخلي الصرح فلما رأته حسبته لجّة وكشفت عن ساقيها قال انه صرح ممرّد من قوارير قالت ربّ اني ظلمت نفسي وأسلمت مع سليمان لله رب العالمين:

Et haves fuit Salomon Davidis, & dixit: O homines, docti fuimus loquelam volucrum, & donum accepimus omnium rerum. Certè hæc est excellentia manifestia. Et congregati sunt ad Salomonem exercitus ejus compositi ex Dæmonibus, & hominibus, & volucribus; & ipsi separatim ducebantur, donec venerunt juxta vallem formicarum. Dixit una formica (quæ erat Regina aliarum, cùm vidisset exercitus Salomonis) *Heus ò formicæ, ingredimini in habitacula vestra, ne proterat vos Salomon, & exercitus ejus inadvertenter. Exhilaratus est autem Salomon, risitque ob verba illius, & dixit: O Domine mi, excita me, ut gratus sim gratiæ tuæ, quam beneficè contulisti super me, & super parentes meos: & ut faciam rectum, in quo tibi complaceas: & introduc me per misericordiam tuam inter servos tuos probos. Cùm autem oculis lustrasset exercitum volucrum, dixit: Quidnam causa est, quòd non video Upupam? Nunquid abest* (ab exercitu)? *Profectò puniam illam pœna vehementi: & fortasse etiam occidam illam, ni veniat ad me, & afferat justam causam absentiæ suæ. Tunc Upupa conlitist haud procul à Salomone, & ait illi: Lustravi eam regionem, quam tu nunquam vidisti: & veni ad te ex Saba cum nuncio certo. Equidem inveni ibi mulierem, quæ regnat super eos, & prædita fuit omni re, & habet Thronum magnum. Comperi autem illam, & gentem ejus adorare Solem pro Deo, & adornavit illis Satan opera eorum; avertitque eos à via veritatis: quamobrem ipsi non sunt directi. Dixit ei Salomon: Mox videbimus, an vera dixeris; an verò mentita fueris. Perge cum hac mea Epistola, & projice eam ad illos. Deinde averte te aliquantulum ab eis, & attende quidnam respondeant.* (Regina verò Saba, nomine Balchaisa, accepta Epistola Salomonis, convocatis Proceribus suis) *dixit: O Proceres: Equidem projecta fuit ad me Epistola honorifica. Ipsa porrò est à Salomone, & præfert hunc titulum: In nomine Dei Miseratoris Misericordis. Ne elevemini contra me, sed venite ad me subditi, ac devoti. Dixit Regina: O Proceres, consulite mihi in negotio meo: nihil enim decidam, nisi vos approbetis. Respondentunt Proceres: Nos præditi sumus fortitudine, & robore militari; sed ad te spectat imperium: vide ergo quid præcipias. Dixit Regina: Certè Reges cùm ingressi fuerint Urbem aliquam, devastant eam, & reddunt potentiores civium ejus, viliores. Et ita facient* (contra nos Salomon, & milites ejus). *Sed ego mittam ad eos munera, & expectabo quid referant ii, quos misero* (cum muneribus). *Cùm autem venisset* (Legatus Balchaisæ) *ad Salomonem* (cum muneribus) *dixit ei Salomon: An augebitis me opibus? Profectò id, quod dedit mihi Deus, melius est ei, quod dedit vobis. Vos verò habete dona vestra, iisque fruimini. Revertere* (ò Legate) *ad eos: nam nos omninò veniemus ad illos cum exercitibus: non erit illis potentia contra eos: & profectò ejiciemus eos ex sua regione humiliatos: & ipsi evadent subjecti, & obedientes.* (Deinde Salomon convocatis suis) *dixit: Heus Proceres: quis vestrum afferet ad me thronum hujus Reginæ, antequam veniant ad me, sese dediturі? Respondit præterimus quidam inter Dæmones: Ego afferam tibi illum, antequam surgas è loco tuo: & ego quidem ero ad hoc validus, fidelis. Dixit alius Dæmon peritus Sacrarum Scripturarum: Ego afferam tibi illum, antequam revertatur ad te aspectus oculi tui.* (Statim ipitur adduxit eum) *& cùm vidisset eum Salomon depositum ante se, dixit: Hoc est ex gratia Domini mei, ut experimentum mei faciat, utrum gratus sim, an ingratus. Qui verò gratus fuerit, utique gratus erit sibi ipsi. Qui autem ingratus fuerit: profectò Dominus meus dives est, ac munificus* (neque eget ullius). *Dixit Salomon suis: Immutate thronum ejus, itaut non possit eum facilè agnoscere: ut videamus, utrum directa sit ad veritatem cognoscendam, an non. Cùm autem venisset Balchaisa, dixit ei Salomon: Erat ne hujusmodi thronus tuus? Respondit: Erat similis huic. Et dixit Salomon: Donati fuimus scientia, & fuimus in vera religione, à qua avertit eam falsus cultus Deorum, cùm esset ex gentibus infidelibus. Dixerunt autem Reginæ: Ingredere in Palatium.* (Erat autem constructum ex vitro transparenti, sub quo currebat equa, & natabant in ea pisces.) *Cùm autem Regina vidisset illud, existimavit esse cumulum aquarum:* (quamobrem subtraxit vestibus discooperuit crura sua, quæ erant pilosa sicut crura asini, ut transvadaret illum). *Dixit ei Salomon* (qui stabat in medio Palatii, & omnia videbat):

debat): *Certè hoc est Palatium solidum, factum ex vitro*: (non autem gurges aquarum: ut tu putabas). *Dixit tunc Regina: O Domine mi, certè ego iniqua fui contra animam meam: & tunc trado me ipsam cum Salomone Deo Domino seculorum*. Scribunt autem Gelal, & cæteri Expositores; cùm Salomon adduxisset illam ad veram religionem, voluisse in uxorem eam accipere: sed cùm exhorresceret pilos crurium ejus, quæ erant asinina, Dæmones feciſſe ei depilatorium ex calce viva, quo pili ejus auferrentur: & ita accepisse eam in uxorem, & retinuisse eam apud se in statu Reginæ, donec ipse mortuus est. Fabulæ pluſquam aniles.

Verſ. 46. Rurſum obtrudit Saleh cum Thæmudæis: Lot cum Sodomitis, aliiſque nugis toties decantatis.

Verſ. 83. Hæc habentur: وَلَمَّا وَقَعَ القَوْلُ عَلَيْهِمْ أَخْرَجْنَا لَهُمْ دَابَّةً مِنَ الأَرْضِ تُكَلِّمُهُمْ:

Cùm autem ceciderit dictum ſuper eos (ideſt advenerit tempus ſupplicii eorum, nempè Meccanorum) *educemus illis beſtiam è terra, quæ alloquetur eos*. Hæc beſtia juxta Expoſitores relatos à Zamchaſcerio, habebit in longitudine ſexaginta cubitos; eruntque ei pedes, & pili, & pennæ, & duæ alæ. Habebit caput tauri, oculos porci, aures elephantis, cornua cervi, cervicem ſtruthiocameli, pectus leonis, colorem urſi, hypocondrium felis, caudam arietis, & ungulas cameli. Alii ſcribunt caput tantùm ejus exiturum è terra, & perventurum uſque ad nubes Cæli; & inter cornua ejus futurum ſpatium trium milliarium: ipſam autem loquuturam linguâ Arabica. Omitto alias ineptias, quas de hac beſtia confingunt.

Ex Sura 28. القصص *Hiſtoria*.

Obtundit Mahumetum Deus ſuus, referens Hiſtoriam toties decantatam de Moyſe, & Pharaone, cum aliquibus tamen novis parergis.

Verſ. 8. Legimus: إِنَّ فِرْعَوْنَ وَهَامَانَ وَجُنُودَهُمَا كَانُوا خَاطِئِينَ. *Porrò Pharao, & Haman, & exercitus eorum erant peccatores*. Hunc Haman volunt Expoſitores fuiſſe وَزِيرَ فِرْعَوْنَ *Conſiliarium*, & primum Miniſtrum Pharaonis. Non dubium, quin more ſuo confuderit Mahumetus Pharaonem cum Aſſuero, cujus Haman fuit primus Miniſter.

Verſ. 12. Habetur de Moyſe infante: وَحَرَّمْنَا عَلَيْهِ المَرَاضِعَ مِنْ قَبْلُ: *Et impediviмus ſuper eum nutrices antè*. Nempè, ut exponunt Gloſſæ, ex miraculo Dei factum eſt, ut nullarum nutricum, quas adduxerat filia Pharaonis, vellet infans lac ſugere, antequam lactaret eum Mater. Fabulæ Rabbinicæ.

Verſ. 15. Aſſerit Moyſen, cùm occidiſſet Ægyptium, qui Iſraelitam vexabat, factum ſuum magno cum dolore deteſtatum fuiſſe, atque à Deo, tamquam de magno ſcelere, veniam poſtulaſſe: ac promiſiſſe, ſe nunquam fore adjutorem ſceleratis: Deumque illi peperciſſe. Nihil hujuſmodi legimus in Pentateucho, neque Moyſes defendendo Iſraelitam innocentem contra Ægyptium injuſtè eum opprimentem, adjuvit ſceleratum. Imò plures doctiſſimi cenſent, Moyſen in hoc peccatum nullum commiſiſſe.

Verſ. 19. Loquens de duobus Iſraelitis, quos mutuò rixantes voluit Moyſes inter ſe componere, litemque eorum dirimere, hæc habet: فَلَمَّا أَنْ أَرَادَ أَنْ يَبْطِشَ بِالَّذِي هُوَ عَدُوٌّ لَهُمَا: *Cùmque voluiſſet vi repellere eum, qui erat hoſtis utriuſque*: Expoſitores omnes conveniunt, per hæc verba apertè oſtendi, unum ex duobus, qui ſecunda vice altercabantur, Ægyptium fuiſſe: cùm ex Sacro Textu Exodi cap. 2. apertiſſimè conſtet, ambos Hebræos, ſive Iſraelitas fuiſſe.

Verſ. 23. Cùm Exodi cap. 2. dicatur: *Erat autem Sacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerant ad hauriendam aquam*: in Alcorano non niſi duæ veniſſe leguntur. Ubi etiam falsò aſſeritur, Moyſen hauſiſſe aquam ex puteo ad adaquandas oves ſillarum Jethro, auferendo (ut volunt Expoſitores) ab ore ejus lapidem tàm grandem, ut quadraginta viri vix eum movere potuiſſent. Jam enim puellæ ante Moyſis adventum hauſerant aquam ex puteo, & impleverant canales ad oves ſuas adaquandas. Et quamvis è puteo novam aquam hauſerit Moyſes, non tamen opus fuit, ut lapidem illum ab ejus ore removeret, cùm jam puellæ ipſæ removiſſent. Ex quo etiam convincitur, lapidem illum non fuiſſe tàm grandem, quàm fingunt Mahumetani.

Verſ. 38. Pharao convocato Haman cum Proceribus, dixit eis: يَا أَيُّهَا المَلَأُ مَا عَلِمْتُ لَكُمْ مِنْ إِلَهٍ غَيْرِي فَأَوْقِدْ لِي يَا هَامَانُ عَلَى الطِّينِ فَاجْعَلْ لِي صَرْحًا لَعَلِّي أَطَّلِعُ إِلَى إِلَهِ مُوسَى وَإِنِّي لَأَظُنُّهُ مِنَ الكَاذِبِينَ: *O Proceres, nunquam ſcivi eſſe vobis aliquem Deum præter me. Verùm ſuccende mihi, ô Haman, ſuper lutum* (ideſt, coque mihi lateres in fornace) *& ædifica mihi turrim excelſam, ut aſcendere poſſim ad inſpiciendum Deum Moyſis: Quamvis ego minimè dubitem, illum eſſe mendacem*. Scribit Zamchaſcerius, Pharaonem aſcendiſſe ſuper cacumen turris, quæ ad immenſam altitudinem excreverat, & conjeciſſe jaculum in Cœlum, quod rediit ad eum ſanguine aſperſum: quamobrem dixit; Occidi Deum Moyſis. Sed Deus miſit Gabrielem, qui ala ſua turrim percutiens, in tres partes diffregit, quarum una cecidit ſuper caſtra Pharaonis, & centena millia virorum interemit. Videtur Mahumetus, qui antèà confuderat Pharaonem cum Aſſuero, nunc confundere eumdem cum Nemrod, in hac portentoſa turri, quæ etiamſi multos ædificatores haberet, non poterat niſi poſt multos annos ad metam perduci. Mirum verò, quòd de turri hac Moyſes ne minimum quidem verbum faciat. Sed facere non poterat, cùm tota ſit figmentum Alcorani.

Verſ. 75. Refertur Hiſtoria Core, quem vocat قَارُونَ *Carun*, & inter alia habet: إِنَّ قَارُونَ كَانَ مِنْ قَوْمِ مُوسَى فَبَغَى عَلَيْهِمْ وَآتَيْنَاهُ مِنَ الكُنُوزِ مَا إِنَّ مَفَاتِحَهُ لَتَنُوءُ بِالعُصْبَةِ أُولِي القُوَّةِ: *Porrò Carun erat*

ex

ex gente Moysis, & insolenter se gessit contra eos: & dederamus ei tot thesauros, ut claves eorum grauassent turbam hominum robustissimorum. Quis credat Core in deserto tot thesauros, tamque vastas, & opulentas ædes habere potuisse? præsertim juxta id, quod refert Ismael Ebn-Aly in suo Taarich: cap.

في ذكر قارون *De commemoratione Carun*, his verbis:

قيل كانت مفاتيح خزائنه تحمل على اربعين بغلاً

وينله دالًا عظيما صفحها بالذهب وعمل ابوابـــا

بالذهب فتكسّر &c. *Ferunt, fuisse Caruni tot thesauros, ut claves eorum onerarent quadraginta mulos. Fabricavit autem sibi palatium magnum, quod laminis aureis contexerat; & fecerat portas ejus ex auro; Quamobrem in superbiam efferebatur.* Porrò vox Alcorani معشر ad minus significat decem; ad plus, quadraginta. Fuerint autem decem tantùm homines robustissimi, qui satis essent ad portandas claves thesaurorum Core, etsi ne ullus Rex, qui tot habeat claves suorum Thesaurorum?

Ex Sura 29. العنكبوت *Aranea.*

Redeunt in prospectum Noe, Abraham, Lot cum populis suis: Madianitæ cum Scioaib, Thæmudæi, Aadæi, Carun, cum Haman, & Pharaone. Nec aliud occurrit in hac Sura, nisi quod vers. 14. dicitur: ولقد ارسلنا نوحًا الى قومه فلبث فيهم الـــف

سنة الاّ خمسين عامًـــا : *Et jam quidem misimus Noe ad populum suum, & moratus est cum eis mille annos, præter quinquaginta annos.* Expositores communiter volunt, Alcoranum computare solùm annos, quibus Noe versatus est inter suos post missionem suam, qui fuerint nongenti quinquaginta anni: itaut anni ante missionem non sint computandi. Et quidem litera ف in فلبث, juxta Grammaticos, est signum consequutionis: itaut annis nongentis quinquaginta vixerit Noe post missionem, ante quam plures annos vixerat: nempè juxta multos, supra quadringentos. Vita igitur Noe juxta id, quod habetur in quadam professione fidei Mahumetanicæ, pervenit ad mille quadringentos, ac viginti duos annos. At certum est ex Genesi cap. 9. Noe nongentos quinquaginta annos non excessisse.

Ex Sura 31. لقمان *Locman.*

Celebratur in hac Sura sapiens quidam simulque sanctus, nomine Locman. Quis autem, aut quando, aut ubi hic fuerit, non constat inter Expositores. Ex iis tamen, quæ de eo dicuntur in Alcorano, & quæ afferuntur ab Expositoribus, & præsertim Zamchascerio, aliisque circumstantiis, ferè certò tenetur, hunc non fuisse nisi Æsopum Phrygium, auctorem fabularum, etiam apud Arabes sub nomine Locmanis vulgatarum. De Æsopo enim scribit Maximus Planudes: *Acuminato fuit capite, pressus naribus, depresso collo, prominentibus labris, nigro vultu, ventrosus, distortis cruribus, & incurvus.* Fertur autem fuisse ventrosus, quippe vorax, cibique avidus. Porrò Zamchascerius narrat, Locman, juxta Ebn-Abbas, fuisse pastorem, nigri coloris: gratum in loquendo, & argutum in sententiis, præsertim verò prudentem in præceptis tradendis. Ex Enol-Molajeb etiam habetur, illum fuisse nigrum, & sartorem seu sutorem, quippe infimæ conditionis. Mojahed refert, illum fuisse mancipium, nigri coloris, crassis ac prominentibus labris, pedibus fissis. Jussus à domino suo, ut ex ove occisa acciperet optimam partem: accepit linguam & cor. Jussus deinde, ut pessimam partem acciperet, accepit item linguam & cor. Hæc Zamchascerius, quæ satis convenium cum iis, quæ de Æsopo habet Planudes. Porrò *Locman*, idem significat ac *Vorax*, qualis erat Æsopus. In Alcorano autem, parænesis, quam habet Locman ad filium suum, valdè similis est ei, quam Æsopum ad suum habuisse refert Planudes; & in utraque sententiæ quædam ferè eædem reperiuntur. Nomina etiam filiorum non sunt absimilia: nam Locmanis انعم *Anaam*, seu *Enaam*, Æsopi autem *Enno* filius vocabatur. Denique, cùm fabulæ Locmanis plerasque cum Æsopicis conveniant, dubitandum non est, eumdem fuisse Locman, & Æsopum. Gratulandum est igitur Mahumetanis, quòd tales Sanctos illis Mahumetus in Alcorano suo colendos proponat.

Ex Sura 32. السجدة *Adoratio.*

Vers. 5. Dicitur de Deo: يدبّـــر الامـــر من

السمـــاء الى الارض ثـــم يعرج اليـــه فى يوم

كان مقداره الـــف سنـــة ممّـــا تعدّون :

Gubernat res à Cœlo usque ad terram: deinde revertentur ad eum in die, cujus mensura erit mille annorum, ex iis, quos enumeratis (in Mundo). Supremum judicium brevissimo spatio temporis absolvendum esse, tenent etiam Mahumetani, qui unanimi propè assensu, dimidiæ diei spatium illi constituunt. Mendax igitur erit Mahumetus, qui mille annos illi assignat. Gelal recurrit hic ad metaphoras, contra leges Sonnitarum. Sed Alcorani verba sunt satis clara.

Ex Sura 33. الاحزاب *Conjurati.*

Vers. 7. Loquitur Deus Mahumeticus: واذ اخذنـــا

من النبيّين ميثاقهـــم ومنك ومن نوح ولبراهيم

وموسى وعيسى ابن مريـــم واخذنا منهـــم ميثاقًا

غليـــظًا . *Et* (memento) *cùm accepimus à prophetis pactum eorum; & à te, & à Noe, & Abraham, & Moyse, & Jesu filio Mariæ: & accepimus ab illis pactum firmum.* Jam suprà vidimus, Mahumetum delirare cum Rabbinis, dum putat, prophetarum omnium animas fuisse in Monte Synai cum Moyse, ibique Deum cum illis pactum iniisse. Sed Gelal vult hic agi de alio pacto, & alio tempore, nimirùm

زجين اخرجوا من صلب ادم كالذر وهي لصغر النمل

Digitized by Google

quando prophetæ exire facti fuere à Deo è lumbis Adam tamquam formiculæ minutissimæ.

Vers. 66. Ita legimus : يا ايها الذين امنوا

لا تكونوا كالذين اذوا موسى فبرّأه الله مما قالوا

وكان عند الله وجيها :

O fideles, ne sitis sicut illi ; qui læserunt Moysen (detrahendo famæ illius). *Quamquam purgavit eum Deus ab eo quod dixerant* (contra illum) *& ipse fuit apud Deum illustris.* In quanam re læsus fuerit Moyses, & quomodo purgaverit eum Deus, docent Expositores, & præsertim Gelal, his verbis : اذوا موسى

بقولهم مثلاً ما يمنعه ان يغتسل معنا الا انه

آدر وتبرّاه الله مما قالوا بان وضع ثوبه على

حجر ليغتسل ففرّ الحجر به حتى وقف به بين

ملاء من بني اسرايل فادركه موسى

فاخذ ثوبه فراءه لا ادرة به :

Læserunt Moysen (Israelitæ), *proverbiantes eum, ac dicentes : Non retinet eum, quin lavet se nobiscum* (lavabat enim se separatim è cæteris) *nisi quia hernioſus eſt. Deus autem purgavit eum ab hac calumnia per hoc, quòd, cùm Moyſes poſuiſſet veſtimenta ſua ſupra petram, eò quòd vellet ſeſe lavare; petra cæpit fugere* (unà cum veſtibus ſupra ſe poſitis) *donec pervenit & conſtitit in medio multitudinis Iſraelitarum : Moyſes autem currens nudus poſt eam, ut aſſequeretur illam, pervenit & ipſe* (abſque eo quod animadverteret) *in medium populi, ut tolleret veſtimenta ſua : & ita viderunt omnes illum non eſſe hernioſum.* Infulîum prorſus figmentum.

Vers. 69. Introducitur Deus ita loqui : انّا عرضنا

الامانة على السموات والارض والجبال فابين ان

يحملها واشفقن منها وحملها الانسان :

Nos propoſuimus fidem cœlis, & terræ, & montibus; & renuerunt eam portare, & formidaverunt ab ea: & portavit eam homo. Gelal, nomine fidei, intelligit opera religionis, per quæ quis præmium meretur. Hæc autem Deus cœlis, terræ, & montibus propoſuit, بان خلق فيها فهما ونطقاً : *quia creavit in illis intelligentiam, & loquelam.* Nil ineptius dici poterat. Fides, & religio, ejuſque actus non poſſunt convenire niſi ſubjecto rationali : Cœlos autem, terram, & montes eſſe rationalia, ille ſolus dicet, aut credet, qui omni prorſus caret ratione.

Ex Sura 34. سبا *Saba.*

Vers. 10. Recoquit fabulas de David & Salomone: quomodo Deus juſſerit montes & volucres alternatim canere divinas laudes cum David : eidemque mollefecere fecerit ferrum in manibus, quò faciliùs ex eo loricas conficeret ad uſum belli. Quomodo etiam Salomoni ventos ſubjecerit, ituut flarent ad imperium illius: quomodo fluere fecerit ei fontem æris liquidi: quomodo Genios, ſeu Dæmones tradiderit ei in operarios, qui ſi ſegnes iuiſſent in opere, flagellis ignéis à Deo puniebantur. Ædificabant autem ei turres excelſas : formabant ſtatuas, paropſides amplas ſicut piſcinas, ollas, & alia hujuſmodi opera. Concludit autem v. 14. his verbis : فلما قضينا عليه الموت

ما دلّهم على موته الا دابّة الارض تاكل منساته فلما

خرّ تبيّنت الجن ان لو كانوا يعلمون الغيب ما

لبثوا في العذاب مهين :

Cùm autem decrevissemus illi (nempè Salomoni) *mortem* : (mortuus eſt innixus baculo ſuo, ita ut nemo cognoverit, eum mortuum eſſe, per annum integrum, ut ait Gelal : & interim Dæmones putantes eſſe vivum, defatigabantur in operibus conſuetis). *Et non manifeſtavit eis mortem ejus, niſi teredo, ſeu vermiculus terræ, qui roſit baculum, cui innitebatur. Cùmque propterea cecidiſſet Salomon, tunc manifeſtè patuit eis mors illius. Atqui ſi arcana cognoviſſent, non commorati eſſent tamdiù in operibus illis vilibus.* Fabulæ Rabbinicæ admodùm inſulſæ.

Ex Sura 35. الملائكة *Angeli :*

Vers. 1. Hæc de Angelis habentur : الحمد لله

فاطر السموات والارض جاعل الملائكة

رسلاً اولي اجنحة مثنى وثلاث ورباع :

Laus Deo Conditori Cælorum, & terræ, qui facit Angelos legatos ſuos, præditos alis binis, & ternis, & quaternis. Quamvis in Sacris Literis non ſemel Angelis alæ tribuantur, non tamen credendum eſt, illos re vera alas habere. Cùm enim ſint puriſſimi, ac ſimpliciſſimi Spiritus, non poſſunt illis materiales hujuſmodi res convenire. Ideò autem alæ illis tribuuntur, & cum illis conſueverunt hominibus apparere, ad exprimendam eorum agilitatem, & velocitatem in operando. At Mahumetus Thalmudiſtica doctrina imbutus, veras, & materiales alas Angelis tribuit, neque aliter credunt Mahumetani aſſeclæ illius.

Vers. 33. Promittit ſuis loco beatitudinis : جنات

عدن يدخلونها يحلّون فيها من اساور من

ذهب ولؤلؤاً ولباسهم فيها حرير :

Hortos Eden (ſive deliciarum): *Ingredientur in eos: ornabuntur in illis armillis ex auro, & margaritis: & amictus eorum in illis erit ſericus.* Cùm hæc Mahumetus materialiter accipiat, beatitudinem prorſus ſtramineam ſuis pollicetur.

Ex

Digitized by Google

Ex Sura 36. يس *Jas.*

Ab hac Sura (quantùm notavi) incipit Mahumetus per inauditam amentiam, & impietatem (more Ethnicorum, qui Jovem fuum,

ſtygii per flumina fratris
Per pice torrentes, atraque voragine ripas,

jurantem inducebant): Deum introducere juramenta promentem per res ſæpè frivolas, ac ridiculas; vel abſque ulla cauſa, vel pro cauſis prorſus vanis, atque etiam falſis; conglobando, pro eadem re confirmanda, duo, tria, quatuor, quinque, & plura juramenta. Porrò ne in ſingulis Suris pro his expendendis immorari cogar, ſummatim hic ea recenſebo.

In hac igitur Sura verſ. 2. Jurat Deus والقرآن الحكيم *Per Alcoranum ſapienter diſpoſitum*, Mahumetum miſſum fuiſſe à ſe eum Alcorano: & ipſum in via rectâ ambulare.

Sura 37. verſ. 1. & ſeqq. والصافات صفا فالزاجرات زجرا فالتاليات ذكرا: *Per Ordinantes cum ordine: per Agitantes cum agitatione: per Legentes commemorationem* (volunt Expoſitores, hos eſſe tres ordines Angelorum diverſi miniſterii): jurat, Deum eſſe unum, & Dominum rerum omnium.

Sura 38. verſ. 1. Jurat والقرآن ذي الذكر *Per Alcoranum continentem commonitionem.* Sed nihil ſubditur, pro quo juret.

Sura 43. verſ. 1. والكتاب المبين *Per Librum manifeſtum* (ideſt Alcoranum) jurat, ſe dediſſe Alcoranum ſcriptum lingua Arabica; ut Arabes poſſent eum intelligere.

Sura 44. verſ. 1. Iterùm والكتاب المبين *Per librum manifeſtum*, jurat, ſe miſiſſe Alcoranum in nocte Alkadar, ad homines commonendos.

Sura 50. verſ. 1. Iterùm والقرآن المجيد *Per Alcoranum glorioſum*, jurat: ſed nihil ſubditur pro quo juret.

Sura 51. verſ. 1. & ſeqq. Quatuor aggerat juramenta: 1. والذاريات ذروا *Per Spargentes cum ſparſione* (ideſt Ventos). 2. فالحاملات وقرا: *Per portantes onus* (ideſt Nubes). 3. فالجاريات يسرا. *Per currentes feliciter* (ideſt Navos). 4. فالمقسمات امرا: *Per diſtribuentes res* (ideſt Angelos, qui ſingulis victum diſtribuunt): juratque Judicium ſupremum eſſe futurum.

Verſ. 7. Jurat والسماء ذات الحبك *Per cœlum habens ſtrias*, vel *ſemitas*: Meccanos eſſe inter ſe diſcordes circa Mahumetum.

Sura 52. v. 1. & ſeqq. Quino juramento: 1. والطور وكتاب *Per Montem* (nempè Synai): 2. مسطور في رق منشور: *Per librum ſcriptum in membrana expanſa*: (explicant Pentateuchum, & Alcoranum) 3. والبيت المعمور: *Per Domum viſitatam* (hæc eſt in cœlo) 4. والسقف المرفوع: *Per tectum elevatum* (ideſt cœlum). 5. والبحر المسجور *Per mare plenum*: affirmat, Deum judicaturum, ac puniturum eſſe homines.

Sura 53. verſ. 1. Jurat والنجم اذا هوى: *Per ſtellas dum occubuerint*: Mahumetum non eſſe in errore, neque decipi: ſed à Gabriele edoctum eſſe per divinam revelationem.

Sura 68. verſ. 1. ن والقلم وما يسطرون: *Per calamum, & id quod ſcribunt* (illo ſcriptores: vel per calamum, quo ſcribunt Angeli res omnes in libro Dei) jurat, Mahumetum non eſſe obſeſſum à dæmone: & eſſe in vera religione.

Sura 69. verſ. 34. Loquens cum Meccanis, jurat بما تبصرون وما لا تبصرون: *Per id quod videtis; & per id quod non videtis*: Alcoranum non eſſe figmentum poeticum, aut magicum, ſed librum divinum. Nimis amplum campum aperuit hic ſibi Deus ad juramenta, itaut etiam per Diabolum, per porcos, per ſicarios, per adulteros, per peſſima & viliſſima quæque implicitè juraverit.

Sura 70. verſ. 31. برب المشارق والمغارب: *Per Dominum Orientium & Occidentium* (falsò quippe exiſtimat multos eſſe Mundos) jurat, ſe eſſe potentem ad ſubſtituendos alios homines Meccanis meliores.

Sura 74. verſ. 32. Triplici juramento: والقمر: والليل اذا ادبر: والصبح اذا اسفر: *Per Lunam: per noctem, quando retrocedit: per auroram, quando rutilat*: affirmat, Tartarum eſſe rem graviſſimam.

Sura 75. verſ. 1. Jurat بيوم القيمة والنفس اللوامة: *Per diem reſurrectionis; & per animam ſeſe culpantem.* Sed nihil eſt pro quo juret.

Sura 77. verſ. 1. & ſeqq. Multiplicat juramenta: والمرسلات عرفا: فالعاصفات عصفا والناشرات نشرا: فالفارقات فرقا: فالملقيات ذكرا عذرا او نذرا: *Per miſſas, ſeſe invicem conſequentes* (ideſt, Intelligentias miſſas à Deo): *Per ſpirantes impetuosè* (ideſt ventos vehementes): *Per ſpargentes cum ſparſione* (ideſt ventos imbriferos): *Per ſeparantes cum ſeparatione* (ideſt verſus Alcorani, vel Angelos, qui vera diſtinguunt à falſis): *Per immittentes monitionem ad excuſationem, vel comminationem* (ideſt Angelos, qui hoc præſtant). Tot verò juramentis affirmat, venturum eſſe diem Judicii.

Sura 79. verſ. 1. & ſeqq. quinquies ut ſuprà jurat,

rat, والنازعات غرقًا: والناشطات نشطًا والسابحات: سبحًا: والسابقات سبقًا: فالمدبرات امـــــــرًا:

Per abstrahentes violenter (idest Angelos abstrahentes animas peccatorum in morte): *Per educentes leniter* (animas justorum in morte): *Per natantes natando* (idest Angelos volantes inter cœlum & terram): *Per præcedentes cum præcessione* (Angelos, qui præcedunt animas in Paradisum). *Per moderantes res* (Angelos rebus moderandis præpositos). Hæc autem omnia juramenta sunt ad veritatem diei Judicii contestandam.

Sura 81. vers. 15. بالخنّس الجوار الكنّس والليل اذا عسعس والصبح اذا تنفّس: *Per currentes sese occultantes* (idest quinque planetas): *Per noctem quando venit cum tenebris, & recedit: & per Auroram cùm aspiraverit*: jurat, Alcoranum delatum fuisse à Gabriele: & Mahumetum non esse obsessum à dæmone. Magnum sanè perjurium.

Sura 83. vers. 14. Jurat بالشفق والليل وما وسق والقمر اذا اتسق: *Per rubedinem relictam à Sole in horizonte post occasum: Per noctem, & ea, quæ congregat* (scilicet bestias): *Per Lunam cùm plena fuerit*: jurat, inquam, hominibus, لتركبنّ طبقًا عن طبق: *Certè conscendetis à contignatione in contignationem*: idest, transferemini à vita in mortem; & à sepulcro ad resurrectionem.

Sura 85. vers. 1. & seqq.: والسماء ذات البروج واليوم الموعود: وشاهد ومشهود: *Per cœlum habens turres* (idest signa Zodiaci): *Per diem promissam* (Resurrectionis): *Per testificantem, & testificatum*: jurat maledictos esse اصحاب الاخدود *Socios* (idest auctores) *Foveæ*. Nempè Dunaan tyrannum, & Judæos, qui in odium Christi, combusserunt in foveis plenis igne multos Christianos in Arabia, de quibus anteà loquuti sumus.

Sura 86. vers. 1. والسماء والطارق: *Per Cœlum, & noctu venientem* (idest ut explicat mox Alcoranus, *Stellam penetrantem*) jurat, omnem animam habere suprà se Angelum custodem.

Vers. 11. iterùm jurat والسماء ذات الرجع والارض ذات الصدع: *Per cœlum habens reditum* (seu revolutionem): *& per terram habentem fissuras*: Alcoranum distinguere vera à falsis, nec continere nugas.

Sura 89. vers. 1. Jurat والفجر: وليال عشر: والشفع والوتر: والليل اذا يسر:

Per Auroram: per decem noctes: per conjunctionem, & separationem: per noctem quando accedit, & recedit. Sed quid juret, non apparet: & divinandum est. Idem rustici, bajuli, infimæque plebis homines consuevere, qui sæpè ex habitu, non ex certa intentione, juramenta effutiunt.

Sura 90. vers. 1. Jurat: بهذا البلد ووالد وما وُلِدَ

Per hanc regionem (idest Meccam) *& per generantem, & quod generat* (idest per genitum): se creasse hominem in ærumnis. Falsum: nam Deus creavit hominem in statu felici; sed ipse se in ærumnis per culpam constituit.

Sura 91. vers. 1. & seqq. septem, vel potiùs novem juramentis: والشمس وضحيها: والقمر اذا تليها: والنهار اذا جلّيها: والليل اذا يغشيها: والسماء وما بناها: والارض وما طحيها: ونفس وما سوّيها:

Per Solem, & splendorem ejus: Per Lunam, cùm subsequitur illum: Per diem, cùm fulgentiorem ostendit illum: Per noctem, cùm cooperit illum: Per cœlum, & qui fabricavit illud: Per terram, & qui expandit eam: Per animam, & qui conformavit eam: pronunciat, felicem esse illum, qui animam à culpis emundat: infelicem verò, qui eam peccatis commaculat. Nullo opus erat juramento, ut Deo in hac veritate omnibus notissima fides haberetur.

Sura 92. vers. 1. & seqq. triplici juramento: والليل اذا يغشي: والنهار اذا تجلى وما خلق الذكر والانثي:

Per noctem, quando cooperit (omnia tenebris): *Per diem, cùm clarior apparet: Per eum, qui creavit marem & fœminam*: asserit, studia hominum dissimilia esse inter se. Ita jurare poterat, non omnes homines eumdem habere nasum, vel eandem barbam. Illud enim non minus quàm hoc universis notum est.

Sura 93. vers. 1. Jurat والضحي والليل اذا سجي:

Per elevationem solis, & per noctem intempestam; se non dereliquisse, neque odisse Mahumetum.

Sura 95. vers. 1. والتين والزيتون وطور سينين وهذا البلد الامين. *Per ficum, & oleam, & Montem Synai: & per hanc Regionem securam* (idest Meccam): jurat, se creasse hominem in optimo statu: contra id, quod suprà juraverat Sura 90.

Sura 100. vers. 1. triplici juramento: والعاديات صبحًا: فالموريات قدحًا: والمغيرات صبحًا:

Per equos concitatos cum fremitu anhelanti: Per equos incutientes pedes ad silices, cum excussione ignis: Per equos sese in cursu æmulantes primo mane: affirmat, hominem esse Deo ingratum. Res nimis aperta.

Sura 103. vers. 1. Jurat والعصر: *Per tempus pomeridianum*: hominem esse in jactura. Notum lippis, & tonsoribus.

Hæc

Digitized by Google

Hæc sunt juramenta Dei, quæ in Alcorano notavi. Paucis autem ex his præmittitur particula negativa لا *non*, quam conveniunt Expositores esse زائدة *superfluam*; vel non referri ad juramentum, sed ad aliquid antecedens, v. g. Itaut, cùm Sura 90. fingitur Deus dicere لا اقسم بهذا البلد *Non juro per hanc regionem*; vel, *non*, sit abundans: vel supponatur, Mœcanos protulisse anteà aliquid falsum: Deum verò respondere, لا *non*: ideſt, non est ita, ut dicitis: & ibi sistere; ac deinde juramento suo contrarium confirmare. Hoc verò in tribus vel quatuor locis reperitur.

Porrò sive spectes hìc personam jurantem: sive res, per quas jurat: sive eas, propter quas jurat: sive modum ipsum jurandi, non poteris Mahumeti stultitiam non admirari, & impietatem non detestari. Certè S. Paulus in Epist. Hebr. cap. 6. manifestè docet, nefas esse nisi per aliquem se majorem jurare, si tamen habeat majorem, quemadmodum habent omnes creaturæ, nempè Deum. *Abrahæ* (inquit Apostolus) *promittens Deus, quoniam neminem habuit, per quem juraret; juravit per semetipsum.* Et mox subdit: *Homines enim per majorem sui jurant;* nempè per Deum sive immediatè, & explicitè in se ipso: sive mediatè in iis rebus, quæ Deo sunt consecratæ, & in quibus Divina Majestas consuevit ab hominibus specialiter recognosci: itaut per eas jurando, intelligatur cadere juramentum super ipsum Deum: & sub hac formalitate res illæ majores sunt homine jurante. Ideò autem exigitur ab homine juramentum per majorem se; quia illius fides non est ita certa, ut non possit de ea dubitari. Cùm autem adducat veluti vadem fidei suæ divinum testimonium, facilius creditur illius asserto. Deus verò, qui est Veritas infallibilis, non eget teste, qui illo sit major, ad hoc ut illi fides habeatur. Hinc patet, quàm stultè & impiè Mahumetus introducat Deum jurantem per creaturas, ad hoc ut ab hominibus sibi fides habeatur: quid enim est hoc, nisi tribuere majorem veritatem creaturis, quàm Deo, & Deum minorem facere creaturis suis? Hùc accedit, juramentum ferre secum actum aliquem venerationis erga illa, per quæ juratur, ob dignitatem, quam in se habent; cujusmodi sunt Templa, Aræ, Sacri libri, Cruces, &c. Imò tantò gravius erit juramentum, quantò dignius est illud, per quod juratur. Quis autem, nisi penitùs amens, dixerit, Deum exhibere venerationem suis creaturis? Id verò facere intelligeretur, si per eas juraret.

Quid verò dicemus de rebus ipsis, per quas Deus Mahumeticus jurat? Per cœlum, per Angelos, per Pentateuchum, per Solem, per Lunam, per Stellas. Tolerari potest. Per Mœcam, per Alcoranum, per ventos, per nubes, per naves, per calamum scriptorium, per noctem, per conjunctionem & separationem, per ficum, per oleam, per equos; denique per omnia visibilia, & invisibilia, inter quæ certè multa sunt indignissima, vilissima, atque etiam Deo ipsi exosa: quis non exhorrescat? Ne Mahumetani quidem ipsi, ut opinor, per hæc jurabunt. At enim Deo omnia licent. Licent sanè, si rectæ rationi, summæque Dei ipsius perfectioni non adversentur.

Res verò, pro quibus jurat, ut vidimus, pleræque ejusmodi sunt, ut juramentum ipsum vel ridiculum, vel vanum & otiosum; vel etiam falsum reddant. Jam hoc vidimus. Sed quod est majoris insaniæ, non semel jurat aliquid per illud ipsum quod jurat. Jurat enim per Alcoranum, ipsum esse librum divinum: & per diem Resurrectionis, Resurrectionem ipsam esse futuram. Non secus ac si quis per Petrum, qui habetur fur, juraret, illum non esse furem.

Postremò hujusmodi juramenta in rebus etiam stramineis ac levissimis, ita conglomerat, ut pro eadem re bis, ter, quater, quinquies, septies, novies uno impetu jurare non vereatur, in morem mulierculārum & puerorum, qui cùm maximè mentiuntur, maximè juramenta multiplicant. At Deo satis est semel jurasse, ut omnis illi fides sit adhibenda. Quamobrem ipsemet dixit in Psal. 88. *Semel juravi in Sancto meo, si David mentiar.* Sufficit quippe, ut semel juret in Sancto suo, ideſt per sanctitatem suam, nempè per seipsum, ad hoc ut omnis mendacii suspicio ab illius verbis procul removeatur. Porrò si Deus per seipsum jurans semel tantùm, fidem ab hominibus non meretur; neque merebitur, etiam si millies, ac centies millies juret per creaturas.

Si Alcoranus nihil aliud impii ac nefarii contineret, quàm quod hactenus de his Dei juramentis dictum est; mereretur nihilominus ab universo terrarum orbe eliminari, & gehennæ flammis, ut ne cineres quidem superessent, comburi. Sed pergo ad reliqua.

Vers. 53. Iterùm reponit in Scena Paradisum suum: his verbis: --- ان اصحاب الجنة اليوم فى شغل فاكهون هم وازواجهم فى ظلال على الارائك متكئون لهم فيها فاكهة ولهم ما يدعون سلام قولا من رب رحيم: *Porrò habitatores Paradisi occupabuntur hodie in voluptatibus, & deliciis. Ipsi, & uxores eorum morabuntur in umbraculis super lectulos recumbentes. Ibi habebunt poma, & quidquid postulaverint, & dicetur illis: pax, à Domino misericorde.* Præter hæc extrema verba, cætera olent ganeam, non Paradisum.

Ex Sura 37. الصافات *Ordinatrices.*

Vers. 41. Ferè iisdem verbis, sed cum nonnullis appendicibus retrudit ea, quæ de Paradiso jam dixerat: nempè: الا عباد الله المخلصين اولئك لهم رزق معلوم فواكه وهم مكرمون فى جنات النعيم على سرر متقابلين يطاف عليهم بكاس من معين بيضاء لذة للشاربين لا فيها غول ولا هم عنها ينزفون وعندهم قاصرات الطرف عين كانهن بيض مكنون واقبل بعضهم على بعض يتساءلون قال قائل منهم انى كان لى قرين: *Sed servis Dei sinceris erunt ad provisionem victus* (manè & vesperè) *poma: & ipsi magno erunt in honore, in hortis deliciarum super*

Digitized by Google

per lectulos sese invicem respicientes. Circumferetur illis calix ex fonte (vini) *albo, ad voluptatem bibentium. Non erit in eo offuscatio intellectus, neque ipsi inebriabuntur. Juxta eos accubabunt puellæ cohibentes oculos* (ne alios respiciant præter maritos suos) *amplis oculis præditæ, quasi ipsæ essent ovum coopertum. Convertent se alii eorum ad alios, & sese mutuò interrogabunt. Dicet quispiam eorum: Erat mihi in Mundo quidam conjunctus.* Pergit, narrans, quomodo penè fuerit seductus ab eo: & invitat alios, ut eant secum ad eum videndum in gehenna è feneſtris Paradiſi. Recuſantibus autem illis ire, vadit ſolus, & cum vicino illo ſuo conſabulatur. His nugis Mahumetus Arabes rudes & carnales ad ſectam ſuam allicere conabatur.

Verſ. 76. & ſequentibus, redit ad hiſtorias ſeu fabulas Noe, Abrahæ, Moyſis, Lot, Jonæ: quibus addit Eliam.

Verſ. 103. Refertur præceptum Dei ad Abraham, de ſacrificando filio, & verſ. 108. concluditur tota hiſtoria his verbis: وفديناه بذبح عظيم. *Et redemimus eum hoſtia magna.* Hanc hoſtiam ſcribit Gelal. ex ſenſu reliquorum Expoſitorum fuiſſe: كبش من الجنة وهو الذي قربه هابيل حلا به جبرائيل: فذبحه الحمل *Arietem ex paradiſo; illum ſcilicet, quem obtulerat Habel. Adduxit autem eum Gabriel è Paradiſo, & Abraham immolavit eum in honorem Dei.* Nunc etiam credunt Moſlemi, hunc arietem eſſe in Paradiſo: quamobrem neceſſe eſt, illum bis refuſcitatum fuiſſe. Cùm autem non exprimat Mahumetus, quiſnam fuerit ille filius, quem immolare juſſus eſt Abraham, tenent communiter Expoſitores, & Mahumetani, illum fuiſſe Iſmael, & volunt hoc manifeſtè oſtendi ex Alcorano, ubi poſt narratam hanc de filii immolatione hiſtoriam, ponitur, verſ. 112. annunciatio nativitatis Iſaac. Atqui ex Sacris Literis certiſſimum eſt, hunc non Iſmael, ſed Iſaac fuiſſe.

Ex Sura 38. ص *Sad.*

Verſ. 13. Refricat, licèt breviter, hiſtoriolas Noe, Hud, & Aadæorum; Pharaonis, Saleh, & Thamudæorum: Lot, & Madianitarum; David, & monſtrum, & volucrum cum eo laudantium Deum.

Verſ. 22. Refert hanc de David fabellam; quam utpote longiuſculam, latinè tantùm fideliter dabo. Ita igitur alloquitur Mahumetum Deus ſuus: *An verò pervenit ad notitiam tuam hiſtoria Litigantium, cùm aſcenderunt per murum in Oratorium David* (nempè per feneſtras: nam ſi per januam introiſſent, illum orantem exturbaſſent. Acumen Gelalis). *Et intraverunt ad David, & ipſe timuit ab eis. At illi dixerunt: Ne timeas: nos ſumus duo litigantes, quorum alter adverſus alterum injuſtè inſurrexit. Judica ergo inter nos cum veritate, & ne iniquè agas, ſed oſtende nobis æquitatem viæ,* (ideſt juſtitiam cauſæ hujus). *Porrò huic fratri meo erant novem ac nonaginta oves: mihi verò ovis unica. Et dixit mihi: Da mihi eam cuſtodiendam; & prævaluit contra me in ſermone. Reſpondit David: Jam porrò iniquus fuit erga te in petitione ovis tuæ, ut adjungeret eam ovibus ſuis. Et quidem multi, qui ineunt ſocietatem in negotiis, violenter agunt alii contra alios, præter eos, qui credunt, & operantur bona. Sed quàm pauci ſunt hi!* Concludit narrationem: وظن داود انما فتناه فاستغفر ربه وخر راكعا وناب فغفرنا له ذلك وان له عندنا لزلفى وحسن ماب: *Et cognovit David, quòd nos tentaveramus eum* (per uxorem Uriæ) *& veniam petiit à Domino ſuo, & procidit in genua provolutus, & reverſus eſt ad Deum: Nos verò pepercimus ei hoc* (peccatum): *& quidem fuit illi apud nos augmentum* (bonorum in hoc Mundo) *& pulcher regreſſus* (in Paradiſum). En quomodo pervertat, atque in fabulam vertat impius ſcurra Sacram hiſtoriam, quæ habetur lib. 2. Regum cap. 12. Gelal auttumat, hos duos litigantes fuiſſe Angelos, qui per eam parabolam voluerunt excitare David ad cognitionem peccati ſui cum uxore Uriæ, & ad agendam pro illo pœnitentiam.

Verſ. 33. Hæc legimus de Salomone: اذ عرض عليه بالعشي الصافنات الجياد فقال انى احببت حب الخير عن ذكر ربي حتى توارت بالحجاب ردوها على: فطفق مسحا بالسوق والاعناق *Cùm expoſiti fuiſſent coram eo veſperè equi velociſſimi, qui ſtantes ſupra tres pedes, ungula quarti pedis terram tangebant* (& ad ſtantium eorum intentus, omiſiſſet orationem veſpertinam) *dixit: Ego amavi bonum* (transitorium ac mundanum) *pluſquam memoriam Domini mei*, (non perfolvendo orationem veſpertinam) *donec abſconderetur Sol ſub velamine* (noctis: ut curioſiùs equos currentes inſpiceremus.) *Reducite equos illos ad me.* (Cùmque reducti fuiſſent) *præcidit crura, & colla eorum.* Figmentum pium.

Verſ. 36. Ita pronunciat Deus Mahumeticus de eodem Salomone. ولقد فتنا سليمن والقينا على كرسيه جسدا ثم اناب قال رب اغفرلى وهب لى ملكا لا ينبغى لاحد من بعدى انك انت الوهاب: *Et jam quidem caſtigavimus Salomonem, & poſuimus ſuper ſedem ejus corpus. Deinde converſus eſt ad Deum, & dixit: Domine mi, parce mihi, & da mihi regnum, quod non competat ulli poſt me, tu quippe es donator.* His paucis verbis innuitur fabula longiſſima, quam Mahumetus & Mahumetani acceperunt à Thalmude in lib. עין יעקב p. 2. Tract. נמרא: & in lib. ילקוט ſuper libros Regum c. 282. Ego illam ex تاريخ Iſmaelis Ebn-Aly fideliter referam:

Habebat Salomon puellam, cui tradebat anulum ſuum, cùm ingredi vellet in latrinam, ſeu, ut alii volunt, in balneum. Tradidit autem illi die quadam, & ingreſſus eſt in latrinam: & interim venit ad eam dæmon nomine Sakar (in Thalmud dicitur fuiſſe Haſmodæus) *in figura Salomonis, & accepit ab*

Digitized by Google

ab ea anulum, ac projecit in mare. Sakar autem (assumpta figura Salomonis) *sedit super thronum ejus: & mutavit statuta & judicia ejus super filios Israel. Porrò Salomon exiens è latrina, quærebat anulum suum, in eo quippe sita erat stabilitas regni ejus; sed non invenit eum. Et cognovit, quòd Deus Excelsus ipsum punire voluisset: cœpitque circuire terram, ac dicere; Ego sum Salomon. At ipsi negabant eum esse* (non enim amplius agnoscebant illum) *usquequo quadraginta dies* (alii majus spatium ponunt) *pertransissent. Salomon interea nihil comedit: sed transiens deinde per quandam viam, incidit in aliquos piscatores, & petiit ab eis cibum. Illi verò piscem ei dederunt; cujus ventrem cùm aperuisset, invenit in eo anulum suum. Recuperato igitur per hunc anulum regno, comprehendit dæmonem Sakar, & alligavit eum cum saxo prægrandi, & projecit in mare Tyberiadis.* Eodem ferè modo refertur fabula à cæteris Expositoribus, & à Rabbinis in Thalmude; ubi etiam habetur, Salomonem comprehendisse Hasmodæum, inebriando illum vino posito in puteo, ex quo ille defessus sitim extinguere solebat, cùm priùs aquam, quæ in illo erat, exhausisset: nam sobrium, ob illius velocitatem & agilitatem, nunquam capere potuisset. Et hoc totum mysterium, seu verius delirium, in paucis illis Alcorani verbis continetur: post quæ, vers. 38. rursus venti, & Dæmones (quidam etiam compedibus vincti) Salomoni famulari introducuntur.

Vers. 43. Inducit in Scenam Job, cui Deus præcipit, ut pede percutiat terram: nam fonte, qui statim inde emanabit, poterit corpus lavare ulcerosum, ac refocillare, & contractam sitim extinguere: & concludit, vers. 46.

وخذ بيدك ضغثا فاضرب به

ولا تحنث انا وجدناه صابرا:

Et cape manu tua fasciculum (virgarum) *& percute eo* (uxorem tuam) *& ne violes jusjurandum. Nos certè invenimus illum patientem.* Hæc dicuntur, quia (ut scribit Gelal, & cæteri Expositores) Job, dum morbo suo laboraret, juraverat se inflicturum centum ictus uxori, cùm convaluisset, ob culpam nescio quam ab ea admissam. Ubi verò convaluit, voluit Deus, ut posset huic juramento satisfacere, semel tantùm percutiendo uxorem fasciculo centum virgarum ex junco odorato; vel, ut alii malunt, ramo palmæ, in quo erant centum folia. O ingenia nugis fœcunda!

Vers. 52. Rursum Paradisus, pocula, poma, puellæ, lectuli, &c.

Vers. 72. Redit Adam cum Angelis ipsum adorantibus, & Diabolo adorare recusante, ac propterea ejecto è paradiso, post longam cum Deo altercationem.

Ex Sura 39. الزمر *Caterva.*

Vers. 67. Hæc habentur de die Judicii: ونفخ

في الصور فصعق من في السموات ومن

في الارض الا ما شاء الله ثم نفخ فيه

اخرى فاذا هم قيام ينظرون: *Et in-*

sufflabitur in tubam (prima vicè) *& corruent mortui, qui sunt in cœlis, & qui sunt in terra, præter eos, quos voluerit Deus. Deinde insufflabitur in eam* (post quadraginta annos) *secunda vice: & ecce ipsi* (qui erant mortui) *resurgent, & expectabunt* (quid futurum sit.) Alibi etiam habetur in Alcorano, ad sonum primæ tubæ morituros esse omnes terrigenas, & cœligenas, exceptis iis, quos Deus voluerit, nimirùm juxta Gelaleddinum: الحور والولدان وبهيمها, *puellas nigrioculas Paradisi, & pueros ejus, & alios.* Jahas excipit Gabrielem, Michaelem, Asraphelem, & Angelum mortis: qui tamen omnes ante signum secundæ tubæ morientur, & Angelus mortis morietur postremus omnium: & ad prædictum signum resurgent. Quis unquam somniavit, Angelos esse morituros, vel etiam capaces esse moriendi, cùm sint puri spiritus, & simplicissimæ intelligentiæ? Sed Mahumetus credit, non secus ac homines ex terra, ita Angelos ex igne creatos fuisse. Quamobrem error errorem excusat.

Ex Sura 40. المؤمن *Fidelis.*

Vers. 24. Redit Moyses, Pharao, Haman, turris pertingens ad cœlum, & alia figmenta toties decantata. Interseritur quidam è familia Pharaonis, qui cùm credidisset in Moysen, prædicat Ægyptiis religionem ejus, & cultum unius Dei: de quo tamen nihil legimus in Pentateucho. Quare inter confusetas fabulas recensendum est.

Ex Sura 41. فصلت *Distincta sunt.*

Vers. 9. Habetur, Deum creasse terram duobus diebus: & quatuor diebus produxisse ex ea necessaria ad victum pro homine, & cæteris animalibus. Deinde creasse cœlum ex fumo, & distinxisse illud in septem cœlos duobus diebus: & posuisse in cœlo terris proximo luminaria, & custodiam Angelorum cum jaculis flammeis ad arcendos dæmones, ne accederent ad audienda colloquia Angelorum, ac divinas revelationes.

Omnia hæc sunt contra veritatem Sacræ Historiæ, sive attendantur dies, quibus terra, cœlum, & cætera creata fuisse supponuntur: sive materia illa fumi, ex qua cœlum formatum fuisse dicitur: sive luminaria in ultimo cœlo posita, cùm in eo luna tantùm posita fuerit: sive demum custodia illa fictitia Angelorum, quæ (etiam ex testimonio & asserto Mahumetanorum) non fuit posita nisi post ortum Mahumeti.

Vers. 15. Recinet aliquid de Aadæis & Thamudæis.

Ex Sura 43. الزخرف *Ornamentum.*

Vers. 25. Refricantur digladiationes Abrahæ cum patre suo circa idola, & cultum unius Dei.

Vers. 44. Iterùm prosilit Moyses cum Pharaone.

Vers. 66. Rursum Paradisus cum conjugibus; paropsides ex auro; calices sine ansis, ut facilius ex quacumque parte possint accipi & exhauriri: copia pomorum, & quicquid possit ad voluptatem & hilaritatem desiderari.

Vers. 73. Dicitur de damnatis in Gehenna: ونادوا

Digitized by Google

وَنادَوا يا مالِكُ لِيَقْضِ عَلَيْنا رَبُّكَ : *Et clamabunt dicentes: O Malec, fac ut tandem absumat nos Dominus tuus.* Iste Malec est Angelus præpositus à Deo super Gehennam, quem fingunt, interrogatum à damnatis non respondere nisi post mille annos.

Ex Sura 44. الدخان *Fumus.*

Vers. 4. Loquens de nocte, in qua demissus fuit Alcoranus è cœlo, hæc habet : فِيها يُفْرَقُ كُلُّ أَمْرٍ حَكِيمٍ أَمْرًا مِنْ عِنْدِنا : *In ea disponitur omnis res sapienter per imperium nostrum.* Clariùs glossa Gelalis. فِيها يُفْصَلُ كُلُّ أَمْرٍ مُحْكَمٍ مِنَ الأَرْزاقِ وَالآجالِ وَغَيْرِهِما اَلَّتِي تَكُونُ فِي مُدَّةِ اِلَى مِثْلِ تِلْكَ اللَّيْلَةِ : *In ea distinctè sapienterque disponuntur à Deo universa spectantia ad vitam & mortem hominum, & ad alia, quæ futura sunt eo anno, usque ad eandem noctem sequentis anni.* Vocatur autem hæc nox, لَيْلَةُ القَدْرِ *Nox Alcader*, ideſt *Decreti*, ſeu *Diſpoſitionis*. Atqui Deus omnia decrevit ac diſpoſuit ab æterno diſtinctiſſimè, & ſapientiſſimè, & nimis puerile eſt credere, eſſe aliquam peculiarem noctem quotannis, in qua decernat ac diſponat res futuras illius anni.

Vers. 17. Retruditur Moyſes cum Pharaone.

Vers. 42. Loquens de pœnis gehennæ, hæc habet : اِنَّ شَجَرَةَ الزَّقُّومِ طَعامُ الأَثِيمِ كَالْمُهْلِ يَغْلِي فِي الْبُطُونِ كَغَلْيِ الْحَمِيمِ خُذُوهُ فَاعْتِلُوهُ اِلَى سَواءِ الْجَحِيمِ ثُمَّ صُبُّوا فَوْقَ رَأْسِهِ مِنْ عَذابِ الْحَمِيمِ ذُقْ اِنَّكَ اَنْتَ الْعَزِيزُ الْكَرِيمُ : *Certè arbor Zacum erit cibus peccatoris; ſicut amurca nigerrima ebulliet in ventre eorum in morem aquæ ferventiſſimæ. Arripite eum, & pertrahite in medium Tartari: deinde effundite ſuper caput ejus aquam ferventem:* (& dicite ei): *Guſta: quippe tu es potens ille, ac honoratus.* Hæc eenties recantantur in Alcorano, & quidem materialiter, &, ut verba ſonant, à Moslemis creduntur. Nam allegoricè accepta, vel figuratè, eſſent tolerabilia.

Vers. 50. Redit in ſcenam Paradiſus cum hortis, fontibus, veſtibus fericis, leſtulis, ſeu carrucis, omni genere pomorum, & puellis albis grandiuculis, ad libidinem exercendam deſtinatis.

Ex Sura 46. الاحقاف *Alahkaph.*

Vers. 21. Redit ſpectantibus in Scenam Hud cum Aadæis.

Vers. 29. Alloquitur Mahumetum Deus ſuus fictitius : وَاِذْ صَرَفْنا اِلَيْكَ نَفَرًا مِنَ الْجِنِّ يَسْتَمِعُونَ الْقُرْآنَ فَلَمَّا حَضَرُوهُ قالُوا اَنْصِتُوا فَلَمَّا قُضِيَ وَلَّوْا اِلَى قَوْمِهِمْ مُنْذِرِينَ قالُوا يا قَوْمَنا اِنَّا سَمِعْنا كِتابًا اُنْزِلَ مِنْ بَعْدِ مُوسَى مُصَدِّقًا لِما بَيْنَ يَدَيْهِ يَهْدِي اِلَى الْحَقِّ : *Et memento cùm venire fecimus ad te quoſdam ex Dæmonibus, ut audirent Alcoranum. Cùm autem ad te pervenirent,* (& te illum legentem audiſſent) *deſierunt ad invicem: Attenti eſtote. Cùm autem abſolviſſes lectionem, reverſi ſunt ad gentem ſuam, prædicaturi id quod audierant: & dixerunt: O populi noſter, nos certè audivimus librum, qui deſcendit è cœlo poſt Tentatenchum Moyſis, & confirmat Sacros libros anteà traditos, dirigitque ad veritatem. Erant Dæmones hi* (juxta gloſſam Gelalis) *ex Niſibina, ſeu ex Arabia felici; vel ex Ninive. Erant autem ſeptem, vel novem. Mahumetus porrò legebat Alcoranum in concavo trunci cujuſdam palmæ in aurora; eratque cum ſociis ſuis.* Addit, illos anteà fuiſſe Judaicæ religionis profeſſores, & Mahumetiſmum amplexos fuiſſe. Gratulandum eſt Moslemis, quòd eorum ſectæ aggregati ſint Dæmones Judæi. Sibi habeant tàm bellos ac lepidos neophytos, ac proſelytos.

Ex Sura 47. القتال *Bellum.*

Vers. 16. En iterùm Paradiſus, ſed parumper immutatus. مَثَلُ الْجَنَّةِ الَّتِي وُعِدَ الْمُتَّقُونَ فِيها اَنْهارٌ مِنْ ماءٍ غَيْرِ آسِنٍ وَاَنْهارٌ مِنْ لَبَنٍ لَمْ يَتَغَيَّرْ طَعْمُهُ وَاَنْهارٌ مِنْ خَمْرٍ لَذَّةٍ لِلشّارِبِينَ وَاَنْهارٌ مِنْ عَسَلٍ مُصَفًّى وَلَهُمْ فِيها مِنْ كُلِّ الثَّمَراتِ وَمَغْفِرَةٌ مِنْ رَبِّهِمْ : *Similitudo Paradiſi, qui promiſſus eſt piis: ſunt in eo flumina aquæ incorruptibilis; & flumina lactis, cujus non immutatur guſtus: & flumina vini ſuavis bibentibus: & flumina mellis puriſſimi: & copia omnis generis fructuum; & indulgentia à Domino ſuo.* Hoc loco مثل *ſimilitudo*, exponitur communiter صفة *prædicatum proprium*. Nam tenentur Moslemi hæc credere materialiter, & juxta ſonum verborum. Mirum verò, quòd Mahumetus vinum concedat in cœlo, quòd tàm rigidè ſuis in terra interdixit. Magis verò mirum, quòd cùm incolæ hujus Paradiſi ſemper poma comedant, non ſecus ac ſi in ſylvis Calabrorum jugiter morarentur, dyſenteriam aſſiduè non patiantur. Benè eſt, quòd vinum pro antidoto in Paradiſum introduxerit, quamvis in terra prohibuerit.

Ex Sura 48. الفتح *Aperitio.*

Vers. 5. Redit Paradiſus cum hortis, & fluminibus.

Vers. 29. Hæc habentur de Mahumeto, & Mahumetanis : مُحَمَّدٌ رَسُولُ اللّٰهِ وَالَّذِينَ مَعَهُ اَشِدّاءُ عَلَى الْكُفّارِ رُحَماءُ بَيْنَهُمْ تَراهُمْ رُكَّعًا سُجَّدًا يَبْتَغُونَ فَضْلًا مِنَ اللّٰهِ

Digitized by Google

من الله ورضوانًا سيماهم فى وجوههم من اثر السجود ذلك مثلهم فى التورية ومثلهم فى الانجيل كزرع اخرج شطأه فازره فاستغلظ فاستوى على سوقه يعجب الزراع ليغيظ بهم الكفار

Mahumetus eſt legatus Dei: qui verò ſunt cum eo, feroces ſunt contra infideles; miſericordes inter ſe. Videbis illos ſeſe incurvantes, adorantes; ut exquirant excellentiam à Deo, & beneplacitum. Signa eorum ſunt in facibus eorum ex veſtigiis adorationis. Hæc eſt ſimilitudo eorum in Pentateucho. Similitudo autem eorum in Euangelio eſt ſicut ſemen, quod produxit culmum ſuum: deinde roboravit illum: tum craſſius factum eſt, & adæquatum eſt ſuper crura ſua, voluptatem afferens agricolæ. (Ita autem voluit Deus eſſe Mahumetanos) *ut ad iram excitarentur infideles per eos.* Impudentiſſimum mendacium. Nihil enim hujuſmodi in Pentateucho, vel in Euangelio reperitur.

Ex Sura 50. ق *Quoph*.

Verſ. 11. Apparent velut in tranſitu Noe cum populo ſuo, Thæmudæi, Aadæi, Pharao, Lot, Madianitæ, & nonnulli alii prophetæ & populi exotici.

Ex Sura 51. الذّاريات *Spargentes*.

Verſ. 7. Jurat Deus: والسماء ذات الحبك *Per cælum habens ſtrias*. Strias iſtas, ſeu ſemitas volunt Arabes eſſe in cœlis, ut per eas ſtellæ decurrere poſſint. Exenſandus eſt Mahumetus, ſi in re Aſtrologica hujuſmodi nugas effutit: nam, ut de Romulo dictum fuit, *arma magis, quàm ſidera norat*. Sed non meretur excuſationem, dum Deum ſuum per eas jurantem introducit.

Verſ. 24. Revertitur in ſcenam Abraham cum Angelis hoſpitibus, quorum prædictionem de Iſaac cùm audiſſet Sara, verſ. 29. اقبلت فى صرّة فصكّت وجهها وقالت عجوز عقيم قالوا كذلك قال ربّك انه هو الحكيم العليم: *advenit cum clamore ſtridulo, cadens palmis faciem ſuam, ac dicens: Ego ſum vetula ſterilis. At Angeli dixerunt ei: Ita dixit Dominus tuus, qui eſt Sapiens, Sciens.* Nuſquam legimus intemperies has ineptas de Sara ad nuncium Angelorum de Iſaac: imò ex Pentateucho conſtat oppoſitum.

Verſ. 32. Iterùm Lot & Sodomitæ.

Verſ. 38. Iterùm Moyſes cum Pharaone: & deinde Aadæi, Thæmudæi, & Noe cum gente ſua.

Ex Sura 52. الطور *Mons Sina*.

Verſ. 17. Rurſus Paradiſus cum viridariis ac deliciis, cum cibo & potu; cum lectulis & puellis, amplis pulchriſque oculis prædítis: cum pomorum copia: cum carnibus, quas appetierint. Præbent ſibi mutuò calicem vini: & eunt in gyrum miniſtrantes pocula adoleſcentes pulcherrimi ut margaritæ. Omnia verò dulciſſimis confabulationibus condiuntur.

Ex Sura 53. النجم *Stella*.

Verſ. 47. Regerit per tranſennam Aadæos, Thæmudæos, populum Noe, ac Sodomitas.

Ex Sura 54. القمر *Luna*.

Verſ. 9. Iterùm Noe cum diluvio: Hud cum Aadæis: Thæmudæi cum Saleh, & camela portentoſa: Moyſes cum Pharaone: Lot cum Sodomitis; quos modò latercuſis coctis é cœlo delapſis, & ſingulis ſingulorum Sodomitarum, qui perituri erant, nominibus conſignatis: modò per ventum, glareas, & lapillos ejaculantem, deletos fuiſſe fabulatur; atque ita execratos, ut facies eorum tota in unam veluti tabulam complanaretur.

Ex Sura 55. الرحمن *Miſerator*.

Hæc Sura tota eſt parænefis, qua Mahumetus dæmones, & homines excitat ad gratitudinem erga Deum, ob beneficia utriſque conceſſa, hortaturque eos ad bonam frugem, præſertim timore gehennæ, & ſpe paradiſi: repetitque in ea per intercalationem triginta & una vicibus hunc verſiculum: فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان: *Quodnam ergo beneficiorum Domini veſtri inficiabimini?* Refert autem Alhakem ex Giaber, Mahumetum ipſum dixiſſe: ſe nunquam legiſſe hunc verſiculum dæmonibus, quin ſtatim reſponderent: لا بشى من نعمك تكذّب فلك الحمد: *Nullum beneficiorum tuorum inficiamur: ſit ergo tibi laus*. Porrò in hac Sura effunditur in Paradiſi ſui deliciis exponendis, à v. 45. his verbis: فيهنّ بقاصرات الطرف لم يطمثهنّ انس قبلهم ولا جان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان كانهنّ الياقوت والمرجان هل جزاء الاحسان الا الاحسان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان ومن دونهما جنّتان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان مدهامّتان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان فيهما عينان نضّاختان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان فيهما فاكهة ونخل ورمّان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان فيهنّ خيرات حسان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان حور مقصورات فى الخيام فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان لم يطمثهنّ انس قبلهم ولا جان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان متّكئين على رفرف خضر وعبقرى حسان فبأىّ آلاء ربّكما تكذّبان: *Ei autem, qui timuerit præſentiam Domini ſui, erunt duo horti, ornati ramis arborum: in utriſque erunt duo fontes fluentes: in horum utroque erunt ex omni-*

Digitized by Google

mnibus pomis duo genera. Accumbent super lectos, quorum intrinsecæ partes erunt ex serico crassiori, auro intertexto: fructus verò duorum hortorum erit vicinus (terræ, ut facilè manibus carpi possit). *In his hortis erunt puellæ, modestæ aspectu: non defloravit eas ullus homo, neque genius ante illos* (quibus tradentur in conjuges). *Erunt pulchræ velut hiacynthi, aut margaritæ. Præter duos hortos erunt alii duo horti intensè virentes: & in utroque erunt duo fontes copiosis aquis jugiter manantes. In utroque erunt poma, & palmæ, & mala punica. In iisdem erunt puellæ optimæ, pulcherrimæ, præditæ oculis amplis, atque impensè nigris, & candidis, custoditæ in tabernaculis. Non defloravit eas ullus homo, aut genius ante eos* (quibus tradentur ad copulam). *Accumbent* (mariti earum cum eis) *super stragula viridia, & tapetes pulcherrimos.* Desipit prorsus atque insanit Mahumetus in hoc suo Paradiso.

Ex Sura 56. الواقعة *Casura.*

In hac Sura repetit cum appendicibus eadem, quæ in superiori de Paradiso effutiverat. En ejus verba à versu 13. fideliter latinè reddita. *Hi erunt approximati in hortis voluptatis, super lectulos auro, gemmisque contextos, discumbentes sese mutuò respicient: circuibunt circa eos adolescentes perpetuandi in flore ætatis, cum scyphis sine ansis, & calice ex vino jugiter fluenti, & cum pomorum copia, ut eligant, quæ velint, & carne avium, quas appetierint. Et erunt cum eis puellæ nigris amplisque oculis præditæ, quasi margaritæ in conchis absconditæ.* Et nonnullis interpositis: *Morabuntur inter arbores Mauz pulchrè inter se dispositas; & in umbra protensa: & juxta aquam jugiter fluentem; & cum pomis multis non defecturis, à quibus capiendis nunquam impedientur. Et in lectis excelsis cum puellis, quas nos produximus virgines, conjugibus suis dilectas, illisque coætaneas.* Circa illas aves ad cibum beatorum paratas scribit Jahias: قال سعيد بن راشد بلغني ان الطير يصف بين يدي الرجل فاذا اشتهى احدها اضطرب ثم صار بين يديه نضيجا :

Dixit Said Ebno-Rasced: Pervenit ad notitiam meam, quòd aves illæ ordinatim sistent se ante unumquemque. Cùmque aliquis quampiam ex iis appetierit, illa commovebit sese, deinde apparebit ante eum cocta. Quòd autem dicitur, puellas illas factas fuisse Virgines; explicat Gelaleddinus: كلما اتاهن ازواجهن وجدوهن عذارى : *quotiescumque accedent conjuges earum, ut cum iis coeant, invenient eas virgines:* & addit, eas futuras من غير ولادة ولا وجع : *sine partu prolis, & sine sensu doloris:* scilicet illius quem experiuntur virgines in primis copulis. O Paradisum prorsus pecuinum!

Ex Sura 60. الممتحنة *Probata.*

Vers. 4. Redit Abraham disceptans pro unitate Dei cum gente sua: sed quasi per transennam.

Ex Sura 61. الصف *Ordo.*

Vers. 6. Hæc habentur de Christo: قال عيسى ابن مريم يا بني اسرائيل اني رسول الله اليكم مصدقا لما بين يدي من التورية ومبشرا برسول ياتي من بعدي اسمه احمد فلما جاءهم بالبينات قالوا هذا سحر مبين . *Dixit Jesus filius Mariæ: O filii Israel: Ego quidem veni legatus Dei ad vos, confirmaturus Pentateuchum traditum ante me; & annuntio vobis Legatum, qui veniet post me, cujus nomen erit Ahmed. Ubi autem hic venit ad eos cum evidentibus argumentis, dixerunt: Hic est magus manifestus.* Hoc impudentissimum mendacium alibi refutavimus.

Ex Sura 64. التغابن *Mutua fraudatio.*

Vers. 2. Paradisus iterùm cum hortis, & fluminibus.

Ex Sura 65. الطلاق *Repudium.*

Vers. 12. Iterùm Paradisus cum hortis, & fluminibus.

Vers. 13. Ita legitur: الله الذي خلق سبع السموات ومن الارض مثلهن يتنزل الامر بينهن : *Deus est, qui creavit septem cælos, & totidem terras: in quibus exercet imperium suum.* Terram esse unam, cæci ipsi norunt. Sed Mahumetus, & Mahumetani plures faciunt, ut suprà vidimus.

Ex Sura 66. التحريم *Prohibitio.*

Vers. 6. Loquens de Gehenna hæc habet: وقودها الناس والحجارة عليها ملايكة غلاظ شداد لا يعصون الله ما امرهم ويفعلون ما يومرون : *Fomes illius sunt homines, & lapides: constituti sunt super eam Angeli feroces, terribiles, qui non sunt inobedientes Deo in eo, quod præcipit illis; sed faciunt quod jubentur ab eo.* Ineptè ponuntur lapides (pro quibus accipiunt Expositores idola lapidea) fomes gehennæ: sed ineptiùs ponuntur Præfecti illius Angeli (quos novemdecim faciunt): Angeli, inquam boni, Deoque obedientes, qui alios torquent, ab omni ipsi pœna immunes, quamvis in igne Gehennæ perpetuò commorentur. De his sæpè fit in Alcorano commemoratio.

Vers. 8. Paradisus cum hortis, & fluminibus.

Vers. 10. Legitur: صرب الله مثلا للذين كفروا امراة نوح وامراة لوط : *Proposuit Deus in exemplum infidelibus uxorem Noe, & uxorem Lot:* additque

dicque ambas decepisse viros suos, & damnatas fuisse ad gehennam. Varia effutiunt Expositores de harum peccato, sed temerè, & absque ullo fundamento.

Vers. 12. Ita de uxore Pharaonis: ضرب الله

للذين امنوا امرأة فرعون اذ قالت رب لي

عندك بيتاً في الجنة ونجني من فرعون وعمله

ونجني من القوم الظالمين

Proposuit autem Deus in exemplum fidelibus uxorem Pharaonis, cùm dixit: O Domine mi, ædifica mihi apud te domum in Paradiso, & libera me à Pharaone, & operibus ejus, & libera me à gentibus iniquis. Hæc (inquit Gelal) credidit in Moysen, & vocabatur Asia. Propterea Pharao cruciavit eam, alligans manus & pedes ejus ad quatuor paxillos terræ infixos, & ponens super pectus ejus molam grandem; & ita relinquens radiis solaribus expositam. Sed cùm discederet is, qui custodibat eam, Angeli umbram faciebant ei. Tandem Deus recepit spiritum ejus: & juxta Ebno-Keisan : فهي تأكل وتشرب رفعت الي الجنة حية *Elevata fuit in paradisum vivens, ubi comedit, & bibit.* Si hæc vera essent, nunquam Moyses ea tacuisset. Suspicor esse commentum aliquod Rabbinicum.

Ex Sura 69. الحاقة *Fatalis*.

Regerit Thæmudæos, Pharaonem, Sodoman, Noe, & diluvium, paradisum cum hortis, fructibus, epulis, &c.

Ex Sura 70. المعارج *Gradus*.

Vers. 5. Loquens de die Judicii, asserit futurum

يوم كان مقداره خمسين الف سنة:

diem, cujus mensura erit quinquaginta millium annorum. Suprà dixerat hunc diem futurum mille annorum: cùm tamen communiter Moslemi supremo Judicio dimidiam tantùm diem attribuant. Zamchascerius exponit: قيل فيه خمسون موطناً كل موطن

الف سنة: *Dicitur judicandas esse quinquaginta nationes, quarum qualibet mille annos exiget ad judicium suum.*

Vers. 40. Legimus: فلا اقسم برب المشارق والمغارب: *Et non juro per Dominum Orientium, & Occidentium.* Ponit plures Orientes, & Occidentes ex falsâ opinione pluralitatis Mundorum.

Ex Sura 71. نوح *Noe*.

Refertur ex professo tamquam aliquid novum, legatio Noe ad populum suum, toties hactenus recantata. Inter alia autem ponitur, tunc homines adorasse idola, quorum nomina erant. ودّ *Vaddus*: سواع *Suaus*: يغوث *Jaguth*: يعوق *Jauk*, & نسر *Nesrus*.

Sed jam suprà manifestè ostendimus, ante diluvium non fuisse idololatriam, quod etiam tenent Hebræi. Vide R. Moysen Ægyptium in *Morè Nebuchim*.

Ex Sura 72. الجن *Genii*.

Recoquit fabulam de Geniis seu dæmonibus, qui audientes lectionem Alcorani à Mahumeto conversi sunt ad illius sectam; itemque aliam fabulam de iisdem ex orbibus cœlestibus ejectis. Et in his nugis tota Sura versatur.

Ex Sura 74. المدثر *Coopertus*.

Vers. 30. Loquens de Gehenna, repetit figmentum novendecim Angelorum, qui illi præfecti sunt, postèà subdit: وما جعلنا عدتهم الا فتنة للذين كفروا

ليستيقن الذين اوتوا الكتاب ويزداد الذين

امنوا ايماناً ولا يرتاب الذين اوتوا الكتاب:

Et non posuimus numerum eorum nisi ad schisma inter incredulos; & ut certi fierent Scripturales, & fides augeretur fidelibus; neque ultrà dubitarent Scripturales. Nempè, Judæi & Christiani non dubitarent Mahumetum esse veracem, cùm viderent illum ita divinasse numerum Angelorum Gehennæ præfectorum. Verùm neque Christiani, neque Judæi (ut puto) de his Angelis aliquid unquam resciverunt, & ne somniarunt quidem.

Ex Sura 76. الانسان *Homo*.

Vers. 1. Dicitur: هل اتى على الانسان حين من

الدهر لم يكن شيئاً مذكوراً:

An venit super hominem tempus ex sæculo; nec fuit res ulla memorabilis? Hæc verba juxta glossam Gelalis hanc continent sententiam. هل قد اتى على

الانسان اذ حين من الدهر اربعين سنة لم يكن

فيه شيئاً مذكوراً كان فيه مصوراً من طين

An transiit super hominem, nempè super Adam, tempus ex sæculo, ideſt quadraginta anni: nec fuit in eo res ulla memorabilis, quia eo tempore fuit semper figmentum ex luto? At Adam statim formatus à Deo ex pulvere terræ, animatus fuit, & factus est in animam viventem. Mirum est, Mahumetum & Mahumetanos, in rebus tàm evidentibus ac certis ita hallucinari, ac prorsus cæcutire. Nonnulli, ut Mahumetum excusent, detorquent hæc ad tempus, quo homo manet embrio, vel infans in utero matris: sed ineptè novem menses dicerentur الدهر من حين tempus ex sæculo; ideſt longissimum tempus: neque hæc esset res admiratione digna.

Digitized by Google

Vers. 5. Redit ad Paradisum suum, *in quo Justi bibent ex calice vini mixti aqua Caphur, qui est fons, ex quo bibent servi Dei, & unusquisque deducet eum per rivulos, quo ipsi commodum fuerit. Discumbent ibi super lectulos sponsales in umbris arborum, demittentium ramos, ut faciliùs poma possint decerpi. Circumferentur crateres argentei sine ansis, ut ex omni parte capi possint, sicut cyathi vitrei, & ponent in eis quantum vini placuerit. Miscebunt autem vinum aqua Zangebil, qui est fons, qui congeminatur Salsabil. Pueri in flore ætatis perpetuò duraturi, velut margaritæ sparsæ ibunt in gyrum pocula ministrantes. Induentur vestibus fericis viridis coloris, subtilioribus, & crassioribus, & ornabuntur armillis argenteis.* Tædet toties hæc referre: & tamen referre necessarium existimo, ut agnoscat Lector, quas merces Alcoranus miseris Arabibus emendas exponat.

Ex Sura 70. المرسلات *Missæ.*

Vers. 41. Redit Paradisus cum umbris, & fontibus, & pomis cujusque generis, ut unusquisque eligat quæ concupierit. Nescio, an Calabri tot pomis abundent, quot Paradisus Mahumeti.

Ex Sura 78. النبأ *Nuncium.*

Vers. 30. Iterùm Paradisus, cum hortis arboribus consitis, cum vinetis, & uvis, & puellis cum mammis sororiantibus ac turgidis; & calicibus vino spumantibus,

Ex Sura 79. النازعات *Abstrahentes.*

Vers. 15. Obtundit Deus suus Mahumetum, dum petit ab eo: هل اتاك حديث موسى *An audisti unquam historiam Moysis?* Et quamvis toties eam illi narraverit, hîc tamen illi retrudit.

Vers. 28. Asserit, Deum *priùs perfecte conformasse cœlum, & obtenebrasse noctem ejus, & eduxisse splendorem ejus*; idest produxisse in eo solem post tenebras præcedentes, ut exponunt glossæ; *& postea expandisse terram, & eduxisse ex ea fontes, & herbas, & arbores; & stabilisse in ea montes.* At hoc est contra id, quod ipsemet suprà dixit non semel: nempè Deum priùs creasse terram, & omnia, quæ in ea sunt: & postea animum intendisse ad creandum cœlum.

Ex Sura 81. التكوير *Involutio.*

Vers. 4. Inter signa diei Judicii ponuntur اذا العشار *Cùm camelæ destitutæ fuerint*: & *cùm feræ congregatæ fuerint.* Primum signum est prorsùs frivolum. Secundum autem, si intelligatur eo modo, quo exponunt Glossæ, est omninò incredibile. Ideò feras reduleitandas, & congregandas vult Gelal. ليقتص لبعض من بعض ثم

وحوش حشرت: عطلت واذا *Cùm camelæ destitutæ fuerint*: & *cùm feræ congregatæ fuerint.* Primum signum est prorsùs frivolum. Secundum autem, si intelligatur eo modo, quo exponunt Glossæ, est omninò incredibile. Ideò feras reduleitandas, & congregandas vult Gelal. ليقتص لبعض من بعض ثم

تصير ترابا: *ut fumatur vindicta aliarum ex aliis, & posteà in pulverem reducantur.* Vel, ut ait Jahias: ليقضي لبعضها من بعض ثم يقال لها كوني ترابا: *ut judicium fiat uni de aliis: & posteà dicatur ei: Esto pulvis.* Feræ ex necessitate operantur, & quemadmodum culpæ sunt incapaces, ita etiam pœna pro culpa illis nulla debetur. Quòd si Deus aliquando jussit bestias occidi, vel lapidari, aut comburi; id fecit in detestationem culpæ ab hominibus perpetratæ, & in pœnam ipsis hominibus. Et ita intelligenda sunt verba Gen. cap. 9. dicta à Deo Noe & filiis ejus: *Sanguinem animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum*: & alia hujusmodi loca: vel dicendum est, has esse locutiones figurativas, quales sæpè in Sacris literis occurrunt.

Ex Sura 83. التطفيف *Mensura injusta.*

Vers. 7. Ita de Iniquis: انّ كتاب الفجار لفي سجين وما ادراك ما سجين كتاب مرقوم: *Certè liber Scelestorum erit in Saggin. Quid verò faciet, ut intelligas, quid sit Saggin? Est liber delineatus.* Et deinde vers. 18. pronunciat de Justis: انّ كتاب الابرار لفي عليين وما ادراك ما عليون كتاب مرقوم يشهده المقربون: *Certè liber Justorum erit in Aliin. Et quid faciat, ut intelligas, quid sit Aliin? Est liber delineatus, cui testes adsunt Approximati*: idest Angeli Deo proximi. Inepta prorsùs loquutio, dum tàm liber Iniquorum, quàm liber Justorum dicitur esse in libro delineato. Quamobrèm Expositores nihil curantes interpretationem factam à Mahumeto ipso, utpote ridiculam, volunt tàm *Saggin*, quàm *Aliin*, esse loca quædam. Primum quidem in imo terræ septimæ, ubi residet Diabolus: Secundum autem in septimo cœlo sub Throno Dei. Ita Gelaleddinus, & alii. Sed omnia sunt figmenta.

Vers. 22. Reponit Paradisum cum quodam additamento nota digno v. 25. his verbis: يسقون من رحيق مختوم ختامه مسك وفي ذلك فليتنافس المتنافسون: *Potabuntur ex vino purissimo sigillato: & sigillum ejus erit muscus. Ad hoc porrò anhelent illi, qui anhelant ad felicitatem.* Nam ut explicat Gelal, servabunt hoc vinum apud se repositum في اناياها لا يفك ختمها الا مسم: *in vasis suis sigillo obsignatis, quod nemo solvet, vel amovebit, nisi ipse.* Quod verò addit, *sigillum fore muscum*, significat cretulam ad sigillandum adhibitam, ex musco, vel alia materia suaveolenti esse componendam; vel, ut exponit Gelal, quia آخر شربه يفوح منه رائحة المسك: *ultimus haustus hujus vini*, (dum calix exhauritur) *efflabit, ac relinquet post se odorem muscì.* Habebit igitur quilibet beatus dolium suum sigillo obsignatum, ne scilicet evaneſcat, vel ne aliquis alius beatus ex eo furtim sorbillet: adeò enim pretiosum est, ut ad illius

Digitized by Google

illius potum aspirare debeant, qui ad summam aspirant felicitatem.

Ex Sura 83. الانشقاق *Scissio.*

Vers. 7. Asserit, in die Judicii homini justo dandum esse librum suum بيمينه *in manu dextera ejus:* Peccatori autem وراء ظهره *post tergum ipsius.* Quia scilicet, ut ait Gelal يغل يمناه الى عنقه ويجعل شماله وراء ظهره فياخذ بها كتابه *peccatori alligabitur ad collum dextera ejus, & sinistra ejus post tergum ipsius; quamobrem librum suum post tergum accipiet.* Hæc si materialiter accipiantur, prout accipiuntur à Mahumetanis, à veritate aliena censenda sunt.

Ex Sura 85. البروج *Turres.*

Refricat hic etiam hortos & flumina Paradisi: & Pharaonis, ac Thæmudæorum nugas.

Ex Sura 88. الغاشية *Operiens.*

In hac etiam producitur Paradisus cum hortis, fontibus, lectulis, crateribus, pulvinaribus, ac tapetibus.

Ex Sura 89. الفجر *Aurora.*

Redeunt Aadæi, Thæmudæi, & Pharao, cum suis quisquiliis.

Vers. 26. Loquens de die Judicii, habet. وجيء يومئذ بجهنم *& adducetur in illa die Gehenna.* Gelaledd. تقاد بسبعين الفا زمام كل زمام بايدي سبعين الفا من الملك لها زفير وتغيظ *Adducetur* (Gehenna in die Judicii) *ligata septuaginta millibus habenis: & unaquæque habena trahetur à septuaginta millibus Angelis. Ipsa verò cum indignatione & ira mugiet.* Magnum figmentum; sed tamen apud Moslemos habet fidem.

Ex Sura 91. الشمس *Sol.*

Vers. 11. Recoquit crambem fabulæ Thæmudæorum & Saleh, & camelæ è rupe productæ.

Ex Sura 97. القدر *Alcader.*

In hac Sura recinitur ex professo commentum de Nocte Alcader, in qua delapsus est Alcoranus à Throno Dei ad cœlum lunæ. Ita autem in illa introducitur Deus loquens: انا انزلناه فى ليلة القدر وما ادريك ما ليلة القدر ليلة القدر خير من الف شهر تنزل الملائكة والروح فيها باذن ربهم من كل امر سلام هى حتى مطلع الفجر *Nos certè demisimus eum* (ideſt Alcoranum) *in nocte Alcader: & quid faciet, ut tu intelligas, quid sit nox Alcader? Nox Alcader melior est, quàm mille menses. Descendunt Angeli & Spiritus* (ideſt Gabriel) *in ea per voluntatem Domini sui pro omni re* (ideſt ad executionem decretorum, quæ fecit Deus illa nocte, quibus dispositi de omni re pro eo anno). *Pax est* (in ea nocte tota) *usque ad ortum auroræ.*

Ex Sura 98. البينة *Evidentia.*

In hac Sura, Lector te relinquo, ut in Paradiso Mahumetico, qui in ea retruditur, inter fontes, & arbores, quantum libuerit, respires, nisi forte in domesticis tuis prædiis aliquid melius habueris: & certè habebis. In sequentibus suris omnia nugæ & quisquiliæ, in quibus tempus tàm mihi pretiosum terere, magnum piaculum existimarem. Te quoque hactenùs expositis ineptiis ac fabulis jam ad nauseam saturum esse non dubito.

Digitized by Google

CONCLUSIO TOTIUS OPERIS.

HActenùs Alcorano contra Alcoranum pugnavi: & Mahumetum gladio suo jugulare pro mea virili conatus sum. At enim, neque illum expugnavi; neque hunc jugulavi. Per me non stetit: sed utraque victoria non ex Alcorano, vel Mahumeto, verùm ex iis, qui illos sequuntur, dependet. Tu verò quid facies cum iis, qui non rationi ac veritati; sed ostinationi, & præoccupatæ ab errore menti seie totos commiserunt? Nonnullos legimus, & fortasse etiam novimus, qui ob fæsam phantasiam, & crederent fixè, & firmiter asserrent, se mortuos esse; ac propterea cibum potumque rejicerent. Alios, qui se vitreos esse existimantes, omnem contactum, cane pejus & angue, refugerent. Alios, qui se in aves versos putantes, per tecta domorum brachia in modum alarum motitantes, volare tentarent. Ita in his imaginatio depravata prævalebat, ut ne apertissimis quidem rationibus, & palpabilibus, ut ita dicam, argumentis, possent ab errore suo removeri. His persimiles Mahumetanicæ superstitionis assectæ mihi esse videntur. Contendunt, se in bona religione versari; non quia verè id agnoscant, sed quia à Mahumeto fascinati sunt. Affirmat hic, se nihil aliud docere in Alcorano, quàm quod Moyses in Pentateucho, Christus in Euangelio tradidere: seque suamque doctrinam fuisse ab utroque prædictam. Manifestè ostendo eis in prima parte hujus mei operis, neque in Pentateucho, neque in Euangelio, neque in ullo alio Sacro libro, quidquam, quod ad Mahumeti prophetiam spectet, reperiri: Alcoranum porrò longissimè ab his omnibus dissidere. At illi, & Judæos Pentateuchum, & Christianos Euangelium corripisse reponunt. Hoc verò non solùm falsum, sed impossibile, meridiana luce clarius demonstro. Quid illi? Contendunt nihilominus, & in Pentateuchi, & in Euangelii codicibus, etiam quales nunc habemus, texcenta esse de Mahumeto ejusque secta vaticinia. Exquirimus, ubinam, vel quænam ea sint. Nugas & ineptias vaticiniorum loco producunt: quas cùm ipsimet nihil pro Pseudopropheta suo, ejusque superstitione facere apertè cognoscant, ad miracula confugiunt. Ea & multa, & magna Mahumetum patrasse affirmant. Sed ex ipsis Alcorani verbis, ipsiusque Mahumeti, & sapientiorum Moslemorum confessione, nullum verum ab eo miraculum factum fuisse, in secunda parte evidentissimè probo. At verò illi: Satis est, inquiunt, quòd Mahumetus & religionem veram tradiderit; & legem bonam docuerit: nam ipsemet se ad hoc tantùm missum à Deo fuisse, non autem ad miracula; sexcenties in Alcorano testatur. Hoc etiam eorum propugnaculum, seu effugium, funditùs dirui in tertia parte: ibi enim quæ dogmata Alcoranus continet, quàm falsa, quàm absurda, quàm à divina in Sacris literis revelatione aliena, unusquisque videre potest. Neque verò meliora jura, quàm dogmata Mahumetus Asseclis suis proposuit. Satis sint ea, quæ in quarta parte circa ejus leges & sanctiones practicas tàm sacras, quàm politicas disseruimus: quibus si Alcoranicarum fabularum, mendaciorum, impietatum ac superstitionum colophonem imponas, planissimè cognosces, ingenuèque fateberis, cæcos prorsus esse, vel in plusquam cymmeriis tenebris jacere Mahumetanos, qui errores tàm crassos & apertos ab Impostore suo sibi pro divinis oraculis ostrusos non videant; seque ab eo fascinatos ac dementatos esse non agnoscant.

Alia ex parte Christianæ religionis veritatem ex apertissimis Sacrarum Scripturarum oraculis, quæ Adversarii non inficiantur: ex innumerorum miraculorum, quæ iidem in dubium non revocant, testimonio: ex dogmatum in divina revelatione fundatorum, quæ ipsi quoque admittunt, veritate: quamvis à legitimo sensu ea distorquere, sed frustrà, conentur: ex legis Euangelicæ à Christo traditæ summa perfectione ac Sanctitate, quam vel inviti agnoscunt, ac fatentur, evidentissimè demonstravi. Nescio quid ad hæc respondere, vel contra hæc objicere possint Mahumetani; nisi fortè straminea illa argumenta; diuturnitatem sectæ: numerum assectarum: amplitudinem imperii: victoriarum felicitatem: quibus addere etiam consueverunt, mortum vitæque probitatem: superstitionis suæ in præcibus, purificationibus, jejuniis, peregrinationibus, eleemosynis exactam observantiam: incorruptum justitiæ tenorem, & alia hujusmodi; quæ partim falsa, partim ad meram ostentationem, partim nullius momenti ad veram religionem, & quod præcipuum est, innumeris vitiis, sceleribus, ac flagitiis admixta esse jam vidimus, & omnes, qui inter Mahumetanos versati sunt uno ore testantur. Præclusum est igitur illis omne effu-

Digitized by Google

effugium, quo possint se in superstitione sua sustinere ac tueri: sublata omnis excusatio, qua Christianæ veræque Religionis ignorantiam prætendere queant.

Novi ego ipse nonnullos Mahumetanos, qui his argumentis convicti, cùm aliud quod respondereut non haberent, tàm ipsos in sua lege, quàm Christianos in sua, etiam juxta Alcorani doctrinam, æternam salutem consequi posse contenderent. Atqui impossibile hoc esse jam satis in principio mei Operis demonstravi. Et Mahumetus ipse (juxta eorum receptam traditionem) contra id, quod in Alcorano toties aperte affirmat; unam tantùm esse religionem, quæ ad æternam salutem duceret, pronunciavit.

Ex hactenus dictis, nemo non videt, quàm facilè possent Mahumetani de errore suo convinci: si ipsi convinci vellent. Sed volent, ut spero, aliquando, divina aspirante gratia, cùm durissimum Tyrannorum suorum jugum excusserint, & in Christianorum Principum tutelam sese spontè receperint; vel sub eorum protectaem victi devenerint. Tunc verò cùm libera erit eis religionis electio; & neque ignem, neque infame lignum formidabunt; facilè argumentis meis ad superstitionem suam deponendam, & ad veram religionem suscipiendam perducentur. Imò satis erit ad hoc; si Alcoranum suum (pia illa quam nunc impiè stultéque habent, affectione sepulta) attentiùs legerint, & ad veritatis examen expenderint, ac trutinaverint. Videlicet nulla alia sunt validiora ac fortiora contra Alcoranum, ejusque vanitatem ac falsitatem argumenta, quàm ea, quæ ab Alcorano ipso suppeditantur. Satis luculento exemplo affertum meum comprobatur, quo huic operi coronidem imponam. Refert illud à me in principio laudatus, & nunc in fine cum laude commemorandus, Reverendissimus Pater Tyrsus Gonzalez de Santalla Illustrissimæ Societatis Jesu supremus ac sapientissimus Moderator, in Opere suo egregio, *Manuductionis ad conversionem Mahumetanorum*, lib. 2. cap. 9. allegans ejus auctorem Sanctum Eulogium Episcopum Toletanum & Martyrem in libro, cui titulus, *Memoria Sanctorum*. Ita igitur se res habuit.

Dum Hispania sub durissimo Maurorum jugo ingemiscerat, juvenis quidam Cordubensis, quamvis amitam Christianam haberet, in Agarenica tamen superstitione natus, & enutritus eam, ut ita dicam, innocenter profitebatur. Hortabatur eum identidem amita, ut Mahumeto valediceus, Christianam susciperet Religionem. Senserunt id cæteri cognati Mahumetani, quamobrem ut piæ fœminæ solicitam pro nepote curam eluderent, curaverunt, ut is in Arabicis literis probè instrueretur, quò Alcorani lectione Mahumetieam legem & à fundamentis addisceret, & constantiùs deinde retineret. Erudito eum Magistro commiserunt: ipse verò, utpote prompti vivacisque ingenii, brevi in Arabico idiomate tantum profecit, ut Alcoranum & legere, & intelligere commodè posset. Existimavere consanguinei se jam adolescentem contra pias amitæ insidias, in tuto habere. Alcoranum illi statim legendum, attentèque considerandum tradidere. Adolescens, qui jam Arabici sermonis gustum aliquem accepisset, avidiùs librum illum, quem adeò celebrari audierat, arripuit, statimque legere cœpit. At cùm semel, atque iterùm legisset, longè alium ab eo, quem à suis audierat, invenit. Omnia in eo perturbata & confusa animadvertit: pleraque obscura, & perplexa: stylum fluidum quidem, & aures vellicantem; sed meras inanias continentem: Surarum titulos ridiculos, nec ferè unquam earum materiæ respondentes: Idem in una Sura dictum, & in alia, imò aliquando in eadem retractatum: apertas passim contradictiones: innumeras ineptias, ac fabulas aniles: Perpetuam in toto Alcorano earumdem rerum cantionem: Paradisi felicitatem in scortis, Ganymedibus, lectulis, poculis, pomis, nemoribus, fluminibus, armillis, sericis, & hujusmodi partim obscœnissimis, partim vilissimis deliciis ac voluptatibus positam: Deum partim perjurum: partim per res inanissimas atque indignissimas pro æquè inanibus & indignis juramenta bis, ter, quinquies, septies, novies, eodem tempore effundentem; & prophetæ suo Mahumeto in lasciviis, adulteriis, furtis, ac perjuriis lenocinantem: Prophetam ipsum totum fœminis, deliciis, gulæ, prædis, latrociniis, humano sanguini effundendo addictum: nihilque aliud in Alcorano, quàm propria commoda curantem: Subditorum marsupiis ad injusta bella gerenda sub specie religionis semper inhiantem; fœminarum honestarum pudicitiæ insidiantem: divinas revelationes ad probra sua cohonestanda vel ad contribulium & consanguineorum suorum, quos exosos haberet, famam dilacerandam, semper paratas habere: Tonum denique librum à capite ad calcem, armis, fœminis, prædis, cædibus, fabulis, pugis, mendaciis, superstitionibus esse refertum: Pauca tantùm nescio quæ, ex Christianorum libris fortasse furto sublata, & centies repetita, sani aliquid piique redolere.

Hæc, & alia hujusmodi ubi prudentissimus juvenis animadvertit contineri in Libro illo, quem divinitùs traditum, atque in throno, atque in essentia Dei custodiri, nullumque parem aut similem unquam habuisse, aut habiturum esse Moslemi sui jactabant, obstupuit: atque apertè intellexit, nullo modo hujusmodi librum esse posse à Deo traditum; sed vel à nequissimo omnium mortalium, vel à Dæmone ipso compactum & concinnatum, atque ad humani generis perniciem editum, ac vulgatum fuisse, certissimè sibi persuasit. Alia ex parte animo revolvens ea, quæ ab amita, & aliis audierat, Christianæ Religionis dignitate, deque mysteriorum ejus majestate, & gravitate, legisque Euangelicæ puritate ac sanctitate; & quæ Mahumetani ipsi de Christo, ejusque matre Virgine Maria gloriosissimè prædicabant: Alcoranum cum Euangelio: Mahumetum cum Christo: Agarenicam superstitionem cum Christiana religione componens; clariùs ac manifestiùs Mahumeticæ sectæ vanitatem ac falsitatem, & Christianæ fidei veritatem agnoscebat. Quid multa? Eodem momento se Christianum esse velle firmissimè deliberavit. Nec mora: ut salutari lavacro ad vitam æternam regenereretur, Sacrisque Christianæ fidei mysteriis initiaretur clam curavit, & obtinuit. Mox palam, nec sine multis testibus, Mahumetum, impiamque ejus legem ejuravit: Christo se jam nomen dedisse; illius fidem ac legem sequi velle, liberè constanterque pronunciavit. Obstupuere Mauri, præsertim cognati, tàm subitam adolescentis mutationem. Lenibus primò blandisque verbis illum à proposito removere, & ad avitam superstitionem revocare conati sunt. Verùm ubi semper constantiorem viderunt, ad minas ac terrores conversi; flagra illi, lanienam, ignem, palum intentare cœperunt. Sed fortissimum adolescentem nihil hæc movebant. Quamobrem illi in furorem acti, ut tantam Prophetæ sui injuriam ulciscerentur, innocentis-

simum juvenem barbarè trucidaverunt; atque ejus spiritus purissimus statim in cœlestes sedes inter Martyrum choros evolavit.

Ita ars arte delusa est: & medela venit unde malum parabatur. Profuit huic adolescenti ad cognoscendam Mahumetanicæ sectæ falsitatem ac vanitatem, atque ad æternam felicitatem per mortem tàm gloriosam promerendam, Alcorani lectio, ex qua laqueus erroris, & æternæ perditionis illi curabatur. Neque dubito, aliis etiam profuturam, dummodo sine animo ab errore præoccupato, illum & legant, & expendant: nam, ut verbis S. Eulogii concludam: *Si aliquis Catholicus* (veritatis scilicet amicus) *velit falsitatem sectæ Mahumetanæ clarè deprehendere, nullo alio opus ipsi est, quàm cum Sapientioribus Mahumetanorum sermones de Religione miscere, & ab iis interrogare, quid credant. Eis enim auditis, quæ ipsorum Lex* (nempè Alcoranus) *docet; statim cognoscet, illam esse mendacem, & Deo auctore indignam.*

FINIS.

Appen-

Appendix.

Nihil tàm falsum aut absurdum à novarum sectarum auctoribus excogitatum est, quod larvam aliquam veritatis è Sacris Scripturis perperam intellectis sibi non assumat. Quid magis à veritate & à ratione alienum, quàm non solùm brutis animantibus, sed etiam arboribus, ac lapidibus, & intellectum, & loquelam, non secus ac hominibus tribuere? & nihilominus tribuit Alcoranus, ut jam vidimus. Si objicias Mahumetanis, hoc & omni rectæ rationi, & naturæ ipsi repugnare; statim ad sacrarum scripturarum testimonia te provocabunt.

Primò: Geneseos cap. 3. Serpens alloquitur Mulierem, dicens: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis de omni ligno Paradisi? Cui respondit mulier: De fructu lignorum, quæ sunt in Paradiso vescimur: de fructu verò ligni, quod est in medio Paradisi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur. Dixit autem serpens ad mulierem: Nequaquam moriemini: Scit enim Deus, quòd in quacumque die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri: & eritis sicut Dii, scientes bonum & malum.* Ex his patet, serpentem habuisse usum rationis; & ex vi illius, cum muliere loquutum fuisse.

Respondeo, Mahumetanos ipsos communiter docere, non serpentem, sed Diabolum à serpente in Paradisum delatum, cum Heva loquutum fuisse, eamque decepisse. Verum tamen est, Diabolum voces humanas in ore serpentis materiales efformasse, quasi in organo certa ratione moto, collisо, ac modulato; absque ulla serpentis prævia ratione, aut cognitione.

Secundò; In libro Numerorum, capite 22. Asina cùm fuste à Balaam percuteretur, dixit illi: *Quid feci tibi? cur percutis me? ecce jam tertiò.* Cùmque Balaam acriùs in eam desæviret; subdidit illa: *Nonne animal tuum sum, cui semper sedere consuevisti usque in præsentem diem? Dic, quid simile unquam fecerim tibi? At ille ait; Nunquam.* Non poterat asina ita cum Domino suo disceptare, nisi intellectu & ratione prædita esset.

Respondeo; eodem modo, quo serpentem, asinam hanc loquutam fuisse, nempè materialiter tantùm, absque eo quòd intelligeret, quid voces suæ significarent, quippe à movente extrinseco, nempè ab Angelo, in ore illius, & per illius organa formabantur. Id quod non obscurè innuitur verbis illis: *Aperuitque Dominus os asinæ, & loquuta est:* quia loquutio illius habuit motum tantùm ab extrinseco, non autem à prævia cognitione intrinseca.

Tertiò:

Digitized by Google

Tertiò: in libro Job cap. 38. interrogatur ipſe Job à Deo: *Quis poſuit in viſceribus hominis ſcientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* ex quibus verbis colligitur, gallum ratione præditum eſſe.

Reſpondeo: Hebraicam vocem שכוי à multis Interpretibus exponi *cor*, non *gallum*. Sed cùm Latina noſtra habeant *gallum*; & ita doctiſſimi Hebræorum vertant: pro *intelligentia*, accipiendum hìc eſſe inſtinctum naturalem galli, cantandi certis horis noctis, inditum illi à Deo; quo, vi nativi temperamenti aerei, & ignei, excitantur ei ſenſus illis temporibus, quibus acceſſum & influxum Solis notabilius percipit: unde inſtinctu phantaſiæ mox in cantum, & alarum plauſum ex naturæ neceſſitate erumpit: non ex vi rationis.

Quartò, in eodem Job cap. 38. dicuntur, *pulli corvorum clamare ad Deum, vagantes eò quòd non habeant cibos*. Idem penè habetur in Pſalmo 146. & Pſalmo 103. dicuntur, *catuli leonum quærere à Deo eſcam ſibi*.

Reſpondeo; corvos, ſeu leones, aut alia animalia clamare ad Deum, & petere ab eo cibum non ex ductu rationis, ſed ex innato appetitu, quem exprimunt vocibus ſuis exquirentes eſcas illas, quas ipſis Deus præparavit.

Poſtremò objiciunt Mahumetani, frequenter haberi in ſacris literis, non ſolùm bruta animantia, ſed etiam alias res inanimatas laudare Deum, eique obſequium præſtare. Imò David, aliique ſancti viri, toti ſunt in invitandis omnibus creaturis, etiam inanimatis & inſenſibilibus, ad laudandum Deum, eique benedicendum.

Reſpondeo, ſi per hoc contendunt Mahumetani, creaturas omnes præditas eſſe ratione, & operari ex prævia cognitione: nimis ſe rudes atque hebetes oſtendere. Porrò creaturæ omnes Deum laudare dicuntur, quatenus adamuſſim exercent, & exequuntur id, ad quod Deus eas creavit; & per admirabiles operationes ſuas, quantumvis naturales & neceſſarias, prædicant quodammodo illius gloriam, potentiam, ſapientiam, ac magnitudinem. Neque tamen fruſtrà, & inutiliter homines invitant reliquas creaturas, ad laudandum Deum: nam per hoc proteſtantur, ſe ratum habere, & probare, & quantum eſt ex ſe, procurare id ipſum, quod illæ faciunt ex naturali inſtinctu, & ex neceſſitate, laudando Deum, eique tanquam Creatori ſuo ſerviendo.

Digitized by Google

INDEX CAPITUM.

Præmium. Pagina. 3.
Cap. I. Præmittuntur quædam pro resolutione hujus quæstionis. ibid.
Cap. II. Comparantur inter se leges Religionis Christianæ, & Sectæ Mahumetanicæ. pag. 5.
Cap. III. Proponuntur, & explicantur leges peculiares practicæ Religionis Mahumetanicæ. pag. 8.
Cap. IV. Prima Mahumetanicæ Legis radix, seu fundamentum practicum: Purificatio. pag. 9.
Cap. V. Secundum Eslamiticæ Sectæ fundamentum practicum: Oratio. p. 12.
Cap. VI. Tertium Eslamiticæ Sectæ fundamentum practicum: Eleemosyna. pag. 19.
Cap. VII. Quartum Eslamiticæ Sectæ fundamentum: Jejunium. pag. 21.
Cap. VIII. Quintum Eslamiticæ Sectæ fundamentum: Peregrinatio. pag. 23.
Cap. IX. Animadversiones in primum Mahumetanicæ Sectæ fundamentum practicum: nempè Purificationem. p. 26.
Cap. X. Expenditur secundum fundamentum: Orationis. pag. 29.
Cap. XI. Tertium fundamentum de Eleemosyna, ad trutinam revocatur. pag. 31.
Cap. XII. Expenditur quartum Eslamiticæ Sectæ fundamentum: nempè Jejunium. pag. 34.
Cap. XIII. Examen quinti Mahumeticæ Religionis fundamenti: nempè Peregrinationis. pag. 35.
Cap. XIV. Discutitur prohibitio à vino, & ludo, facta à Mahumeto. p. 37.
Cap. XV. De præcepto Circumcisionis. p. 39.
Cap. XVI. De prohibitione quorumdam ciborum. pag. 40.
Cap. XVII. Utrum Mahumetani habeant Sacrificium. pag. 41.
Cap. XVIII. Expenduntur quædam practicæ Alcorani Sanctiones, quæ vel erroris, vel defectus notam merentur: ac primùm, de pœna Talionis. pag. 43.
Cap. XIX. De Juramento. pag. 46.
Cap. XX. De Repudio. pag. 49.
Cap. XXI. De Polygamia. pag. 52.
Cap. XXII. De Virginitate, ac cœlibatu. pag. 57.
Cap. XXIII. De Bello pro Religione. pag. 59.
Cap. XXIV. De Vindicta privata. p. 64.
Cap. XXV. De disputatione circa Religionem. pag. 67.
Cap. XXVI. Aliæ quædam ex Alcorano sanctiones censoria virga cursim castigantur. pag. 70.
Cap. XXVII. (per errorem 28.) Fabulosa, falsa, impia, ac superstitiosa, quæ in Alcorano continentur, ex parte referuntur. pag. 76.
Conclusio totius operis. pag. 124.

Digitized by Google